UANL
DAD AUTÓNOMA DE NUEV
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTE

BX1935
.F3
1676
v.5
c.1

1080044899

260

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

46394

PROSPERI FAGNANI

COMMENTARIA IN SECUNDAM PARTEM TERTII LIBRI DECRETALIUM

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM WILHELMVM FRIESSEM, Iuniorem.
ANNO M. DC. LXXVI.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis ad Decennium.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

RUBRICÆ, ET CAPITULA HUJUS SECUNDÆ PARTIS

Tertii Libri Decretalium.

de *Baptismo, & ejus effectu.* pag. 315.

Majores. 319
Si quis puerum. 315

de *Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.* 220

Ex parte. 225
In Ecclesiis. 220

de *Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Divinis officiis.* 293

Cum creatura. 311
Cum Marthæ, §. Quæsivisti. 303
Dolentes. 304
Presbyter. 293
Quidam. 298

de *Censibus, exactionibus, & procurationibus.* 266

Advocationis. 285
Cum venerabilis. 274
Licet. 266
Olim. 271
Procurationes. 275
Venerabili. 280

de *Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.* 288

Qua. 288

de *Conversione Conjugatorum.* 131
Conjugatus. 148
Cum sis. 136
Ex parte. 158
Ex publico. 152
Præterea. 131
Verum. 135

de *Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.* 354

AD Audientiam, il primo. 354

de *Immunitate Ecclesiarum, Cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium.* 362

Celebre. 385
Immunitatem. 389
Inter alia. 373
Non minus. 365
Pervenit. 362

de *Iurepatronatus.* 230

Consultationibus. 243
Cum autem. 245
Cum propter. 253
Ex litteris. 239
Nobis. 250
Perlatum. 230
Postulasti. 263
Quoniam. 233

Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant. 392

Multa. 392
Non magnopere. 402
Relatum. 406
Secundum. 405
Sententiam. 430
Sicut te. 423
Super specula. 430

de

de *Observatione Iejuniorum.* 342

COnsilium. 342
Explicari. 348

de *Presbytero non baptizato.* 329

VEniens. 329

de *Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.* 1

AD Apostolicam. 69
Ad nostram. 29
Consulti. 89
Cum simus. 66
Cum virum. 49
Ex parte. 99
Licet. 82
Ne Religioli. 111
Non est vobis. 26
Nullus. 1
Porrectum. 57
Sanè. 35
Sicut nobis. 77
Significatum. 41
Si quis. 7
Statuimus. 104
Vidua. 20
Vt Clerici. 20

de *Religiosis domibus, ut Episcopis sint subjecta.* 200

AD hæc. 204
Constitutus. 215
Cum dilectus. 215
De Xenodochiis. 200
Inter quatuor. 213

de *Reliquiis, & veneratione Sanctorum.* 330

AVdivimus. 330
Cùm ex eo. 337

de *Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.* 162

CVm ad Monasterium. 189
In singulis. 197
Monachi. 162
Quod Dei timorem. 184
Recolentes. 175

de *Voto, & Voti redemptione.* 161

LItteraturam. 161
Quod super his. 161

PRO-

PROSPERI FAGNANI
COMMENTARIA
IN SECVNDAM PARTEM
TERTII LIBRI
DECRETALIVM.

****

DE REGVLARIbus, & transeuntibus ad Religionem.

Cap. Nullus.

SVMMARIVM.

1 CONSVETA arguit professionem si per eam professio à cæteris distinguantur.

2 Actus quilibet à consensu regularis exigit habilitatem agentis intrinsecè, & libertatem, ut vim non patiatur ab extrinseco.

3 Infans an possit religionem ingredi, & habitum suscipere.

4 AEtas legitima quæ dicatur ad professionem expressam tam de iure communi quàm ex Concilio Tridentino, & num. seqq.

Et quid in professione tacita, quæ inducitur ex gestatione annali habitus indistincti, validè distinctissimi, num. 7.

Et quid in professione tacita, quæ inducitur ex susceptione habitus professorum, vel alijs modis, num. 10.

5 AEtas pubertatis quæ sit.

6 Malitia in matrimonio spirituali non supplet ætatem, secus in matrimonio carnali.

7 Professio tacita ex gestatione annali habitus indistincti, vel indistinctissimi non inducitur nisi elapso anno post ætatem præfixam ad emittendam professionem expressam, & num. seqq.

8 Beneficium ingredienti religionem ante pubertatem quando alteri conferri possit.

9 Professio tacita quandoque non inducitur nisi post Prof. Fagn. in 2 part. 3. Decret. Tom. 5. annum ætatis decimumnonum, vel vigesimumprimum.

10 Professio quæ inducitur ex susceptione habitus professorum, &c. de iure communi requirit ætatem pubertatis, & ex Concilio Tridentino annum decimumsextum completum, & n. seq.

11 Professio tacita tunc est exclusa à decretis Concilij servato tempore quod Concilium requirit.

12 AEtas legitima, seu perfecta dicitur vigesimusquintus annorum, nisi subsista materia aliud suadeat.

13 Professio in monasterio, ubi est duæ Congregatio emitti non potest ante plenum pubertatem.

14 Professio ex statuto specialis in aliquibus religionibus, ut Cappucinorum, fieri non potest ante annum decimumoctavum completum.

15 Statuta Ordinum, quæ requirunt ætatem maiorem septendecim annorum ad professionem, Concilio Tridentino non derogantur.

16 Conversi recepti non possunt ad habitum regularem ante annum vigesimum nisi ex causa.

17 AEtatem præsentem maiorem, vel minorem in præcaria debet quis se fundat in ea.

Et transeuntium probationes recepti possunt, n. 19.

18 Maior, vel minor quo non professuntur, cum ætas certat de recuperanda in monasterium.

20 Professio ad sui validitatem requirit spontaneum consentimentum.

Et quæ dicatur voluntas spontanea, eadem, & num. 22.

21 Professus potest validè ætatem fabulam, & circumventus.

22 Professio emissa per metum est ipso iure nulla, nec est opus ut rescindatur actione quod metus causa.

23 Actus requirens spontaneum consensum non valet si metus intercesserit.

24 Voluntas coacta voluntas est, sed non spontanea, seu libera.

25 Militem voluntarium sibi eligit Christus, coactum verò sibi auxiliantur Diabolus.

26 Metum qui allegat probare debet, sed amor utcunque probatis præsertim.

27 Regulares prætendunt se per vim, & metum, aut alias nullitet professum fuisse, eausa nullitatis infra examinanda deducere debet eorum superiare suus, et examinare; alias non est audiendus.

28 Regulares Prælati volentes aliquem à religione expulsare tanquam nullitet professum ante omnia curare debent separare formam à Concilio Tridentino proscriptam in cap. 19. sess. 25. de regular. & sum. sequi. hisse in forum.

29 Regulares Prælati de iure communi poterant dimittere nullitet professos etiam non allectos Ordinario, & nunc ita.

30 Statutum, quod professionem, vel due expressis tacitam tamnovice, interpretari debet ut semper tantum exigatur.

31 Ordinarium in ea Concilio Tridentino sit adhibendum in non emittendis professionem.

32 Nunc loquitur de non emittendis professione dicat adimendam

33 Regulares Prælati ex Concilio Moletino prohibentes expellere Monachos professos non adhibere Ordinarios.

34 Nullo modo recedituri cum se offert alter, quam cum reparatione.

35 Professio facta à puella tam subito discessum parenti, quam superiores explere volentes.

36 Contractum dissolvere non decent.

37 In contractibus ultro citroque obligatoriis dissolutum in uno ex correlativis censetur dissolutum in alio.

38 Lex vera dissolutum in uno ex correlativis censetur dissolutum in alio etiam ad correctionem ultra communem, alterationis statis.

39 Exceptio etiam ex admissis rarissimis non sit in exceptionibus à iure communi nisi sint correlativa.

40 Monasteria de iure veteri subiecta erant Episcopo diœcesano, & a eum spectabat cura, & solicitudo etiam Monasteriorum.

41 Lex correctoria dicitur favorabilis, & late interpretanda, agenda per eam sit restitutio ad ius antiquum.

42 Regulares cum subditi, quam Prælati allegantes nullitatem professionis vi non servatæ formam de. reformat. Concilio Trid. teneantur causas infra quinquennium deducere in Congregatione Concilij.

43 Restitutio adversus lapsum quinquennij, an sit concedenda superioribus Regularibus, sicut subditis professionis nullitatem allegantibus.

44 Indecorum non debet allegare.

45 Regulares Prælati, qui admittunt novitios ad professionem ante annum probationis elapsum, eos in Conventibus non assignatis, quos parati sint.

46 Lege absolutum ignorat excusat in his qui tenetur ex officio inquirere.

47 Ignorantia non excusat in his qui tenetur ex officio inquirere.

an agatur de professione expressa, an verò de tacita.

5 Ad professionem expressam de jure communi requiritur ætas puberratis, idest annorum quatuordecim in masculo, & duodecim in fœmina, ut c.1.20.q.1.c. *Significatum*, c. *Cum virum*, & c. *Cum simus infra eodem*. glos. fin. in c. *Quia in insuhe. infra eodem*, & in Clem. *eos. in ver. Ætate, eodem titul.* & hic notant Hostien. *num.* 3. Jo. Andr. *in fin.* Butr. n. 9. & reliqui omnes. Nec sufficit ultimam diem attigisse, sed annus debet esse consummatus in totum, ut c. *Ad nostram*, & ibi glos. *in ver. Ante consummationem, infra eod.* & glos. præalleg. in d. Clem. *Eos*, & scripti latius in prædicta decretali *Ad nostram*. Neque in hoc malitia supplet ætatem, ut notat præcitata glos. in Clem. *Eos, in ver. Ætatem*, quæ ibi à Doctoribus communiter recipitur, & sic matrimonium spirituale, vel quasi, quod contrahitur inter professentem, & monasterium secundum Archid. in c. *Vidua, num.* 2. 20. q. 1. in hoc differt à matrimonio carnali, ut c. *De illa*, vi 2. & ibi dixi, & in cap. *fin. infr. de desponsi. impuber.* cum suis concordant, sed ex Concilio Tridentino ad professionem expressam requiritur annus decimus sextus completus sublata differentia sexus, ut pa-
7 tet in c. 15. *sess. 25. de regul.* Quo verò ad tacitam professionem sub distinguendi sunt duo casus. Primus est in professione tacita, quæ inducitur ex gestatione annuli habitus indistincti, idest à novitiis, & professis gestari soliti, vel indistinctissimi, quo scilicet præter novitios, & professos promiscuè utuntur etiam alii communem vitam cum eis ducentes, juxta tex. in cap. 1. *infr. eod. lib.* 6. & hoc casu de jure communi si minor annis quatuordecim habitum indistinctum suscipiat non intelligitur tacitè profiteri, nisi illum deferat per totum sequentem annum, ut est textus formalis in d. c. 1. *in princ. vers. Quod si per totum*. Atque ita ad inducendam professionem tacitam hoc casu requiritur de jure annus integer, qui subsequitur ætatem præfixam ad emittendam professionem expressam, & sic annus decimus quintus completus.
8 Unde ipse annus decimus quintus est illi annus probationis, ut notant in c. *Beneficium, infr. eod. lib.* 6. glos. 2. Archid. *in princ. vers. Vide si minor*. Joan. Andr. Gemin. & Franc. omnes *in glos.* 2. inferentes ex hoc ut beneficium illius alteri conferri non possit nisi post annum decimum quintum. Quare eodem modo ex Concilio Tridentino si minor sexdecim annis habitum indistinctum susceperit, non intelligitur tacitè profiteri nisi illum gestet per totum sequentem annum, & ita ad inducendam professionem tacitam ex hujusmodi gestatione requiritur integer annus decimus septimus, qui subsequitur ætatem sexdecim annorum à Concilio præfixam ad profitendum, & est ratio; nam quemadmodum ex juris dispositione suscipiens habitum hujusmodi ante quatuordecim annos, quamvis præsumatur habilis ad profitendum expressè post annum decimum quartum eo quod eorum, quæ tunc agit, plenum habet intellectum, ut patet à contrario in d. c. 1. *in fin.* tamen non intelligitur professus tacitè, nisi post sequentem annum decimum quintum, ut ostensum est suprat ita post Concilium Tridentinum eundem habitum suscipiens ante sexdecim annos licet sit habilis ad professionem expressam post annum decimum sextum, nihilominus non censetur professus tacitè nisi post annum decimum septimum immediatè sequentem. Quidquid contra scripserint Navar. *cons.* 20. *n.* 1. *de regular.* & Sanchez *in Decalogo, tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 3. *n.* 39. Quælibet enim dispositio simpliciter concepta vellitur à jure communi, & ad illius intellectum est redigenda, l. 2. C. *de nov. cd. Causam quæ, supra de rescript.* c. *Quemadmodum de tut.* & tradit Petr. de Anchar. *cons.* 6. *Visa themate, num.* 8. & *cons.* 241. *Præmittendum est, in princ.* Atque ita non obstat motivum Sanchez, quod jurium correctio sit vitanda, quoniam hic non agitur de ulla correctione, cum jus commune jam reperiatur correctum à Concilio tam quoad ætatem quatuordecim annorum præfixam in genere ad professionem emittendam, quam quoad ætatem annorum quindecim in specie requisitam ad inducendam professionem tacitam per delationem habitus. Jam enim ex Concilio ad quamcunque professionem requiritur ut minimum ætas annorum sexdecim. Ergo cum jus commune jam sit correctum, ex conclusione superius firmata, ulterius non corrigitur, quin potius Concilium ad illius limites adaptatur, dum instar juris communis constituit differentiam unius anni inter professionem expressam, & tacitam, quæ inducitur ex gestatione habitus indistincti, vel indistinctissimi & nihilominus hæc est interpretatio passiva, quæ admittitur in omni materia etiam correctoria jure communis, ut notat Jason. in l. *Omnes populi, in secunda lectura, num.* 60. *& seq. ff. de inst. & iure*, & est communis opinio, ut testantur Claud. Seyssel. in l. *Inter cetera num.* 17. *ff. de liber. & posthum.* Curt. Junior. *cons.* 7. *num.* 8. & Apostill. *ad Rom. cons.* 399. *num.* 13. *in ver. Non assumat.*

Similiter si recipiens habitum indistinctum sit major annis quatuordecim, de jure communi non censetur tacitam professionem emittere, nisi illum deferat per annum integrum, & sic ad inducendam professionem tacitam ex delatione annuli habitus indistincti, vel indistinctissimi etiam in majori requiritur ut minimum annus decimus quintus completus, ut est casus in cod. c. 1. *vers. Quia vero*, & in Clem. *Eos, eod. tit.* & ipse annus decimus quintus: etiam majori est annus probationis, ut post Jo. Andr. notat Franc. in d. c. *Beneficium, n.* 1. *col.* 1. *post medium, vers. in glos.* 2. Ergo similiter ex Concilio Tridentino si recipiens hujusmodi habitum sit major annorum sexdecim, non intelligitur professi tacitè nisi illum gestet per annum. Atque ita ad tacitam professionem inducendam per delationem habitus hujusmodi ex Concilio etiam in majore requiritur saltem annus decimus septimus itidem completus.

Et hanc sententiam sæpius probavit S. Congregatio ejusdem Concilij Interpres: nam cum aliquando dubitatum esset an tacita professio, quæ non est exclusa decreto Concilii, inciperet completo decimosexto anno, & an statim post dictum tempus emissa censeretur: S. Congr. respondit tacitam professionem incipere à prima hora post perfectum annum decimum sextum, & finire ano decimoseptimo. Et aliàs censuit Concilium c. 15. *sess. 25. de reg.* non sustulisse tacitam professionem, quæ inducitur per annum, & diem computandam à die post decimumsextum annum perfectum ejus qui monasterium ingressus est. Quæ duæ decisiones quamvis videantur discrepare, tamen conciliantur, ut dixi in cap. *Ad nostram, num.* 30. *infra*

eod. quod numquam obliviscaris, quia Doctores, ad hæc non advertunt, sed simpliciter tradunt ad professionem tacitam requiri eamdem ætatem, quæ requiritur ad expressam.

9 Et ex hoc notabiliter infero, ut in illis casibus in quibus ad emittendam professionem expressam requiritur major ætas, puta decem & octo, vel viginti annorum secundum ea, quæ inferius, dicentur n. 13. & seq. tunc professio tacita per delationem annalem habitus indistincti, vel indistinctissimi nullatenus inducatur nisi transacto anno post ætatem præfixam ad professionem expressam, & sic transacto anno decimonono, vel vigesimoprimo, qui eo casu intelligitur esse añus probationis, ut ex dictis constat.

10 Secundus casus est in professione tacita, quæ inducitur per susceptionem habitus professorum, juxta text. in c. Super eo, insr. eod. & in c. Constitutionem, vers. In alijs verò, eodem tit. lib. 6. cum simil. aut per actus, qui à professis, secundum fieri solent, ut in cap. Vidua, infr. eod. aut ex eo, quod quis voluerit absolutè vitam mutare, ut in c. Consulti, & cap. Statuimus, infra eodem, & cap. Beneficium, eodem tit. lib. 6. & in his casibus, & si qui sunt similes professio tacita de jure communi non inducitur ante añum decimumquartum expletum in masculo, & duodecimum itidem expletum in fœmina, est textus in cap. Significatum, infra eodem, & in dict. cap. 1. & ex Concilio Tridentino non inducitur ante exactum annum decimumsextum, cum decretum d. cap. 15. sess. 25. de regular. ex S. Congregationis sententia sustulerit professionem tam expressam, quàm tacitam ante ætatem sexdecim annorum, vel ante annum probationis
11 elapsum. Ideoque cùm esset quæsitum an tacita professio sit exclusa à decretis Concilii concurrentibus iis, quæ de jure communi ad eam inducendam requiruntur: Sac. Congregatio censuit non esse exclusam, servato tamen tempore, quod Concilium requirit.

12 Hæc igitur est ætas legitima ad profitendum, de qua loquitur hoc capitulum: & hinc deducit Anton. de Butr. & DD. ut quamvis ætas legitima, seu perfecta dicatur quæ vigesimoquinto anno completur, ut l. Ex duobus, juncta glos. in ver. Legitima, ff. de negot. gest. & l. fin. C. de ijs qui ven. ætat. impetr. ubi est casus: tamen hoc limitetur nisi subjecta materia aliud suadeat; de quo plenè per Bald. in l. Cum te, C. de probat. Idem in ætate matura probat textus in cap. Cum in cunctis, in princ. juncto §. Inferiora, supra de elect. & notat Archid. in cap. Conventor, 23. q. 8. quod nota pro statutis, & depositionibus testium.

13 Fallit primò conclusio superiùs firmata in monasteriis, ubi est dura congregatio, vel religio, puta in insulis; quia tunc propter asperitatem requiritur in profitente plena pubertas, idest decem & octo annorum, ut est textus in cap. Quia in insulis, cum ibi notat. infra eodem. & hic notat Hostiens. num. 3.

14 Fallit secundò, in illis religionibus, in quibus ex constitutionibus Ordinis major ætas exigitur, nam, ut inquit Host. hic num. 3. in aliquibus religionibus requiritur ætas decem, & octo añorum ex statuto speciali, licet illud non semper servent; & ita est in religione Fratrum Capuccinorum S. Francisci, in qua ex statutis Ordinis novitii non recipiuntur ad habitum ante decimumseptimum añum completum pro clericis, & ante decimumnonum pro laicis; & per consequens ad professionem non admittuntur pro clericis nisi transacto anno decimooctavo, nec pro laicis nisi transacto vigesimo, ut refertur in Compend. Privilegiorum Mendicantium, in ver. Novitius, in annotat. Cappuc. vers. Sexta. quod non recipiantur. Et in religione Minorum Conventualium S. Francisci novitii clerici prohibentur ad professionem admitti ante añum decimumnonum completum, & laici ante vigesimumquintum ex Constitutione Pii V.
15 quæ incipit, Illa nos, in Bullar. tom. 2. pag. 262. Porrò cum fuerit quæsitum an decretum Concilii Trident. cap. 15. sess. 25. de Regular. quo statuitur professionem ante decimumsextum annum emitti non debere, comprehendat etiam illas Religiones, quæ ex suis institutionibus, & statutis à tempore immemorabili observantis vigesimum, aut vigesimumsecundum ætatis añum requirunt: S. Congregatio respondit professionem ante decimumsextum añum emitti non debere, ut disponitur d. cap. 15. quod si religionis instituta plus temporis requirant, Concilium nō repugnat, quippe quod non disponit ut professio fiat anno decimosexto, sed ut non possit fieri ante, sed post.

16 Fallit tertiò, eadem conclusio in conversis, qui prohibentur recipi ad habitum regularem ante vigesimum ætatis suæ añum ex decretis generalibus Clementis VIII. ad novitiorum receptionem, professionem, & institutionem spectantibus, in titul. Institutiones, super receptione, & educatione novitiorum, in §. Quisque accipiendus, in Bullar. tom. 3. pag. 131. & consequenter ad professionem admitti nequeunt ante annum vigesimumprimum, cùm stare debeant per annum integrum in probatione, ad præscriptum Concilii Tridentini in d. cap. 15. sess. 25. de Regular. & sufficit añum attigisse ex his, quæ notat glos. in Clem. Generali, in ver. In decimooctavo, de ætat. & qualitat. & ita hæc verba, ante annum, intellexit S. Congregatio Concilii de anno inchoato in terminis cap. 12. sess. 23. ut dixi in cap. Cum in cunctis, in undecima quæstione, num. 131. supra de elect.

17 Cum autem de ætate controvertitur inter professum, & monasterium si quæratur quis probare debeat, an scilicet monasterium allegans ætatem legitimam, an verò professus, qui hoc negat: Ex mente Jo. Andr. num. 1. is probavit ætatem majorem, vel minorem, qui fundat se super ea, dum ait: si constet de professione, & dubitetur de ætate, probabit actor, ut cap. Presbyteri, & ibi glos. notab. & Archid. 78. dist. & cap. Ad nostram, insr. eod. & eum sequuntur Butr. num. 13. Cardinal. num. 2.
18 & alii communiter. Ratio est secundum Abbatem num. 5. quia quis non præsumitur major, vel minor, cum ætas in eodem statu numquam permaneat, sed currat de momento in momentum, de quo plenius in cap. In præsentia, de probat. per Bart. & Doctores in l. de ætate, ff. de minor. & Speculator in tit. de probat. §. 2. Et ideo si ingressus exire velit allegando se minorem, debet hoc pro-
19 bare. Hodie hoc est expeditum in decreto Concilii Tridentini cap. 19. sess. 25. de Regular. ubi allegans se ante ætatē debitam professam fuisse, probare debet servata forma ibi præscripta, ut latius dicam infra n. 27. Fatetur tamen Jo. Andr. & reliqui post eum, utriusque probationes recipi posse, arg. cap. Super hoc, supra de renunciat.

Secun-

20 Secundum requisitum substantiale professionis, quod hic ponit Concilium Moguntinum, est
21 spontanea voluntas. Non tamen intelligas spontaneam, idest ultroneam; quia ad validitatem professionis non exigitur, ut quis ultrò se offerat; nam validè profiteri potest etiam rogatus, & illectus, quinimo etiam seductus, & circumventus, ut est textus in c. Constituit, 20. q. 3. in c. Cum dilectus, ibi, (nec obstante dolo, quo se proponebant fuisse seductos;) supra de ijs quæ vi metusve caus. & in c. Ad nostram, ibi, (quosdam pueros seduxerunt.) infra eodem. nec minori ad professionem seducto datur restitutio in integrum, ut voluit glos. notab. in dict. cap. Cum dilectus, in ver. Ad fatuitatem; ubi ait, (In spiritualibus non habere locum in integrum restitutionem, quia non videntur decepti qui meliorem vitam elegerunt.) Et Abbas ibi ait illum esse dolum bonum, de quo dic latiùs, ut scripsi in cap. Significatum, num. 36. & in
22 cap. Sicut nobis, num. 8. & seqq. infra eodem. Sed intellige voluntatem spontaneam, idest liberam, & non coactam. Unde infertur ut professio emissa per metum sit ipso jure nulla, cap. Præsens clericus, 20. q. 3. nec sit opus ut rescindatur actione quod
23 metus causa; quoniam ubicumque requiritur in actu spontaneus, seu liber consensus, non valet actus si metus intercesserit; ad quod est glos. notab. in c. Notificasti, in ver. Licentiam, 33. q. 5. Casus autem requirentes liberum consensum enumerat glos. magna in cap. Inter cætera, 22. quæst. 4. Facit c. Cum locum, & quod ibi notatur de spon-
24 sal. & est ratio, quia licet voluntas coacta voluntas sit, ut cap. Meritò, 15. quæst. 1. & l. Si mulier, ff. quod met. caus. non tamen est voluntas spontanea, seu libera, prout requiritur ad professionem, ut hic, & in cap. Perlatum, supra quod metus causa: nam votum res est consilii, & non præcepti, & liberum est arbitrium in vovendo, aliàs non est
25 votum, cap. Integritas, 32. q. 1. & cap. Licèt, infra devoto; & voluntarium militem sibi eligit Christus, coactum verò sibi auctionatur Diabolus, cap. Non est, 15. q. 1. de quo habes bonam glos. in cap. Abbas, supra quod met. caus. & ita hic firmant glos. ultima, Butr. num. 2. & 10. Anchar. n. 2. Abbas num. 1. & Jo. de Anania num. 5.

26 Quòd si quæras cui incumbat onus probandi metum, vel vim: solvit hic Jo. Andr. num. 1. in ver. Spontanea, dicens, id onus incumbere illi, qui metum, vel vim allegat, uterque tamen probare poterit, ut cap. Super hoc, de renunciat. de quo habes plenam glossam in cap. 1. in ver. Non timore mortis, supra quod met. caus.

27 Hodie quicumque regularis prætendit se per vim, & metum, aut ante ætatem, debitam, vel aliàs nulliter professum fuisse, hoc probare debet, causasque nullitatis intra quinquennium à die professionis deducere coram Superiore suo, & Ordinario, aliàs non est audiendus, ut statuitur à Concilio Tridentino in præallegato decreto cap. 19. sess. 25. de Regular.

28 Sed ex facto quæsitum est; An decretum Concilii Tridentini in d. cap. 19. sess. 25. de Regular. qua parte statuit, ut causæ nullitatis professionis coram Superiore Regulari, & Ordinario deducantur, locum sibi vendicet, cùm non ipse professus nullitatem suæ professionis allegat, causasque deducit; sed Superior ipse ex se vult illum ejicere tanquam nulliter professum.

Verba hujus decreti nusquam explicitè prohibent Superioribus regularibus, quominus ejiciant eos, quos repererint fuisse nulliter professos, sed in subditos tantùm dirigantur; jubentque illos non audiri nisi causas, quas prætenderint, deduxerint coram Superiore suo, & Ordinario, ut patet initio ibi, (quicunque regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse religionem,) & infra ibi, (velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine Superiorum licentia,) & infra, (Non audiantur nisi infra quinquennium tantum; & tunc non aliter nisi causas, quas prætenderint, deduxerint coram Superiore suo, & Ordinario.) Quæ omnia nullo modo convenire possunt Superioribus regularibus, qui volunt invalidè professos expellere. At præterea Concilium statuit ut qui priusquam causas intra quinquennium deduxerit coram Ordinario, & Superiore regulari, habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur: sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur: interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur. Quæ Concilii verba similiter nullatenus referri possunt ad religionem: ergo nec Concilii dispositio, l. Quod constitutum, ff. de militar. testam. l. 4. §. Toties, ibi Bart. ff. de damn. infect. quia lex non imprimit effectum suum nisi in illas personas, quibus verba legis congruunt, & adaptantur, c. Si pater ad fin. de testam. in 6. c. Maiores, de Baptis. Gemin. cons. 88. incipien. Innocentius, sub num. 4. vers. Cum ergo concurrant. Nevizanus plura cumulans, cons. 92. à num. 1. usque ad n. 12. Atque ita resolutio hujus casus tanquam omissi attentis verbis Concilii videtur petenda à jure communi, l. fin. C. de pact. convent. l. Commodissimè, ff. de liber. & posthum. Doctores in l. Gallus, §. Et quid si tantum, ff. eodem.
29 De jure communi autem licet Prælatis regularibus dimittere invalidè professos etiam non adhibito Ordinario, c. Sicut, & c. Illud, 20. q. 1. c. Perlatum, supra de ijs, quæ vi met. caus. cap. Accedens, infra de convers. coniugat. & cap. Non solum, de regular. lib. 6. Nec mirum quia cum liberè, & sine consensu Ordinarii possint novitios admittere, & corpori Ordinis aggregare, ut c. Porrectum, & c. Ad Apostolicam, infr. eod. consequens est ut eadem libertate possint nulliter professos dimittere, & ab ordine disgregare, ut sic regulares per quas causas nascuntur, per easdem resolvantur, cap. 1. infra de reg. iur. & eodem genere dissolvantur à vinculo religionis, quo colligati sunt, l. Nihil tam naturale, ff. de eodem. Item cum paria sint professionem nullatenus emisisse, aut emisisse quidem, sed nulliter, ut in decreto Concilii Tridentini c. 15. vers. Professio autem, sess. 25. de Regular. liberum esse debet Superioribus absque interventu diœcesani ejicere nulliter professos, sicut eis liberum est ejicere illos, qui nondum professionem emiserunt, ut c. Postulasti, & c. Statuimus, infra eod. c. Non solum, & c. Constitutionem, eod. tit. lib. 6. c. Cum causam in fin. supra de elect. Conc. Trid. c. 16. vers. Fi-
30 nito, sess. 25. de regular. Hæc autem libertas procedendi in causa nullitatis professionis non adhibito Ordinario cum fuerit sublata à Concilio quoad subditos, in dubio non debet censeri sublata quoad Superiores; quia hac interpretatione minus corrigitur jus commune, cap. Cum dilectus, de consuetud. cap. Causam quæ, de rescript. l. Præcipimus,

num, in fin. C. de appellat. & l. Sancimus, C. de Testam. nam secundum Ant. de Butr. in cap. *Cum dilectus, in secunda lectura, num. 14.* quando statutum contra jus commune potest unum, vel duo operari, interpretari debet ut unum secundum operetur, ut minus derogetur juri communi; quam theoricam sequitur Roland. à Valle *cons. 74. n. 19. vol. 3.* post Gozadin. *cons. 19. n. 5.* & Grat. *cons. 43. col. 1.* & *cons. 46. n. 7. vol. 1.* Paris. *cons. 110. n. 6. lib. 3.* Socin. Jun. *cons. 3. in princ. lib. 1.* & pro hac opinione allegatur Navar. *cons. 87. incipien. An qui de genere Iudeorum, num. 4. de regular.* ubi ait Prælatum regularem in illo casu ex officio suo sine alio accusatore posse, ac debere expellere nulliter professum à monasterio præmissa legitima causæ cognitione per viam inquisitionis nec ullam mentionem facit de adhibendo Ordinario.

31 Cæterum his non obstantibus verius videtur esse adhibendum Ordinarium in judicio nullitatis professionis, etiam cùm ipse Superior regularis ex officio ad ejectionem procedit: nam ratio propter quam Concilium jussit Ordinarium in hoc judicio adhiberi ea potissimum fuit, quia cum regulares agant de causa suæ religionis, eos non habuit pro judicibus usquequaque integris, arg. C. *Nequis in sua causa iudicet, in rubro, & nigro*: dicitur enim causa propria ex quo commodum, vel incommodum ad eos pertinet, c. *Biduum, §. Et palam, 2. q. 6.* qui est desumptus ex l. 1. §. *Dies autem, vers. Et palam, ff. Quan. appellan. sit.* Quam ob causam nec Episcopus dicitur judex competens in causa suæ mensæ, ut post Collectar. Butr. & alios notat Decius in c. *Cum venissent, num. 55. de Iudic.* Quotiescunque enim declaratio invaliditatis professionis cederet in damnum monasterii, puta quia essent restituenda bona à subdito in monasterium delata, Superiores non essent faciles ad sententiam nullitatis proferendam, è contra vero procliviores essent ad judicium invaliditatis si professus esset rixosus, pervicax, aut aliàs inutilis religioni, cum has ob causas regulares consueverint multoties expellere etiam legitimè professos prætextu incorrigibilitatis, cum tamen re vera incorrigibiles non sint, ut dixi in c. *fin. in-*
32 *fra eod.* Quamobrem Concilium voluit adhiberi Ordinarium in conjudicem exemplo legis civilis, quæ dat adjunctum Episcopum ubi Judex ordinarius ex aliqua causa est suspectus, ut in Auth. *Si verò contigerit, C. de Iudic.* glos. 1. in c. *Revelatum, 11. q. 1.* Oldr. *cons. 147. Thema tale est*; Capic. *decis. 117. totam.* Ideoque in *c. 6. sess. 25.* ob aliqualem suspicionem Episcopi contra Capitula exempta similiter statuit illorum causas non debere ab Episcopo cognosci, & terminari, nisi de consilio, & assensu duorum de Capitulo; & hanc ipsam ob causam in *cap. 16. sess. 25. de regular.* eodem modo nullas decrevit novitiorum renunciationes, nisi factæ fuerint cum licentia Episcopi, sive ejus Vi-
33 carii. Et Concilium Meldense habitum anno Domini 845. sub Sergio Papa II. & Carolo Juniore Francorum rege *c. 59. tom. 3. Concilior. par. 2. sess. 2. pag. 352. col. 2.* ob eamdem rationem prohibuit ne regulares ejicerentur à suis Superioribus nisi adhibito Ordinario, his verbis: (Ut Monachus de monasterio sine consultu, vel præsentia Episcopi, aut Vicarii ejus ad hoc regulariter deductus non ejiciatur, cujus dispositione, & authoritate de cætero vita, & conversatio ejecti, ne perditus perpetuò fiat, si aliquo modo salvari potest, ordinari debet atque decerni.) Hactenus Concilium Meldense. Hæc autem ratio suspicionis æquè, imò magis viget, cum non ipse professus instat pro declaratione invaliditatis professionis, sed Superior ex se vult illum ejicere tamquam nulliter professum: nam regulares Prælati neminem solent dimittere ex hoc capite, nisi ob aliquem peculiarem affectum, aut erga religionem, aut contra personam ipsius professi, vel ejus reprehensibilem vitam, ac mores: aliàs enim facilè possent illum inducere ad ratificandam professionem priùs factam ad præscriptum c. *Significatum, in fin. infr. eod.* & c. 1. *in princ. eodem tit. libr. 6.* aut saltem permittere ut in religione perseveraret, ac tacitè profiteretur, ut in d. cap. 1. & Clem. *Eos, de regular.* cum simil. Atque ita eo casu magis viget ratio suspicionis, quam cum procedunt ad instantiam ali-
34 cujus. Quam ob causam testis magis repellitur cum se offert ultrò, quàm cum requiritur, l. *Post legatum, §. His verò,* & ibi glos. *in ver. Adiuvarunt, ff. de his quæ ut indign.* Boss. *tit. de oppos. contr. test. num. 21. vers. Et minus dubium, iuncto, num. 29.* Menoch. *de arbitr. Iud. quæst. casu 474. num. 57. libr. 2.* Ergo Concilium eo casu multò magis censeri debet voluisse, ut Episcopus adhibeatur tanquam adjunctus, cum major urgeat in regularibus suspicio diffidentiæ, & gravaminis ob causam motivam expulsionis.

Præterea videtur etiam decretum *d. c. 19.* prohibuisse Prælatis regularibus ne quemquam possint ejicere tanquam nulliter professum, nisi infra quinquennium, licet de illis nullam faciat mentionem; quia cum lapso hoc termino regularis habeatur ut tacitè professus, saltem in foro exteriori, Navar. in c. *Statuimus, nu. 71. & 72. de regular.* & *cons. 87. eodem tit.* non quod Concilium novam professionem inducat, sed quod antea emissa reputetur valida, cum ejus nullitas probari non pos-
35 sit, ut scripsi latè in cap. *Prox. infr. eod.* præsumpta hæc professio obstat tam subdito discessum petenti, quàm Prælato expellere volenti, *c. 1. de regular. in 6.* Et cap. *Significatum,* & cap. *Ex parte, infra eod.* Dum autem Concilium in ea parte, in qua prohibet professum audiri elapso quinquennio censetur etiam prohibere Superiori ne illum ejiciat: Similiter dum prohibet nulliter professum audiri nisi causa cognita à Superiore, & Ordinario, intelligi debet tacitè prohibere ne Superior possit illum ejicere nisi eod. modo causa cognita coram Superiore, & Episcopo. Utrumque enim statuitur in *d. c. 19.* sub unica verborum structura, & determinatione; atque ita est locus regulæ, l. *Iam hoc iure, ff. de vulg.* & l. *Eum qui ædes, ff. de usucap.*
36 *Ad hæc*, professio est quidem contractus ultrò citroque obligatorius inter subditum, & monasterium, qui non debet claudicare, c. *Porrectum,* & ibi dixi *num. 19.* & c. *Ad Apostolicam, infra eod.* & tradit Navar. *cons. 26. num. 1.* & *cons. 87. eod. num. de Regular.* Facit tex. in l. 1. *ff. de rescindend. vendit.* & in l. *final. ff. de acceptilation.* cum aliis adductis per Alexand. *cons. 40. Circa primum, num. 1. lib. 5.* Unde ratione æqualitatis, quæ in hoc contractu servari debet, sicut Concilium disposuit ne regularis possit à religione discedere, nisi ex judicio sui Prælati, & Episcopi: ita etiam consentaneum est ut vice versa censeatur disposuisse ne religio possit illum expellere, nisi causa expulsionis probata ab Ordinario, & Superiore regulari.

37 Quod est non solum ob æqualitatem servandam in hoc contractu; verum etiam ex natura correlativorum; quia in omni contractu ultrò citroque obligatorio dispositum in uno ex correlativis censetur etiam dispositum in alio, ut l. *Cum emptor, ff. de rescind. vendit.* & d. l. *fin. ff. de acceptilat.* & l. 1. *C. de Cupress. libr. 11.* & tradit Socin. *cons. 72. Difficultatem faciebat, num. 1. lib. 3.* Idque procedit etiam in materia correctoria juris communis, ut est casus in l. *fin.* ubi notant Bart. Ang. Jas. & DD. *C. de Indic. viduit. tollen.* Petr de Ancharan. *in repet. c. Canonum statuta, in 6. q. princ. de Constit.* & Socin. *loc. cit.*

38 Atque ita non obstat quod hic casus verbis Concilii non comprehendatur, quia satis est ut comprehendatur ratione. Nam lex nova, quæ disponit in uno ex correlativis, censetur etiam disponere in alio etiam ad correctionem juris communis ubi eadem est ratio, d. l. *fin. C. de indic. viduit. toll.* & l. *Curatorem,* cum ibi not. per glos. & DD. *C. de interdict. matrim.* l. *fin.* & ibi Salycet. *C. de rescind. vend.* & tradit Jason. in l. *Transigere, num. 2.*
39 *C. de transact.* Unde regula illa, quæ habet in correctoriis, & exorbitantibus à jure communi non fieri extensionem de casu ad casum etiam ex identitate rationis, *c. 1. cum glos. de regul. iur. in 6.* glos. in cap. *Constitutionem, in ver. Prorogamus, de regul. eod. lib.* Limitatur ut non procedat in correlativis, ut optimè declarat Bart. in d. l. *fin. n. 1. & 2.*
40 *C. de indict. viduit. toll.* Affirmare etiam possumus hoc casu non agi de correctione juris communis; quoniam de jure veteri monasteria subjecta erant Episcopo diœcesano, cap. *Monasteria, 18. q. 2.* & ad eum spectabat cura, & sollicitudo etiam monachorum, c. *Si quis Abbas,* & c. *Abbates, ead. caus. & q.* c. *Qui verè, in fin. 16. q. 1.* Unde ipse poterat nulliter professos à religione ejicere sicut poterat illos ad religionem admittere, c. *Si vir, 27. q. 2.* c. *Nulla,* & c. *Uxor. 23. dist.* c. *De Viduis, 27. q. 1.* & c. *Dudum, de convers. coniugat.* & tenent in c. *fin. infra eod. lib. 6.* Gemin. *post medium vers. Imo etiam ces-*
41 *sante,* & Franc. *num. 1.* in glos. 2. Ergo Tridentinum Concilium dum jubet adhiberi Episcopum in judicio nullitatis professionis, licet corrigat jus commune tamen est favorabile, & latè interpretandum, cum per illud fiat reditus ad jus antiquum, ut notat glos. in c. *Statutum, in ver. Numerandum, de præben. lib. 6.* Jas. in Auth. *Quas actiones, n. 20. C. de Sacr. sanct. Eccles.* Roman. *cons. 318. Quæritur etiam, nu. 5.* plenè Curtius Jun. *cons. 9. Circa*
42 *præmissam, n. 4.* Gramm. *decis. 92. num. 15.* Demum in q. proposita sic censuit S. Congregatio Concilii, cujus sententia hodie videtur non obscure approbata in decreto S. D. N. Urbani VIII. super forma deducendi nullitatem professionis ex eo, quod regulares recepti, & professi fuerint in Conventibus non designatis ad recipiendos novitios contra formam Decretorum Clementis VIII. In eo enim decreto disertis verbis præcipitur ut causæ nullitatis hujusmodi infra quinquennium deducantur coram eadem Sacr. Congregatione, non modo cum recepti, & professi contra formam prædictorum decretorum è religione exire, verum etiam cum Superiores extra eam respectivè illos ejicere voluerint, ut patet ex ipsius decreti tenore, quem retuli in c. *Perlatum, in fin. supra de ijs quæ vi met. caus.*

43 Ex prædictis videtur inferri posse ut quemadmodum subdito allegantì nullitatem suæ professionis dato fumo nullitatis consuevit ex justa causa concedi à Sede Apostolica restitutio adversus lapsum quinquennii, ita etiam eadem restitutio sit concedenda religioni, si ipsa velit causas nullitatis deducere, cum hujusmodi actus sint reciproci, & utrinque æqualitas servanda sit, nec judicium de-
44 bet claudicare, ut cap. *Cum inter, supra de except.* cum concordant, de quibus ibi per glos. *in verb. Claudicare,* plenè Bald. *cons. 486. Statutum, num. 1. vers. In contrarium videtur libr. 2.* licet non meminerim hunc casum ex parte religionis unquam
45 contigisse; fortè, quia in plerisque casibus nullitatis professionis Superiores regulares, qui recipiunt, non vacant culpa, & gravi etiam pœna sunt puniendi, ut de his, qui admittunt ad professionem novitios ante annum probationis expletum, est tex. in c. *Ad Apostolicam, infra eodem.* ibi, Animadversione sunt debita corrigendi, & c. *Non solum, eod. tit. in 6.* ubi Superioribus Mendicantibus hoc prohibetur sub pœna excommunicationis. Et decreta Clementis VIII. imponunt pœnam privationis officiorum vocisque activæ, & passivæ, & inhabilitatis ad alia obtinenda Superioribus, qui aliquem ad habitum, vel professionem recipiunt in locis ad recipiendos novitios non
46 designatis. Et cùm hæc restitutio in integrum sit mera gratia, Bald. *cons. 335. in princ. lib. 3. alias 388.* ejusmodi gratia digni non videntur qui in legem committunt, c. *Quia frustra, de usur.* Innoc. & DD. in cap. *Intelleximus, de Adulter.* Anchar. *cons. 37. num. 4. & seqq.* nam deliquens non debet esse melioris conditionis, quàm non delinquens c. *Contingit, de dolo, & contum.* Feder. de Sen. *cons. 216. in fin.* Imo id obviat juri publico, quia quis invitatur ad delinquendum si ex delicto præmium consequatur, ut ait Signorol. *cons. 110. n. 8.* Unde privilegium à lege inductum delinquentibus non competit, ut in Auth. *quibus modis natural. efficiantur sui, §. penul. vers. Nam si hoc,* ubi glos. *in ver. Legem.* Ideoque Superiores petentes restitutionem in integrum non videntur audiendi; quia sic allegarent turpitudinem suam contra c. *Cum dilectus, de fid. instr.* ut de Mendicantibus non servantibus institutum sui Ordinis, in simili casu respondit Anchar. *cons. 109. per totum.* Ignorantia
47 verò non excusat in his, quæ quis tenetur ex officio inquirere, cap. *Ad falsariorum, de crimin. fals.* Gemin. in c. *In memoriam, col. 2. 19. dist.* Ant. Gabriel. *concl. 6. num. 40. de reg. iur.*

Cæterum quia negari non potest quin dari possit casus, in quo ignorantia ex parte Superiorum regularium sit justa, & invincibilis, ut apud Navar. *cons. 1. in princip. de Constit.* & de hoc ad præsens non quæritur: idcirco nihil videtur generaliter decernendum; sed ubi casus acciderit, maturè deliberandum.

DE REGULARIBUS.

Cap. Si quis.

SUMMARIUM.

1 *Impubes monasterium ingressus post annum à parentibus revocari non potest.*
2 *Parentes revocare non possunt filium impuberem, è me-*

monasterio, si illius ingressui tacitè, vel expressè consenserint.

3 *Si verò non consenserint, revocare possunt infra annum dumtaxat.*

4 *Mater an possit offerre filium impuberem Religioni sine consensu patris, & è contra.*

5 *Ius naturale in spiritualibus præfertur positivo, vel civili.*

6 *Pater non potest offerre filium impuberem Religioni, si mater contradicat, nec è converso.*

7 *Tutor offerre potest pupillum Religioni sicut parentes.*

8 *Et ex pluribus tutoribus sufficit oblatio unius, alio non contradicente.*

9 *Filius tradi potest Religioni à parentibus, etiam invitis tutoribus.*

10 *Pater offerre potest filium Religioni etiam invito avo, qui habet utrumque in potestate.*

11 *Impubes Religioni oblatus infra annos pubertatis exire non potest.*

12 *Religionem ingressus propria authoritate infra annos pubertatis potest quandocunque exire.*

13 *Filius invitus an possit à parentibus offerri Religioni, an verò sic oblatus exire possit etiam ante annos pubertatis.*

14 *Oblatio parentum de impubere an se habeat ad professionem, sicut sponsalia ad matrimonium.*

15 *Filij non obligantur ex sponsalibus contractis per parentes, nisi consentiant tacitè, vel expressè.*

16 *Oblatus Religioni potest quandocunque exire post pubertatem, nisi expressè, vel tacitè professionem emiserit.*

17 *Puella duodecim annis minor à parentibus monasterio tradita, an habitum Regularem suscipere possit non obstante Concilio Tridentino in* c.17. sess.25. de Regular.

18 *Religionem ingressus in legitima ætate per vim, & metum, si infra annum potuit reclamare, & non reclamavit, eo elapso exire, vel à parentibus revocari non potest.*

19 *Et quid post Concilium Tridentinum in* c. 19. sess. 25. de regular.

Professi contra formam Decretorum Clementis VIII. in conventibus ad recipiendos Novitios non designatis, aut aliàs nulliter ex perpetuo impedimento, an teneantur in foro conscientiæ elapso quinquennio à die professionis in Religione perseverare, & n. seqq. usque in fin.

21 *Obligatio ad perseverandum in Religione unde oriatur, & num. 68. & 72.*

23 *Professi invalidè an teneantur in utroque foro ad observantiam Regulæ, & num. 73.*

24 *Fictiones, seu præsumptiones non habent locum in foro animæ.*

Declaratur, num. 69. & seqq.

25 *Forus conscientiæ non erroneæ semper nititur veritati, & num. seqq.*

26 *Spiritualia non regulantur iure fori, sed iure poli.*

28 *Hæres non conficiens inventarium an teneatur in foro conscientiæ, ultra vires hæreditarias, & num. 71.*

29 *Exceptio non numeratæ pecuniæ post biennium an habeat locum in foro conscientiæ.*

30 *Contrahentibus in foro animæ non licet se decipere.*

31 *Ecclesia non potest quemquam invitum religioni alligare, & num. 72.*

Declaratur, num. 73.

32 *Consensus in matrimonio tam carnali, quàm spirituali est de iure naturali, & divino.*

33 *Religio an teneatur nulliter professo ad alimenta, & num. 74.*

34 *Professus nulliter potest in foro conscientiæ etiam sine licentia ad sæculum redire, & uxorem ducere secundum opinionem Navarri.*

Contrarium, num. 79.

35 *Professus invalidè an teneatur in Religione perseverare ut vitetur scandalum, & num. 67.*

36 *Professus ob mortis timorem an possit tuta conscientia ad sæculum redire, & num. 81.*

37 *Lex humana iusta, obligat etiam in foro conscientiæ.*

38 *Legis canonicæ præcepta, aut prohibitiones obligant in foro conscientiæ etiam reatu mortalis peccati.*

39 *Apostolicæ Sedis decreta transgrediens quas pœnas incurrat.*

40 *Concilia generalia servanda sunt quasi quatuor Evangelia.*

Episcopi qui non utuntur iurisdictione sibi attributa in exemptos in casibus, in quibus Concilium Tridentinum utitur verbis præceptivis, seu obligativis, peccant mortaliter, ibidem vers. In specie verò.

41 *Quinquennium ad deducendas causas nullitatis professionis quas ob causas à Conc. Trident. præfixum fuerit, & num. 51. & seq.*

42 *Legis transgressio etiam secluso contemptu indistinctè obligat sub mortali, quando impeditur finis legis.*

43 *Professus invalidè potest etiam in foro conscientiæ obligari ab ecclesia ad Religionem in genere.*

44 *Obligatio naturalis oritur ex contractu etiam nullo ex defectu solemnitatis.*

Obligatio naturalis quos effectus producat, ibid.

Creditor an possit furari rem debitoris sui sibi naturaliter obligati, ibid. vers. Quinimo licet ei.

45 *Professio nulla ex alia causa, quàm ex defectu consensus parit naturalem obligationem.*

Electus nulliter ob non servatam formam Concilij generalis habet canonicam electionem de iure naturali propter consensum, & sine peccato beneficium retinet secundum opinionem Innocentij, ibid. vers. Ad quod facit doctrina Innocentij.

46 *Professus nulliter obligatur ex simplici voto.*

Votum simplex non minus obligat apud Deum, quàm solemnis professio, ibid. vers. Ergo cum professi.

Vovens ingredi Religionem si fiat Episcopus tenetur ecclesiam resignare, & ad Religionem transire, ibid. vers. Facit textus.

47 *Professio per simulationem emissa obligat ad perseverandum in Religione, & ad regulam observandam.*

48 *Quinquennij terminus ad reclamandum inductus est à Concilio Trident. ad instar præscriptionis.*

49 *Præscriptio quinquennalis in quibus casibus habeat locum.*

50 *Præscribens rem alienam etiamsi post completam præscriptionem superveniat mala fides est tutus in foro conscientiæ, & num. seq.*

52 *Pœna iudicialis solvi debet etiam in foro conscientiæ.*

53 *Præscriptio inducta est in pœnam negligentium, & ad bonum publicum.*

54 *Regulares qui nullitatem professionis infra quinquennium deducere potuerunt habent remedium restitutionis in integrum.*

Sta-

55 *Statutum laicorum denegans audientiam propter bonum publicum ligat etiam in foro conscientiæ.*

56 *Apostata à Religione dicitur, qui ad sæculum redit non servata forma à Concilio Tridentino præscripta.*

57 *Apostata est excommunicatus, & peccat mortaliter.*

58 *Lex etiam pœnalis obligat in foro conscientiæ.*

59 *Forus conscientiæ regulariter sequitur forum iudicialem.*

60 *Lex iniusta non obligat quoad Deum.*

61 *Forus conscientiæ distinguitur à foro iudiciali, quando lex præcipit, ut distinguatur, & n. 77.*

62 *Lex iusta ex quibus causis constituatur.*

63 *Verba imperativa necessitatem important.*

64 *Præcepta negativa magis præcisè obligant, quàm affirmativa.*

65 *Negativa indefinita æquipollet universali ex proprietate sermonis.*

66 *Verba,* quacumque de causa, *quid important.*

67 *Lex etiam iniusta obligat in foro conscientiæ ratione scandali.*

69 *Præsumptiones, vel fictiones habent locum etiam in foro animæ, quando ex legis observantia non resultat iniquitas, vel peccatum, & num. seq.*

73 *Regulam servare tenetur etiam nulliter professus elapso quinquennio à die professionis.*

75 *Lex Sancimus de iure Protomiseos habet locum etiam in foro conscientiæ.*

76 *Novitius volens discedere à monasterio non potest inquietari pro expensis.*

78 *Matrimonio existente invalido ob occultum impedimentum mulier non tenetur obedire Ecclesiæ præcipienti sub pœna excommunicationis, ut adhæreat viro.*

80 *Scandalum Pharisæorum, & pusillorum quando dicatur.*

81 *Metus mortis ita demum inficit professionem si in ordine ad illam incussus fuerit.*

82 *Professio missa ob timorem ultimi supplicij pro conscientia scelerum est valida.*

1 SI QUIS. Impubes monasterium ingressus annum à parentibus revocari non potest, hoc primò. Pubes per vim ingressus post annum exire, vel à parentibus revocari non potest. Hoc dicit secundò. Communis divisio. Secunda ibi, *Si verò.*

2 Nota circa primam partem textus dicta Innocentii qui egregiè materiam tractat, & ejus dicta DD. communiter recipiunt, ut Abb. *hic* testatur, *num. 6.* & ex ejus dictis collige conclusiones infrascriptas. Prima conclusio est, si parentes tacitè, vel expressè consentiunt ingressui filii in monasterium ante legitimos annos, idest ante decimumquartum in masculo, & duodecimum in fœmina, cap. *Illud*, 20. *quæst.* 1. & cap. *Si in qualibet, q. 2.* secundum Hostien *hic in princip.* ulterius eum revocare non poterunt, ut hic, & in dicto cap. *Si in qualibet*, cum concord. de quibus *hic* per Innoc. *in princ. in ver. Consensus*, & Host. *num. 2. in ver.*

3 *Parentum.* Si verò non consenserint possunt mediante recursu ad personas hic designatas revocare infra annum dumtaxat, ut hic; supple, & diem, ut in cap. *Puella*, 20. *q. 2.* glos. *hic in ver. Infra annum*, Host. & Jo. Andr. *in eodem verbo*, non autem ultra, quia per dissimulationem tanti temporis, censentur consensisse, ut patet in dict. cap. *Puella*, & annus computatur à die scientiæ parentum secundum glos. *ibi in ver. Atsi annum*, Goffred. *in summa eodem titul. §. Sed quæritur à quo tempore*, Hostien. *in summa, eod. tit. §. finali*, & Henricum *hic post princip. vers. Et annus iste*, qui etiam addunt majus tempus fore indulgendum si monasterium adeò distaret, ut infra id tempus ad illud pervenire non possent.

4 Secunda est, si quis habeat patrem, & matrem sufficit alterius oblatio, de quo videtur tex. in cap. *Addidistis*, & c. *Quicumque*, 20. *q. 1.* Et quamvis glossa, & Archid. in d. cap. *Puella.* dicant matrem non
5 posse offerre filium monasterio, cum non habeat eum in potestate, *instit. de adopt. §. Fœminæ*: tamen, ut dixi, opinio Innocentii communiter recipitur,
6 & videtur tenenda favore religionis secundum Abb. *num. 6. in fin.* Nec obstat ponderatio patriæ potestatis, quia ut singulariter dicit Innocentius in spiritualibus jus naturale præfertur positivo,
7 vel civili. Sed si pater, aut mater contradicat, melior est conditio prohibentis, ut l. *Sabinus. ff. commun. divid.* secundum Innocentium.

Tertia est; tutor habet potestatem offerendi pupillum Religioni, sicut parentes, c. *Puella*, 20. *qu. 2.* Et quamvis Feder. de Sen. *cons.* 274. *Quidam, num. 1. vers. Item etsi tutor.* obiter teneat contrarium, eò quod reperiatur jure cautum, ut possit revocare, non autem ut possit offerre; dictam tamen Innocentii magis placet Abbati *hic num. 8.* per text. in d. cap. *Puella*, 20. *q. 1.* ubi taciturnitas tutorum habetur pro expressa oblatione. Eandem opinionem sequutus est idem Innoc. in cap. *Cum virum, in princ.* & ibi etiam Hostiens. *num. 4. in verb. A parentibus*, Jo. Andr. *in eodem ver.*
8 *num. 1. infra eodem.* Quod si quis habeat plures tutores, sufficit alterius oblatio, dummodo alius non contradicat secundum Innoc. *in princ. in verb. Consensu, vers. Et eadem ratione*, Host. *num. 2.* & alios communiter.

9 Quarta est; Si Episcopus habeat parentes, & tutores, offerri potest à parentibus etiam invitis tutoribus secundum Innocen. cum quo cæteri transeunt.

10 Quinta, Si avus habeat filium & neptem in potestate, pater nihilominus offerre poterit etiam invito avo per rationem positam supra in secunda conclusione, quod etiam tenet Feder. *dicto consil.* 274.

11 Sexta, Ingrediens, vel oblatus infra annos pubertatis exire non potest arg. cap. *De illis, infra de despons. impuber.*

12 Septima, Religionem ingressus propria authoritate potest infra annos pubertatis quandocunque exire, cap. *Significatum, infr. eod.*

13 Octava, & ultima conclusio est. Parentes non possunt offerre Religioni filium impuberem invitum, & sic oblatus etiam ante annos pubertatis exire potest, argum. à contrario sensu cap. *Puellæ*, 20. *q.* 1. & cap. *Puella, q.* 2. Et hoc sentit Innoc. secundum Abb. *num. 9.* qui dicit sibi magis placere dictum Innocentii. Tum quia voluntarium mili-
14 tem diligit Deus, cap. *Nec est*, 15. *q. 1.* Tum quia oblatio parentum de impubere se habet ad professionem, sicut sponsalia ad matrimonium, arg.
15 20. *qu. 1. in primis quatuor capp.* Sed ex sponsalibus contractis per parentes filii non obligantur, nisi tacitè, vel expressè consenserint, ut in cap. 1. §. *fin. de sponf. impuber. lib. 6.* Ergo idem dicendum in hujus-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hujusmodi oblatione. Contrarium concludo in cap. *Cum virum ann. infra eodem*, ubi ostendo hanc non fuisse opinionem Innocentij, & respondeo ad
16 motiva Abbatis. Post pubertatem verò si ab initio consenserit, sive non poterit sic oblatus quandocumque exire nisi tacitè, vel expresse professionem emiserit, de quo dic, ut in cap. 1. *de Regular. lib. 6.* Et post Conc. Trid. intellige, ut dixi in c. *Ex*
17 *parte num. 5. infra eod.* An autem puella 12. annis minor à parentibus monasterio oblata habitum regularem suscipere possit non obstante ipsius Concilii decreto in *cap. 17. sess. 25. de Regular.* Dicam plenè in cap. *Cum virum, inf. eod.*

18 Secundò nota in §. *Si verò*; cum qui in legitima ætate per vim ingressus est monasterium, si infra annum potuit reclamare, & non reclamavit, eo elapso exire, vel à parentibus revocari non posse, sed teneri in Religione perseverare, prout hic notant glos. *fin.* Innoc. *num. 3. in ver. Per vim*, Host. & Jo. Andr. *in eod. vers.* Butr. *num. 8.* Alb. *num. 4.* & alii communiter.

19 Hodie decreto Concil. Trident. in c. 19. *sess. 25. de Regular.* statutum est, ut quicumque Regularis prætendit se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superioris non audiatur nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario.

Circa hoc Decretum duplex oritur difficultas. Altera est, an per illud fuerit sublata dispositio hujus tex. in §. *Si verò*. Et quoad hoc breviter dicendum est non fuisse sublatam, quia spatium unius añi ad reclamandum quod hic tribuitur illi, qui per vim, & metum ingressus est religionem fundatur in præsumptione taciti consensus, quia per moram tanti temporis cum potuerit reclamare, & non reclamaverit censetur ingressum suum ratificasse, & professionem tacitè emisisse, ut hic notat prædicta glos. *fin.* Innoc. *num. 2. vers. Pro hac autem opinione*, ubi ait eum, qui per vim ingressus est monasterium lapsu anni præsumi tacitè professum, ut hoc cap. dicit. Idem intendit Butr. *num. 8.* dum dicit per cohabitationem annalem purgari vitium respectu metus tempore ingressus, & sequuntur alii præallegati. Ad decretum Concilii in dicto c. 19. non fundatur, in præsumpta ratihabitione ingressus, nec tacitam professionem inducit, sed tamen denegat audientiam ei, qui elapso quinquennio prætendit deducere causas nullitatis suæ professionis, ut latius dixi in *cap. 1. num.... supra quod met. caus.* Unde potest contingere, ut major ingressus religionem per vim, & metum elapso anno censeatur Monachatum ratificasse, & tamquam tacitè professus non possit amplius ad sæculum redire, ut hic deciditur, & notat glos. & DD. citati; & tamen si quinquennium non sit elapsum Concilium nō obstet quominus audiri possit si prætendat se professum non esse. Et è converso accidere potest, ut ingressus per vim, & metum etiam elapso anno non sit professus, puta si reclamare non potuit, eò quod metus semper duraverit, cap. *Ad id quod, infra de sponsal.* cap. *Constat, 1. quæst. 1.* cap. *De illis, il secondo, de desponsat. impuber.* glos. *fin. hic*, & alii præallegati. Et nihilominus ex Concilio audiri non possit ad allegandas causas invaliditatis suæ professionis si quinqueñium sit transactum etiamsi metus numquam cessaverit juxta declarationem Gregorij XIII. quam posui in d. c. 1. n. 40. *supra quod met. caus.* Atque ita dispositio Concilii, & hujus decretalis invicem compatiuntur, unde quod nō mutatur &c. l. *Sancimus, C. de testam.* l. *Præcipimus, in fin. C. de Appellat.* c. *Cum expediat. de Elect. lib. 6.*

Altera, & major difficultas est, an decretum Concilii vendicet sibi locum tantummodo in impedimentis temporalibus, ut metus, defectus, ætatis, & consimilibus. Quidam enim putant non habere locum in impedimentis perpetuis, ut si quis professus fuerit in aliquo Conventu non designato ad recipiendos Novitios contra formam decretorum Clementis VIII. Sed horum opinionem falsam esse ostendi in *d. c. 1. à. nu. 20. usque in finem, supra. Quod met. caus.* Verum quia non desunt, qui doceant nulliter professos ex impedimento perpetuo posse saltem in foro animæ redire ad sæculum, & uxorem ducere non obstante lapsu quinquennii per Concilium præfixo; operæ pretium duxi de veritate hujus doctrinæ deligenter inquirere.

20 Revoco igitur in dubium, An professi contra formam decretorum Clem. VIII. In conventibus ad recipiendos novitios non designatis, aut alias nulliter ex perpetuo impedimento teneantur in foro conscientiæ elapso quinquennio à die professionis in Religione perseverare.

Jam censuit S. Congregatio hujusmodi professos elapso quinquennio præfinito in d. c. 19. *sess. 25. de Regular.* nullatenus esse audiendos ad allegandas causas nullitatis professionis, sed debere in Religione perseverare. Quod cum certum sit quo ad Ecclesiam, & in foro externo, quæritur nunc: An idem sit dicendum quoad Deum, & in foro conscientiæ.

Opinio negativa videtur suaderi posse rationibus, & authoritatibus infrascriptis.

21 Et primò in tantum quis tenetur in foro conscientiæ in Religione perseverare, in quantum est tacitè, vel expresse eidem Religioni alligatus, c. *Quem progenitores, 20. qu. 1.* c. *Cum virum*, c. *Sicut nobis, in fin.* & c. *Statutum infr. eod.* c. 1. *in principio eodem tit. in 6.* & c. *Religioso, §. Quamvis, de sent. excomm. eod. lib.* cum simil. Sed professi in Conventibus ut supra non designatis etiam elapso quinquennio nec expresse, nec tacitè sunt allegati Religioni, cum ex sententia S. Congreg. decreta Clementis tam expressam, quàm tacitam professionem excludant. & Trident. Concilium in d. *cap. 19.* post quinquennium non faciat eos tacitè professos, sed tantùm deneget audientiam. Ergo elapso quinquennio in foro conscientiæ non tenentur in Religione perseverare.

Secundò, qui non astringitur ad observantias regulares, non tenetur in Religione permanere: Sed professi contra formam decretorum Clementis in conscientia non astringuntur ad observantias regulares. Ergo non tenentur in foro conscientiæ in Religione permanere.

22 Major patet, tum quia obligatio perseverandi in religione, & vivendi secundum regulam provenit ex eadem radice, & causa validitatis professionis, c. *Si inqualibet*, ibi; (mox ad religionis cultum, habitumque revocentur, & sub strenua districtione

ne hujusmodi observantiæ inservire cogantur 20. q. 1. c. *Constituit*, ibi, In eo, quod cœperunt perseverare cogantur. 20. q. 3. c. *Ex parte*, ibi: Ut regulam servent, ecclesiastica districtione compellas, c. *Cum virum, vers. Reverteretur* &c. & c. *Consulti, in fin. infra eod.* Unde cum in nulliter professis cesset causa, & fundamentum obligationis, ipsa quoque obligatio cessare debet. c. *Cum Paulus, 1. q. 1.* Anchar. *cons. 47. Prælatorum, num. 4.* Tum quia absurdum esset, & in magnam traheret regularis disciplinæ perturbationem, ut qui in foro externo habentur pro religiosis, & una cum cæteris Regularibus convivunt, communia instituta servare non tenerentur. Quid enim si sic professi choro, & mensæ communi non convenirent; si è monasterio non petita licentia abscederent, si silentium frangerent, si Prælatorum obedientiam detrectarent, aut in cibis, in vestibus, & aliis hujusmodi regularia instituta contemnerent? contra canonicas traditiones, quibus præcipitur, ut qui similem cum aliis vitam susceptam, similem sentiant in legibus disciplinam, ut legitur in cap. *Recolentes, de statu Monach.* Qua de re plura apud D. Thom. *opusc. 19. artic. 3.*

23 Minor probatur, quia invalidè professi idcirco elapso quinquennio cogi possunt in foro externo ad observantias regulares, quia ab ecclesia reputantur ut legitimè professi cum eo termino elapso, illis à Concilio præclusa sit via probandi nullitatem suæ professionis ad exemplum eorum, qui postquam per annum in monasterio habitum indistinctum detulerunt, præsumuntur veraciter esse professi, cum contrarium probare non possint, obstante præsumptione juris, & de jure secundum glos. in c. *Ex parte, in ver. Annum. inf. eod.* quam DD. communiter sequuntur illic, & in c. 1. *eod. tit. in 6.* & in Clem. 2. *eod.*

24 At hujusmodi præsumptiones, seu fictiones non habent locum quoad Deum, & in foro animæ, c. *Humanæ, 22. q. 5.* Anchar. *cons. 411. n. 5.* Ratio
25 est, quia lex, seu forus conscientiæ non errone semper nititur veritati, & rei existentiæ, ut ait Feder. de Sen. *cons. 41. Nonnulli dubitarunt, n. 2.* ubi affert illud Apostoli *2. ad Corinth. 1. Gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ*, c. [illegible] *de Sacr. unct.* Quamvis enim lex humana disponat, & judicet ex his, quæ apparent, cap. *Erubescant, 32. dist.* non autem de occultis, cap. *Litteras, de restit. spoliat.* & cap. *Inquisitioni, de sent. excomm.* ideoque judex secundum probata non secundum conscientiam debeat judicare, c. *Judicet, 3. q. 7.* cum simil. Aliud tamen est in foro conscientiæ, in quo de præsumptione, vel fictione non curatur, sed de veritate,
26 ut plenè per eundem Feder. de Sen. *dicto cons.* Nec est novum ut secundum forum judicialem sit unum, & aliud secundum conscientiam, cum ista spiritualia non regulentur jure fori, sed jure poli. cap. *ult. in fin.* ibi: Aliud jure fori, aliud jure poli, 17. q. 4. & tradit post Feder. de Sen. Anchar. *d. cons. 411. num. 4. vers. Ista enim spiritualia*, qui etiam allegat Bart. in l. *Habeat, C. de Sacros. Eccles.* Ad idem Lap. *allegat. 72. Martinus, per totum*, ubi pluribus probat forum conscientiæ, & animæ non admittere apices juris, nec formulam verborum,
27 sed ipsam rei veritatem, & Angel. de Perusio *cons. 479. Quidam, in princ.* ubi ait in foro conscientiæ non colorem quæsitum, neque apparentiam, sed solam veritatem spectari.

28 Hinc fit, ut quamvis hæres non conficiens inventarium teneatur ultra vires hæreditatis eo, quod ubi contemnendo legis dispositionem, non creditur in foro judiciali, si dicat hæreditatem non sufficere ad omnia debita persolvenda, l. *Sancimus, C. de jur. delib.* tamen si verè hæreditas non sufficiat in foro conscientiæ, in quo de præsumptione, vel fictione non curatur, sed de veritate hæres non tenetur, ut per Anchar. [illegible]

29 Et similiter quamvis secundum leges non possit opponi exceptio non numeratæ pecuniæ post biennium, tamen creditor, qui re vera pecuniam non numeravit non potest post biennium illam repetere in foro conscientiæ. Et è converso, Innoc. in c. *Quia plerique, n. 2. de immun. eccles.* Itemque illicitum de eo, qui cum non esset debitor, fuit tamen injustè condemnatus; & in eo qui cum verè debitor esset, fuit in judicio absolutus, ut per
30 Innoc. & Feder. de Sen. *ubi supra*. Rursus cum in foro fori liceat contrahentibus se decipere usque ad dimidiam justitiam pretij, cap. *Cum dilecti, ubi not. de empt. & vendit.* tamen secundum Feder. de Sen. non licet jure poli; cum fraus, dolus, & deceptio sint nomina reatus. Et quamplurima alia exempla congerunt Innoc. Host. & DD. in d. c. *Quia plerique, de immun. eccl.* & Dyn. in cap. *Locupletari, de regul. jur. in 6.*

Eodem igitur modo qui professus est in conventu non designato ad recipiendos Novitios, aut alias nulliter, quamvis elapso quinquennio ab ecclesia, & in foro externo habeatur pro religioso, cum in eo nullitas probari non possit, ideoque sit cogendus regulam servare; tamen cum in rei veritate ex sententia S. Congregationis non sit professus, nec religioni alligatus, non tenebitur in foro conscientiæ, in quo simplex, & nuda veritas inspicitur ad observantias regulares. Atque ita in terminis nostris tradit Cardinal. Alex. in c. *Quod interrogasti, sub num. 5. 27. dist.* ubi ait; In professione potius debemus attendere veritatem, quàm ipsam fictionem, ut patet quod not. [illegible] Sub. [illegible] id esse absolutè verum in foro pœnitentiæ, quia ille forus sequitur veritatem tantum, allegat cap. *Tua*, & quod ibi not. *de sponsa.* Ex invalidè professos elapso quinquennio non teneri seclusio scandalo ad observantiam regulæ [illegible] tradit Thom. Sanch. [illegible] *de impedim.* [illegible] *17. num. 37.*

31 Tertiò, quamvis ecclesia possit inducere præsumptionem validitatis professionis, [illegible] professus in foro judiciali contra hujusmodi præsumptionem non sit audiendus juxta *cap. 1. de regul. in 6.* & Clem. 2. *eod. tit.* tamen in rei veritate, & in foro poli non potest quemquam invitum alligare ad religionem, aut ad observantias regulares non
32 enim, ut ait Navarr. *cons. 39. num. 2. de Regul.* Summus Pontifex juste potest tam grandia præcipere, argum. cap. *Integritas, 32. quæst. 1.* & cap. *Gesta, 74. dist.* juncta glos. *in ver. Cessante*; & cum consensus in matrimonio tam carnali quam spirituali exigatur de jure naturali divino, ab ecclesia suppleri non potest, cap. *Præsens, 20. quæst. 3.* cap. *Liter, infra eod.* Abb. in cap. *Per venerabilem, num. 21. qui fil. sint legit.* Sylvest. *in ver. Religio, 3. num. 12.* idem Navarr. *cons. 10. num. 2. Quod met. caus.* & tradunt passim Theologi. Unde D. Bernard. *tom. 1. in tractat. de præcepto, & dispensatione.* [Vota mea (inquit) nullus augeat sine voluntate mea.]
Ergo

Ergo quamvis Concilium per præfixionem quinquennii potuerit quibusvis professis denegare audientiam, atque inducere præsumptionem validitatis præcedentis professionis interdicendo ne contraria probatio admittatur; tamen in foro animæ non videtur potuisse invalidè professos obligare ad regulares observantias, & perpetuam perseverantiam in Religione.

33 Quartò, nulliter professo Religio non tenetur ad alimenta, arg. cap. Cum ex officii, de præscript. & cap. Sane, porrectum, 15. dist. Gemin. Anchar. & alii in cap. ... de regul. in 6. Imo nec potest nulliter professus tuta conscientia hujusmodi alimenta à religione recipere, cum in rei veritate non sit ibi ut Regularis, nec ut famulus, nec ut Novitius, & alias locupletaretur cum Monasterii jactura, quod est contra jus naturale, l. Nam hoc natura, ff. de condict. indeb. & l. Jure naturæ, ff. de regul. jur. Dyn. in c. Locupletari, qui ad hoc plura exempla cumulat, de regul. jur. in 6. Atque ita nulliter professum non posse absque peccato recipere alimenta à Religione, & teneri cum potuerit illa restituere, nisi adæquentur obsequiis, quæ præstat Religioni, simpliciter tenet Navarr. cons. 26. n. 3. de regul. & Comment. 4. de reg. n. 74. §. Advertendum, 4. quem refert, & sequitur Sanch. de matrim. lib. 7. de impedim. disp. 37. n. 42. Quinimo ob hanc rationem Religio non posset tuta conscientia præbere alimenta nulliter professo, quia sic induceret eum ad recipiendum indebitum, & ad peccatum, ut probatur ex doctrina Innocentii in d. c. Quia plerique, n. 2. de immun. eccles., ubi determinat injustè condemnatum ad aliquid solvendum, quamvis parere debeat, si sententia postea executioni demandetur; tamen non posse spontè solvere, quia, inquit, nunquam debet aliquid facere, quod fratri suo sit causa peccati; frater autem semper peccat recipiendo injustè judicatum, allegat cap. Negligere. 2. q. 7. Ergo non tenetur in monasterio perseverare, quia absurdum esset ut qui ab aliis pro religioso haberetur, & cum reliquis religiosis conviveret suis pecuniis, sibi alimenta suppeditaret, & propriis victu uteretur; vix enim id esse posset sine scandalo, c. Nolo, 12. q. 1.

Quintò, pro hac opinione adducitur textus in cap. Litteras, de restit. spoliat. & arc. Inquisitioni, de sent. excom. ubi mulier sciens matrimonium esse nullum ob impedimentum occultum, non tenetur in foro conscientiæ viro adhærere, quamvis ecclesia hoc ei præcipiat sub pœna excommunicationis. Ergo similiter sciens suam professionem esse nullam non tenetur religioni adhærere quamvis ecclesia in foro externo hoc præcipiat arguendo de matrimonio carnali ad spirituale, juxta c. Inter corporalia, de transl. Prælat.

34 Ultimò adducitur Navarr. cons. 87. Animi genere de regul. ubi tenet nulliter professum, eo quod esset de genere Judæorum quoad forum conscientiæ cum licentia, & sine licentia Prælati exire posse è monasterio, licet castigaretur in foro exteriori, si absque licentia exiret. Imo cons. 89. Cum de iure, num. 6. eod. tit. censet invalidè professum posse ad sæculum redire, & uxorem ducere, & esse tutum in conscientia; subdens nec scandalum esse timendum, quia esset Pharisæorum, non Pusillorum. Allegat illud Bedæ relatum in c. Qui scanda-
35 lizaverit, infra de reg. iur. (Utilis est scandalum nasci, quàm quod veritas relinquatur.) Et D. Thomam 2. 2. q. 43. art. 2. pen. & ult. ubi docet neminem teneri ad relinquenda bona spiritualia, neque temporalia propter scandalum proximi. Et hoc ipsum fusius consuluit idem Navarr. in eo qui professionem per metum reverentialem emisit in cons. 9. N. nobilis, Quodmet, cons. & cons. 45. Herus, & famulus, num. 6. de regul. ubi respondet in foro conscientiæ non esse apostatam eum, qui cum esset nulliter professus, eo quod fictè professionem emisisset, ad sæculum rediit.

36 Ex hac ratione cum nuper quidam famulus, quem herus primò per seipsum, deinde per alios occidere sæpius tentaverat, mortem sibi timens ab eo aufugisset, & in monasterium se recepisset, ibiq; habitu regulari indutus expleto probationis anno professionem emisisset, ac deinde hero vita functo infra quinquennium reclamasset, & causam nullitatis professionis ob metum prædictum in urbe introduxisset: Hac, inquam, ratione nonnulli Pœnitentiarii, ut mihi nunciatum est, consuluerint licere eidem famulo in foro conscientiæ exire è monasterio, & ad sæculum redire, etiam non expectata sententia declaratoria nullitatis professionis, cum quoad Deum ob defectum consensus non sit validè professus.

37 Sed his non obstantibus in contrarium est veritatis, pro qua adducitur primò receptissimum illud principium tam apud Theologos, quàm apud Canonistas, videlicet legem humanam justam obligare etiam in foro conscientiæ, quod constat ex cap. Quo iure, 8. dist. c. ult. 16. quæst. 3. c. Si imperator, 96. dist. & c. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit 11. qu. 3. Et docet D. Thom. in 2. 2. q. 96. art. 4. ubi ait leges humanas, si justæ sint, habere vim obligandi in foro conscientiæ à lege æterna, à qua derivatur, secundum illud Proverbiorum 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. D. Thom. referunt, & sequuntur Sylvest. in ver. Lex, num. 9. Flor. in l. Ex parte heres, §. Sua libertatis, ff. famil. ercisc. & Affl. in rubr. de iure protomiseos, num. 7. & pluribus comprobat Feder. de Sen. d. cons. 21. num. 3. vers. Præterea iura humana sunt à Deo.

38 Quod certissimum est, & circa controversiam quoad decreta Apostolicæ Sedis, cujus præcepta, vel prohibitiones obligare in foro conscientiæ omnes consentiunt, idq; etiam sub reatu mortalis peccati, ut satis clarè probant tex. in c. De his, in fin. 52. dist. ponderando illa verba, Damnabiliter in
39 profundum demergi, in c. Quia, ibi (Non sine perpetuæ damnationis interitu,) 64. dist. in c. Nulli fas est, vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta. Et infra; [sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus quisquis apostolicis voluerit contraire decretis, &c. [ubi hoc tenet Hugo 19. dist. in c. Si quis eum contra traditionem Ecclesiasticam scriptam violat, anathema sit 1. q. 7. (anathema enim non fertur nisi pro mortali peccato, c. Nemo Episcoporum, 11. q. 3.) & aliis missis, in c. Violatores, 25. qu. 1. ubi Damasus Papa: Violatores Canonum voluntarii graviter à Sanctis Patribus judicantur, & à Sancto Spiritu, instinctu cujus, ac dono dictati sunt, damnantur, quoniam blasphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur, qui contra eosdem Sacros Canones non necessitate compulsi, sed libenter aliquid aut protervè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus spontè consentiunt; Talis enim præsumptio manifestè unum genus

nus est blasphemantium Spiritum Sanctum, quia contra eum agit, cujus nutu, & gratia sancti Canones editi sunt. Atque ita determinat Archid. in d. cap. Detestanda, num. 3. & 4. de concess. præb. lib. 6. quem refert, & sequitur ibi Gemin. in princip. vers. An scienter faciens contra præceptum vel prohibitionem Canonis peccet mortaliter, Felin. in c. 1. n. 11. de Constit. gl. & DD. in c. Nam concupiscentiam de Constit. & in rubr. de observat. ieiun.

40 Et de generalibus Conciliis est text. in c. Sicut, 15. dist. ubi Gregorius ait: Sicut Sancti Evangelii quatuor libros sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor, idemque habetur in c. præced. ibi; Quasi quatuor Evangelia, vel totidem Paradisi flumina. Et quamvis hi Canones loquantur de quatuor Synodis generalibus, Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, & Calcedonensi: mox tamen Gregorius subjicit rationem generalem ad omnia Concilia œcumenica, nempe, quia universali sunt consensu constituta. Et propterea indefinitè Concilia generalia esse observanda sicuti Evangelium dixerunt Jo. Andr. in c. Cum laicis, prope fin. de reb. eccles. non alien. Bald. in tit. de pace const. col. 4. §. Imperialis Clementiæ, in ver. Nos Romanorum num. 22. in fin. & Jas. in l. De quibus, num. 54. vers. Addo quod eodem modo, C. de legib. de quo dic ut per Præpos. in d. cap. Sicut in princ.

In specie verò Tridentinam Synodum habere hanc vim obligandi etiam sub culpa mortali, jampridem censuit Sacr. Congregatio: Nam consulta an Episcopus incurrat aliquam pœnam non utendo in exemptos jurisdictione, aut in loca exempta, quam ei Concilium concedit, cap. 7. & 8. sess. 7. cap. 6. sess. 25. cap. 8. sess. 21. c. 20. sess. 24. c. 14. sess. 25. cum aliis similibus; Respondit nullam pœnam incurrere, sed in illis casibus, in quibus decreta Concilii utuntur verbis præceptivis, seu obligativis incurrere peccatum mortale.

Igitur ambigendum nō est quin ejusdem Concilii decretum cap. 19. sess. 25. de Regul. dum prohibet ne quis prætendens suam professionem esse nullam aliter habitum regularem dimittat, quàm servata forma ibi præscripta, & infra quinquennium à die professionis, obliget etiam in foro conscientiæ.

41 Secundò, cum inter Superiores Regulares, & subditos occasione nullitatis professionis perpetua dissidia vigerent, & subditi existimantes se nulliter esse professos jussa Prælatorum contemnerent, ac regularem disciplinam non servarent: S. Synodus videtur eò spectasse ut modum tandem adhiberet ac terminum præfiniret hujusmodi litigiis; ideoque statuit ut ex causa nullitatis professionis nemini fas esset habitum deserere, nisi infra quinquennium, & causis deductis coram superiore, & Ordinario, ad pacem, & obedientiam in Religionibus conservandam. Quæ quidem ratio, cum alia sufficiens reddi non possit, haberi debet pro expressa, l. Quamvis in ver. Intelligi potest, C. de fideicomm. §. Nominatim, Instit. de Exhered. liber. Paul. de Castr. cons. 40. num. 14. lib. 2. Alex. cons. 48. num. 4. lib. 1.

At hunc finem impediunt ac prorsus destruunt nulliter professi, qui propria authoritate, & non servata forma à Concilio præscripta habitum dimittunt etiam elapso quinquennio. Ad quid enim profuisset lex Concilii in præfixione hujus termini, si unicuique ex causa nullitatis suæ professionis liceret tuta conscientia quandocunque, ac nulla forma servata redire ad sæculum? Ergo sic ex-
42 euntes peccant mortaliter ex doctrina D. Tho. in 2. 2. q. 147. art. 3. ad 2. ubi docet transgressionem legis etiam secluso contemptu indistinctè & generaliter obligare sub mortali quando impeditur finis legis.

43 Tertiò, S. Canones poterūt nulliter professum obligare etiam in foro conscientiæ ad ingrediendam aliquam ex Religionibus approbatis, atq; in ea perpetuò perseverandum, quæ dicitur obligatio ad religionem in genere cap. Non solum, & ibi gl. in ver. Vestro ordini, & cap. Constitutionem, de reg. in 6. gl. & DD. in c. un. de voto eod. lib. Ergo potuerunt etiam in foro conscientiæ obligare nulliter professum ad perseverandum in aliqua Religione in specie, de quo videtur textus, ubi hæc duo æquiparantur in c. Significatum, ibi, (Ad eandem, vel ad aliam religionem transire compellas,) infra eodem: utraque enim obligatio fundatur in profitentis consensu, qui quantum in se est, à sui principio fuit validus, licet ob extrinsecum impedimentum non habuerit effectum validitatis professionis, ut formaliter dixit Abb. in cap. Consuluit, num. 3. de convers. conjug. & consequenter etiam decretum Concilii in d. c. 19. sess. 25. de Regul. potuit obligare etiam in foro poli invalidè professos ad perseverandum in Religione elapso quinquennio; imò difficilius videtur induci obligatio ad ingrediendum aliam religionem in genere, quàm ad perseverandum in ea, quam quis in specie professus est, quia faciliùs datur retētio, quàm actio, l. Per retentionem, C. de usuris, l. 2. ubi Bald. in 3. not. de fideicomm. & facilius datur retentio, quam nova apprehensio, ut per Alex. cons. 85. Visa num. 3. & seq. vers. Nec dicatur lib. 2. & turpius ejicitur, &c. c. Quemadmodum de iureiur.

44 Quartò, ex contractu etiam nullo ex defectu solemnitatis, dummodo adsit consensus, oritur naturalis obligatio, Abb. in c. Quia plerique, n. 31. de immun. eccles. Bart. in tract. minoric. lib. 1. dist. 1. c. 3. n. 8. vers. Nam voluntas, gl. Bart. & DD. in l. 1. ff. de condit. indeb. Quæ quidem naturalis obligatio quamvis actionem non pariat, tamen producit duos peculiares effectus. Primus est quia retentionem confert, si res perveniat ad eum, cui naturaliter debetur, & non admittitur repetitio, Bart. in l. Nemo potest col. penult. ff. de legat. 1. Bald. in repet. l. 1. col. 15. C. de Sacrosan. Eccles. Jas. in l. Cum quis, n. 13. vers. Additio, C. de iur. & fact. ignoran. Secundus effectus est quia naturaliter obligatus, quamvis compelli non possit propter actionis defectum, tamen tenetur in foro conscientiæ promissa adimplere, & peccat nisi adimpleat, Abb. in d. c. Quia plerique n. 11. plenè Bart. in d. tract. minoric. loco cit. Et ad hoc adiri potest judex Ecclesiasticus per Evangelicam denunciationem, Jas. in d. l. Cum quis, n. 14. C. de iur. & fact. ignor. Quinimò licet ei cui quæsita est naturalis obligatio furari rem debitoris sui, ut sibi satisfiat, si aliter consequi non possit quod sibi debetur, Jas. ubi supra d. num. 14. Franc. Balb. de præscript. in 2. par. quæst. cum declarationibus tamen, de quibus per Navarr. in Man. cap. 17. num. 112. vers. Vigesimosecundo.

45 Ergo cùm professio Regularis inter religionē, & subditum sit contractus ultro citroque obligatorius, ut per DD. in cap. Porrectum, infra eodem, quamvis emissa in conventu non designato ad reci-

recipiendos Novitios ex præscripto decretorum Clem. VIII. sit nulla: tamen hæc nullitas cum nō proveniat ex defectu voluntatis profitētis, vel religionis, sed ex defectu solemnitatis tantum, non videtur impedire, quin exinde oriatur naturalis obligatio producens duos effectus supra proximè expressos, ita ut professus ex vi naturalis obligationis teneatur in foro conscientiæ adimplere quod promisit, * & religio habeat retentionem professi sibi naturaliter obligati. Ad quod facit doctrina Innoc. in c. *Quod sicut, num. 8. vers. Si autem nulla sit electio, de elect.* ubi ait: Si nulla sit electio ob non servatam formam Concilii Generalis, de qua in c. *Quia propter, de elect.* vel aliud consimile; consensus tamen legitimus eligentium, & electi intervenit, qui solus de jure naturali ad electionem, & alios contractus sufficit, c. *Inter corporalia, de translat.* Sic electus ordines confert, & sine peccato beneficium retinet: nec illi obstat quod non habeat fundamentum; & ideò non possit superædificare in Ordinibus, & aliis. c. *Principatus, 1. q. 1.* quia imò fundamentum habet scilicet Canonicam electionem de jure naturali, maximè ubi non oritur scandalum, nec læditur honestatis publicæ justitia, nec generalis status Ecclesiæ, & post consecrationem de forma non servata, nihil potest objicere Ecclesia, cum in ejus consensu perseveraverit. Nec mirandum quod id, quod nullum est, tractu temporis sit ratum, quia hæc non est nulla de jure naturali.] Hæc Innocentius, quem referunt; & sequuntur Abb. in d. c. *Quia plerique: n. 31. de immun. Eccles.* & Gemin. *cons. 88.* Innocentius Papa VII. *num. 4.* Idem tenet Compostell. in d. c. *Quod sicut, n. 17. vers. Si autem Electio,* & Archid. in c. *Nullus, n. 2. 63. dist.* De qua tamen opinione Innoc. vide per eumdem Archid. in c. *Si cui, sub n. 1. in ver. Firmitatis, de elect. lib. 6.* Eodem igitur modo quamvis professio ab initio fuerit nulla ob non servatam formam decretorum Clementis; tamen cum intercesserit naturalis consensus, & in eo tam professus, quàm religio per integrum quinquennium perstiterint absque reclamatione, postea de hac nullitate amplius objici non potest; & super hoc naturali consensu benè potuit Concilium fundare determinationem *d. c. 19. sess. 25. de regul.* prohibentis ne quinqueñio elapso professus ex causa nullitatis professionis habitum dimittat, neve religio illum expellat quemadmodum Sacri Canones potuerunt fundare impedimentum publicæ honestatis super consensu naturali, in matrimonio ex alia causa nullo, quam ex defectu consensus, quia scilicet stante voluntate, seu consensu naturali, actus licèt nullus de jure positivo: tamen est aliquis secundum naturam, ut post glo. notant Gemin. & Franc. in c. 1. *not. 3. de sponsal. in 6.* & Abb. in c. *Ad audientiam, n. 2. extra eod.*

46 Quintò decretum Clementis VIII. quamvis decernat nullas esse ad quemcunque effectum receptiones ad habitum, & professiones emissas, in monasteriis non designatis ad recipiendos Novitios: tamen per ea verba nō sustulit obligationem, quæ ex voto proficiscitur, ut clarè probatur in c. *Quidam, de Convers. conjug.* ubi professio nulla, quā fecit vir invita uxore, ea mortua impedit matrimonium contrahendum, quemadmodum decretum Concilii c. 15. *sess. 25. de regul.* quamvis utatur verbis multo magis urgentibus decernendo irritas professiones ante annum 16. & non expleto año probationis, emissas; addendò ut nullam inducant obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus: nihilominus S. Congreg. à Cardinali Bellarmino consulta declaravit Concilium nihil disposuisse de voto. Hinc Sixtus V. in Constitutione contra illegitimos, & ære alieno gravatos, quia voluit tollere etiam obligationem ex voto provenietem, id disertis verbis expressit, quod non fecit Clemens VIII. in prædictis decretis. Ergo cum professi contra formam decretorum Clementis teneantur obligatione naturali, quæ ex simplici voto proficiscitur: S. Thom. 2. 2. *q. 88. art. 3. ad 2. & art. 8. & 10.* consequens etiam est ut teneantur in foro conscientiæ ad observantias regulares, quibus voto saltem simplici se astrinxerunt, c. *Porrectum,* ubi glos. not. *in ver. Professio, infr. eod.* Nam ut legitur in cap. *Rursus, qui Cler. vel voven.* simplex votum apud Deum non minus obligat, quàm solemne, ubi gl. in ver. apud Deum dicit utrumque in perpetuum obligare, & utriusque violationem esse mortale peccatum; ac proinde jure potuerunt à Concilio etiam in foro animæ obligari ad perseverantiam in religione: facit tex. in c. *Per tuas, de voto,* ubi ei, qui voverat religionem ingredi, & deinde effectus fuerat Episcopus, Innocentius III. rescribit ut si suam desideret sanare conscientiam, regimen resignet Ecclesiæ, & reddat Altissimo vota sua.

Et confirmatur quia eos, qui per añum absque reclamatione detulerunt habitum à novitiis, & professis gestari solitum jus commune potuit perpetuo alligare religioni, etiam in foro animæ, efficiendo eos tacitè professos, tex. est in Clem. *Eos, de regul.* idque etiamsi præcesserit expressa professio nulla c. 1. *in princ. eod. tit. in 6.* Ergo multo magis Concilium potuit obligare, etiam in foro animæ, ad perseverādum in religione illos, qui per quinqueñium detulerunt habitum professorum absq; reclamatione: Negari enim non potest quin gravius sit incorporare aliquem religioni per viam tacitæ professionis, inducendo contractum ultro citroque obligatorium, juxta d. c. *Porrectum,* & c. *Ad Apostolicam, infr. eod.* quam eum simpliciter obligare ad perseverandum in monasterio denegando illi audientiam, aut præscriptionem inducendo, ut dicemus infra in septimo fundamento: quippe tacita professio induci non potest ab Ecclesia sine profitentis consensu. At ex causa ad perseverandum in monasterio potest quis compelli etiam invitus, ut patet in eo, qui in monasterium detruditur ad agendam pœnitentiam c. *De lapsis,* & c. *Episcopo, 16. q. 6.* & in viro qui fictè profitetur in monasterio Monialium, ut post Hug. notant Archid. & Præpos. in c. *Quod interrogasti, 27. dist.* & patebit ex dicendis infra in sequenti fundamento.

Sextò adducitur textus in c. *Quod interrogasti, 27. dist.* ubi fœminæ quæ post obitum mariti suscepto velamine finxit se Sanctimonialem esse, & postea ad nuptias rediit, Nicolaus Papa injungit ut revertatur ad id, quod spopondit, & in sac. Ministerio permaneat quod inchoavit. Concordat tex. in c. 2. 27. q. 1. ubi Gregor. idem rescribit de virginibus, quæ simulaverunt semper in proposito permanere. Professio enim dictarum mulierum
47 nulla fuit in foro cōscientiæ, cum fictio sit contraria veritati ut in d. c. *Quod interrogasti.* advertit Præpos. n. 9. & Abb. *in sua qu. 2. incipien. Stante statuto in 12. col. n. 14. ver. In contrarium.* Et propterea cum superioribus annis quidam emisisset professionē in quodam monasterio, non animo se obligandi religioni, sed eo tantùm fine, ut habitu regulari indutus faciliùs posset suum inimicum interficere: S. Cong. declaravit eundem teneri in monasterio perpetuo perseverare, ac regulariter vivere. Ergo si Ecclesia potuit obligare prædictos ad perseverandū in Religione, & regulam observādam, nō obstante quod allegarent nullitatē professionis ex defectu consensus, multo magis Cōcilium potest elapso quinqueñio ad id obligare professos in conventibus nō designatis, qui defectum consensus nō allegant. Facit tex. in c. *Vidua infr. eod.* quod est desumptum ex c. *Viduas autem, 27. q. 1.* ubi Vidua quæ velum conversionis licet non sacrum sibi imposuit, &c. velit, nolit sanctimoniæ habitum ulterius debet habere, licet sacramento firmare velit eo tenore velamen sibi imposuisse, ut deponere posset.

48 Septimò in præfixione quinquennii videtur à Concilio inducta quædam præscriptio, qua nulliter professus contra religionē præscribit alimēta idest victum, vestitum, & habitationem quoad vexerit, adeo ut expleto quinquennio ex capite nullitatis professionis amplius ejici non possit à monasterio, sed semper ibi ut filius, & subditus haberi, & tractari debeat, fruaturque omnibus privilegiis, exemptionibus, & prærogativis aliorum religiosorum sui ordinis. Et è converso Religio contra eum præscribit superioritatem, & omnimodam jurisdictionem, ita ut ille non possit postea à Religione exire, sed perpetuò teneatur ibi convivere, & tanquam subditus obsequi, & famulari; nam cum professis per vim, & metum, de quibus in primo loco Concilium loquitur in d. *cap. 19. sess. 25. de reg.* de jure communi nullum esset præfixum tempus ad reclamandum, sed esset arbitrarium judici, secundum Hostiensem *in c. 1.* ubi etiam Abb. *n. 13. quod met. cau.* Concilium videtur arbitratum quinquennium, ut olim perpēdit S. Cong. ad eum planè modum, quo quinquēnio præscribitur querela inofficiosi testamenti, l. *Si quis filium, in fine, C. de inoff. testam.* & querela in-
49 officiosæ donationis, Paul. de Castr. *in rubr. C. de inoff. donat.* Item petitio supplementi legitimæ quæ post quinqueñium fieri non potest secundū opinionem Bart. in d. l. *Si quis filium.* Item separatio bonorum, l. 1. *ff. de separat. bonor.* l. *Est jurisdictionis,* ubi Cyn. Bald. & Salycet. *C. de bon. author. judic. possid.* status quæsitio, quæ ex persona patris post quinquennium ab ejus obitu contra filium moveri non potest, l. 1. & l. *Si pater, C. de stat. defunct.* Item pœna peculatus, quæ itidem quinquennio præscribitur, l. *Peculatus, ad l. Juliam peculatus;* idemque in omni delicto, quod non accusatum, neque denunciatum infra quinquenniū præscribitur, Boer. *decis. 54. n. 18.* sicut & facultas inquirendi contra mortuum, ut in crimine læsæ Majestatis, Clar. in §. *Læsæ Majestatis, num. 16. in fin.*

50 At præscriptiones legales vendicant sibi locum etiam in foro conscientiæ, ita ut qui rem alienam præscripsit etiamsi postea superveniat mala fides; tamen sit tutus quoad Deum, nec teneatur illam restituere, ut pluribus probat gloss. in cap. *vigilanti, in ver. Noverit. de prascr.* & tenent Joann. Vincen. Tancr. Goffred. Hostien. Jo. Andr. Imol. Panor. Felin. & alii communiter. Innocent. in cap. *Quia plerique, n. 3. vers. Quidam tamen, de immun. Eccles.* & in c. *fin. de præscript.* Jo. Andr. *in regula Possessor, in 6. col. vers. Verum dubitatur de regul. jur. in 6.* & Bald. in l. *Cum quis, C. de jur. & facti ignoran. in 6. col. vers. Quæritur an lex positiva,* & fuit sententia Scoti *in 4. distin. 15.* ubi ait: Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienū fuisse post præscriptionem quia lex potest aliquem pro peccato, & negligentia punire in re sua, & illam alteri dare, & concedere. Ergo eodem modo debet habere locū in foro conscientiæ præscriptio quinquē-
51 nalis, quæ à Concilio inducta est, tum in pœnam regularium negligentium jura sua intra præscriptum tempus deducere, tum ob bonum publicum Religionum ad exemplum aliarum præscriptionum, ut in d. cap. *Vigilanti,* ibi: propter vitandam miserorum segnitiem, & longi temporis errorē, ac confusionem. Ad quod libet referre verba Sylvestri, *in ver Præscriptio n. 1.* qui postea quam firmavit eum qui præscripsit non teneri ad restitutionem, quamvis postea incipiat habere malam fidem, & conscientiam, rei alienæ sub *n. 13.* subdit: [Et idē diceret omnis bonus Theolog⁹, quia secundum S. Thomam tenetur quis solvere pœnam judicialem, idest ad quam condemnatur à judice ut 2. 2. q. 62. & consequenter ille cui applicatur, eam in conscientia potest retinere; & consequenter licitum est tenere eam, quam infligit legislator, cujusmodi est præscriptio, quæ inducta
53 est principaliter in pœnam negligentium, & quietem civitatis. Et paulo post reprobata opinione Raineri, & Butrii: In contrarium, inquit, clamāt penè omnes alii dicentes indistinctè quod nō tenetur restituere in conscientia, si concurrunt omnia de jure requisita ad præscriptionem; & ita indubitanter tenendum est, nisi quando restitutio petitur in integrum, & admittitur quia ita statuerunt leges, & canones tum in pœnam, tum etiam propter bonum commune cui hoc expedit ad li-
54 tes dirimendas.] Hactenus verba Sylvestri, quæ satis confirmant etiam quinqueñalem Concilii præscriptionem servari debere in foro conscientiæ, quamdiu Regulares adversus eam non obtinuerint ex justa causa restitutionem in integrum à Sede Apostolica.

55 Octavò adducitur doctrina Baldi in c. *Si quis per triginta. Si de feud. contro. fuer.* relati à Sylvest. *in d. ver. Præscriptio, primo, sub num. 14.* ubi determinat statutum laicorum denegans audientiam in foro sæculari propter bonum publicum valere in conscientia: puta si caveatur, ut non solvens gabellam justam non audiatur, vel instrumentum non registratum in libro Communis præsumatur falsum. Ergò multo magis servandū ste in foro conscientiæ decretum Trid. Concilii denegans Regularibus audientiam elapso quinqueñio propter bonum publicum Religionum.

56 Concilium in *d. c. 19. sess. 25. de Regul.* jubet ut Regulares dimittentes habitum ex causa nullitatis professionis non servata forma ibi præscripta tamquam Apostatæ puniantur, Et in specie San-
57 ctissimus D. N. ex sententia Sac. Congregationis Concilii nuper decrevit, & declaravit tanquam Apostatas esse puniendos, & pro talibus habēdos esse professos contra formā decretorum Clemētis VIII. in Conventibus non designatis ad reci-

piendos Novitios, si juribus suis minimè deductis coram ipsa Congregatione, & sine illius expressa licétia è Religione exire ausi fuerint, ut dixi. Pœna autem Apostatæ à Religione, si habitum dimiserit, est excommunicatio, cap. *Ut periculosa, ext. ne Cler. vel Mon.* Sylvest. *in ver. Apostasia, num. 11. in fin.* Ergo nulliter professi dimittentes habitum contra Concilii prohibitionem peccant mortaliter, cum excommunicatio ferri nõ possit nisi pro mortali peccato, ut est textus ad litteram in c. *Nemo Episcoporum, 11. q. 3.* & tradit Navarr. *in Manual. cap. 27. num. 213.* Unde etiam cessat objectio, quæ fieri posset, quod pœnæ adjectio indicat leg statorem voluisse obligare tantùm ad pœnam illam, non autem ad culpam; objectio enim non procedit quando pœna adjecta est spiritualis, & respiciens animam, ut est pœna apostasiæ, & excommunicationis, quæ necessariò culpã lethalem supponit, præterquam quod etiam generaliter tenendũ est pœnæ adjectionem potius augere, quàm minuere virtutem legis obligatoriã, ut not. Gemin. *in cap. 2. in gloss. 3. de vit. & honest. cler. in 6.* qui loquitur in statuto pœnali, & dicit obligare etiam sub reatu mortalis peccati, per glos. ibi: & idem Gemin. per illum text. in c. *Perpetuo, in 2. not. de elect. in 6.* & ita indistinctè omnem legem pœnalem ad culpã obligare est conclusio S. Thomæ in *2.2. quæst. 168. art. 4.* ubi eam luculenter dilucidat, &, ut inquit Sotus *de justit. & jur. lib. 1. qu. 6. art. 5.* est homini naturali notissima, licet vulgus nescio quo colore putet legem quæ obligat ad pœnam, non obligare ad culpam; & ibi hunc errorem multis rationibus confutat.

59 Decimò, forus conscientiæ regulariter sequitur forum judiciale, quod pro regula constituit pluribus argumentis, ac juribus confirmat Feder. de Sen. *d. cons. 21. num. 3.* subdens postea si aliud re diceres, sequerentur multæ absurditates: alioquin tu non dissolvis, & extricas nodositates jurisdictionis, & perplexitates, inter forum humanum, & conscientiæ. Limitatur autem hæc regula, ut non procedat in duobus casibus.

60 Primus est cum lex injusta est; tunc enim non obligat quoad Deum, & in foro animæ, ut distinguit, & declarat D. Thom. *1. 2. q. 96. art. 4.* & eodem modo limitat Innoc. in d. c. *Quia plerique, de immun. Eccles. num. 3.* ubi, quicquid dicter lex humana, dicet teneri quem ad restitutionem, ubicunque fit furtum, rapina, oppressio, dolus vel calumnia. Et infra *num. 5. vers. Sed de hac forte,* ubi ait: (Si sine causa Imperator, vel alius Princeps faceret aliquam Constitutionem contra jus naturale, puta quod dominia de uno in alium transferrentur sine justa causa, constitutio illa in foro animæ non esset servanda.) Et clarius infra, *nu. 6.* ubi generaliter docet Constitutiones, quæ sunt contra salutẽ animæ, ut de usuris, & de juramentis non servandis servari non debere, cap. *Cum contingat, de jurejur.* Et idem vult Feder. de Sen. *d. cons. 21.* dum post longam disputationem, *nu. 4.* concludit quicquid vult lex humana condita ab eo, qui potestatem habet legem condendi manifestam non continens iniquitatem, obligare etiam in foro conscientiæ.

61 Secundus casus est, in quo dicta regula nõ procedit secundum Feder. de Sen. *d. cons. 21. num. 4. vers. Ad contrarium,* quando expressè lex humana, vel alia pura canonica, vel divina diceret; Hoc facies tu judex in foro humano, & hoc facies in foro conscientiæ, allegat cap. *Inquisitioni, de sent. excomm.* & cap. *Litteras, de restit. spoliat.* cum simil. Et utramque limitationem complectitur Sylvest. *in ver. Lex num. 9. vers. Et probatur regula;* dum ex mente Panormitani, & DD. dicit legem positivam peccati non nutritivam esse servandam etiam in foro conscientiæ, ex quo nulla alia lex distinguit eo casu inter forum judiciale, & pœnitentiale, nec subest causa distinguendi.

62 At neutra ex his limitationibus applicari potest casui nostro. Non prima quia decretum dicti *cap. 19. sess. 25. de Regul.* quod pertinet ad potestatem, & finem, editum fuit à generali Concilio ob bonum publicum religionum, ne hujusmodi dissidiis, ac litibus perpetuò implicarentur in magnam religiosæ pacis perturbationem, & respectu formæ editum fuit, servata utrinque æqualitate, cum decretum illud procedat tam in subditis nullitatem professionis allegantibus, quàm in Superioribus expellere volentibus ex causa nullitatis professionis, ut jam declaravit S. Congregatio. Ex his autem tribus legem justam constitui declarat D. Thom. in 1. 2. *d. q. 96. art. 4.*

Secunda itidem limitatio huic casui non applicatur, quia tantùm abest ut Concilium in d. c. 19. *sess. 25. de Reg.* distinguat inter forum judiciale, & forum conscientiæ, ut potiùs expressè decernat idem servari debere etiam in foro animæ, dum statuit, Regulares ex causa nullitatis professionis habitum sponte deserentes non servata forma ibi præscripta, tanquam Apostatæ puniantur, ut dictum est *in 9. fundamento.* Et eo magis, quia

63 Concilium procedit per verba imperativa, quæ de sui natura præceptum important; nam quod impetatur necesse est fieri, cap. *fin. §. Quod præcipitur, 14. q. 1.* & cap. *Integritas 32. qu. 1.* Dec. in cap. *Nam concupiscentiam, num. 25. de Constit.* Imò Concilium procedit etiam per verba præceptiva, ut patet in *cap. 22. sess. 25. de Regul.* ubi decreta omnia, & singula ejusdem sectionis sancta Syno-

64 dus præcipit observari, &c. Item procedit prohibendo, & verba negativa, *non audiatur*; præcepta autem negativa efficacius obligant, & magis præcisè astringunt, quàm affirmativa. Archid. in cap. *Si peccaverit 2. q. 1.* quem refert, & sequitur Abb. in cap. *Novit, vers. Secundò quæritur de jud.* & Dec. in d. c. *Nam concupiscentiam, num. 8. de Constit.* Unde secundum D. Thomam, 2. 2. *q. 140. art. 2.* præcepta negativa obligant semper, & ad semper. Item magis negativa negat, quàm affirmativa affirmet, ut dicit gloss. in cap. *Dilectus, de consuet.* Ideoque licet dispositio affirmativa in primo actu verificetur, l. *Beres, §. Hoc sermone, ff. de verb. signif.* Secus tamen est in prohibitiva, quæ in infinitum intelligitur secundum per gloss. in l. *Hoc genus, ff. de condit. & demonstr.* Et similiter indefinita negativa æquipollet uni-

65 versali ex proprietate sermonis, licet secus sit in affirmativa, Fulgos. in l. *Iurisgentium, §. Sed si fraudandi* glos. ibi, *ff. de pact.* præsertim verò, quia Cõcilium nõ solum utitur verbis negativis, sed etiam universalibus, & geminatis, ut ibi, Quicumq; Re-

66 gularis; & ibi, Quacumque de causa. Unde magis enixa voluntas obligandi ex his, quæ plenè scripsit Corn. *in cons. 187. In consultatione, num 12. lib. 4.* Et de his verbis, quacumq; de causa Roman. *cons. 31. Visis his, num. 2.* & Lucas de Penna, qui hoc verbum

verbum quicunque, effrenatum vocat in l. *fin. in princ. C. de exact. trib. lib. 10.*

67 Postremò etiamsi decretum Concilii esset injustum, quod impium est asserere; tamen per accidens propter scandalum obligaret etiam in foro conscientiæ, cap. 2. *de nov. oper. nunc.* Vix enim, ac ne vix quidem fieri potest sine aliorum scandalo, ut Regularis, qui per quinquennium à die professionis tacuit, eo termino elapso sponte exuat se habitu religionis, & ad sæculum revertatur hoc solo prætextu, quod in foro animæ, quicquid Concilium præcipiat, non teneatur in Religione perseverare; certum est enim legem etiam injustam obligare in foro conscientiæ ratione scandali. S. Th. in 1. 2. *q. 96. art. 4.* ubi postquam docuit leges injustas non obligare quoad Deum; subdit statim de, nisi forte propter vitandum scandalum, vel turbationem, propter quod homo juri suo debet cedere secundum illud Matth. 5. *Qui angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo, & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium.* Neque enim hoc scandalum Pharisæorum dicendum est, ut inferius patebit in responsione ad ultimum argumentum.

Ex quibus omnibus ad quæstionem videtur absolutè respondendum professos contra formam decretorum Clementis VIII. in conventibus ad recipiendos Novitios non designatis elapso quinquennio obligatos esse etiam in foro conscientiæ in Religione perseverare, ac regulariter vivere, nisi à Sede Apostolica ex justa causa impetraverint restitutionem adversus lapsum quinquennii, ac deinde sententiam declaratoriam nullitatis professionis à suo Superiore Regulari, & Ordinario obtinuerint, quæ in judicatum transierit. Hodie verò declaratoria non ab aliis obtinenda esset, quàm à S. Congregatione Concilij propter decretum S. D. N. nuper editum.

68 Nec obstant adducta in contrarium, nam ad primum respondetur regulariter quidem ita demum teneri quem in monasterio perseverare si se religioni tacitè, vel expressè alligavit; sed tamen hoc non esse perpetuum; limitatur enim ut non procedat quando lex ex justa causa contrarium statuit, ut in casu nostro fecit Concilium. Exemplum habetur in d. c. *Quod interrogasti, 27. dist.* & in cap. *Vidua, infra eod.* ubi mulieres illæ non habuerunt consensum se obligandi religioni. Et tamen Ecclesia illas obligavit ad perseverandum in eo, quod inceperunt, ut dictum est in 6. *fundamento sub num. 26.*

69 Ad secundum respondetur distinguendo minorem: nam aut ex observantia Constitutionis in foro conscientiæ resultat aliqua iniquitas, vel peccatum; & tunc præsumptiones, vel juris fictiones non habent locum quoad Deum. Et ita procedunt doctrinæ in contrarium allegatæ, ut patet in exemplis de exceptione non numeratæ pecuniæ, de debitore injustè condemnato, & aliis in con-

70 trarium adductis. Aut ex observantia Constitutionis in foro animæ nullum resultat peccatum, vel iniquitas; & tunc juris fictiones, ac præsumptiones habent locum etiam in foro conscientiæ, Ita Feder. de Sen. *d. cons. 21. sub num. 4. vers. Etsi diceretur,* Syl. ver. *Lex, num. 9. vers. Et probatur regula.* Et probatur in professione emissa per simulationem juxta tex. in cap. *Quod interrogasti, 27. dist. in præscriptione rei alienæ,* ut dictum est supra *num. 27. & num. 30.* in juramento per simulationem præstito, ut per Abb. in *cons. 2. Præmissarum, in 2. vol. num. 14.* In præsumptione falsitatis instrumenti non registrati, ut per Baldum in cap. *Si quis per triginta, ff. de feud. contro. fuer.* Et in aliis exemplis relatis à Sylvest. *in ver. Præscriptio*

71 *1. sub num. 15. vers. Vide secundum.* Et contra opinionem Ancharan. hæredem qui inventarium non confecit teneri ultra vires hæreditarias etiam in foro animæ, & quoad Deum, solidissimis fundamentis latè respondit Feder. de Sen. in sæpius allegato *cons. 21. per tot.* & in aliis exemplis relatis à Sylvest. *in ver. Præscriptio 1. sub num. 15. vers. Vide secundum* Bald. Ex eo autem quod decretum Concilii Tridentini in *d. cap. 19. sess. 25. de Regular.* servetur etiam in foro conscientiæ, manifestum est nullam iniquitatem, aut peccatum resultare.

72 Ad tertium respondetur Concilium in præfixione quinquennii non inducere tacitam professionem. Unde ad rem non pertinet quod Ecclesia non possit aliquem invitum alligare religioni, & defectum consensus supplere; hoc enim nec nos inficiamur; sed non sequitur; Professi in conventibus non designatis non sunt quoad Deum allegati Religioni ex vi professionis. Ergo non tenentur perseverare in Religione, quia hæc obligatio aliunde surgit, quàm ex professionis validitate, ut dictum in tertio, quarto, & quinto fundamento à num. 23.

73 Præterea quod dicitur non posse quemquam absq; suo consensu obligari ad Religionem, procedit in eo, qui aut nunquam consensit, aut consensit nulliter, & postea re adhuc integra expressè contradixit. Et in hunc sensum accipiendæ sunt authoritates in contrarium adductæ. At secus est in eo, qui consensit ab initio, licet nulliter, & postea re integra non reclamavit; is enim cum antea professionem emiserit animo vitam mutandi, præsumitur semper eundem animum retinuisse. Unde ejus votum jure potest ab Ecclesia solemnizari ex tacito illo, & præsumpto consensu. Sic docet expressè Innoc. in cap. *Consuluit, de convers. conjug.* ubi determinat professionem nullam solemnizari ab Ecclesia in primo momento temporis quo sic professus post sublatum impedimẽtum in Religione perseveravit. Et quamvis hoc habeat aliquam difficultatem, quando sic professus ignorat impedimentum sublatum fuisse; tamen in eo, qui hoc scit, & non contradicit, opinio Innocentii non habet contradictorem, eamque sequuntur ibi Jo. Andr. Ancharan. Abb. & cæteri omnes, & in cap. *Quidam, eod. tit.* Ergo similiter qui nulliter professus est ob perpetuum impedimentum, cum à principio habuerit animum relinquendi sæculum, & intra quinquennium id sciens nunquam reclamaverit, præsumitur semper in eodem proposito perdurasse. Unde sublata facultate deducendi idem impedimentum per lapsum quinquennii in vim ejusdem consensus jure potuit à Concilio obligari ad perpetuam perseverantiam in Religione.

74 Ad quartum respondetur elapso quinquennio Religionem teneri præbere alimenta etiam nulliter professis, quia cum Concilium jubeat ut Regulares eo termino elapso nõ audiantur, in necessariam consequentiam vult, ut eis subministrentur alimenta à Religione, nec contrarium censent Gemin. & alii ibi allegati, sed tantùm constituunt regu-

R gulam affirmativam. id est Religio conteneri professo ad alimenta. Unde nulliter professi in
75 recipiendis alimentis non dicuntur locupletari cum alterius jactura, cum illa recipiant lege permittente. Et ita ad dicta jura respondet Affl. in rubr. de iure Protomiseos, n. 7. ubi per hanc rationem inter alias censet l. Nemini, eod. tit. habere locum etiam in foro conscientiae; potest enim lex ex causa auferre rem meam, & dare alteri, & ille potest licitè retinere, l. Bene à Zenone C. de quadr. praescript. & tradit Feder. de Sen. d. cons. 21. n. 3. in fin. Nec peccat quis legis authoritate, cap. Qui
76 peccat, 23. q. 4. Ideoque etiam Novitium volentem descedere à Religione non posse inquietari à monasterio pro expensis ibi per eum factis Genuin. in cap. 1. de regul. in 6. ponderando verbum liber ibi positum; & Philipp. Prob. ad Monachum num. 4. post Alex. quem citat in cons. 96. Considerato his in 1. col. vol. 5.

Praeterea invalidè professus quinquennii spatio legitimè praescripsit alimenta contra Religionem: Ergo potest illa tuta conscientia recipere, ac retinere. Ideoque nec obstat Navarr. in contrarium adductus, quia loquitur infra quinquennium, & ita ante completam praescriptionem, licet eius doctrinam postea Sanchez ampliaverit, & malè, etiam ultra tempus quinquennii.

77 Ad quintum dicendum est idcirco in c. Litteras, de restit. spoliat. & in cap. Inquisitioni de sent. excomm. distingui inter forum judicialem, & forum conscientiae, quia Canon expressè id praecipit, quod non facit Concilium in casu nostro. Ita ad illa jura in individuo respondet Federic. de Sen. dict. cons. 21. num. 4. vers. ad contrarium; ut dixi supra sub num. 38. in fine noni fundamenti. Deinde respondetur ideo in dictis juribus fieri praedictã distinctionem, quia praeceptum Ecclesiae non poterat servari in foro conscientiae absq; reatu mortalis peccati; cum enim matrimonium ex impedimento occulto dirimente esset invalidum, copula non poterat esse nisi fornicaria. Unde mulier non poterat obtemperare judici praecipienti sub poena excommunicationis, ut adhaereret viro suo. Et in hoc se fundat Pontifex in d. c. Litteras dum ait: (Porrò cùm mulier, quae consanguinitatis habet notitiã, praesertim in gradibus, quos lex divina prohibuit nõ possit hujusmodi viro sine mortali peccato carnaliter commisceri, &c. Nõ debet in hoc judici obedire, sed potius excõmunicationẽ humiliter sustinere.) & in d. cap. Inquisitioni. ibi: (Debet potius excommunicationis sententiã humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatũ operari mortale. Quod quidẽ peccatum manifestum est non adesse in casu de quo agitur. Quare non potest inferri à matrimonio carnali ad spirituale propter rationis diversitatem; quia in illo Ecclesia non potest dispensare ut mulier commisceatur viro, cum quo matrimonium non consistit, cum hoc sit intrinsecè malum, & contra praeceptum Decalogi Non fornicaberis. At benè potuit statuere ut professi post quinquennium quacunque de causa habitum non dimittant, cum hoc nullum sit malum, imò valdè bonum, ut vota sua Domino reddant; 17. qu. 1. & 27. q. 1. & pax in Religionibus conservetur, ut patet ex dictis supra in secundo fundamento n. 21. & in 5. fundamento n. 25.

Ad ultimum respondetur, Navarri opinionem nec ratione ulla, nec authoritate fulciri; neque enim est bona illatio aliquis est invalidè profess* quoad Deũ, qui omnia novit. Ergo potest redire ad saeculum in foro conscientiae propria authori-
79 tate. Et mirum est virum alioquin doctum, & piũ tam facile aperuisse Regularibus viam exeundi è Religione absque licentia sub praetextu quod in conscientia non sint professi. Nam Concilium in d. c. 19. sess. 25. de regul. expressè loquitur de invalidè professis, seu praetendentibus se tales esse; imò de his solis, quia quoad validè professos non erat opus ullam formam praescribere, aut quinquennium praefinire ad deducendas causas nullitatis professionis; & nihilominus praetendentes se esse invalidè professos obligat ad servandam formã ibi praescriptam. Et cum lex illa sit Apostolica, & justissima, absurdum est asserere eam obligare in foro judiciali tantum, non autem quoad Deum, & in foro animae, ex his quae latè superius deducta sunt à num. 17.

80 Et multo minus defendi potest quod subjicit Navarr. nõ esse habendã rationem scandali, cum sit Pharisaeorum, non pusillorum. Verè enim proximus, qui videt regularem rediisse ad saeculum absque licentia, cum ratione scandalizatur, nec potest removeri scandalum, si Regularis dicat: Ego non sum professus quoad Deum; nam proximus justè replicabit: Cur propria authoritate exiisti, & formam legis non servasti. Unde scandalum erit pusillorum, à quo cavendum est Matth. 18 non Pharisaeorum, à quo dicitur non esse cavendũ Matth. 15. Ideoq; nec applicatur doctrina D. Thom. quod non debeat quis relinquere bona sua propter scandalum; eo enim casu non habetur ratio scandali, quia justè quis recuperat bona sua. Et de hac justitia potest proximus aliqua probabili ratione admoneri. Quod fieri non potest in casu de quo agitur, in quo regularis de facto exiens inordinatè agit, & contra praeceptum legis. Quare contra opinionem Navarri propter scandalum nõ posse fictè professum à Religione discedere absq; peccato docent Cajet. 2. 2. q. 88. art. 1. paulo ante finem. Et Sotus lib. 7. de iustit. & iur. quaest. 1. art. 2. col. 7. vers. An verò.

Porrò Navarri authoritas nonnullis, qui post eum scripserunt majoris erroris causam praebuit. Nam Sanch. de matrim. lib. 7. de impedim. disp. 37. num. 9. non solum ait Concilium in d. cap. 19. inniti praesumptioni tacitae ratificationis per quinquennium inductae, & ideo qui verè non ratificavit, nõ teneri in foro cõscientiae in religione perseverare, nec ad id obligari potuisse à Concilio, verum etiam affirmat credentem se esse nulliter professum, etiam elapso quinquennio posse dimisso habitu tuta conscientia fugere à Religione: allegat Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 6. in comment. fin. c. 8. num. 9. in commen. littera S. & Eman. Sà in ver. Religio, n. 71.

Amplius nu. 10. & 23. asserit ad hoc ut nulliter professus censeatur ratificare suam professionem, necessario expectandũ esse lapsum quinquennii, nec ad id sufficere actus professorũ, etiamsi sciat professionem expressam fuisse nullam, existimans professionem tacitam non induci per actus professorum quando praecessit professio expressa irrita contra text. apertum in cap. 1. ibi: vel si quam prius fecerat, ratam habuisse videtur: atq; ibi omnes not. de regul. in 6. Quam tacitam professionem

nem Tridentinum Conc. non sustulit, ut saepius S. Congregatio declaravit.

Idem n. 11. constanter affirmat nulliter professum etiam elapso quinquennio, licet sciverit suam professionem fuisse nullam: tamen si eam non ratificavit, posse cessante scandalo etiam omissa reclamatione, & non deductis coram Ordinario fugam arripere, & uxorem ducere, & non teneri redire ad monasterium, nec esse apostatam, nulla habita ratione saltem voti continentiae, quod inest professioni etiam nullae juxta tex. in c. Quidam, ubi sic docent Innoc. & caeteri Canonistae, de convers. conjugat.

Quinimo nu. 13. tradit Praelatum Regularem posse etiam elapso quinquennio nulliter professum occulte dimittere, si constet sibi de veritate non ratificatae professionis, dicens nõ obstare Concilium, quia solum praecipit Superiori, ne audiat in foro externo; quae tamen verba in foro externo, nec usquam in eo decreto reperiuntur, nec tacitè subintelliguntur, ut superius ostendimus.

Et quamvis n. 14. dicat elapso quinquennio non esse credendum dicenti se fictè professum, subdit tamen si morali certitudine superior conjicere posset illum veritatem asserere dicendo se fictè professum, vel non ratificasse professionem, posse eundem superiorem illi credere, & dicto remedio uti, ejiciendo illum clam. Et num. 22. in 4. quaest. contra declarationem Sanctissimi D. N. Urbani, & S. Congregationis ait d. c. 19. non comprehendere habentes perpetuum impedimentum. Imo n. 54. nec habentes impedimentum temporale, si illud duraverit toto quinquennio. Quod est contra expressam declarationem Gregorii XIII. Et n. 9. generaliter affirmat d. cap. 19. sess. 25. de Regul. non obligare in foro conscientiae, quia, inquit in eo decreto nullum verbum reperitur, quod forum conscientiae respiciat. Quasi sacri Canones, & Generalium Conciliorum decreta ad obligandum in foro conscientiae necesse habeant illius fori expressam mentionem facere. Quid plura? Idem Sanch. in eadem disput. 37. n. 58. affirmat nulliter professum, qui elapso quinquennio non fugit à Religione peccare mortaliter ingerendo se actibus professorum, & recipiendo alimenta à monasterio, & teneri illa restituere cum poterit. Et nu. 41. sic professum dicit non solum posse, sed etiam teneri, oblata commoda fugiendi occasione, in partes remotas secedere, & in eam occasionem summa ope niti. Et consentit Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dubit. 7. num. 65. vers. Sed addam quarto, quos postea secutus est Stephanus Gratianus discept. forens. tom. 3. c. 415. num. 12. vers. Quo verò ad formam. Quae omnia cum pluribus aliis, quae habentur in eadem disputatione 37. non solum frangunt nervum regularis disciplinae, sed funditus etiam destruunt dispositionem Concilii in d. c. 19. Et directè adversantur sensui, quem Sedes Apostolica hactenus semper admisit in illius decreti interpretatione. Praeterquam quod haec doctrina maximam ingerit confusionem, & perplexitatem timoratis conscientiis, ut animadvertit Feder. de Sen. d. cons. 21. num. 3. cujus singularia verba haec sunt. (Praeterea quantum possumus opiniones vitare debemus quae perplexitatem, & intricationem inducunt, cap. Litteras, de restit. spoliat. per legem enim nulli est laqueus injiciendus, c. De Viduis, il secondo, 27. q. 1. Sed si teneamus primam partem (idest legem non obligare in foro animae) erimus perplexi, & intricati, inter legem humanam, & forum conscientiae. Nam lex humana dicit, Contempsisti legem: Ergo ejus beneficio nõ perfruere. At in contrarium dicet conscientia quamvis minister legis, idest judex tibi praecipiat ut facias secundum legem; tamen tu in foro animae, & divino non teneris. Unde defende te quantum melius potes in foro judiciali, quia habeo te excusatum in foro divino. Ideò ad evitandam hanc perplexitatem melius est dicere quod conscientia se conformet juri positivo, condito à Ministro Dei, & confirmato per Roman. Ecclesiam, cum pro utilitate Reipublicae ad vitandas fraudes processerit illa lex.) Haec Feder. de Sen. qui tamen loquitur in terminis legis merè humanae, & civilis; idest l. Sancimus, C. de iur. deliber. Ergo multo fortius idem dicendum in terminis legis Apostolicae, & Conciliaris, de qua nunc agimus.

81 Consilium verò quod praedicto famulo dederunt Poenitentiarii, similiter nullo modo sustineri potest. Primo enim falsum est professionem illam fuisse nullam in foro conscientiae. Quandoquidem metus etiam cadens in constantem virum sive proveniat ab intrinseco, & causis naturalibus, sive ab extrinseco, & causis liberis, nunquam irritat professionem, nisi fuerit incussus ad illam extorquendam, juxta terminos c. 1. quod met. caus. ut probatur in c. Sicut, il secondo, inf. eod. ubi valida aestimatur professio emissa ab aegroto ob timorem mortis imminentis. Et num. 11. ubi validum censetur votum quod emisit Populus Israel victus à Chananaeo.

Ratio est tum quia eo casu vovens non impellitur ad professionem, cum nullus professionem exigat, sed voluntariè eligit ex se ipso tanquam medium ad evadendum periculum animae, vel corporis. Ex his quae tradit Bellam. cons. 9. Factum est tale col. 4. in fin. num. 15. vers. Tertiò apponet. Tum quia involuntarium quod in ea professione invenitur, non est intentum ab incutiente metum, sed tantum habet occasionem ex ipsius nequitia. Atque ita in matrimonio carnali censent in c. Cum locum, de sponsal. Innoc. num. 2. Hostien. paulo post princip. Jo. Andr. num. 2. Henr. Boich. nu. 3. Butr. num. 11. Card. n. 3. Abb. n. 9. & Prosp. n. 12. ubi concludunt matrimonium contractum per metum etiam incussum ab homine, ut carceris, ita demum esse nullum, si metus ad extorquendum matrimonium illatus fuerit, secus si ex alia causa. Ideoque videmus validum esse matrimonium cõtractum cum concubina ob metum instantis mortis ex morbo, vel naufragio, aut fera bestia; quia is metus non infertur à causa extrinseca libera ad extorquendum matrimonium. Sot. in 4. distin. 29. qu. 1. art. 3. vers. Illud primo colligitur. Et Covarr. in 4. decret. 2. par. c. 3. §. 4. n. 16. Ex similiter teneri matrimonium quod contrahit damnatus ad mortem cum meretrice ut evadat supplicium juxta morem aut statutum nonnullarum religionum. Sot. loc. cit. vers. Exurgunt his tamen. Et Covarr. num. 17. ubi recenset alia etiam exempla quae in terminis professionis ponuntur ab Hostien. & Jo. Andr. in c. Sicut nobis, inf. eod. ut scripsi plenius in cap. Sicut tenor, inf. hoc titul. dummodo tamen metus non sit tantus, ut excludat usum rationis deliberantis, & promittentis, ut in voto notatur in d. c. Sicut, il primo, & secondo, infr. eod. & in cap. Gonsaldus 17.

quæst. 2. & declarat Sylvest. in ver. Votum 2. num. 13.
82 Unde si quis ut evadat ultimum supplicium ob conscientiam scelerum commissorum, aut mortem sibi timens ab inimicis Religionem profiteatur, nihil aliud obstiterit, est validè professus, licet alias professurus non fuisset, ut olim articulo diligenter discusso declaravit S. Congr. Concilij.

DE REGVLARIBVS.

Cap. Ut Clerici.

SVMMARIVM.

1 Fingentes se Monachos, aut intrare, aut exire compelluntur.
2 Dupliciter à Deo, & à jure reprobatur.
3 Clericus sæcularis utens habitu, & nomine Monachali cogitur ut fiat Monachus, vel ab hoc desistat.
4 Votum non solemnizatur per susceptionem habitus monachalis extra monasterium etiam de manu habentis potestatem incorporandi Religiosos.
5 Inducitur tamen votum simplex, quod impedit matrimonium contrahendum, licet non dirimat contractum.

1 UT CLERICI. Legitur variis modis, ut hic per Jo. And. in princ. Antonius de Butr. summat dupliciter. Primò sic; Fingentes se Monachos, aut intrare,
2 aut exire compellantur. Secundò sic, Dupliciter à Deo, & à jure reprobatur. Sed juxta intellectum Cardin. & Abbatis, qui melius congruit litteræ, hoc intendit Clericus sæcularis utens habitu, &
3 nomine monachali cogitur ut fiat monachus, vel ab hoc desistat. Non dividitur.
4 Nota ex textu per susceptionem habitus monachalis extra monasterium votum non solemnizari: aliàs enim isti clerici præcisè cogendi essent ad monachatum. Et sic limita textum in c. Statuimus, infr. eod. & in c. 1. in 1. vers. eod. tit. lib. 6. ubi pares votum solemnizari, & tacitam professionem induci per assumptionem habitus professorum in legitima ætate: hoc enim limitatum, ut locum habeat dummodo habitus hujusmodi suscipiatur intra claustra monasterii, secus si extra etiam de manu habentis potestatem incorporandi Religiosos. Concordat textus in cap. Consuluit, infra, Qui clerici, vel vovit, secundum intellectum, quem sequitur Butr. in num. 4. Alex. de Nevo. in 3. notab. & n. 10. & communiter Doctores contra Lecturam Abbatis Siculi, ut ibi dixi num. 2. & seqq. & in 1. notab.
5 Cæterum etsi habitus professorum extra monasterium susceptus non solemnizat votum; tamen inducit obligationem voti simplicis, quæ impedit matrimonium contrahendum, licet non dirimat contractum, ut est casus in dict. cap. Consuluit, juxta communem intellectum, ut ibi dixi in 2. notab.

DE REGVLARIBVS.

Cap. Vidua.

SVMMARIVM.

1 Novitia, quæ sponte se ingerit actibus professarum per hoc censetur tacitè profiteri. Declaratur à num. 27. usque in finem.
2 Continentia præterita non est de substantia monachatus, sed futura tantum.
3 Velum Religionum quotuplex sit.
4 Velum probationis est album, alia autem vela sunt nigra.
5 Vidua potest velum professionis accipere à Presbytero, vel ab Episcopo, aut sibimet imponere.
6 Velum consecrationis datur ab Episcopo solis virginibus in vigesimoquinto anno.
7 Intellectus hujus cap. & num. 32. 37. & seqq.
8 Moniales an possint portare crines.
9 Animus probatus per extrinseca non admittit contrariam probationem per juramentum.
10 Professio tacita inducitur præsumptione juris, & de jure per assumptionem habitus professionis, & exercitium actus professorum.
11 Probatio directa non admittitur contra præsumptionem juris, & de jure: admittitur tamen indirecta.
12 Conscientiæ suæ quis relinquitur ubi de animo non apparet per actus exteriores.
13 Professio quid sit, & quotuplex.
14 Mutus, & surdus à natura nutibus, & signis expressè profiteri potest, & matrimonium contrahere.
15 Professio tacita quot modis inducatur.
16 Professio tacita an inducatur ex eo, quod quis voluerit absolutè vitam mutare.
17 Professus tacitè an censeatur immiscens se actibus professorum, & n. seqq. usque ad n. 27.
18 Habitum professorum assumptio, & exercitium actus professorum idem operantur.
19 Hæreditatem censetur adire gerens actus, qui fieri non possunt, nisi à nomine, & ut hæredis.
20 Novitius, qui se scienter immiscet actibus de jure, consuetudine, vel statuto ad solos professos spectantibus, est professus si sponte id faciat, etatis sit aptæ, & tandiu perseveret. & num. 38.
21 Eligere spectat ad professos tacitè vel expressè. Professio tacita inducitur ex eo, quod novitius interfuit electionibus unà cum Capitularibus, ibid.
Item ex susceptione muneris Abbatis, vel Abbatissæ, num. 24.
Item ex susceptione tonsuræ monachalis, n. 25.
Item ex receptione Sacrorum Ordinum ad titulum religionis, num. 26.
22 Novitius quamvis interessendo electionibus efficiatur tacitè professus, tamen vox ejus non valet, & eur.
23 Electio facta à non existente in quasi possessione juris eligendi, quamvis sit nulla, tamen constituit eum in quasi possessione.
27 Professio tacita ut inducatur per exercitium actus professorum quæ conditiones requirantur, & num. seqq. usque in finem.
28 Metus, & violentia sicut excusant à professione expressa, sic & fortius à tacita, nisi sequatur ratificatio.

Igno-

29 Ignorans actum ad professos tantum pertinere per ejus exercitium non præsumitur tacitè profiteri.
30 Professio tacita an requirat animum positivum profitendi.
31 Professio tacita non inducitur nisi scientibus, & consentientibus iis, quorum est religioni incorporare.
32 Tridui perseverantia post professionem, in quibus casibus requiratur, & n. seqq. usque ad n. 39.
33 Geminatio actus multum operatur.
34 Tridui perseverantia an requiratur in eo, qui infra annum probationis profitetur expressè.
35 Et quid in eo qui in infirmitate suscipit habitum professorum.
36 Et quid in eo, qui post votum de ingrediendo religionem habitum professionis assumit.
38 Et quid post Concilium Tridentinum.
39 Professio tacita an, & quando sit exclusa decreto Concilij Tridentini.

1 VIDUA. Novitia, quæ sponte se ingerit actibus professarum, per hoc censetur tacitè profiteri. Hoc dicit. Dividitur in duas partes. In prima solvit dubium. In secunda solutionem ampliat, ibi, licet.
2 Nota primò ex principio textus, virginitatem, seu continentiam præteritam nõ esse de substantia monachatus, sed futuram tantum, secundum Anton. de Butr. num. 1. & Jo. de Anan. num. 2. Ad hoc cap. Vidua, 20. qu. 1. cap. Viduas, & cap. De viduis, 27. qu. 1. cap. Virgines, 27. dist. & cap. Cum ad monasterium, vers. Nec æstimet Abbas, infra de stat. Monach.
3 Secundò nota ibi, Velum conversionis, quamvis non sacrum: multiplex esse velum Religionis. Primum enim est velum conversionis, idest probationis, quod assumunt fœminæ cum de sæculari vita ad religionem transeunt, & cum per annum portaverint, amplius carere non possunt ut in cap. Statuimus, inf. eod. & de hoc loquitur cap. Consuluit, infra, qui cler. vel vov. ibi, De manu Presbyteri velamen assumpsit, scilicet probationis, ut
4 ibidem explicat glos. 2. Innoc. in princ. Et hoc communiter est album, cum tamen aliæ vela sint nigra, ut inquit Turrecrem. in cap. Devotæ, in 9. q. num. 11. 20. q. 1. Secundum est velum professionis, quod datur fœminis in professione cum continentiam profitentur, & quandoque imponitur puellæ, dummodo de jure communi sit duodecim annorum, cap. Puella, 20. q. 2. & ex Conc. Trid. annorum sexdecim, ut in c. 15. sess. 25. de Regul. Quandoque imponitur viduæ, seu corruptæ, ut c. Per-
5 latum, supra quod met. caus. & hoc velum viduæ possunt nõ tantum de altari recipere à Sacerdote, d. cap. Consuluit, & d. c. Vidua, vel ab Episcopo, ut d. cap. Perlatum, sed etiam sibiipsis imponere, ut hic patet, & notant glos. 2. Innoc. num. 4. in ver. Sacrum, Butr. num. 9. Cardinal. in 1. oppos. & alii communiter. Nec obstat text. in cap. final. de institut. quoniam loquitur de actu sapiente auctoritatem, quem quis non exercet in seipsum, secundum Card. ubi supra, & in cap. Cum in jure, de elect. Vel dic melius ex mente Abbatis hic n. 5. vers. Et in quantum. Ex sola veli impositione, quam sibi facit vidua, non induci tacitam professionem, sed ex cõsensu ab eis præstito, qui possunt religioni incorporare: nam cum professio sit cõtractus reciprocus, consensus solius profitentis non sufficit, ut c. Porrectum, & ibi plenè annotavi num. 18. & seqq. & cap. Ad Apostolicam, infr. eod. &
6 inferius patebit, num. 31. Tertium est velum consecrationis, quod solis virginibus datur ab Episcopo, & in 25. anno, ut cap. Placuit, 77. dist. & de hoc intelliguntur verba, quæ habentur in d. c. Devotæ, 20. q. 1. videlicet, viduas velare Pontificum nullus attentet; ut ibi per Archid. num. 3. Quæ autem sit ratio diversitatis, cur Sacerdos, qui habuit uxorem, possit in Episcopum promoveri, & consecrari, ut cap. Fraternitatis, 34. dist. & tamen vidua monasterium ingressa non consecretur, ut in dd. cap. Placuit. & cap. Devotæ. optimè declarat glos. in cap. Acutius, in ver. Consecrari, 26. dist. & in materia vide bonam glos. in cap. Viduas quæ, in ver. ab Altari, 27. q. 1. Quartum est velum ordinationis, quod olim imponebatur Diaconissis, in quadragesimo anno, ut possent Evangelium legere in Nocturnis: unde dabatur eis ab Episcopo Breviarium ad tangendum ubi sunt homiliæ de Evangeliis in matutinis: & de hoc velo habetur in cap. Sanctimoniales, 20. q. 1. & cap. Diaconissam, 27. q. 1. de quo vide quod hic notat Collectarius n. 3. Quintum denique est velum Prælationis, quod antiquitus dabatur Abbatissæ in sexagesimo año, ut in cap. Juvenculas, 20. qu. 1. Sed per jura Sexti ubi annum vigesimum complevisset, cap. Indemnitatibus, in principio, de elect. lib. 6. Hodie verò non datur minori annis quadraginta, ut in decreto Concilii Tridentini, cap. 7. sess. 25. de Regular. nisi in casibus ibi expressis, de quo dic ut scripsi plenè in cap. Cum in cunctis, in 9. qu. principal. à num. 113. usque ad num. 124. supra de elect. Et de his quinque velis notant hic Host. num. 1. & Henric. Boich. in princ. & fusius Turrecr. in d. c. Devotæ, in 9. qu. num. 11. licet tamen recenseat glos. Joannis in cap. Illud autem, §. Velamen, 20. qu. 1. dicens per hanc distinctionem multa sedari contraria. Sed quintum, idest velum conversionis, seu probationis addit etiam Archid. in d. §. Velamen,
7 num. 2. & post eum Bellam. in princ. & de hoc velo loquitur hæc decretalis, secundum unum intellectum. Alii tamen, & præsertim Abbas num. 5. pro eod. accipiunt velum conversionis, & professionis. Sed contra, quia si hæc vidua velum professionis suscepisset, ex hoc solo fuisset tacitè professa, nec fuisset opus, ut inter velatas, cum velum professionis votum religionis habeat annexum, ut cap. Statuimus, & ibi notat glos. 1. Abb. Antiq. in ver. Novitios, Host. num. 1. in ver. Religio, & num. 2. & Butr. num. 6. infra eod. & tamen textus ponderat copulativè tam impositionem veli, quàm oblationem, ita ut alteram non sufficiat, secundum Innocen. &
8 DD. Solve ut dicam infra num. 32. & 37. Numquid autem Moniales possint portare crines, vide per Archidiac. in cap. Quicunque, 30. dist. & per Collectar. hic num. 4.
9 Ultimò nota ibi, licet Sacramento. Non stari juramento alicujus in dependentibus ab animo, & conscientia ipsius quando ex actibus externis insurgit contraria præsumptio; animus enim probatus per extrinseca non admittit probationem in contrarium per solum juramentum, ut hic per Anchar. num. 4. Abb. num. 5. & Jo. de Anan. eodem
10 num. Præsertim si præsumptio, quæ oritur ex actibus exterioribus sit juris, & de jure, prout est præsumptio tacitæ professionis in casu hujus viduæ per

per susceptionem vel professionis, & per exercitium actus professorum, secundum Anton. de Butr. num. 4. contra quam præsumptionem probatio directa non admittitur, ut hic, & in c. Quod interrogasti. 27. dist. & in cap. Quem progenitores, 20. q. 1. Ad quod vide bonam glossam in cap. Ex parte, in ver. Per annum, infra eod. admittitur tamen probatio indirecta, ut declarat idem Butr. hic num. 5. & 13. in fin. & scripsi plenius in cap. Significatum, num. 17. & 40. infr. eod.

12 Ubi verò per actus externos de animo non apparet, tunc bene statur juramento, & suæ conscientiæ quis relinquitur, ut c. Si verò, il 2. infra de senten. excomm. & notatur in c. Significasti, il primo, in glos. in ver. Si ita est, de homic. & in cap. Præsentium, supra de test. & tenent Butr. Anchar. & alii proximè citati.

13 Ex prædictis notabilibus venio ad materiam, ad cujus evidentiam præmittendum est primò professionem, quæ secundum Archid. in cap. 1. in princ. infr. eod. lib. 6. & Lapum allegat. 129. num. 10. nihil aliud est quàm certæ Religionis solemnis promissio, esse in duplici differentia, ut notat Host. in cap. Insinuante, num. 2. infr. Qui cler. vel vov. Alia enim est professio vera, seu expressa: Alia est præsumpta, seu tacita, ut cap. Non solum, ibi, Professus tacitè vel expressè, infr. eod. lib. 6. & cap. unico, ibi, Professionem expressam, vel tacitam, de Voto, eod. lib. cum similibus. Professio expressa est, quæ emittitur verbo, ut in cap. Dudum, infr. de con-
14 vers. conjugat. vel scripto, ut in cap. Vidua, 20. qu. 1. aut etiam nutu, quia nullibi reperitur jure cautum, ut verba sint necessaria. Unde etiam mutus, & surdus à natura nutibus, & signis expressè profiteri potest, ut respondit Marian. Socin. senior. in cons. 62. incipien. In præsenti consultatione, num. 13. & 14. vol. 1. nam & potest matrimonium carnale contrahere, ut est textus in cap. Cum apud, infr. de sponsal. secundum intellectum Jo. Andr. & Anton. de Butr. & de variis formulis professionis expressè vide plenè per Lap. allegat. 129. per totam. Sylv. in ver. Religio, 3. in 1. q. Innoc. Hostien. & DD. in cap. Porrectum, infra eod. Professio tacita, ut sonat ipsum nomen, est quæ fit sine voce, & scriptura, ut per Sylvest. ubi supra, num. 19.

15 Præmittendum est secundò professionem tacitam in universum tribus modis induci posse, ad quos peculiares alii modi ferè omnes reduci possunt, qui sparsim recensentur à Doctoribus.

Primus modus est per assumptionem, vel gestationem habitus religionis: & in hoc distingue multiplicem habitum, prout distinguit glossa magistra in Clem. Eos, in ver. Deinceps, de Regular. Henr. Boich. in cap. Statuimus, col. 1. in fin. vers. Tu verò distingue, infra eod. & Abb. in d. Clem. Eos, ubi à num. 2. materiam explicat breviter, & dilucidè per quinque conclusiones, quas tu supplebis ex jure novissimo Concilii Tridentini, ut scripsi plenè in prædicta Decretali Statuimus, & in c. Quia ingredientibus, supra de testam. ubi videas, quia non est materia hujus capituli.

16 Secundus modus inducendi tacitam professionem est cum quis absolutè voluit vitam mutare, & habitum probationis assumpsit, ut cap. Consulti, & d. cap. Statuimus, infra eod. & cap. Beneficium, eod. tit. lib. 6. in quo conveniunt Canonistæ ferè omnes; sed quia hic modus magnopere côtrovertitur à Theologis, & præsertim à Sylvestro in ver. Religio, 5. qu. 8. de illius veritate agemus ex professo in d. c. Consulti à n. 13. usque in fin. Tertius denique modus inducendi professionem tacitam est per exercitium actus professorum, & de hoc agamus hic.

17 QUÆRO igitur, an immiscens se actibus, qui à solis professis fieri consueverunt, ex hoc censeatur tacitè profiteri: intellige concurrentibus iis, quæ aliàs desiderantur ad tacitam professionem inducendam, ut dicam infra à num. 27. usque in fin.

Doctores non conveniunt: nam Innoc. hic n. 1. sentit ex hujusmodi actibus, quinimo, & ex ipsa susceptione habitus professorum non induci professionem tacitam, nisi aliquæ præsumptiones hoc juvent, puta quia cum solemnitate accepit, id est vocatis parentibus, vel de altari, vel in ecclesia; vel si accepit ab Episcopo, vel Abbate, aut etiam simplici Monacho, vel Sacerdote, cum ea tamen solemnitate, qua consuevit aliis dari. Et ita intelligit c. Ad nostram, & cap. seq. infr. eod. cap. Quod interrogasti, 27. dist. & cap. Viduas, 27. q. 1. & cum eo transit hic Butr. n. 6. & idem notat Archid. in d. cap. Quod interrogasti, in glos. Hæc fœmina, & in cap. Constitutionem, in glos. Ergo non licebit, infr. eod. lib. 6. Quod adeo verum est secundum Innoc. num. 2. ut si ab initio hujusmodi solemnitates non intercesserint, licet ex post facto sequantur præsumptiones, per quas convincitur velle sæculo renunciare, puta quia facit ea, quæ à solis professis fieri solent; adhuc tamen non intelligitur tacitè vovere. Verum Hostien. hic n. 6. tenet indistinctè ex actibus, qui à solis professis fieri consueverunt, induci professionem tacitam, nec vim faciendam esse utrum quis ab initio, vel ex post facto, sed tantum an efficaciter obligetur, ut patet ex his, quæ notat idem Hostiens. in c. 2. §. Si verò, supra eodem. cujus opinionem putat veriorem Henric. Boich. circa finem hujus cap. dummodo in hujusmodi actibus triduò perseveret: alioquin putat veram esse opinionem Innocentii. Sed dissidentes opiniones conciliat Jo. Andr. num. 3. dicens, (Quicquid dicant, hoc credo, quod si non novitius immisceat se actibus professorum, per hoc non dicatur professus. Et sic intellecta sit vera opinio Innocentii. In novitio verò secus secundum opinionem contrariam. Et pro novitio intelligit existentem in probatione, secundum Ant. de Butr. n. 8. ver. Et credo.) Mihi placet hæc distinctio Jo. Andr. quam etiam sequuntur Henr. Boich. in fin. Butr. n. 8. Cardin. n. 5. in quinta oppositione. Abb.
18 num. 7. & plerique alii. Moveor quoad primum membrum, quia non minoris est virtutis ad tacitam professionem inducendam habitus professorum, qui votum religionis habet annexum, quàm sit actus profitentium, cap. Super eo, & cap. Statuimus, infra eod. & cap. Beneficium, eod. tit. lib. 6. & dictum est supra, num. 7. & hic notat Butr. num. 11. vers. Et sic conveniunt. Sed habitus professorum à non novitio, seu extra monasterium assumptus non facit Monachum, nec tacitam professionem inducit, cap. Ut clerici, infra eod. & tenet Hostien. in d. cap. Statuimus, num. 2. in ver. Consuevit, Archidiac. in d. c. Beneficium, num. 1. dixi in c. Insinuante, num. 30. infra, qui clerici, vel vov. Ergo nec actus profitentium inducunt professionem tacitam, seu solemnizant votum si fiant à non novitio, seu extra monasterium. Et est ratio, quia non censentur fieri animo profitendi: nam si profiteri voluisset, illos intra monasterium gessisset, ut considerat Abbas hic n. 7. in cap. Porrectum, n. 8. infra eod. Quo verò ad secundum membrum idest si sit novitius, & in probatione qui se actibus professorum immiscet, absque dubio censetur tacitè profiteri, ut est textus hic secundum communem intellectum cum concordantibus, de quibus in gl. in ver. Oblationem. Ratio est, quia ex quo intravit monasterium animo ut fieret Monachus, & sponte facit actus, quos scit ad professos tantum pertinere, satis clarè hinc apparet eum velle absolutè vitam mutare, & profiteri, juxta textum in d. c. Statuimus, infra eod. Nam qui vult consequens,
19 videtur etiam velle antecedês, sine quo ad illud consequens pervenire non potest. Fingitur enim semper primo fieri quod primo faciendum est, ut notatur in l. Illud, ff. de acquirend. hæredit. & in proposito tradit Anchar. in c. Quia ingredientibus, num. 1. supra de testam. & est simile in eo, qui aliquot actus gerit, qui fieri non possunt citra nomen, & jus hæredis, nam ex his censetur hæreditatem adire, ut l. Pro hærede, § Papinianus, in fin. ff. de acquirenda hæredit. & notat Bart. in l. Gerit, n. 9. ff. eodem.

20 Hæc igitur sit conclusio, quam disertis verbis hic ponit Jo. Andr. n. 7. Si novitius se scienter immiscet actibus professorum, quicumque sint illi actus, sive offerendi panem, ut hic, sive constituendi Syndicos, ineundi contractus, faciendi electiones, vel receptiones Monachorum, Abbatum, vel alios ad professos solos spectantes de jure, consuetudine, vel statuto, per hoc intelligitur professus si ætatis est aptæ, & sponte id facit, & triduo perseverat, ut c. Constitutionê, in fin. infr. eod. lib. 6. ita Jo. Andr. quem totidem verbis sequuntur hic Henric. Boich in fin. Butr. n. 11. Cardin. in 5. oppositione, n. 5. & 6. Anchar. nu. 5. vers. Sed Io. Andr. tenet cum Hostien. Abb. & Jo. de Anania ambo nu. 6. Sylvest. in ver. Religio 3. qu. 19. vers. Primo ergo, Angel. in ver. Novitius, num. 12. & plerique alii. Quod tamen dicunt de perseverantia tridui intelligi debet inspecta juris communis dispositione quando annus probationis non erat de substantia Monachatus, ut cap. Ad apostolicam, infra eod. Sed post Concilium Tridentinum hoc triduum amplius non exigitur, ut scripsi in c. Ad nostram, n. 5. & 6. infra eod.

21 Sed objicies; Eligere spectat ad professos tacitè, vel expressè, ut c. Ex eo, in fin. & c. Indemnitatibus, in princ. de electione, lib. 6. Sed novitius immiscendo se huic actui electionis una cum Capitularibus secundum conclusionem superius firmatam efficitur tacitè professus. Ergo nullus casus dabitur, in quo novitius sit ab electione repellendus; & consequenter inutiles erunt prædictæ decretales, in quibus statuitur ut ij, qui non sunt tacitè, vel expressè professi non debeant cum
22 professis electionibus interesse. Solutio secundû Jo. Andr. hic n. 7. post medium (Professi non tenebuntur novitios admittere, vel vocare ad electionem, & sic illa jura non sunt superflua. Vel aliter, quamvis facta electione, & actu illo jam absoluto, & perfecto novitius hoc sciens intelligatur tacitè professus; tamê vox eius non valet; quia professio inducitur ex actu perfecto, & sic post electionem finitam, & non prius intelligitur professus.) Allegat cap. Perpetuò, de elect. lib. 6. Dic clarius, Ad hoc ut quis vocem habeat in electionibus regularium prærequiritur ut in ipso actu electionis sit tacitè, vel expressè professus, ut probât jura præallegata; quando autem novitius eligit una cum professis, actus electionis secundum ordinem intellectus præcedit professionem, quæ ex illo actu resultat. Unde nô mirum si electio nô valet, cum novitius in actu electionis nô sit professus, & hoc modo prædicta capitula nô sunt inania, & hoc intendit Jo. Andr. cui consentiunt Butr. n. 11. vers. Nec obstat, Cardinal. in 4. oppos. Anchar. n. 5. vers. Sed incidenter, & Jo. de Anania n. 27.
23 Et est simile in electione, quæ non valet si fiat ab eo, qui nô est in quasi possessione juris eligendi; & tamê si non existens in quasi possessione admittatur ad eligendum, per huiusmodi electionem efficitur quasi possessor, ut notat Innoc. in c. Consultationibus, de iurepatr. Butr. hic n. 11. & Jo. de Anania, num. 7. vers. Et simile adducit. Accipe aliud simile. Electio in Abbatem de non professo est irrita ipso jure. c. Nullus, de elect. lib. 6. & tamen si non professus consentiat se de facto eligi, per hoc efficitur tacitè professus, ut statim dicam.

24 Ex conclusione ut supra firmata infertur primo, ut suscipiens munus Abbatis, vel Abbatissæ ex hoc censeatur tacitè profiteri; quia cum huiusmodi munus non conveniat nisi professis, c. Cum causam. de elect. & d. c. Nullus, cum suis concordantibus qui vult consequês, idest Prælationem, censetur velle suum necessarium antecedês, id est professionem, textus est notabilis in d. c. Quia ingredientibus, de testam. & ibi dixi à num. 23. usque ad num. 28. post Jo. Andr. num. 3. Cardin. n. 7. in fin. Anchar. n. 1. & Abbas, n. 4.

25 Infertur secundò ut novitius, qui sponte suscipit tonsuram Monachalem, per hoc similiter efficiatur tacitè professus, ubi corona à solis professis gestari solet, sic probat textus in cap. 1. & ibi notat Butr. num. 5. supra eod. Francus post Gemin. in c. Non solum, in 2. colum. in gloss. in ver. Indutus in §. Signo infr. eod. lib. 6. ubi propterea dicit, periculosum esse novitiis facere sibi magnam tonsuram.

26 Infertur tertiò, ut idem sit dicendum in novitio, qui ordines sacros recipit ad titulum religionis: nam & ex hoc intelligitur tacitam professionem emittere, c. Cum in præterito, 84. & tenet Hostien. in cap. Insinuante, num. 2. vers. Sextò per sacri Ordinis susceptionem, quem ibi sequuntur Jo. Andr. num. 5. Butr. num. 10. ambo in eod. verbo Præpositus num. 4. in 6. modo emittendi professionem tacitam, & alii communiter, infra qui cler. vel voven. Calderin. cons. 11. de regular. Barbat. quicquid contra leviter tetigerit Navarr. consil. 20. incipien. De eo qui mansit n. 2. vers. Tum quia licet sola Ordinis susceptio, de regular.

27 Declara nunc propositam conclusionem, quæ dictum est per exercitium actus professorum induci tacitam professionem, ut vendicet sibi locû dummodo concurrant conditiones infrascriptæ.

Prima conditio est, ut qui se huiusmodi actibus immiscet, sit novitius, id est existens in probatione, secundum distinctionem Jo. Andr. de qua supra num. 17. vers. Sed dissidentes opiniones, & hic notat Abb. n. 7.

28 Secunda conditio est, ut his actibus se ingerat sponte, ut probat hæc Decretalis ibi, Si sponte velum conversionis sibi imposuerit: alioquin si in exercitio illius actus illata fuisset violentia, sicut illa

a excusaret à professione expressa, cap. 1. supra de mat. caus. sic & fortius à tacita, cap. Constitutionem, in fin. hoc tit. lib. 6. nisi sequeretur ratificatio, ut supra cap. 2. ita formaliter arguit hic Jo. Andr. num. 4. in vers. Obsiderit, & in hoc consentiant Innoc. & Host. ambo in prin. & reliqui omnes.

Tertia conditio est, ut sciat ex constitutione, vel consuetudine ejusdem monasterii esse hujusmodi actibus votum annexum, idest eos, qui se his actibus immiscent, haberi pro professis, seu actum illum pertinere ad professos tantum; nam data ignorantia, cessat præsumptio tacitæ profes-
29 sionis, ita Innoc. hic num. 2. Host. num. 6. vers. Est etiam necesse, Jo. Andr. num. 2. in fine, Abb. d. num. 7. vers. Secundo requiritur, & Nauarr. cons. 9. Nonnobilis, num. 10. de his quæ vi met. caus.

30 Quarta conditio est, ut habeat animum profitendi, & hanc conditionē exigunt Nauar. Comm. 4. num. 75. & Sanchez in decalogo tom. 2. lib. 5. c. 3. num. 27. qui amplius putant non sufficere, ut qui se ingerit actibus professorū habeat se negativè, sed asserunt requiri ut habeant animum positivū profitendi, eo quod ij actus eatenus professionem inducunt, quatenus internum profitendi animum designant. In habente autem se negativè nullus est interius profitendi consensus. Sed certè in foro Ecclesiæ admodum frivola esset hæc allegatio defectus consensus; quia ubi quis habitū conversionis assumpsit, & se actibus professorū immiscuit, censetur habuisse animum profitendi præsumptione juris, & de jure, ita ut non sit audiendus etiamsi contrarium probare velit suo juramento, ut est textus apertus hic in illis verbis, (Licet Sacramento firmare velit eo tenore, id est intentione (secundum Innoc. & Host.) sibi velamen imposuisse, ut deponere posset.) & fusius ostensum est supra in ult. not. Unde hanc conditionem nullus requisivit ex Antiquis, & Classicis Canonistis.

Quinta conditio est, ut sit ætatis legitimæ ad profitendum, id est, ut pubertatem excesserit de jure communi, & ex Concilio Trid. sit major annorum sexdecim, ut scripsi plenè in c. 1. n. 4. & 10. supra eod. Et hanc conditionem in specie exigunt Jo. Andr. & reliqui post eum in conclusione superius firmata nu. 20. in illis verbis, et ætas sit apta. Et quod dictum est de ætate, intelligas de omnibus aliis conditionibus ad professionem expressam requisitis. Si enim illarum defectus vitiat professionem expressam, multo magis tacitamque conjecturalis est præsumptionibus nititur, cap. 1. ibi, Professionem fecisse videtur: nec non ibi, Præsumatur veraciter esse professus; infra eod. lib. 6. & patet ex argumento Jo. Andr. de quo supra n. 28 & ponderat Nauarr. cons. 26. n. 35. hoc tit.

31 Sexta conditio est, ut hujusmodi actus faciat scientibus, & consentientibus iis, quorum est religioni incorporare: nam quemadmodum professio expressa fieri non potest nisi in manibus potestatem habentis eam recipiendi, & corpori Ordinis aggregandi, cap. Porrectum, & ibi dixi in ultimo notab. & cap. Ad Apostolicam, infra eod. ita nec tacita; & propterea hanc conditionem requirunt Abb. hic n. 5. Cardin in d. c. Porrectum, in fin. Rosella in ver. Novitius, n. 18. Angel. in eod. ver. n. 13, Nauarr. Comm. 4. de Regular. n. 73. & 74. & ut verbis utar Sylvestri in verbo Religio, 3. quæst. 19.

Hæc est opinio communis, & vera, licet Geminianus chimærizet in cap. Constitutionem, de regul. lib. 6.

Septima conditio est, ut triduò perseveret: antea enim pœnitere potest, cum non sit religioni irrevocabiliter alligatus, argum. c. Ad nostram, infr. eod. & c. Constitutionem, in fin. eod. tit. lib. 6. & ita hoc triduum Jo. Andr. & alii post eum in conclusione superius firmata, n. 20. & præsertim Abbas hic n. 7.
32 vers. Quarto. Neq; obstat quod in hoc c. Nulla fiat mentio tridui. Quoniam ut considerat Butr. n. 11. hic concurrebant duo, videlicet assumptio habitus professionis, & oblatio inter velatas, quæ ex consuetudine monasterii erat actus à solis professis fieri solitus. Unde non mirum si professio statim inducebatur sine alia perseverantia tridui: hujusmodi enim perseverantia requiritur de jure communi in duobus casibus dumtaxat. Primus est cum novitius sine probatione recipit habitum professorum, prout loquitur textus in d. cap. Ad nostram, ibi, (Habitum ipsum sine probatione susceperit, & infra triduum deposuerit.) Et d. c. Constitutionem, in fin. Secundus est cum novitius similiter infra probationis annum non recepto professionis habitu facit actum à solis professis fieri solitum, juxta conclusionem Joan. Andr. &
33 communem, de qua supra nu. 20. At verò ubi Novitius non solum recipit habitum, qui dari profitentibus consuevit, sed etiam ingerit se actibus professorum, tunc illico fit professus irrevocabiliter, nec datur ei triduum ad pœnitendum, quod nota pro intellectu hujus Decretalis, qui placet etiam Abbati num. 7. & mihi. Tum quia congruit litteræ; tum quia actus profitentium in eo, qui recipit habitum professionis non debet minus operari, quam perseverantia tridui; tum denique quia duo vincula magis stringunt, quàm unum, l. fin. C. de adopt. & c. 1. de tregua & pace. Et geminatus consensus ostendit magis enixam deliberationem profiteri volentis, ex regula l. Balista, ff. Ad Trebellian. quam pluribus exemplis exornat Felin. in c. Si cautio, num. 39. supra de fid. instrum. Jason. in §. Personam, num. 48. instit. de act. & Marsil. in l. 1. §. Quæstionis, col. 2. ff. de quæst. & singular. 378. incipien. Geminat actus.

34 Hinc videmus propter majorem deliberationem in tribus casibus non requiri perseverantiam tridui. Primus est in eo, qui infra añum probationis profitetur expresse: nam jura, quæ mentionem hujus tridui faciunt, loquuntur tantummodo in professione tacita, & præsumpta, & quamvis Iñoc. contrarium senserit in cap. Ad nostram, nu. 2. & 3. infra eod. tamen eum jure optimo refellunt Doctores, & præsertim Abbas ibidem num. 4. Se-
35 cundus est in eo, qui in ægritudine positus sine probatione suscipit habitum professorum, præsumitur enim magis deliberatè fecisse; ideoque statim obligatur, ut cap. Sicut nobis, infra eod. tit. & tenent in dict. c. Ad nostram, Joan. Andr. num. 2.
36 Butr. in fin. Tertius est in eo, qui prius vovet ingredi religionem, & postea ingressus incontinenti habitum professorum assumpsit: nam propter geminatum consensum & hic præsumitur deliberatus, ad hoc cap. Meminimus, infr. Qui clerici, vel vov. & cap. Ex parte, il primo de convers. conjug. & ideo statim fit professus irrevocabiliter, secundum Jo. Andr. & Butr. loco cit. Et quamvis hos duos casus posteriores in dubium revocent Abb. in d.

cap.

c. Ad nostram, n. 5. & Rosella in ver. Novitius, num. 15. & aperté reprobent Francus in c. Constitutionem, in fin. infra eod. lib. 6. Angel. Sylvest. & alii, quos refert, & sequitur Sanchez in Decalogo, tom. 2. lib. 5. c. 3. n. 26. tum quia in infirmitate minor est deliberatio, l. Hac consultissima, §. Ex vult. C. de testamen. ubi dicitur, Humana fragilitas mortis præcipuè cogitatione perturbata minus memoria potest res plures consequi, tum quia jura præallegata in d. c. Ad nostram, & c. Constitutionem, exigunt indistinctè perseverantiam tridui: tamen magis placet opinio Jo. Andr. quia negari non potest, quin ægritudine laborantes fixius, & profundius mentem figant in his, quæ pertinent ad salutem animæ arg. d. c. Sicut nobis, & c. Porrectum, infra eod. Quinimo, ut inquit Sylvester in ver. Scrupulus, in 3. q. in 3. vers. Quarto obsistit, positus in mortis articulo multa facit & cogitat, quæ si fieri expediret in tota vita, cogerent infatuari, & desperare. Nec obstat quod jura requirentia perseverantiam tridui indistinctè loquuntur; quoniam distingui debent per alia jura specialia, quæ illam non requirunt in eo, qui in infirmitate suscipit habitum professorum, ut d. c. Sicut nobis, infr. eod. Item per illa jura, quæ triduum non requirunt quando ex actibus, & consensibus geminatis resultat enixa voluntas profitendi, ut hic, & in præallegat. cap. Meminimus, & c.
37 Ex parte. Quamobrem concludendo, quamvis novitius, qui hodie recepit habitum professionis, infra triduum pœnitere possit; tamen si cras faciat actum à solis professis fieri solitum incontinenti fit professus irrevocabiliter, ita ut nec infra triduum sit locus pœnitentiæ: nam qui duplicat magis firmat, l. unica ad fin. C. de plus pet. & est optimum argumentum in l. Si mulier, §. Sin autem, C. ad Velleian. & in casu huic valde affini notat Host. in c. Consulti, n. 8. infra eod. Et secundum hanc lecturam textus intelligi debet de velo professionis, non autem de velo probationis. Cui quidem lecturæ subscribunt etiam complures ex Summistis, nempe Rosella in ver. Novitius, num. 16. Angel. in eod. ver. n. 12. & ibi Tabiena q. 5. n. 6. & Armilla n. 7. & Sylvest. in ver. Religio 3. q. 19. vers. Primo ergo.

38 Verum hodie est ferè inutilis hæc disceptatio; quia cum de jure communi tridui perseverantia non requiratur nisi quando novitius suscipit habitum professionis, vel facit actus professorum infra añum probationis, ut declarat gloss. ult. in d. c. Constitutionem, infr. eod. lib. 6. & jure novissimo Concilii Tridentini nulla professio sive expressa, sive tacita sit valida ante añum probationis elapsum, ut mox patebit in ultima conditione: Hoc triduum jam recessit ab Aula; quia loco tridui jam novitius habet unius anni spatium ad deliberandum, ut plenius notavi in c. Ad nostram, num. 4. & seqq. infra eod.

Et ex hoc puto notabiliter inferri posse ut si daretur casus, in quo profiteri quis posset infra annum probationis, puta ex dispensatione Apostolica, vel in Mulieribus, quæ Pœnitentes, seu Convertitæ appellantur, in quibus jus commune, & illarum Constitutiones servari debent, ut in decreto Concilii Tridentini, c. 18. vers. Ab his tamen excipiuntur, sess. 25. de regular. Et censuit Sac. Congregatio. Tunc si quis post ingressum in monasterium confestim assumeret habitum, qui dari profitentibus consuevit, aut immisceret se actibus professorum, non obligaretur efficaciter,

nisi data perseverantia tridui: nam qualibet dispositio simpliciter concepta vestitur à jure communi, & ad illius intellectum est redigenda, ut l. 2. C. de vexal. cap. Quemadmodum, de jurejurand. cum concordantibus, de quibus per Anchar. cons. 6. n. 8. & cons. 241. in princip. notat Bart. in l. 1. §. 1. per illum tex. ff. de muner. & honor. latè Jas. in l. Omnes populi, in 2. lect. n. 60. ff. de just. & jur. Quod magnam sapit æquitatem, ne quis perpetuo Religionis jugo mancipetur indeliberate, & præcipitanter ex solo consensu tacito, & præsumpto, arg. d. c. Ad nostram, ibi, statim pœnituit quod habitum induisset. & c. Ad Apostolicam, infra eod. cum suis concordan. & servandum esset in practica, nisi secus in litteris Apostolicis, aut Constitutionibus monasterii expresse cautum esset quod diligenter nota.

39 Ultima conditio est, ut novitius, qui se ingerit actibus professorum, per añum integrum post susceptum habitum in probatione steterit, alioquin non intelligitur tacitè professus, cum ex decreto Concilii Tridentini c. 15. sess. 25. de regular. irrita sit professio antea facta; & consequenter nec tacita induci possit, ut sæpius censuit S. Congregatio ejusdem Concilii Interpret. Unde hæc decretalis, & jura omnia, quæ tacitam professionem inducunt infra tempus probationis, jam sunt penitus abrogata per d. c. 15. ut latius dixi in c. Porrectum, n. 15. infra eod.

Non obstat si dicatur. Novitius, qui in legitima constitutus ætate habitum religionis portaverit, de jure communi eo ipso efficitur professus, ut c. 1. infra eod. lib. 6. & Clem. Eos, eod. tit. At ex Concilio Tridentino in cap. 16. vers. Finito, ejusdem sess. præcipitur Superioribus ut finito probationis tempore novitios habiles ad profitendum admittant, aut è monasterio ejiciant. Ergo novitii per delationem habitus añalem non fiunt amplius tacitè professi; alias ejici non possent; nam etsi essent ejecti, forent ad religionem revocandi, & reducendi, ut in c. fin. infra eod. & consequenter professio tacita videtur sublata à Concilio.

Id tamen non obstat; quia in quinque casibus potest contingere ut ex gestatione habitus annalis non inducatur professio tacita, quos fusè explicavimus in c. Qui ingredientibus, à n. 44. usque in finem, supra de testam. quorum unus admodum frequens est cum novitius gestat habitum in colore, & scissura distinctum ab habitu professorum, ut ibi dixi in ultimo casu. Unde in hoc, & in aliis casibus ibi enumeratis adimpleri poterit à Prælatis regularibus mandatum Concilii de novitiis ad professionem admittendis, aut expellendis è monasterio, & sic professio tacita dummodo annus probationis præcedat, hodie est in suo robore, & frequenter contingit ut re ipsa experti sumus in Congregationibus tum Concilii Trident. tum Episcoporum, & regular. quarum à secretis fuimus años supra viginti, licet Sanchez in Decalogo tom. 2. lib. 5. c. 3. n. 13. cautè scriptum reliquerit; Rarissime post Tridentinum contingere sic validè profiteri.

DE REGVLARIBVS.

Cap. Non est vobis.

SVMMARIVM.

1 Cistercienses si absque licentia Abbatis alium ordinem profitetur, regredi compellitur.
2 Prælati provinciæ, seu regni universitatem constituunt.
3 Natio qualibet Concilio Generali constituit universitatem, & valent gesta à maiori parte nationum.
4 Et nationes omnes constituunt universitatem universalem totius ecclesiæ.
5 Universitas quandoque resolvitur in singulares personas.
6 Conversi non veniunt Monachorum appellatione.
7 Profitentur tamen eandem regulam, & eorum educatio non prætermittenda.
8 Conversi novitij dormitorium habere debent separatum à novitiatu clericorum, sed tamen subsunt novitiorum magistro, & superioribus monasteriorum.
9 Ad professionem non admittuntur ante expletum vigesimumprimum ætatis annum.
10 Conversi ad clericorum statum etiam durante anno probationis transire non possunt.
11 Conversi, & oblati magis adstricti sunt monasterio, quam monachi, & ideo transire non possunt ad arctiorem Religionem licentia petita, nisi etiam sit obtenta.
12 Contrarium quoad conversos professos, & n. seqq.
Et quoad Conversos non professos, seu oblatos, num. 16. usque ad num. 22.
13 De conversis iudicatur ut de Monachis.
14 Spiritus ubi vult spirat, nec est in hominis potestate prohibere spiritum.
15 In voto, & iuramento semper intelligitur excepta superioris auctoritas.
16 Monachi censentur esse in potestate monasterij, & Abbatis, & non habent velle, neq; nolle.
17 Oblati sunt sui iuris, proprium habent, & matrimonium contrahunt.
18 Oblati censentur ecclesiæ, vel monasterio se obtulisse sub tacita conditione, nisi ad arctiorem regulam transire voluerint.
19 Iuramento obligatus ad aliquid scribendum, non prohibetur ingredi religionem.
20 Oblatus qui se, & sua bona obtulit ecclesiæ sæculari, potest bona illa secum ad aliam ecclesiam, vel monasterium transferre.
21 Cistercienses ut transire possint ad strictiorem ordinem, non sufficit licentia Abbatis petita, nisi etiam sit obtenta, & num. 25. & 30.
22 Cisterciensium ordo est strictior ceteris ordinibus, & num. 24.
Contrarium, num. 25.
23 Locum qui mutat, de minori ad maiorem mutare debet.
26 Monachus, vel Conversus transiens ad aliam Religionem sine licentia Abbatis per censuram ecclesiasticam regredi compellitur.
27 Celeriter adverbium quid importet?
28 Cisterciensis transiens ad Carthusiam non petita sui Abbatis licentia an sit ante omnia restituendus primo monasterio, & num. seqq. usque ad fin. maximè à num. 35.
29 Transitus ad arctiorem Religionem ut sit licitus, quæ requirantur.
31 Religio una ut sit strictior altera, non attenditur tempus institutionis Regulæ, sed actualis observantia tempore transitus.
32 Carthusiana religio est alijs Religionibus strictior.
33 Monachus translatus pendente lite super temerario transitu debet remanere in monasterio, in quo reperitur.
34 Termini habiles præsupponuntur, cùm de una re disputatur.
36 Monachus quas ob causas de secunda Religione, ad quam transivit non petita licentia cogatur ad primam regredi.

1 NON EST VOBIS. Si Cisterciensis sine licentia Abbatis alium ordinem profitetur, ingredi compellitur. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Cardin. Anchar. & Jo. de Anan. Dividitur in tres partes. Nam primò ponit decisum exordium, secundò mandatum, ibi, *& Si qui*, Jo. Andr.

2 Nota primò ibi, *universitati vestræ*, juncta suprascriptione Prælatos provinciæ, seu regni universitatem constituere, prout ex hac littera deducunt Butr. & Abb. *in 1. notab.* qui ex hoc inferunt
3 nationes, quæ congregantur in Concilio Generali, ut quælibet natio dicatur constituere universitatem; itaut adinstar universitatis valeat quic-
4 quid major pars nationis facit: omnes tamen nationes simul junctæ constituunt universitatem universalem totius Ecclesiæ, ut in simili notat Bart. in l. *fin. ff. de colleg. illicit.* Hinc videmus Prælatos unius provinciæ simul congregari, & constituere provinciale Concilium, ut in cap. *Sicut olim, infr. de accusat.* In casu tamen hujus Decretalis universitas resolvitur in singularitates, quia quilibet Episcopus tenetur exequi mandatum Papæ in sua diœcesi, ut innuit littera ibi, *Per Episcopatus vestros*, ad hoc quod notat glos. 1. in cap. *Omnes leges, prima distinct.*

6 Secundò, nota ibi, *Monachos, & Conversos*, Monachorum appellatione non comprehendi Conversos, Butr. & Abb. *hic in 2. notab.* & præcipuas differentias habes ex decretis Clem. VIII. super receptione, & educatione novitiorum, §. 33. *& seq.* in Bullar. *tom. 3. pag. 132.* innovatis ab Urbano VIII. *tom. 4. pag. 278.* ubi sic legitur: Cum autem licet clericorum bene instituendorum cura debeat esse præcipua, Conversorum tamen religiosa instructio non sit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda; quandoquidem satis exploratum est, illorum etiam cum Regulam profiteantur eandem, perfectam educationem tum Religioni decorem, & ornamentum, tum aliis Christi fidelibus ædificationem, exemplum, atq; utilitatem afferre: Conversis ipsis à clericorum novitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen hac separatione non obstante, magistro novitiorum, seu Superioribus monasteriorum, & conventuum juxta cujusque ordinis statuta, & constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantum circa corporalia obsequia probandi, & exercendi, verum etiam pro eorum capacitate, & commoditate de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod ut commodius fiat, ad Capitula, & spirituales conciones, quæ per magistros novitiis fieri solent, accersiri debeant, & in ecclesiis statutis horis conveniant, nisi tunc in
9 suis officiis occupati fuerint. Tempore verò probationis elapso, ij tantum qui non solum Religiosæ perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti novo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis suæ añum quoad clericos decimumsextum, quo verò ad conversos vigesimumprimum excesserint) ad professionem admit-
10 tantur. Sed qui ad conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire etiam durante tempore probationis non possint. De multiplici autem acceptione Conversorum vide plenè per Calder. *cons. 6. Latius promissi n. 1. vers. Præmitto quod Conversus sumitur multipliciter.*

11 Tertiò nota in iisdem verbis, Indiscretum transitum de una Religione ad aliam esse prohibitum, non tantum Monachis, sed etiam Conversis; adeo enim sunt adstricti monasterio, ubi professionem fecerunt, ut sine licentia Abbatis ejusdem monasterii non possint ad monasteria alterius ordinis convolare, ut in textu. Quinimo isti Conversi sunt magis monasterio addicti, quàm Monachi; adeout propterea quamvis Monachus zelo melioris frugi transire possit ad strictiorem Religionem licentia sui Abbatis petita, licet nõ obtenta, ut in cap. *Licet, infra eod.* Conversus tamen etiam ad arctiorem transire non possit, nisi obtenta licentia quia tales efficiuntur quasi servi monasterii, & liberti non possunt recedere de ecclesia sua, cap. *Liberti, 12. q. 2.* & ita tenet glos. valde notabilis in c. *Ut lex continentiæ, in ver. Professi, vers. Sed numquid talis, 27. q. 1.* & quamvis illa glos. verè loquatur de Conversis ecclesiæ sæcularis, tamen etiam de conversis ecclesiæ Regularis, & sic de professis eam intelligunt, & sequuntur Abb. *hic num. 3.* addentes ad eundem Abbatem in cap. *Licet, in verb. Et adde, infra eod.* Barbatia in cap. *In præsentia, num. 18. de probationib.* Angel. Armilla, & Tabiena omnes *in ver. Monachus, num. 1.* & idem Tabiena *in verb. Religio, q. 27. num. 28.* Sed idem Abb. in cap. *Quod à te, num. 50. de cler. coniugat.* dicit hoc esse valde singulare si est verum; & sic dubitat de illius veritate.

12 Ego verò absolutè existimo contrariam opinionem esse veriorem nedum in Conversis Regularibus, sed etiam in Conversis, seu Oblatis ecclesiæ sæcularis, & puto utrisque licitum esse ad strictiorem vitam transire licentia superioris petita, licet non obtenta.

13 Et quoad conversos Regulares moveor, quia de ipsis judicatur ut de Monachis d. c. *Ut lex continentia.* Ergo sicut Monachis id concessum est, ut in d. c. *Licet, infra eod.* ita & conversis professis, quo argumento in puncto utitur Bero, in cap. *In præsentia, num. 55. vers. Rursus, de probationib.* Deinde moveor quia ratio expressa in d. cap. *Licet*,
14 ob quam permittitur hic transitus, videlicet, quia ubi spiritus Dei, ibi libertas, & qui spiritu Dei aguntur, nõ sunt sub lege, &c. æquè viget in conversis professis atque in Monachis, quia *spiritus ubi vult spirat*, Joannis 3. num. 8. cap. *Nisi cum pridem, §. Verum, supra de renunciat.* *Nec est in hominis potestate prohibere spiritum*, ut dicitur Ecclesiastis *cap. 8. num. 8.* Quod ponderat in puncto Felin. in d. cap. *In præsentia, n. 4. ad fin.* ubi reprobans præallegatam glossam approbat contrariam opinionem Hugonis, & Laurentii dicens eos melius sensisse, quia responderi non potest ad rationem d. cap. *Licet. Qui spiritu Dei, &c.* quæ indistinctè procedit, & idem tenet ibi Bero, *n. 55.* dicens de Monachis, & Conversis scilicet professis non esse dubium, Marc. Mantua *ibidem n. 8.* & quidam alii recentiores, quos refert, & sequitur novissimè Thom. Sanchez. *super Decalogo tom. 2. lib. 6.*
15 *c. 7. n. 9.* Et confirmatur, quia in voto, & in juramento semper intelligitur excepta authoritas superioris, cap. *Venientes, c. Eam te, &c. Ad nostram, il terza de iureiur.* cap. *Constitutus de rescript.* cum similib. Ergo si conversus professus auctoritate sui Abbatis transire potest ad strictiorem regulam, ut hic, nec propterea dicitur venire contra votum suæ professionis, ut in præcitatis juribus, utiq; multò magis transire poterit auctoritate Spiritus Sancti eum inspirantis, cui tanquam Superiori obediendum est, ut inquit Hostien. in d. cap. *Licet, n. 11. & n. 15. in verb. Indulgere, infr. eod.*

16 Quo verò ad conversos non professos, seu oblatos, qui se, & sua Ecclesiæ sæculari, vel monasterio plenè obtulerunt habitu non mutato, aut etiam aliqualiter mutato, ut in cap. *Ut privilegia*, & ibi plene notavi à *n. 1. usque in finem, infra de privilegijs*; moveor, quia si licet Monachis, & Conversis professis se transferre ad arctiorem, qui censentur esse in potestate monasterii, & Abbatis propter illa substantialia regulæ, de quibus in c. *Cum ad monasterium, infra de statu Monach.* & quorum velle, & nolle dependet à voluntate Abbatis, ut cap. *Non dicatis 12. q. 1.* & cap. *Si quis Religiosus,*
17 *de elect. lib. 6.* quanto magis idem licebit Conversis, & oblatis, qui sui juris sunt, & proprium habent, & matrimonium cõtrahere possunt, ut not. gl. in d. c. *Ut lex continentia in verb. Professi, 27. q. 1.* scripsi plenius in d. c. *Ut privilegia*; quo argumento similiter utitur Bero, in d. c. *In præsentia n.*
18 *55. de probat.* Item moveor, quia Oblati censentur se obtulisse sub tacita cõditione resolutiva, nisi ad Religionem trãsire voluerint, & probant Petr. de Palud. *in 4. dist. 38. q. 3. art. 2. n. 15. in fin.* & S. Antonin. *in 2. par. tit. 11. cap. 2. §. 1. in fin.* quos refert, & sequitur Sanchez. *super Decalog. tom. 1. lib. 4. c. 19. nu. 31. & 34.* facit gloss. in c. *Præterea in verb. Functionibus, 51. dist.* ubi quærit, An obligatus ju-
19 ramento ad aliquid scribendum possit converti in monasterium. Dicit Hugo quod sic, nec fit injuria illi, cui servire tenetur, quia intuitu Spiritus Sancti fit sic, 14. *q. 5.* cap. *Dixit*, cum similib. in gloss. allegatis. Idem tenent Innoc. *in rubr. de oblig. ad ratiocin. num. 1.* Hostien. *in summa eod. tit. §. penult. num. 5.* & in cap. *Unico, eod. tit. ad fin.* ubi etiam Jo. Andr. *num. 15.* Butr. *eod. num.* Cardin. *ad fin.* Anchar. *n. 2.* & Abb. *n. 8.* Speculator *in tit. de stat. Monach. §. Qualiter concipiet, q. 28. num. 34.*
20 Demum moveor, quia si se, & sua bona obtulit Ecclesiæ sæculari, res illas, quas obtulit secum ad aliam Ecclesiam, seu monasterium transferre potest, ut est text. in cap. *Ex transmissa*, ubi hoc tenent Butr. Imol. & Abb. *supra de renunciat.* Cardinal. Imol. Abbas, & DD. in cap. *Quod à te, de cleric. coniugat.* quos refert, & sequitur Couarr. in *c. 1. n. 19. de testamen.*

Nec obstat præcitata gloss. in cap. *Ut lex continentia*, quia loquitur ex aliorum sententia: nam

 quæ-

quærens numquid Conversus Ecclesiæ sæcularis possit transire ad strictiorem vitam, simpliciter dixit, quosdam tenere quod non; & tamen eidem glossæ opponit Archidiaconum, qui *circa fin. in gloss. in verb. Vitam*; dicit quosdam tenere quod sic: & inter hos numerat Hugonem, & Laurentium, & idipsum refert ibi Bellamer. *in eadem gloss.* & pro eadem opinione sunt Felin. Bero. & Mant. *in loco citato, num.* 14. & à fortiori Butr. Imol. & alii proximè allegati. Nec obstat text. citatus in gl. cap. *Liberti*, 12. q. 2. quia loquitur in alio casu, hoc est de liberto ipsius Ecclesiæ, in quo habet jus patronatus; & ideo ex diversis non fit illatio, ut observat Bero. *loco cit.*

21 Quartò nota ibi, *Cisterciensis Ordinis*; Monachis Cisterciensibus non dari transitum ad alias Religiones sine licentia Abbatum suorum: & sic non sufficit licentia petita, nisi etiam sit obtenta, secundum Host. *hic in princ.* Unde videtur obstare Decretalis *Licet, infra eodem*, ubi permittitur
22 transitus ad arctiorem Religionem, licentia petita, licet non obtenta. Timore huius contrarij gl. 1. dat duas solutiones, prima est quod Cistercienses propterea transire non possint ad ullam
23 aliam Religionem, quia Ordo Cisterciensium est strictior cæteris Ordinibus; & qui locum mutat, de minori ad majorem mutare debet, cap. *Legimus, in fin.* 93. *dist.* cap. *Licet*, & cap. *Primo, supra de translation.* Et cum hic dicitur Cistercienses transire non posse sine licentia Abbatum suorum, gl. supplet, maximè, quia nec Abbas posset dispensare, ut ad minorem transiret, & ita sensus gl. est Cistercienses etiam cum licentia Abbatum suorum transire non possent ad alias Religiones, sed maximè sine licentia, quia in Ecclesia non est dare alium Ordinem majoris, vel æqualis Religionis; & ideo si daretur eis transitus, per necesse daretur ad minorem, ad quod non sufficit licentia Abba-
24 tis Similiter Abb. Antiquus *hic num.* 1. sic ait. (Dicunt quidam, quod Cisterciensium Ordo inter omnes alios strictior judicatur, & ideo cum post professionem nullus debeat nisi ad strictiorem Regulam transire, ut notatur *inf. eod. cap. Super eo.* Unde prohibet hic Prælatis, ut post professionem factam Monachos, vel Conversos eorum non admittant; Nota igitur quod facta professione non est licitum nisi ad strictiorem regulam transire, & hic est casus.) Hæc ille. Sed & Host. *hic in princ.* postquam dixit hoc casu requiri licentiam Abbatis petitam, & obtentam, immediatè assignat rationem, dicens quia secundum omnes non invenitur ordo majoris Religionis; & idem prius dixerunt Od. & Goffr. relati à Jo. Andr. *num.* 3.

Secunda solutio glossæ est quod hic agitur de transitu ad æqualem Religionem, ad quam Cisterciensi potest transire de licentia Abbatis justa de causa.

25 Tu verò dicas secundum Host. *num.* 2. hic prohiberi transitum Cisterciensibus sine licentia Abbatis, non quia ille ordo strictior: Imo enim reperiuntur ordines majoris Religionis, ut Carthusienses, & alii, quos, ut ipse ait, nō expedit nominare, sed quia Cisterciensibus obstat privilegium eorum Ordini à Sede Apostolica concessum, ut notat idem Host. in d. cap. *Licet, in princ. in vers. Transire*, & ibi etiam Jo. Andr. *num.* 2. *in eodem versic.* Alias autem cessante privilegio sufficeret licentiam petere, ut in prædicta Decretali *Licet* secundum Host. & hunc puto esse verum, & germanum intellectum huius textus. Præsertim verò, quia tempore Alexandri III. authoris huius Decretalis Cisterciensium Ordo usq; adeò à primævis institutis deflexerat, ut idem Alex. in cap. *Recolentes, infra de stat. Monach.* scribens Abbatibus, & conventibus Cisterciensis Ordinis dicat: (Dolentes dicimus, quod etsi non ab omnibus, neque in omnibus, à plerisque tamen, & in pluribus ab illa sancta institutione dicitur declinatum in tantum, &c. Unde vix esse potest, ut Alex. in hoc cap. interdixerit Cisterciensibus transitum ad alias Religiones eo quod tunc non reperiretur Ordo strictior. Quoniam ad hoc ut una Religio dicatur strictior altera, non attenditur an habeat arctiorem regulam, sed an tempore transitus ibi arctior vita ducatur, ut est text. in cap. *Sanè*, & ibi Innocent. *in princip.* & cæteri notant *infra eod.* S. Thom. *in* 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. *in corpor.* & scripsi plenius in d. cap. *Licet, num.* 20. *&* 21. *infra eodem.*

An autem Abbas possit dispensare, ut Monachus transire possit ad æqualem, vel minorem Religionem, examinavi in cap. *Dilecti, supra de renunciat.* ubi plenè videas.

26 Ultimò nota ibi, *eos regredi compellatis* Monachum, vel Conversum, qui ad aliam Religionem transivit sine licentia sui Prælati in eo casu, in quo huiusmodi licentia requiritur, cogendum esse celeriter redire ad primam Religionem, scilicet per censuram Ecclesiasticam, secundū Host. *hic in fin*, & Jo. Andr. *n.* 6. *circa fin. in verb. Compellatis*; & dic ce-
27 leriter, idest arbitrio judicis, ex quo celeritas illa à jure non determinatur, c. *De causis, sup. de off. deleg.* l. 1. *in fin. ff. de iure de liber.* secundū gloss. *fin. hic*; (Arbitrium verum ita regulandum erit, ut nec præcipiti festinatione procedatur, nec moratoria cunctatione.) l. *Tutor qui repertorium.* §. *Si Tutor. ff. de administrat. tutor.* Host. *hic num.* 3. & de hoc adverbio, *celeriter*, adde quod notatur in cap. *Patuit supra de locat.* & per Felin. in cap. 2. *n.* 6. *supra de sentent. & re iudicat.*

28 QUÆRO, an Monachus Cisterciensis transiens ad Religionem Carthusiæ non petita sui Abbatis licentia, sit ante omnia restituendus primo monasterio.

29 De jure communi tria requiruntur, ut licitè quis transeat de una ad aliam Religionem. Primò, ut secunda Religio sit strictior quoad actualem observantiam, neque enim sufficit, ut habeat arctiorem Regulam, nisi actu ducatur in ea vita strictior. Secundò, ut transeat non ex temeritate, vel levitate, sed zelo sanctioris vitæ. Secundò, ut petat licentiam transeundi à suo Prælato ex cap. *Licet*, cum ibi notat. per DD. *infra eodem*, gloss. in cap. *Ioannes, in verb. Monasterium, supra eod. tit.* Abb. *cons.* 95. *In præsenti, per tactum lib.* 1. ubi ait hanc esse veram, & indubitatam conclusionem omnium Doctorum; & quamvis multò plura videantur ad hoc desiderari, ut dixi in prædicta Decretali *Licet, à num.* 19. *usque ad num.* 52. tamen illa fere omnia, aut in his tribus implicitè continentur, aut ad horum explicationem aliquo modo conferunt.

30 His tribus concurrentibus non obstat privilegium utriq; Religioni concessum, ne postquā aliquis professus fuerit apud eos, ad alium locum possit ipsis invitis arctioris etiā Religionis transire.

Quoniam hunc habet sensum, ut ex temeritate, seu levitate, aut in jacturam, & injuriam sui Ordinis ad alium transvolare nō liceat, ut expressè legitur in princ. d. c. *Licet.*

31 Pro decisione præsentis controversiæ, Primò videndum esset utra religio sit arctioris observantiæ, inspecto statu præsenti, ut per Innoc. in c. *Sanè in princ. in verb. Nunc de Regular.* Lap. *alleg.* 62. *num.* 6. *vers. Ad secundum.* & *allegat.* 131. *num.* 1. *vers. Item quia*, Cardin. *cons.* 28. *vers. Quidam frater, in*
32 *princ.* & dictum est supra *num.* 27. *&* 29. In qua comparatione testimonia Doctorum communiter asserentium in hoc c. & alibi Ordinem Carthusiæ reputari aliis strictiorem secundum ea, quæ dixi supra *num.* 25. non leve præjudicium afferrent, sed omissa hac discussione.

33 Secundò videndum esset an ex hoc quod probabiliter dubitetur de zelo translati, primæ Religioni restituendus sit: ut ab eius Prælato judicetur, & videtur tenendum comuniter cum DD. in dicto cap. *Licet.* Translatum pendente lite super temerario transitu debere permanere in monasterio, ad quod translatus reperitur, & primum Prælatum nō esse judicem competentem, sed eum ad quem appellaretur, si ille Religiosus gravaretur, Abb. in dict. cap. *Licet, num.* 5. & est de mente Host. Jo. Andr. & aliorum quod videtur intelligendum quando petita fuit licentia à primo prælato, licet non obtenta, juxta terminos d. cap. *Licet*,
34 ut ibi dixi n. 60. Cum enim de una re dubitatur in aliis præsupponuntur termini habiles. l. *Qui testamentum, in princ. ff. de testam.*

35 Tertiò videndum, an is, qui non petita licentia transivit, sit ante omnia primo monasterio restituendus. In quo DD. non conveniunt, quia tex. in cap. *Sanè, infra eod.* in illis verbis, *remanere permittas*, alii interpretantur ex dispensatione, cum glos. in cap. *Mandamus, in verb. Monachus*, 19. *q.* 3. alii ex dispositione juris communis, ut per Innoc. in cap. *Intelleximus, num.* 2. *de ætat. & qualitat.* & in d. cap. *Sanè, in verb. Manere.* Sed placet opinio Abbatis in dict. cap. *Licet, num.* 10. *infra eodem*, & d. *cons.* 95. *num.* 2. Qui ponderat rationem litteræ, ut petenda sit licentia à transeunte, ne bonum obedientiæ contemnere videatur; unde præsumitur contra eum, qui bonum obedientiæ contempsit, ideo restituendus erit, maximè deficiente uno ex tribus requisitis ad licitum transitum, ut supra *num.* 29. præmissum fuit ex eod. cap. *Licet*, de quo etiam videtur tex. in cap. *Ioannes*, cum ibi notat. per glos. & DD. *sup. eod.* & tenet glos. in cap. *Cum singula, in verb. Canonica, de præbend. lib.* 6. ad idem text. cum glos. in cap. *Mandamus*, 19. *q.* 4. Et quamvis glos. in dict. cap. *Licet, in verb. Postulaverit, inf. eodem*, videatur tenere opinionem, quod si non levitatis causa transierit ad strictiorem Religionem non petita licentia, non teneatur redire ad primam, & idem ibi Goffred. tamen Jo. Andr. ibi, Butr. & communiter omnes Doctores, ut testatur Abbas in d. *cons.* 95. *col.* 2. *vers. Licet etiam*, censent transeuntem non petita licentia, etiamsi non ex animi levitate, teneri redire ad primam Religionem, cum non valuerit aliquo modo transitus. Idem tenet ultim. glos. in c. *Intelleximus, de ætat. & qualitat.* & ibi Innoc. Item glos. & Archidiac. in d. cap. *Mandamus*, 19. *q.* 3. Ubi autem requiritur licentia à principio, non sufficit illam petere ex post facto, ut in d. cap. *Licet*, notat Abb.
36 *num.* 11. Atque ita videtur dicendum; tum quia non disceditur à regulis juris; tum quia consulitur æstimationi primi monasterii, quod habet opinionem magnæ observantiæ, & magis ex hoc confovetur concordia citra æmulationem inter utramque Religionem; Tum quia posset res cedere in malum exemplum, & in contemptum obedientiæ, aliis pariter non petita licentia transire ad alium Ordinem volentibus prætextu arctioris Religionis. Nec tanti facienda est ratio circuitus evitandi contemplatione unius personæ privatæ, ut non prævalere debeat Canonum observantia, & publici boni ratio. Quinimo hunc circuitum non esse inutilem pluribus probat Joan. Andr. in dict. cap. *Licet, num.* 11. *vers. Etsi dicas*; tum propter bonum obedientiæ, quia satisfacit juri requirenti, ut petatur licentia, allegat cap. *Ad petitionem, de accusat.* cap. *Quia Regulares, de supplen. neglig. Prælat.* Sicut inordinata electione repulsa, admittitur alia de eodem, cap. *Super eo*, & c. *Innotuit, in fin. de elect.* & cap. *Examinata, de iudic.* Tum quia Monachus reversus mutato proposito posset in primo monasterio remanere, adducit ad hoc tex. in cap. *Tua, de sponsal.* & quod ibi notatur super glos. 1 & eum refert. & sequitur Abb. *in d. cons.* 95. *sub n.* 2. *col.* 2. *vers. Et si dicatur.* Et hic junge quæ in hac ipsa quæst. scripsi in prædicta Decretali *Licet à n.* 52. *usque ad num.* 60. *infra eod.*

Adverte tamen quia Eugenius IV. in constitutione 16. incip. *Regularem vitam, edita* 16. *Kalen. Martii* 1437. in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 284. decrevit, ut nullus Ordinis Cisterciensis professus ad alium quemcumque præterquam Carthusiensium Ordinem, etiam prætextu litterarum majoris Pœnitentiarii absque Abbatis monasterii Cisterciensis licentia speciali causam rationabilem, & urgentem, quare licentia hujusmodi concedi debeat Romano Pontifici expresse, & specificè allegantis, præsumat quomodolibet se trāsferre sub pœna excomunicationis ipso facto incurrenda.

DE REGULARIBUS.

Cap. Ad nostram.

SUMMARIUM.

1 *Professus non dicitur de iure communi, qui sine probatione habitum professorum suscepit, nisi triduo perseverat.*

Sed professus dicitur qui præcedente probatione habitum professorum assumpsit, etiam non data perseverantia triduo, n. 3.

2 *Tridui perseverantia ad professionem tacitam non requiritur quando ingressus præter susceptionem habitus professorum se immiscuit etiam actibus, qui à solis professis fieri consueverunt.*

4 *Professio post Concilium Tridentinum facta ante annum decimumsextum ætatis completum, aut ante exactum probationis annum non valet.*

5 *Professio tacita ante annum decimumsextum, aut non transacto probationis anno sublata est à Concilio Tridentino.*

6 *Professio tacita post Concilium Tridentinum non inducitur per susceptionem habitus professorum non præcedente probatione, etiam data perseverantia*

rantia tridui, quæ in hoc corrigitur hoc decretale, ibid. & num. 6.

7 Professio tacitè censetur, quoties legitima ætate in monasterio ultra annum gestat habitum indistinctum, etiamsi postea triduo non perseveret.

8 Professionem tacitam post annum decimumsextum ætatis, & expletum annum probationis Concilium Tridentinum non sustulit.

9 Dies cœpta in materia professionis non habetur pro completa, sed tempus currit de momento ad momentum, & num. 21. 22. & 23.

10 Professio emissa peracto anno probationis eadem die suscepti habitus, sed ante horas circiter quinque, aut emissa per aliquot horas ante annum decimumsextum expletum an valeat, & num. seqq. usque in fin.

11 Dies cœpta in favorabilibus habetur pro completa.

12 Minor læsus in professione non restituitur.

13 Perfectum moraliter dicitur quod parum distat à perfectione.

14 Annus probationis debet esse completus.

Annus naturalis in quo differat à civili, ibid.

15 Horarum momenta non videntur digna animadversione legislatorum.

16 Annus ex consuetudine civiliter accipitur.

17 Minor non dicitur qui diem supremum agit anni vigesimi.

18 Annus naturalis conficitur diebus 365. & horis fere sex, ex quibus annus bissextilis.

19 Completum dicitur licet supersit aliqua pars illius.

20 Annus ubi incipit, ibi desinit, & resolvitur.

21 Annus unde dictus.

22 Levis omissio non vitiat nisi sit de forma.

23 Decretum irritans importat formam.

24 Professio emissa eadem die, & hora suscepti habitus, quo anno Gregorius XIII. decem dies sustulit à mense Octobris est invalida.

25 Annus bissextilis non dicitur majus spatium, quam annus.

26 Dies additus bissexto necessarius est, ut annus probationis sit completus.

27 Novitius qui à monasterio exiit ut aliam religionem ingrederetur, & in ea duas horas permansit, rediens tenetur incipere novum probationis annum.

28 Novitius professioni proximus acrius tentatur.

29 Minores 25. annis dicuntur quousque ad horam Nativitatis pervenerint.

Ad matrimonium sufficit attigisse ultimum diem anni decimiquarti, secus in matrimonio spirituali, & cur, ibidem.

30 Annus tacitæ professionis quando incipiat, & finiatur.

31 Dies cœpta habetur pro completa prout suadet favor, vel odium ut detur vel finiatur.

32 Annus probationis cur institutus.

33 Favor est tam professi, quam religionis ut annus probationis duret usque ad ultimum momentum.

34 Professio facta ante annum probationis nullam parit obligationem etiam ad religionem in genere.

35 Tempus an currat de momento ad momentum spectanda est forma verborum.

AD NOSTRAM. Minor quatuordecim añis per professionem religioni non obligatur. Idem in majori, qui sine probatione suscepit habitum professorum quem dimisit infra triduum. Hoc dicit. Prima pars factum narrat. Secunda dat judicem, ibi, Quia verò.

1 Nota primò, ita demum professionem probari per susceptionem habitus professorum post annu decimumquartũ expletũ, si præcesserit añus probationis, aliàs non, nisi detur perseverãtia tridui. Major igitur quatuordecim añis, qui sine probatione habitum professorũ suscepit, ex hoc ipso non dicitur professus, nisi triduò perseveret; quia hoc ipso quod infra triduum pœnituit, præsumitur sine deliberatione intrasse, ut dicit hic Abb. Antiq. n. 3.

2 Dixi ex hoc ipso; quia si præter assumptionem habitus hujusmodi ingressus se immiscuisset illis actibus, qui à solis professis fieri consueverunt, non requireretur perseverantia tridui. Et ita procedit text. in cap. Vidua, supra eod. ut ibi plene notavi à n. 32. usque ad n. 39.

3 Qui verò præcedente probatione suscepit habitum professorum, idest in colore, scissura, vel forma pariter distinctum ab habitu Novitiorum juxta text. in clem. Eos, de Regular. hoc ipso est professus, & religioni alligatus, etiam non data perseverantia tridui, ut hic.

4 Sed hodie hæc locum nõ habent, quia decreto Conc. Trident. in c. 15. sess. 25. de Regular. professio facta ante añum decimumsextum completum, & ante exactum añum probationis non valet, nullamque inducit obligationem ad alicujus regulæ, vel ordinis observationem, vel ad alios quos-
5 cumq; effectus. Aut igitur añus probationis non præcessit, & per assumptionem habitus professorum etiam post añum decimumsextum ætatis non inducitur tacita professio etiam data perseverantia tridui, quia Concilium in d. c. 15. sicut sustulit professionem expressam ante añum probationis,
6 ita & tacitam, ut sæpius censuit S. Congreg. Et in hoc corrigitur dispositio hujus decretalis, secundum quam censetur professus qui per susceptionẽ habitus professorum in legitima ætate triduo perseverat, etiam nõ præcedente probatione; aut añus probationis præcessit, & tunc per susceptionem habitus professorum post ætatem legitimam inducitur professio tacita eo ipso, etiam non data perseverantia tridui, ut clarè hic deciditur, & in c. 1. inf. eod. lib. 6. ibi, (vel habitum religionis suscipi-
7 at, qui dari profitentibus consuevit.) Imò hoc casu nõ solum per assumptionem habitus professorum, sed etiam ex continuatione per añum habitus indistincti, idest tam à novitiis, quàm à professis gestari soliti, inducitur tacita professio sine ulla tridui perseverantia, ut probatur in d. Clem. Eos, de Regular. ponderando verbum, hoc ipso, idest confestim, & in ipso temporis momento post annum exactum à die susceptionis habitus indistin-
8 cti. Quam quidem tacitam professionem post annum decimumsextum, & post peractum añum probationis Concilium sustulit ut similiter pluries declaravit S. Congregatio.

9 Secundò nota ibi, consummationem, in materia professionis diem cœptam non haberi pro completa, sed tempus currere de momento ad momentum, ut hic, & in c. Illud, 21. q. 1. & in c. Significatum, inf. eod. & tenet hic glossa secunda Innocen-

tium. l.

n. 5. Host. n. 4. Jo. And. n. 6. in gl. 2. Butr. n. 8. Cardin. n. 2. in 2. oppositione, Anchar. n. 1. & Abb. n. 5. & latius dicam infra n. 21. 22. & 23. Unde infertur, ut vitietur professio si fiat per aliquot horas ante exactum annum decimumsextum ætatis. vel ante añum probationis completum stante decreto Concil. Trid. in c. 15. sess. 25. de Regular. Hunc articulum plenè examino in quæstione sequenti.

10 QUÆRO utrum professio emissa peracto anno probationis eadem die suscepti habitus, sed ante horas circiter quinque, sit valida, necne. Et id ipsum quæritur de professione emissa per aliquot horas ante expletum añum decimumsextum stante decreto Concilii Trid. in d. cap. 15. sess. 25. de Regular.

11 Pro validitate professionis infrascripta præcipuè adduci possunt.

Primò, in his quæ recipiunt favorem alicuius, dies cœpta habetur pro completa, l. Qua ætate, ff. de testam. l. 1. ff. de manumiss. gloss. Bart. & alii in l. 3. §. Minorem, ff. de minor. Canonistæ in c. Si annum, de jud. in 6. glossa in c. Cum in cunctis, in ver. Exegerit, de elect. quæ communiter approbatur, ut testatur ibi Abb. num. 6. Quintil. Mandos. post alios quam plures quos citat in 19. regula Cancell. q. 18. n. 8. Rota decis. 75. n. 41. & seq. par. 2. divers.

12 Quod verò in hac specie versemur in his, quæ favorem respiciunt, patet tum ex parte profitentis, tum religionis. Ex parte profitentis, quia per professionem in viam perfectionis dirigitur, & servit ei, cui servire regnare est, ut inquit Gemin. in c. 1. n. 7. de Regular. in 6. post Jo. Andr. in c. Cum virum, ubi etiam Abb. n. 6. infra eod. Ideoq; minor professus non restituitur tanquam læsus, Specul. in tit. de restit. in integr. in 2. par. §. Qualiter, ver. Sed numquid minor, Archid. in d. c. 1. de Regular. in 6. & DD. in d. c. Cum virum. Quinimò ex professione regulari nõ infertur damnum, sed maximã utilitatem docet D. Thomas quodl. 3. art. 13.

Ex parte verò Religionis versatur favor, quia sua interest sibi conservari subditos, ac filios, quos parit, ac fovit, & summa est ratio, quæ pro religione facit. l. Sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. funer. Sylvest. post alios in ver. Religio, sub n. 5. ubi loquitur in puncto computationis temporis quoad annum probationis.

13 Secundò, præcepta humana moraliter accipiẽda sunt, moraliter autem perfectum dicitur, quod parũ distat à perfectione, Arist. 2. Physic. D. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 3. Sylvest. & Tabiẽ. in ver. Sponsalia. Jo. Andr. in c. Litteras, de spons. impuber.

Tertiò, tempus probationis à Sacris Canonibus indultum est, ut Novitius asperitates monasterii, & monasterium mores Novitii valeat experiri, cap. Ad Apostolicam, infra eod. Mores autem, & asperitatem non probatos integro anni spatio utique Monasterium, & Novitii nullo modo probare poterunt minutissimo illo quinque horarum intervallo; vel certè si probabunt, verisimiliter nihil eo momento poterit accidere quod illos abducat à professione recipienda, vel emittenda.

14 Quartò, decretum Conc. sess. 25. c. 15. de Regul. nihil aliud exigit, quàm añum probationis completum. Añus verò in naturalem, & civilem distinguitur. Naturalis est qui diebus, & horis conficitur, & de momẽtò in momentũ computatur. Civilis, quem etiam vulgarem, seu artificialem appellãt, absolvitur 365. diebus, itaut qui ad initium extremæ diei pervenerit, añum complevisse dicatur, ita probat textus in l. Anniculus, la 2. ff. de verbor. signif. in hæc verba [Anniculus non statim ut natus est, liber est, sed trecentesimo sexagesimo quinto die dicitur, incipiente planè, non exacto die, quia añum civiliter, non ad momenta temporis numeramus.] Et ita hanc distinctionem anni civilis, & naturalis tradunt ibi DD. Brachæus in l. Anniculus, la 1. eod. tit. Jacob. Butrigar. instit. de action. in princ. Bart. in l. Libellorum, nu. 15. ff. de accusat. Archid. Jo. Andr. & Canonistæ in c. Si pro-
15 pter, de rescr. in 6. Textus autem Concilii dum loquitur de anno probationis completo, non videtur intelligendus de anno naturali, sed de civili. Tam parva enim horarum aliquot momenta non satis digna videri possunt animadversione legislatorum, ut inquit Connan. lib. 3. comment. civilis, c. 12. col. 2. & paulo ante (Communi (inquit) loquendi consuetudine inductum est, ut dies non dividantur momentis, sed toti, & integri nume-
16 rentur.) Et hoc ipsum esse de consuetudine ut annus civiliter accipiatur docet gloss. in d. l. Anniculus in ver. Civiliter, & ibi DD. ff. de verbor. signific. ubi Rebuff. in vers. Sequitur, [Dum (inquit) In jure fit mentio de anno, computatur ad 365. dies non per momenta temporum in horas, vel semihoras.] Hanc esse communem consuetudinem loquendi à qua non est recedendum, testatur Brachæus in d. l. Anniculus. Sed & Bald. in c. Cum in cunctis, num. 3. de elect. sic ait. Quæro quot diebus impletur annus? Respondeo 365. diebus de punctis horarum lex non curat. Rursum non potest dici stetisse minori tempore quam per an-
17 num in probatione, ut Concilium exigit, qui supremam diem attigit. sicuti minor non est qui diem supremam agit anni vigesimi, ut inquit ad literam text. in l. 1. ff. de manumiss.

18 Quintò, Concilium non intellexisse de anno naturali ex hoc etiam deprehendi potest, quia annus propriè conficitur ex diebus 365. & horis ferè sex. Quæ quidem sex horæ quatuor annorum spatio integram diem constituunt, unde fit annus bissextilis, ut declarat gl. in c. Quadragesima in ver. Dies de consecr. dist. 5. & in Clem. 1. §. Licet igitur, in ver. Certum diem, de reliq. & vener. Sanct. gl. DD. in d. l. 3. §. Minore. ff. de minor. & in l. Bissextum, ff. de verbor. signif. Archid. in c. Si propter, n. 3. de rescr. in 6. Anton. de Butr. in c. Quærenti, in fine, de off. deleg. Quintil. Mandos. ex sententia Mathematicorum in reg. 20. Cancell. q. 4. n. 8. Unde Cicero de natura Deorum, (Circuitus, inquit, solis orbium V. & LX. & CCC. quarta fere diei parte addita conversionem conficiunt annuam. Si ergo Concilium fuisset loquutum de naturali, planè à die suscepti habitus usque ad professionem emissam deberent intercedere dies 365. & fere sex horæ, & sic novitius, qui exempli gratia Kalendis Junii hora x. habitum suscepisset, deberet profiteri sequentibus Kalendis Junii hora 16. alioquin professio antea facta nullius esset momenti. Quod certè si verũ esset quamplurimæ professiones subverterentur cum in multis Religionibus fieri soleat post annum eadem hora suscepti habitus, vel paulo post. Loquitur ergo Concilium de anno Civili, cuius satis est supremam diem attigisse, ut absolutus censeatur ex supradictis.

Et confirmatur, nam cum aliàs dubitatum esset in S. Cong. Concili, an qui ad Diaconatum pro-

 motus

motus fuerat anno 1566. in quatuor temporibus Quadragesimæ, posset anno 1567. sequenti ad Presbyteratum promoveri, licet lapsus non esset integer annus, quia Pascha anni 1567. celerius advenerat, quam præcedens: S. Congregatio censuit posse, quia judicio Ecclesiæ iste videtur annus integer. Quam Congregationis sententiã Clemens VIII. ad se relatam approbavit.

Ultimò, hanc sententiam omissis recentioribus ante Concilium sequutus est Rebuff. in l. *Anniculus, in 2. vers. Decima professio tacita, ff. de verb. signif.* dum exemplificat dictam l. *Anniculus*, in anno probationis.

Hanc quoq; opinionem si rectè perpendatur, tenet gloss. in Clem. 2. *in ver. Per annum, de Regular.* dum dicit satis esse ut Novitius detulerit habitum per integrum annum licet non excesserit: glossa enim ibi per integrum annum intellexit annum, cujus ultima dies illuxerit, licet non excesserit, quia quando ultimus dies est consumptus, jam excessit annus. Cum ergo gl. constituat ibi differentiam inter añum integrum, & annum qui excessit, oportet dicere primo casu illã fuisse loquutam de año qui supremam diẽ attigit, secundo
19 verò de anno, cujus ultimus dies absolutus est. Aliud enim est complere, aliud excedere, quia etiã id dicitur esse completum, licet supersit aliqua pars illius: ut inquit Phænutius *in tract. de momen. tempora c. 30. num. 2.* & notat gl. in l. *Qua ætate, in ver. Complevit.* Quam ibi sequuntur Bald. Alber. Fulgos. & reliqui interpretes, *ff. de testam.*

Cæterum pro contraria sententia nullitatis professionis videntur magis urgere rationes infrascriptæ.

Primò enim decretum Concilii *c. 15. sess. 25. de Regular.* ad professionis validitatem necessariò requirit, ut Novitius non minori tempore, quam per annum in probatione steterit. Quod etiam ante Concilium statuetas jus commune in Religionibus mendicantium, c. *Non solum*, &c. *Constitutionem, de Regular. in 6.* gl. in Clem. *Eos, in ver. Per annum*, & ibi Cardin. *n. 7. vers. Octavo quæro, eod. tit.* Notatur in c. *Ad Apostolicam, infra eod.* Navarr. *cons. 31. n. 1. de Regular.*

20 Novitius verò, qui ante horas quinque professus est, minori sanè tempore quam per añum steterit in probatione, Quoniam añus ubi incipit ibi desinit, & resolvitur ut inquit Bald. *cons. 458. n. 4. in fin. vol. 1.* gl. & DD. in l. *Ita vulneratus. §. Æstimatio, ff. ad leg. Aquil.* Et qua hora incipit, finitur, Bart. in l. *Libellorum, ff. de accusat.* Unde Varro *lib. 5.*
21 *de lingua latin.* annum ab annulo dictum putat, quod in se ipsum redeat. & Archid. in cap. *Si propter, num. 3. vers. Annus dicitur, de rescript. in 6.* existimat annum dici ab ana, quod est circum, & uonis, quasi circumiens, per text. in c. *Quadragesima, de consecr. dist. 5.* Ergo cum Novitius aliquot horis deficientibus minori tempore quam per annum steterit in probatione; non videtur valida illius professio.

Et eo magis, quia jus commune, à quo Concilium recipit interpretationem passivam, non solum exigit ut Novitius in probatione minori tempore quam per annum, sed etiam requirit, ut añus sit elapsus, ut est tex. in d. cap. *Non solum, de Regular. in 6.* ibi, (Districtius inhibemus ne ante añum probationis elapsum quemquam ad professionem vestri ordinis recipere præsumatis.

Certum est autem añum non posse dici elapsum, nisi ultimum momentum supremæ diei excesserit, ut scribit Phænutius in contrarium allegatus *in tract. de momen. tempor. c. 30. n. 2.*

22 Secundò, levis omissio quamvis regulariter non vitiet actum, l. 1. *fin.* ubi Bart notat, *ff. de ventr. inspic.* Aliud tamen est quando id, quod omittitur est de forma, c. *Cum dilecta*, & ibi Felin. post alios *n. 56. de rescript.* Dec. in c. *De appellationibus, n. 17. de appellat.* Añus autem com-
23 pletus, cum in Concilio adjiciatur decretum irritans, est de forma, ut per Bald. in l. 1. *ff. de libr. & posthum.* Felin. in d. c. *Cum dilecta, nu. 29.* Navarr. *de Regular. cons. 82. n. 3.* Ergo ex omissione horarũ quantũcunq; levi irrita videtur professio.

24 Tertiò, cum año 1582. Greg. XIII. à mense Octobri decem dies sustulisset; Rota in causa Hispalen. professionis, resolvit invalidam esse professionem emissam eadem die, & hora suscepti habitus ab año probationis, licet S. Cong. super hoc alias noluerit respondere. Quæ etiam die 6. Novembris 1592. censuit habendam esse rationem tam in promovendis ad Ordines, quam in admittendis ad professionem illorum decem dierum subtractorum in Calendario Greg. XIII. ita ut addendi sint illi decem dies desecti. Ex quo sequitur ab año 1586. usque ad 1598. & sic per spatium 32. añorum professiones omnes emissæ ab his, qui putabant se complevisse decimum sextũ añum, sint omninò nullæ, deficientibus nimirum decem illis diebus. Concilium enim exigit decimum sextum annum completum *d. c. 15. &*
25 *c. 16. vers. Finito tempore, sess. 25. de Regular.* Et tamen quemadmodum videmus annum bissextilem ex additione diei à Superiore facta non dici majus spatium quam anni, ut l. *Cum bissextus, ff. de*
26 *verb. signif.* etiam ad effectum, de quo agitur. Lessius *de just. & jure lib. 2. c. 41. vers. Hinc sequitur*, ubi dicit diem additum bissexto esse necessarium ad hoc ut annus probationis dicatur completus: ita è converso ex detractione quorumdam dierum Pontificis jussu non videbatur illud spatium posse dici brevius, quam unius anni. Et tamen professiones fuerunt declaratæ irritæ. Ergò multo magis hoc videtur dicendum in casu præsenti.

27 Quartò, S. Cong. consulta à Procuratore Generali Ordinis Minimorum annis superioribus an novitius qui à monasterio ut aliam religionem ingrederetur, abierat, ac duas tantum horas in alio conventu moram traxerat, ac statim deinde facti pœnitens reversus fuerat, teneretur incipere novum annum probationis: respondit teneri ab eo die, quo rediit. Ergò quemadmodum defectus duarum horarum in medio anni reddit irritam professionem ex sententia Sac. Cong. ita etiam videtur eam irritare defectus horarum quinque in fine: æquè enim ad professionis validitatem exigitur ut annus sit completus, atque ut sit continuus Lap. *alleg. 46. n. 6.*

28 Quintò, illis quinque horis moraliter potest cõtingere, ut novitius eos sentiat stimulos, quos nũquam antea expertus sit. Communis enim inimicus eo potissimum tempore, quo novitius est professioni proximus, vires acuit, omnesque nervos intendit ut illum à professione deterreat: arg. c. *Nulli 3. q. 1.* & ibi Turrecr. & docet D. Bonau. in opere quod inscribitur *Speculum disciplinæ ad Novitios part. 1. cap. 2.* Quin etiam Superiores eò strictio-

ctiorem denunciat religionis regulam, quo novitii sunt ad professionem proximiores, ut certiores fiant, an vero zelo, an potius humano aliquo affectu statum religionis delegerint, ut usus quotidianus docet.

29 Sextò in his, in quibus añus expletus exigitur, defectus horæ sæpissimè facit ut annus non censeatur integer. Sic minores 25. añis licet ultimum diem assecuti, dicuntur tamen minores, quousque ad horam nativitatis pervenerint, hic est tex. ad litteram in l. 3. §. *Minore, ff. de minor.* Sic in omnibus temporalibus actionibus nisi totus novissimus dies compleatur, non finit obligationem. Sunt verba text. in l. *In omnibus, ff. de act. & oblig.* & plurimos casus similes cumulat Phænutius *in tract. de momen. c. 36. num. 1.* & Tiraq. *de utroque retract. §. 1. glos. 2.*

Nec refragatur quod in matrimonio satis sit cœptam esse ultimam diem ætatis. Siquidem in his terminis non procedit argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, quia non tantum quis obligatur in illo, sicut in ingressu religionis. Ita in puncto declarat Imola in Clem. 2. *num. 5. post gl. ibi in ver. Ætatem de regular.* & Abb. in cap. *Postulasti. num. 3. infra eod.*

30 Septimò secundum hanc sententiam in terminis tacitæ professionis videtur etiam alias respondisse S. Congr. Concilii ponderando duas declarationes infrascriptas. Nam cum olim dubitatum esset an tacita professio, quæ non est exclusa decreto Concilii inciperet completo decimosexto año; & an statim post dictum tempus emissa censeretur: S. Congregatio censuit tacitam professionem incipere a prima hora post perfectum añum 16. & finire año 17. Alias verò censuit Concilium *c. 15. sess. 25. de regular.* non sustulisse tacitam professionem, quæ inducitur per añum, & diem computandum à die post decimumsextum añum perfectum ejus, qui monasteriũ ingressus est. Quamvis enim hæ duæ decisiones invicem discrepare videantur, tamen non est ita: nam dum in prima decisione dicitur annum tacitæ professionis incipere à prima hora post perfectũ añum decimumsextum, satis innuitur tempus currere de momento ad momentum. Et quamvis adjiciatur professionem finire anno 17. tamen hoc ita intelligi debet ut hic annus sit omninò absolutus, cujus sumatur initium ab hora, & momẽto temporis; neq; enim requiritur ut annus decimusseptimus fuerit transactus cum agatur de professione tacita, quæ à jure inducitur in instanti, & ultimo momento ejusdem anni decimiseptimi, ut inferiùs explicabitur. In secunda verò quia terminus à quo non sumitur ab hora, sed à die post 16. annum & dies termini non computatur in termino; Ideo Sac. Congregatio dixit tacitam professionem induci post annum, & diem, juxta tex. in c. *Puella*, ibi, at si per annum, & diem, 20. q. 2. ut sic non sufficiat supremam diem attigisse, sed oporteat illam esse omninò absolutam, & consummatam. Atque ita ex sententia S. Congregationis dies cœpta in hac materia non habetur pro completa.

31 Octavò tamẽ illa quæstio an tempus computetur de momento ad momentum, & an ultima dies anni cœpta habeatur pro completa, variè fit à DD. agitata, & ob textuum, ac rationum diversitatem valdè ambigua sit, multisque limitationibus, atque ampliationibus implicata; ut videre est apud Tiraq. *de retract. lignag. §. 1. glos. 11. n. 17. cum seqq.* & apud Juristas in l. 1. *ff. de manumiss.* in l. *Si cui, ff. de legat. 1.* & Canonistas in cap. *Cum in cunctis, de elect.* tamen frequentius recepta est opinio glossæ in l. 3. §. *Minorem, ff. de minor.* ut distinguendum sit an in materia, de qua agitur, versetur favor, vel odium, ut dies cœpta pro impleta, vel non adimpleta habeatur prout favor suadet haberi, vel non haberi. Hanc glossæ opinionem sequuntur ibi Bart. & Alberic. qui testatur in hac quæstione semper ad eam glossam recurri solere; explicatque clarissimè diem cœptam non haberi pro completa ubi est favor ut tempus duret, & haberi ubi est favor ut tempus finiatur. Idem tradit glos. in dict. cap. *Cum in cunctis, in ver. Exegerit. de elect.* cum qua transeunt ibi Doctores. & Abb. *num. 6.* testatur communiter eam glossam approbari, & de communi etiam testatur Tiraqu. *d. gloss. 11. num. 44.*

32 Supposita igitur hac sententia quæ receptissima est, illud in casu nostro inspicere oportet, an sit favor, ut tempus protrahatur usque ad ultimum momentum, vel ut quantocyus finiatur. Et quidem favorabile esse ut duret toto novissimo die añi probationis satis clarum esse videtur. Nam hic annus institutus est favore utriusque, id est tam religionis quàm novitii, ut illa probet mores novitii, hic verò austeritatem religionis,
33 cap. *Ad Apostolicam, infra eodem.* At vero favor est novitii, ut hæc deliberandi libertas, seque jugo religionis submittendi, ac alligandi duret usque ad ultimum temporis momentum. Favor etiam est religionis cujus interest prorsus voluntarios habere milites, cap. *Non est, 15. q. 1.* cap. *Præsens, 20. quæst. 3.* quique integro anno de religione consulto deliberantes firmo, proposito illi tandem se devoveant. Ad hoc c. *Monasterii, 19. quæst. 3.* & quod notat Hostien. in dict. cap. *Ad Apostolicam, num. 4. infra eod.* Ut enim habetur in c. *Non solum, eod. tit. in 6.* decet, & expedit ut in hac conscientiæ puritati non desit judicium rationis, ne unde spiritualis profectus quæritur, salutis dispendium subsequatur. Et ex consequenti cum favor in eo versetur, ut latius sit tempus, nec ullum momentum præripiatur novitio; ultima dies cœpta non debet haberi pro completa.

Neque huic fundamento obstat quod summa sit ratio, quæ pro religione facit, l. *Sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. funer.* adeò ut favor esse videatur quem cito religioni alligari. Quia primò respondetur tametsi aliquem esse religiosum summus sit favor, tamen ante quam talis efficiatur, summum esse favorem cum integra plenitudine temporis de religione deliberare.

Quinimmò glossa singularis hic in verb. *Consummationem.* In regulæ, inquit, observatione gravitas est, & labor, & sic odium; & ideò annus completus exigitur, arg. supra, cap. *Quia in insulis.* Quam glossam sequuntur ibi Inno. & Ant. de Butr. Difficilis enim est vitæ mutatio, & cum animæ sit labore, ut dicit text. in hoc casu in Authen. *de Monach. c. 2. §. Sancimus ergo, collat. 1.* & Jo. Andr. *hic num. 2. vers. Et hæc ratio probatur.* Et hæc dura sunt ad portandum homini neophyto, & non assueto, ut Hostien. inquit *in 5.* & sequuntur alii quos retuli supra in *2. notab.* Ad quod confert etiam doctrina Specul. *in 4. lib. tit. de Statu Monach. q. 63.* ubi ait: (Quando dubitatur qua de causa quis

quis intraverit religionem, ante annum præsumitur pro novitio, post annum pro religione. Ob quam rationem Tridentinum Concilium añum probationis, qui de partium consensu remitti poterat juxta cap. *Ad Apostolicam infra eodem*, vetuit posse remitti, voluitque professionem antea factam parere obligationem etiam ad religionem in genere, ut habetur in *cap. 15. sess. 25. de regular.* id scilicet intendens, ut religionis professionem magna præcederet deliberatio: Hanc autem legem pœnalem nullitatis professionis fuisse à Concilio latam in favorem profitentium, nec habendam esse rationem præjudicii monasterii tradit clarè Navarr. post Dec. quem citat in *cons. 31. num. 4. de Regular.*

34 Respondetur secundò, quamvis annus probationis sit institutus favore utriusque, scilicet tam profitentis, quàm religionis recipientis: tamen revera principaliter indultum esse in favorem ingredientis, ut post Archid. tradunt in cap. *Non solum de regular. in 6.* Gemin. 4. Anchar. *in d. notab.* & Franc. *in 3.* & deducitur ex textu d. c. *Non solum*, dum ait añum probationis in subsidium humanæ fragilitatis esse regulariter institutum. Ideoque potius spectandus est favor Novitii, quàm Religionis, ut concludit Hostien. in d. c. *Ad Apostolicam, n. 5. vers. Et est ratio diversitatis*, quam ibi sequuntur Jo. Andr. Cardin. & alii communiter.

35 Tertiò respondetur etsi daremus in hac materia versari ex parte favorem, & ex parte odium, tamen quod servari debet cum in re solus favor versatur, est etiam servandum cum partim versatur odium, & partim favor, & sic casus est mixtus. Ita sentit glos. recepta in dict. cap. *Cum in cunctis. in verb. Exegerit, in fine*, ubi ait, cum in materia versatur utrumque, idest tam odium, quàm favor tempus de momento ad momentum computari, & idem censuit Rota *decis. 75. num. 41. par. 2. diversor.*

Sed quatenus ab hac opinione comuni quæ distinguit inter favorem, & odium discederemus, & sequeremur aliam, quæ habet inspiciendam esse formam verborum, quæ multos habet sectatores, videlicet Abb. Rebuff. Cassan. & alios relatos in *d. decis. 75. n. 33.* tamen etiam secundum hanc opinionem videtur verius diem cœptam hoc casu nõ haberi pro completa. Observandum est enim decretum Concilii, in *d. cap. 15.* per ea verba, nec qui minori tempore quàm per añum à susceptione habitus in probatione steterit, & connotare tempus probationis non à die, sed ab actu susceptionis habitus. Unde intrat communis conclusio ut quotiescunque terminus statuitur ab aliquo actu, non à die actus tempus currat de momento ad momentum, ac proinde quilibet vel minutissimus defectus infringat actum, glos. Jo. Andr. Cardin. Anchar. Abb. & alii plures relati à Tiraq. *de utroque retrac. §. 1. glos. 11. n. 23.* Unde Angel. de Perus. *cons. 404. sub n. 4. vers. finem*: [& generaliter, inquit, addo hanc doctrinam quod ubi decursu temporis inchoando, & terminando, quæritur tempus, incipit à momento actus explicati, & finitur cum pro revolutione temporis dies novissimus ad idem punctum pervenerit] Et in terminis consimilis verba, post susceptum habitum infra annum, & alia hujusmodi operari, ut tempus currat de momento ad momentum, tradit apertè Joan. Andr. in cap. *Cupientes, col. 1. post princ. in ver. Post consensum, de elect. lib. 6.* & sequitur Tiraq. *loco cit. num. 49.*

Ad extremum huic sententiæ ante Concilium videtur adhærere. Philipp. Franc. in c. 1. *sub n. 2.* ibi; (Requiritur ergo quod sit añus consummatus in totum) *de reg. in 6.* & tandem approbat Vitalin. in Clem. 2. *n. 27. de regular.* ubi loquitur in religionibus Mendicantium, in quibus de jure communi requiritur añus probationis completus, ut supra diximus; & sentit non sufficere ad validitatem professionis ut añus probationis sit in fine, sed oportere ut sit completus, adeo ut sequentem annum attigerit.

Neque verò glossa in ultima appositione allegata hujusmodi opinioni adversatur: quia quamvis dicat añum probationis debere esse integrum, sed non requiri ut excesserit; tamen loquitur in professione tacita, quæ cum per lapsum integri añi inducatur ipso jure, & sic in instanti, satis est ut annus sit completus; quia in illo ultimo temporis tacita professio censetur inducta absque eo quod annus sit elapsus. At secus est in professione expressa, quia cum requirat factum hominis, non potest fieri in illo instanti, & momento temporis, quo añus est absolutus. Ideoque necessariò requiritur ut añus sit elapsus, quia si antea fieret, annus nõ esset integer, & completus, ut patebit cuilibet rem accurate consideranti.

Et post Concilium eamdem sententiam simpliciter sequuntur Sanch. *de matrim. lib. 2. dispu. 24. num. 22.* Less. *lib. 2. de iust. & iure, c. 41. n. 7. vers. Quarto annum probationis*, & Ludovic. Miran. qui asserit hanc conclusionem esse veram, & communiter probari à Doctoribus antiquis, & junioribus in *Man. Prælator. c. 22. art. 3. concl. 2.* licet contrarium levibus argumentis tradiderit Rodriqu. *de regular. tom. 3. q. 17. art. 4.*

Nec obstant quæ superius in contrarium adducta sunt.

Ad primum enim satis patet responsio ex ultimo argumento pro opinione negativa vers. *Secundò probatur*.

Ad secundum de præcepto mortali patet similiter responsio ex 2. 5. 6. & ultimo fundamento hujus sententiæ.

Tertium eliditur ex quinto argumento contrario.

Quartum itidem sublatum est ex dictis in ultimo fundamento.

Ad quintum conceditur ad validitatem professionis requiri annum expletum 365. dierum atque horarum ferè sex; sed negatur id esse absurdum.

Atque ex his omnibus videtur posse respondери professionem, ut proponitur, emissam non esse validam.

Hæc controversia bis contigit in S. Congregatione Concilii, & utroque casu Sacr. Congregatio habuit professionem pro invalida; sed ad vitandos in religione motus à decisione abstinuit, nonnullis adhibitis temperamentis.

DE REGULARIBUS.

Cap. Sane.

SUMMARIUM.

1 Canonicus Regularis, si fiat Monachus Religionis arctioris, manet Monachus: si laxioris, redire compellitur.

2 Religio strictior non dicitur quæ à principio suæ fundationis habet strictiorem regulam; sed in qua modò arctior vita ducitur.

3 Regula Canonicorum Regularium est laxior, quam regula Monachorum.

4 Sed per constitutiones potest esse strictior.

5 Fratres Prædicatores, etsi profiteantur Regulam S. Augustini, quæ laxior est, tamen per Constitutiones arctiorem vitam ducunt, quàm Monachi.

6 Et transeundo ad Monachos apostasiam non effugiunt.

7 Religio ut dicatur arctior, non tantum Regula, sed etiam Constitutiones debent attendi.

8 Constitutiones Ordinis tolli possunt per contrarias constitutiones, sed regula per constitutiones tolli non potest.

9 A Religione majori, in qua remissius vivitur, fieri potest transitus ad minorem melius observatam.

10 Quod locum habet si totus Ordo sit collapsus, nec sit spes reformationis; aliàs secus.

11 Regularis qui zelo sanctioris vitæ transivit ad arctiorem Religionem non petita Superioris licentia, permittitur dispensativè in ea remanere, licet de rigore cogendus sit redire ad primam.

12 Religio an sit una tantum, vel plures, & in quo differant, & n. seqq. usque ad num. 24.

13 Religio omnis hoc habet commune, ut quo se totaliter præbeat ad servitium Dei secundum tria essentialia vota, & n. 31. & seq.

14 Religionis status est quoddam exercitium, quo quis exercetur ad perfectionem charitatis, & num. 26. & 56.

15 Religiones diversificantur secundum diversitatem operum, ad quæ ordinantur.

16 Item secundum diversos actus exercitiorum.

17 Religiones etsi conveniant in tribus substantialibus; tamen diversificantur secundum diversos fines ad illa tria substantialia ordinatos, num. 48.

18 Et quatenus aliquæ sint ordinatæ ad eosdem fines tamen dicuntur diversæ propter diversas institutiones, habitus, & denominationes, & n. 20.

19 Clericorum genus habet sub se duas species, idest Clericos seculares, & Religiosos, & appellatione unius istorum non venit alterum.

21 Religio secundum Theologos est una tantum, seu unum genus, licet plures sint species.

22 Religiones omnes conveniunt in summo fine, qui est charitas, & in tribus substantialibus Regulæ, & num. 48. & 56.

Et ideo non differunt nisi per accidens, d. n. 22.

23 Sed contra, & num. 48.

24 Religio quæ dicatur arctior, seu districtior, vel major, & n. seqq. usque ad num. 66.

25 Religio principaliter ordinata est ad opera vitæ contemplativæ, quæ in oratione & studio consistunt, & n. 38.

26 Religiones quædam ordinatæ sunt ad opera vitæ activæ, & aliquæ ad mixta.

27 Et activarum aliarum quidam consistunt in prædicatione, & doctrina, & consiliis animarum, vel in Prædicatoribus, Minoribus, &c.

28 Quidam in militia, ut in Templariis, & Hospitalariis.

29 Quidam ad hospitalitatis, & infirmorum obsequia, ut in Ordine Cruciferorum, & Sancti Antonij Viennen.

30 Religionum aliquæ sunt ordinatæ ad solitudinem, aliquæ ad societatem, quædam habent propria in communi, & quædam non.

31 Religio major, seu perfectior audicatur quæ habet opera contemplativa.

32 An verò quæ habet opera activa.

33 Militares Ordines ordinati sunt ad effusionem sanguinis activam, non autem passivam, licet per accidens etiam passiva evenire possit.

34 Quo casu propter martyrium cæteris Religionibus essent præferendi.

35 Religionum majoritas secundum Theologos attenditur principaliter ex parte finis, secundariò ex parte exercitii.

36 Et quidem si finis Religionum sit idem.

37 Discretio in Religionibus præfertur ieiuniis, vigiliis, & huiusmodi observantiis, & n. 46.

38 Contemplationis opus duplex, oratio, & lectio.

39 Vitæ activæ opus duplex unum derivatur ex contemplationis plenitudine, ut prædicatio, & doctrina.

40 Et hoc præfertur simplici contemplationi.

Aliud totaliter consistit in exteriori occupatione, ut eleemosynas dare, & hospites recipere, &c. quæ sunt minora operibus contemplativis, n. 42.

41 Religiones, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, tenent summum gradum, secundum verò quæ ordinantur ad contemplationem, & num. 50.

43 Militiæ opus dicitur nobilius aliis operibus activis, & cur.

44 In Religionibus ordinatis ad subventionem privatam proximi primum est infirmos recipere, secundum captivos redimere, Tertium hospites recipere, Quartum ad suum victum manibus operari.

45 Ad continentiam convenientius ordinantur maceratio corporis per abstinentiam cibi, quàm per subtractionem vestium.

46 Religiones arctiores non sunt quia arctiores habent observantias, sed quia observantiæ majori discretione ordinatæ sunt ad suum finem, & num. 51. & 55.

47 Vigiliæ, nuditas, & huiusmodi nõ perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt.

48 Religiones omnes conveniunt in communi exercitio circa tria substantialia, sed in observantiis variant.

49 Religionum præeminentia triplex.

50 In trãsitu de una ad aliam Religionem secundum Theologos non attenditur quæ sit asperior, seu durior, sed quæ sit perfectior, seu fructuosior.

Sed contra secundum Canonistas, n. 55. & seqq.

52 Religio Prædicatorum, cum ad prædicandum sit principaliter instituta, aliis est perfectior, & ex omni alia licet ad eam transire.

53 Etiam ex Carthusiensi.

54 Sed è converso ex Ordine Prædicatorum ad alias trans-

transire non licet, nisi in illa foret translatus religio contrariam, n. 57. & 58.

57 *Canonista recedit Theologorum subtilitatibus in transitu de una ad aliam Religionem attendunt solum quæ sit arctior, districtior, durior, vel fortior modum vivendi.*

Et hanc opinionem observat Curia, n. 58.

58 *Carthusianorum transitum ad Prædicatores ponitur tanquam opposita.*

59 *Sed ad Carthusianos datur transitum ex quacunque Religione.*

60 *Et an Minimorum, & Minorum de Observantia, vel Capuccinorum.*

Et quid de Eremo Camaldulensi, n. 62.

61 *Carthusiensium strictior censetur cum abstinentia à carnibus in quocunque casu præponderat aliis Religionum asperitatibus.*

62 *Ad Eremum Camaldulensem ex Indulto Eug. IV. transire licet ex quocunque Ordine, etiam Carthusiensium licentia petita licet non obtenta.*

63 *Et an hodie sit locus hujusmodi indulto, & n. seq.*

64 *Eremitarum Camaldulensium, & Montis Coronæ unionem factam ab Urbano VIII. confirmavit Sanctissimus D. N. Innocentius X.*

65 *Ad Militares Ordines Curia non dat transitum à Religionibus Mendicantium, vel non Mendicantium etiam laxioribus.*

66 *Regularis professus in laxiori Religione an teneatur adimplere votum simplex quod prius emiserat de intrando Religionem arctiorem, & n. seq.*

67 *Votum secundum solemne derogat primo simplici, pro quo tamen venit pœnitentia imponenda.*

68 *Episcopum, qui prius voverat ingredi Religionem, teneri cedere Episcopatui, & votum implere.*

1 SANE. Si Canonicus Regularis efficiatur Monachus, aut Religionis arctioris, & tūc manet Monachus: aut laxioris, & tunc redire compellitur. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Cardin. Anchar. & Jo. de Anan. vel ad idem secūdum Abbatem, Canonicus Regularis potest effici Monachus, si Religio ad quam transit est strictior sua: aliàs secus, sed juxta intellectum, qui verior est, ut dicā infra in 2. *not.* Decretalis hoc intendit. Canonicus Regularis qui zelo sanctioris vitæ transivit ad monasterium Monachorum, non petita sui Superioris licentia, permittitur dispensative in eo remanere, si de præsenti arctior ibi vita ducatur; aliàs redire compellitur. Primò narrat factum quod, secundò distinguendo diffinit. ibi, *idcirco*; & secundum membrum ibi, *alioquin.*

2 Nota primò ibi, *Si locus ubi nunc permanet majoris Religionis existat*, ad validitatem transitus de una ad aliam Religionem non esse attendendum an monasterium, ubi primò quis professionem fecit, à principio suæ fundationis fuerit strictioris Regulæ, quàm monasterium, ad quod fit transitus, sed an secundum monasterium modo sit arctioris, prout ex hac littera deducunt Innoc. *in princ. in verb. Nunc*, Host. *num. 1. in eod. verb.* Jo. Andr. *eod. num. in verb. Ubi nunc*, qui ponderat dictionem, *Nunc*, ac si textus dicat non inspiciendum privilegium fundationis Regulæ utriusque loci, sed satis est, ut nunc sit strictioris illud ad quod transivit, licèt fortè tempore fundationis fuerit laxioris; Et sequuntur Butr. *nu.* 4. Cardin. *in 1. notab.* Anchar. *nu.* 2. Jo. de Anan. *in 1. notab.* & Abb. *num.* 4. qui affirmat multos in hoc decipi advertentes solum ad regulam, utriusque monasterii antiquitus institutam, & non ad modum vivendi de præsenti existentem. Ego ad

3 hoc aliter induco hanc decretalem; nam iste erat Canonicus Regularis, & transivit ad Monachatum, & tamen mandatur inquiri an monasterium, ad quod transivit sit majoris Religionis, vel minoris: hæc autem inquisitio fieri non poterat respectu Regulæ, & primævi instituti, quia Canonici Regulares Regulæ inserviunt laxiori, ut dicit textus in cap. *Quod Dei timorem, infra de stat. Monachor.* Ergo necesse est ut inquisitio facienda esset respectu præsentis observantiæ, & consequenter inspiciendum est an tempore transitus in utroque monasterio strictior, vel laxior vita ducatur, ad hoc c. *Licet*, ibi, Vitam ducere arctiorem; & ibi dixi *nu.* 20. & 21. post Abbatem *in 9. notab. infra*

4 *eod.* Verumtamen, ut dicit Gul. Naso, quamvis Regula Canonicorum Regularium sit laxior, nihilominus possibile est ut per Constitutiones sit strictior, sicut videre est secundum eum in Fra-

5 tribus Prædicatoribus, quia etsi profiteantur Regulam Sancti Augustini laxiorem, quàm sit Regula Sancti Benedicti; tamen Regula est quid minimum respectu aliarum asperitatum, quas induxit Constitutiones Ordinis, quæ usque adeo arctant Prædicatorum vitam, ut asperior dicatur, quàm

6 vita Monachorum. Si ergo transierint ad Monachos, apostasiam nō effugiunt, & cogendi sunt

7 redire ad primum Ordinem, ut hic: & concordant Goffred. & Jo. Andr. *n.* 2. Atque ita non tantum Regula, sed etiam Constitutiones in hoc sunt attendendæ secundum eos, & consentiunt Cardin. *in 2. quæst.* Anchar. *num.* 4. & Abb. *num.* 5. & idem Gardin. in cap. *Ad nostram, num.* 2. & 3. *supra de appel.* ubi etiam Abb. *num.* 6. & Præposit. *n.* 8. Anchar. in Clem. 1. *num.* 4. *in 3. not.* & ibi Imol. *nu.* 9. *de Regular.* Lap. *alleg.* 61. *Quidam Franciscus, alias* 62. *num.* 5. Philipp. Prob. *in addit. ad Monach.*

8 *in cap.* 1. *num.* 20. *infra eodem lib.* 6. Sylvester *in verb. Religio*, 4. *quæst.* 6. Nec refert quod Constitutiones tolli possint per contrarias Constitutiones, ut in *reg.* 1. *de reg. jur.* Regula autem per constitutiones non possit tolli, ut in c. *Sicut, infra eod.* nam, ut respondet Jo. Andr. *d. num.* 3. *vers. Ad id autem*; satis est ut possint non tolli: ad hoc l. *Sufficit, ff. de condit. indeb.* & Clem. *Quia, de supplen. neglig. Prælat.* cum simili. ut per eum vel secundum Abbat. *hic num.* 5. *vers. Dic autem etiam clarius*, Licet Constitutiones tolli possint, tamen satis est, ut de præsenti in primo monasterio stri-

9 ctius vivatur. Itaque sive laxior vita oriatur ex transgressione Regulæ, sive ex inobservantia Constitutionum, à Religione, in qua remissius vivitur potest quis licitè transire ad minorem Religionem melius observatam, secundū D. Thom. *in 22. quæst.* 189. *art.* 8. *in corpor.* Jo. Andr. *hic n.* 3. & Card. *in cons.* 28. *Pro elucidatione.* ubi est casus.

10 Verum hoc notabiliter limitat Jo. Andr. *d. n.* 3. ut locum habeat si totus Ordo sit collapsus, nec subsit spes reformationis, sicut eo tempore contigit in Templariis: aliàs secus. Unde si monasterium verbi gratia Sancti Benedicti sine spe reformationis sit collapsum; nihilominus si plura monasteria ejusdem Ordinis, saltem in patria vel provincia reperiantur non collapsa: tunc minimè licebit ad minorem Religionem transire. Facit cap. *Abbate, in fin. de verb. signif.* Et cum hac limitatione Jo. Andr. transeunt hic Cardin. *in* 3. *q.* Anchar. *num.* 4. & Abb. *num.* 7. Sylvester *in verb. Religio* 4. *in* 2. & 6. *quæst.*

11 Secundò, nota ibi, *in eodem loco cum pura conscientia remanere permittas.* Regularem, qui bono zelo transivit ad arctiorem Religionem, non esse cogendum ad primum Ordinem redire, licèt à Prælato suo transeundi licentiam non petierit; quod satis expressè probatur hic; nam iste Canonicus Regularis fugerat à suo monasterio, ut dicitur in littera, & sic licentiam non postulaverat, ut arguit Host. *hic in princ. in verb. Fugerat.* Non enim placet intellectus Magistri Petri de Sampsone dicentis Papam hic loqui juxta vulgare Lombardorum, qui verb. *Fugere*, usurpant pro *ire*, ut *hic* refert Abb. Antiq. *num.* 1. Et tamen quia cum puritate conscientiæ transivit, non compellitur redire ad primum monasterium, nisi in casu, in quo secundum sit minoris Religionis; & ita per hanc litteram sentit glos. Bernard. *hic*, & in cap. *Licet, in verb. Licentiam postulaverit, infra eodem.* Sed tu dicas Religiosum posse revocari ad suum monasterium, ut tenet glos. Joannis, in c. *Mandamus, in ver. Monachos*, 19. *q.* 3. & latè probavi in d. c. *Licet*, *in* 2. *q. à n.* 52. *usque ad n.* 60. Nec obstat hoc cap. quia in hac parte continet gratiam, & dispensationem, ut innuit verb. *Permittas*, secundum præcitatam glos. & Host. *hic in princ. vers. Vel quod hic dicit*, & *num.* 1. *vers. Vel cum pura conscientia*, & Abb. *num.* 2. *vers. Tamen glos.* & ex hoc intellectu collige in practica, quod etsi de vigore juris transiens de una ad aliam Religionem zelo sanctioris vitæ cogendus sit regredi ad primam, si à Prælato suo transeundi licentiam non petierit: tamen non est inconveniens ut ex æquitate Sedes Apostolica cum eo misericorditer dispenset, ut possit remanere in secunda; si de præsenti in ea strictior vita ducatur, prout Papa hic fecit.

12 QUÆRO an Religio sit una tantum, vel plures sint Religiones, & in quo differant.

Respondeo cum Jo. Andr. *hic n.* 4. cum jus nostrum de Religionibus loquens dicat alteram majorem, vel arctiorem, aut districtioris vitæ, & alteram minorem, vel laxiorem, ut hic, & in cap. *Licet*, & cap. *Consulti, infra eod.* & in cap. *Virgines*, 20. *q.* 4. in cap. *Quod Dei timorem, infra de statu Monachor.* & in cap. *Qui votum, infr. eodem lib.* 6. Hinc patet Religiones esse plures, & non unam tantum, ut in Clem. 1. *de elect.* & in cap. *unic. de*

13 *Relig. Domib. lib.* 6. Nec obstat si dicas non esse ibi differentias per species, sed per accidens, cum omnis Religio hoc habeat commune, ut quis se totaliter præbeat ad serviendum Deo secundum tria principalia, & essentialia vota, de quibus in cap. *Cum ad monasterium, in fin. de statu Monachor.* Quo fit, ut non possit esse diversitas secundum hoc, ut in una Religione quis aliquid sui retineat, & in alia aliud, sicut in statu Episcopali, non est diversitas in specie, sed est unus ubicumque fue-

14 rit, cap. *Legimus*, 93. *dist.* Id inquam non obstat, quoniam ut resp. Jo. Andr. *d. n.* 4. *vers. Fateri*, [Status religionis ex illis tribus essentialibus est perfectius quoddam exercitium, quo quis exercetur ad perfectionem charitatis. Sunt autem diversa charitatis opera, quibus homo vacare potest. Sunt etiam diversi modi exercitiorum; & ideo religio-

15 nes diversificantur dupliciter. Primò enim diversificantur secundum diversitatem operum, ad quæ ordinantur, ut quia una est ordinata ad peregrinos hospitandos, alia ad captivos visitandos, vel redimendos; una ad actus contemplativos, alia ad activos, alias ad mixtos. Secundò, diversificantur secundum diversos actus exercitiorum, ut quia in una castigatur corpus per abstinentiam, in alia per nuditatem, in alia per operationem manuum; major tamen est prima diversitas, quàm secunda, cum

16 finis in unaquaque re sit potissimum. Quamvis ergo tria illa essentialia unicuiq; religioni sint communia: tamen bene compatiuntur religiones fore diversas propter diversas dispositiones, & diver-

18 sos fines ad illa tria essentialia ordinatos. Quinimo, esto aliquæ Religiones sint ordinatæ ad eosdem fines, nihilominus cum diversæ sint institutiones, diversi habitus, diversæ denominationes, dicuntur esse diversæ, & sic loquitur d. Clem. 1. *de elect.* & d. c. *unic. de religios. domib. lib.* 6.] Hæc Jo. Andr. quæ fere ad calamum transtulit ex D. Tho-

19 mam 2. 2. *q.* 188. *art.* 1. Quibus adde Gemin. *cons.* 41. Pro clariori decisione *n.* 1. ubi magistraliter dicit in ecclesia militanti esse unum genus hominum generalissimum, quod principaliter dividitur in duo genera subalterna, clericorum videlicet, & laicorum, c. *Duo sunt genera*, 12. *q.* 1. Genus autem subalternum clericorum habet sub se diversas species, quæ principaliter dividuntur in duas, videlicet in clericos sæculares, & religiosos, & appellatione unius istorum propriè sumpto vocabulo non comprehenditur alterum, ut est text. in cap. *Ex multa, vers. Sicut ergo, infra de voto*, & notat glos. in Clem. *Cupientes*, *in verb. Religiosi*, *de*

20 *præbend.* Item species religiosorum dividitur in alias species, quæ discernuntur ex diversitate professionis, & habitus, ut patet in cap. *Ut lex continentiæ*, 27. *q.* 1. & in Clem. 1. *de elect.* & in Clem. 1. *Eos, de Regular.* cum simil. Quod latius prosequere, ut per eum. Dicit etiam Lapus *allegat.* 130. *Pro dubii num.* 4. secundum opinionem Theolo-

21 gorum unam tantum esse Religionem, quia in omnibus religionibus insunt illa tria substantialia scilicet obedientia, continentia, & carentia proprii. Et sine illis tribus non est religio, ut notatur in cap. 2. *de Ecclesiis ædificand.* ergo una tantum est religio, seu unum genus, licet plures sint

22 species. Similiter Anchar. *cons.* 321. *Præmittenda sunt*, *n.* 1. (Licet, inquit, Religiones diversificentur secundum diversitatem operum, & exercitiorum; tamen omnes in fine conveniunt, scilicet in dilectione Dei, & proximi; ergo in summo fine, qui est charitas, omnes Religiones conveniunt, ut in Extravag. *Ad conditorem*, *vers. Cum enim*, Conveniunt etiam omnes religiones in tribus substantialibus regulæ, de quibus in cap. *Cum ad monasterium de stat. Monach.* Ex quibus potest dici, quod prædictæ diversitates faciunt potius religiones differre in qualitate accidentali, quàm in substantia, sive essentia, arg. l. *Ordo, ff. de publ. indic.* Fateri tamen oportet, quod dicta diversitas accidentium, sive qualitatum inducat diversitatem religionum, ut notatur in Clem. 1. *de elect.*) Hactenus verba Ancharani. Sed tu dicas cum Jo. Andr.

23 religionum differentias esse per species, & nō per accidens, ut dictum est supra *num.* 13. Nec obstat quod ea, quæ in essentialibus, conveniunt, sicut religiones omnes cōveniunt in tribus substantialibus, sine quibus non est aliqua religio, non differant nisi per accidens. Quoniam, ut respondet

S. Tho. in 2.2.q.188.art. 1. ad 2. tria essentialia vota pertinent ad exercitium Religionis, sicut quædam principalia, ad quæ omnia reducuntur. Ad observandum autem unumquodque eorum diversimodè aliquis se disponere potest, puta ad votum continentiæ servandum se disponit aliquis per loci solitudinem, per abstinentiam, & per mutuam societatem, & per multa alia hujusmodi, & secundum hoc patet quod communitas essentialium votorum compatitur diversitatem religionis, tum propter diversas dispositiones, tum etiam propter diversos fines.

24 Secundò QUÆRO, quæ Religio dicatur arctior, seu districtior, vel major.

25 Pro solutione quæstionis præmittendum est Religionem principaliter ordinatam esse ad opera vitæ contemplativæ, quæ in oratione, & studio consistunt, ad quod propriè videtur ordinatus ordo Cisterciensium, & Carthusiensium, licet aliquis ex his secundariò opus manuum, vel hospi-
26 talitatem habeat annexam. Sed multæ Religiones sunt etiam ordinatæ ad opera vitæ activæ, & aliquæ ad mixta, ut dictũ est in præcedenti quæstio-
27 ne. Istorum autem activorum actuum quidam cõsistunt in prædicatione, & doctrina, & animarum consiliis, de quibus quomodo, & quando Religiosis competere possint, planè habetur, 16. quæst. 1. per totam. Exemplum in Prædicatoribus, Minoribus Eremitis Sancti Augustini, Carmelitis,
28 & similibus. Quidam in militia, ut olim Templarii, & nunc Hospitalarii, seu Calatrenses, Sancti Jacobi de Spatha, Sanctæ Mariæ Theutonicorum, & his similes. De qua quidem militia quomodo, & quando bonum publicum, & animarum salutem respiciat, satis habetur in cap. *Noli*, 23. q. 1. & cap.
29 *Fortitudo.* & *per tot. quæst.* 3. & per Jo. Andr. *hic n.* 7. *vers. De corporali.* Aliqui ad hospitalitatis, & infirmorum obsequia, ut Ordo Cruciferorum Sancti
30 Antonii Vienen. Sancti Spiritus in Saxia, Beati Joannis Dei, & Clericorum ministrantium infirmis. Rursus aliquæ Religiones sunt ordinatæ ad solitudinem, aliquæ ad societatem; quædam habent propria in communi, quædam non, ut olim Mendicantes omnes, & hodie Minores Sancti Francisci, ut in decreto Concilii Tridentini, *sess.* 25. *de Regul. cap.* 3.

31 Quibus ita constitutis, in proposita quæstione primo intuitu dicendum videtur illam dici majorem Religionem, quæ habet opera contemplativa; unde *Lucæ* 10. Maria, per quam hæc vita designatur, optimam partem elegisse dicitur, cap. *Nisi cum pridem, ad fin. supr. de renunciat.* Præterea Augustinus consuluit certius esse tenendum, ut c. *Si quis, in fin. de pœnit. dist. ultim.* Sed vita contemplativa proculdubio certior, ac tutior est, ut in d. c. *Nisi.* Ad hoc cap. *primum in fin. de pœnit. distinct.* 5. ergo præeligenda, & appetenda.

32 Sed contra, major Religio videtur illa, quæ habet opera activa, per tex. in c. *Licet, infr. eodem,* ibi, quoniam sicut majus bonum minori bono præponitur, ita cõmunis utilitas speciali utilitati præfertur; & in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio, solicitudo contemplationi, & labor quieti, &c. Sed illa religio est major, & potior, quæ ad majus bonum est ordinata: Ergo religio, quæ ordinatur ad vitam activam, est potior illa, quæ ordinatur ad vitam contemplativam. Præterea omnis Religio ut prædixi ordinatur ad charitatem; At majorem charitatem quis habere non potest quàm ut vitam suam ponat pro amicis suis. *Jo.* 15. dict. cap. *Nisi cum pridem, vers. Quippè, de renunciat.*
33 Ergo Ordines ad id ordinati, quales sunt Ordines militares, qui etiam sunt activi, censeri debent majores.

34 Dici tamen potest ejusmodi Ordines militares esse ordinatos ad effusionem sanguinis activam, non autem passivam, licet etiam passiva per accidens evenire possit: facit cap. *Is qui, de homicid. lib.* 6. secundum Jo. Andr. *hic num.* 8. *vers. Dicã tamen potest*, qui propterea fatetur aliquo casu hos milites martyrium subire posse; & tunc ambigendum non esset, quin aliis Religiosis essent præferendi secundum eum. Unde super illud ad Hebr. 12. *nondum usque ad sanguinem restitistis*, dicit glos. Perfectior in hac vita dilectio nulla est ea, ad quam Sancti Martyres pervenerunt, qui contra peccatum usque ad sanguinem certarunt: certare enim usq; ad sanguinem potest interdum competere Religionibus quæ ad militiam ordinantur, quod expressè docuit S. Thom. *in* 2. 2. *q.* 188. *art.* 6. *ad* 2. juncto arg. contrario.

35 His in utramque partem adductis pro solutione quæstionis, cum Religiones primò diversificentur ex parte finis, secundò ex parte exercitii dicunt Theologi majoritatem, seu excellentiam unius Religionis super aliam principaliter attendi secundum Religionis finem, secundariò autem secundum exercitium: nam comparatio secundũ finem est absoluta, quia finem quærimus propter se. Sed secunda est respectiva, quia exercitium non quæritur propter se, sed propter finem; ex quo sequitur ut illa Religio sit major, quæ ordinata est ad finem absolutè potiorem, vel quia illud est ma-
36 jus bonum, vel quia ordinatur ad plura bona. Ubi verò utriusque Religionis finis sit idem, attenditur secundariò præeminentia, nõ secundum quantitatem exercitii, sed secundum proportionem
37 ejus ad finem intentum. Unde in Collationibus Patrum *col.* 2. *c.* 3. ante med. introducitur sententia Beati Antonii, qui prætulit discretionem, per quam quis omnia moderatur jejuniis, vigiliis, &
38 hujusmodi observantiis. Cum igitur opus contemplationis sit duplex, scilicet oratio, & lectio: si una Religio esset ordinata ad orationem tantum, & alia ad lectionem; utique prima esset major,
39 quia opus orationis nobilius. Cæterum advertendum est opus vitæ activæ esse duplex. Unum est quod derivatur ex contemplationis plenitudine, ut prædicatio, & doctrina. Unde & Gregorius dicit *in* 5. *homil. super Ezech. post med.* quod de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicit psalm. 144. *Memoriam suavitatis tuæ e-*
40 *ructabunt.* Et hoc opus meritò præfertur simplici contemplationi. & sic loquitur cap. *Licet, infra eod.* Sicut enim majus est illuminare, quàm lucere tantum, ita majus est contemplata aliis tradere,
41 quàm solum contemplari. Sic ergo summum gradum in Religionibus tenent quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum.

Secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem. Aliud verò est opus vitæ activæ, quod totaliter consistit ex in exteriori occupatione, sicut eleemosynas dare, hospites recipere, & similia, quæ sunt minora operibus contemplativis, nisi forte in casu necessitatis

tis cap. *Non satis*, & cap. *Pasce fame morientem*,
43 86. *dist.* & quia activum opus militiæ ordinatum est ad publicam utilitatem, videtur esse nobilius. Nam, ut dicitur primo & hic, melius est bonum gentis quàm unius hominis. Facit cap. *Bone, il primo, supra de postulat. prælat.* & propterea dicunt aliqui, quos tacito nomine hic refert Joan. Andr. n. 8. *circa med. vers. Per quod*, Opus militiæ in Religione ordinatum non ad mundanum comodum, sed ad defensionem divini cultus, & publicæ salutis, subsidium Terræ sanctæ, & personarum miserabilium, & patriæ, inter opera activa esse nobilius, & propter id Religionem ad cõmunem esse nobiliorem aliis ordinatis ad alia purè activa; unde de Juda legitur 1. Machabæor. 3. *Prœliabantur prœlium Israel cum lætitia, & dilatavit gloriam populo suo.* & sic pugnavit pro Republica. Item & pro divino cultu. Unde ibi sequitur cum dixisset: Nos pugnabimus pro animabus nostris, & pro legibus
44 nostris. Inter activa verò, quæ respiciunt subventionem privatorum proximorum, videtur esse nobilius, & in primo gradu infirmos recipere, in secundo autem captivos redimere, in tertio hospites recipere, in quarto, ad suum victum manibus operari. Per quæ patet Religiones ad hos actus institutas habere secundum qualitatem activam suas præeminentias. Quod si una ad plura ejusmodi opera sit instituta, alia ad pauciora, prima erit præstantior: Et idem si habeat statuta,
45 quæ magis congruant ad finem propositum. Unde convenientius ordinatur ad continentiam maceratio carnis per abstinentiam cibi, & potus, quæ pertinent ad famem, & sitim, quàm per vestium subtractionem, quæ pertinet ad frigus & nudita-
46 tem. Illa enim, quæ sine discretione fierent, facile adnexum haberent deficiendi periculum, unde, ut ait B. Antonius, non sunt Religiones potiores, quia arctiores habeant observantias, sed quia observantiæ sunt majori discretione ordinatæ ad suum finem, & Abbas Moyses in collationibus Patrum, *in col.* 1. *cap.* 7. *post med.* (Jejunia, (inquit,) vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, & illa instrumentalia deserviunt tribus essentialibus Religionis. Ad paupertatem labor manuum, & mendicitas, quæ victum procurant. Ad continentiam maceratio carnis, ut jejunia, vigiliæ, & hujusmodi. Ad obedientiam oratio, lectio, visitatio infirmorum, & similia. Per hoc removentur obstacula impedientia suum Religionis finem, ut scilicet totaliter tendatur in Deum, & charitatis per-
48 fectionem. In communi ergo exercitio circa illa tria substantialia omnes Religiones conveniunt, sed in observantiis variant, & de quibus una Reli-
49 gio quandoque plus habet, quàm alia.) Ex prædictis collige triplicem Religionis præeminentiam una principaliter, & secundariò attenditur. Secunda principaliter tantum. Tertia secundariò tantum, ut *hic* latè per Jo. Andr. *n.* 8. qui hæc fere omnia hausit ex doctrina D. Thomæ, *in* 2. 2. *q.* 188. *art.* 6. *per totum.*

50 (Ex his ergo concludunt Theologi in transitu de una ad aliam Religionem non esse attendendum, an sit asperior, seu durior, sed solum an sit perfectior, & fructuosior: ad hoc cap. *Licet, infra eodem*, ibi, Ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare. Et infra ibi, Liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere. Et hanc contendunt esse majorem Religionem, de qua loquitur hæc
52 Decretalis. Et hujus sententiæ, licet non ita clarè, videtur esse D. Thomam, *in* 2.2. *qu.* 189. *art.* 8. *in corp.* ibi ait; (Pone aliquem laudabiliter de una Religione transire ad aliam pro perfectionis, in qua non attenditur excellentia secundum solam arctitudinem, sed principaliter secundum id, ad quod Religio ordinatur: secundariò verò secundum discretionem observantiarum debito fine proportionatarum] Et in *quæst. præcedenti art.* 6. *in corp.* & *in responsione ad tertium* similiter ait, arctitudinem observantiarum non esse id, quod præcipuè in Religione commendatur; & ideo non esse potiorem Religionem ex hoc, quod habeat arctiores observantias, sed ex hoc, quod ex majori discretione sunt ejus observantiæ ordinatæ ad finem Religionis: Et hanc doctrinam sequuti sunt Turrecrem. in *c.* 1. *n.* 1. *vers. Primo ad perfectionem* 19. *q.* 3. S. Antonin. in 3. *p. tit.* 16. *cap.* 4. *in princ. vers. Potest tamen*, Sylvest. *in verb. Religio.* 4. *in fine*, ibi, sed tamen adverte, quia nomine Religionis arctioris venit Religio sanctior, & Religio fructuosior. Navarr. *in comm.* 4. *de Regular. n.* 2. & 3. Quinimo Petr. de Palud. *in* 4. *sent. distinct.* 38. *q.* 5. *art.* 1. *n.* 31. (Quia, (inquit,) corporalis exercitatio ad modicum utilis est, nullum autem sacrificium est Deo magis acceptum sicut zelus animarum: quia ad prædicandum fuit Christi Religio essentialiter, & principaliter & nominaliter instituta: Idcirco religio Prædicatorum, quia ad hoc principaliter instituta est, aliis est perfectior, & ex omni alia ad eam licet transire, etiamsi in paupertate, & austeritate alia excellat, quia hæc est perfectio, & Religio Christi etiamsi loculos habeat, quos alia non habeat religio, quæ prædicationem essentialiter non habet annexam, seu accidentaliter post institutionem per auctoritatem sibi commissam per accidens ad hanc perfectionem attingit.) Hæc Petr. quem refert, & sequitur D. Antonin.
53 *d.* 4. §. 4. *in princ.* & cum his concordat Sylvest. *in ver. Religio.* 4. *q.* 6. & Jo. ibidem relatus à D. Antonin. ut ipse ait, cum unicuique ob frugem melioris vitæ ad altiorem statum liceat transire, ut cap. *Duæ sunt*, 19. *q.* 2. & *c. Licet, infr. eod.* non solum Carthusienses, sed cujuscunq; ordinis fratres ad ordinem Prædicatorum possunt transire regulariter ad [illegible] viventem. Et illum esse aliis perfectiorem probat eadem ratione, qua Petr. de Palud. Quinimo, ut refert S. Antonin. *loc. cit.* Monaldus nomine magnus Canonista, & Theologus attestatur se vidisse Parisiis determinationem factam per doctores universitatis ejusdem, quod frater Carthusiæ potest transire ad ordinem Prædicatorum regulariter viventem de jure communi. E conver-
54 so autem, ut inquit S. Antonin. *d.* §. 4. *vers. E converso.* Fratres Prædicatores ad aliorum ordinum observantiam non possunt descendere, nisi in ordine Prædicatorum foret remissa religio: tunc enim liceret transire ad alium ordinẽ arctius viventem cum proposito, & facto arctè vivendi; & non aliàs & ita secundum Theologos non attenditur quæ religio sit asperior, sed quæ sit perfectior.

55 (Sed nos Canonistæ, (ut inquit Jo. Andr. *hic n.* 8. *circa finem*) nõ ponderatis his subtilitatibus tantum solemus advertere ubi sic arctior, districtior, durior, vel fortior modus vivendi, unde Decretalis *Licet, infr. eod. in fin.* dicit, ut apud eos vitam duceret

ret arctiorem, & paulò post princ. dicit, arctioris vitæ prætextu. Ad idem c. *Quia in insulis*, ibi dura
56 est Congregatio, *infra de stat. Monachor.* Atque ita cum omnes religiones sint ordinatæ ad summum finem, qui est charitas, per quam quis conjungitur Deo, ut in Extravag. Joann. XXII. *Ad Conditorem. vers. Cum enim*, & sic finis sit idem: solum ar-
57 ctiorem vivendi modum ponderamus; ideoque si in una Religione sit sola contemplatio cum arctissimo vivendi modo, possibile tamen, & sine deficiendi periculo, non admitteremus transitum ad religionem, in qua esset contemplatio, & actio etiam per prædicationis officium cum laxo, vel minus arcto modo vivendi, quod tamen Theologi admitterent secundum prædicta.] Hactenus verba Joan. Andr. cum quo concordant *hic* Hostie. Borph. *n. 16.* Anton. de Butr. *n. 6.* mordens Theologos, qui volunt omnia scire, & nihil sciunt. Cardin. *n. 19. vers. Tamen secundum Canonistas*, Anch. *nu. 6. vers. Dicit Jo. Andr.* quod Canonistæ Abb. *nu. 8.* & Jo. de Anan. *n. 3. vers. Canonistæ dicunt.* Summa Rosella *in verb. Religio 4. n. 8. in fin.* & Angel. *in verb.*
58 *Religiosus n. 34.* Adde quod opinionem Canonistarum servat curia; non enim permittit transitum à religione in qua strictius, & durius vivitur ad religionem, in qua vivitur laxius, utcunque annexum habeat prædicationis officium; unde si Carthusianus transmigraret ad Prædicatores prætexto ze-
59 li perfectioris vitæ, puniretur tanquam apostata: è converso autem ex quacunque religione datur transitus ad Carthusiam, ut in extravag. *1. de regular.* ubi Martinus IV. statuit ut nullus religiosus ordinum Mendicantium quorumcunque, quavis auctoritate ad religionem nõ Mendicantium audeat convolare, ordine Carthusiensium dumtaxat excepto sub pœna excommunicationis latæ sententiæ
60 Papæ reservatæ: & ex hoc confunditur opinio Passerel. *in privil. minim. cap. 57.* contendentis ex quacunque religione dari transitum ad religionem Minimorum, sed ex illa ad nullam aliam, eo quod sit omnium strictissima ob votum quadragesimalis vitæ, ut dicit Julius II. in ipsorum privil. Item dubia redditur opinio D. Bonav. *in exposit. reg. Minor. c. 2. q. 12. & 13. tom. 1.* Corduba *in eadem reg. c. 2. q. 17. punct. 1.* qui idem affirmant de religione Minor. sed oppositum servatur in practica, nam & Capuccini passim transeunt ad Carthusianos petita licet non obtenta suorum Superiorum licentia. Item ut vidi, obstat exceptio, de qua in prædicta extravag. Martini IV. Quæ quidem exceptio apponi solet in omnibus privilegiis, & indultis Apostolicis interdicentibus transitum ad alias re-
61 ligiones, & meritò, quia licet Carthusiensium religio nõ sit cæteris perfectior ex parte finis, quippe quæ non est instituta ad officium docendi, vel prædicandi, sed ad solam contemplationem secundum ea, quæ dicta sunt supra *n. 41. & 51.* tamen arctissima clausura, ac velut perpetuus carcer, cui sunt addicti Carthusienses, cum abstinentia à carnibus in quocunque casu præponderat omnibus aliis religionum asperitatibus, ut dixi in c. *Ad Apostolicam n. 38. infra eod.* & in c. *Non est voto n. 25. & n. 28. supra eod.* ubi de transitu Cisterciensium ad Car-
62 thusianos, & quia in strictiori clausura perpetuò vivunt etiam Eremitæ Camaldulenses, de quibus mira hic tradunt Jo. Andr. *n. 11.* & Butr. *n. 8.* idcirco Eugen. IV. in Constitutione, quæ incipit *Illaque*, edita 8. Kalen. Novembris 1475. in Bullar. *tom. 1. pag. 274.* indulsit Priori, & Fratribus eremi Camaldulensis, ut omnes, & singulos cujuscunque ordinis existant, & de quibuscunque Congregationibus, domibus, seu monasteriis, sive mendicantium, sive non mendicantium, etiam Carthusiensis ordinis venerint, Superiorum ipsorum licentia petita, licet non obtenta, in prædicta eremo
63 recipere, & retinere possint. Cæterum cum nostris temporibus memorata eremus à rigore primævi instituti plurimum declinaverit, & in transitu de una ad aliam religionem non attendatur primæva institutio, & fundatio regulæ, sed præsens observantia secundum ea, quæ dixi supra *in 1. notab.* fortè non liceret vigore præsentis Indulti ex ordine Carthusiensi ad dictam eremum transvolare, sed
64 quia non ita pridem à san. me. Urbano VIII. facta est unio Eremitarum montis Coronæ cum Eremitis Camaldulensib. sub quibusdam capitulis, de quibus in Brevi expedito sub die 8. Oct. 1634. quæ paulò post fuerunt declarata in alio Brevi 13. Aprilis 1635. & quia hujusmodi unionem novissimè approbavit Sanctissimus Dominus Noster Innocentius X. videtur subesse spes proxima reformationis tam celebris Sanctuarii, ubi S. Pater Romualdus illius fundator primum in occidente vitam eremiticam introduxit, ut in primis litteris Urbani VIII. ac proinde videtur esse locus limitationi Jo. Andr. de qua supra, *n. 10.*

65 Rursus in curia sæpius vidi derogatum transitum ex religionibus etiam laxioribus tam Mendicantium, quam non Mendicantium ad ordines militares, quem tamen concederent Theologi secundum ea, quæ dicta sunt supra *num. 43.* Adhæreas igitur Canonistis.

66 Sed hic QUÆRO An professus in laxiori religione teneatur adimplere votum simplex, quod prius emiserat de intrando religionem arctiorem.

67 Respondeo breviter, non teneri, quia votum solemne, quo quis obligatur minori religioni, est fortius, quàm votum simplex, quo religioni majori astringitur. Post votum enim simplex, si contraheret quis matrimonium, non dirimeretur, sicut post votum solemne; & ideo ille qui jam professus est in minori religione, non tenetur implere votum simplex, quod emisit de intrando religionem majorem. Ita per hanc rationem docet Sanctus Thomas *in 2. 2. q. 189. art. 8. ad 3.* quem refert. & sequitur Turrecrem. *in c. 1. in 4. quæst. n. 4. 19. q. 3.* Potest igitur talis remanere in laxiori, quia per secundum votum solemne derogatum est primo simplici, quod fecerat: tamen pro voto primo non completo erit pœnitentia imponenda, ut c. *Qui post votum. de Regular. lib. 6.* secundum Turrecremat. *supra.* Diversum est in eo, qui novit reli-
68 gionem ingredi, & voto non completo factus est Episcopus; per hoc enim non est solutus voto, imo si suam velit sanare conscientiam, debet cedere, & votum implere, ut est tex. in cap. *Per tuas. infr. de vot.* S. Thom. *d. q. 189. art. 3. ad primum*, & sic nota differentiam inter matrimonium carnale, & matrimonium spirituale, quod contrahitur inter Episcopum, & Ecclesiam, ut in c. *ult. & per tot. supra tr. translation. Episcopi*, nam primum derogat voto simplici de intrando religionem, secundum autem non.

Professus

DE REGULARIBUS.

Cap. Significatum.

SUMMARIUM.

1 *Professus tacitè an censeatur qui ante annum decimumsextum ignorans defectum ætatis expressam professionem emisit, & postea credens suam professionem validam in monasterio per plures annos in habitu regulari absque reclamatione perseveravit, & num. seq. usque in fin.*
2 *Ignorantia præsumptio non prodest nisi allegetur.*
3 *Professio tacita inducitur per delationem annalem habitus indistincti, licet præcesserit expressa irrita, absque eo quod probetur scientia nullitatis professionis expressæ.*
4 *Ignorantia nullitatis professionis expressæ an tacitam professionem excludat.*
5 *Professio tacita necessariò requirit consensum profitentis, & num. 19.*
6 *Actus censetur factus in executionem obligationis præcedentis.*
7 *Errantis, & ignorantis nullus est consensus, & num. 21. & 41.*
8 *Professio expressè emissa ab eo, qui falsò opinabatur se tam esse professum, an valeat, & n. 42.*
9 *Votum denuò factum propter dubium validitatis prioris voti an obliget, & n. 13. & 42.*
Matrimonij confirmatio à principio invalidi an requirat certam notitiam amotionis obstaculi, ibidem, & num. 46.
10 *Matrimonium contractum cum ancilla ignoranter, ea viro ignorante manumissa, non convalescit per copulam subsequentem, & n. 16.*
11 *Actus continuatus censetur unus per relationem ad principium sui temporis.*
12 *Ratihabitio actus invalidi an requirat scientiam nullitatis cum qualitatibus, & voluntatem eam sanandi, & num. 41.*
13 *Approbare, & credere esse validum in quo differant.*
Vovens ante pubertatem, si post pubertatem votum ratificet credens esse validum, an obligetur coram Deo, ibidem, & num. 42.
14 *Ordinatus per metum, si ordinem exerceat ignorans nullitatem, an censeatur ratificare.*
15 *Donatum monasterio ob causam erroneam validitatis professionis potest repeti.*
16 *Falsa causa non obligat profitentem, & num. 29. & seq. & num. 41.*
17 *Præsumptio tacitæ professionis per delationem habitus annalem an admittat probationem in contrarium, & num. 40.*
18 *Ignoranti non currit tempus.*
19 *Professio tacita non requirit consensum expressum, sed sufficit tacitus, & præsumptus.*
20 *Præsumptio taciti consensus ex delatione habitus habet locum etiam cum præcessit expressa professio irrita.*
21 *Ignorantia, & error an, & quando excludant voluntarium, & num. seqq. & num. 41.*
22 *Ignorantia antecedens, & concomitans quæ sit.*
23 *Voluntas non fertur nisi in præcognitum.*
24 *Matrimonium contractum per errorem, an & quando sit nullum, & num. 27.*
25 *Ignorantia an sit antecedens, vel concomitans quibus regulis cognoscatur.*
26 *Matrimonium nulliter contractum, si conjuges validum credentes se commisceant, an, & quando convalescat, & num. 28.*
29 *Actus factus ex causa erronea an, & quando sit nullus, & num. 38.*
30 *Falsa causa obligat religioni ubi constat de intentione profitentis.*
31 *Professus nulliter an præsumatur perseveraturus fuisse in Religione, si nullitatem scivisset.*
32 *Mens, & voluntas declaratur etiam ex actu nulliter gesto.*
Voluntatis mutatio in Monacho non præsumitur nisi probetur, ibidem.
33 *In voluntatis perseverantia dignoscenda magis spectatur initium, quàm factum postea subsecutum.*
34 *Voluntas mutari non potest re non integra, & in præjudicium alterius.*
35 *Errans an præsumatur facturus fuisse si scivisset quando ex actu oritur obligatio, & n. 38.*
36 *Restitutio in integrum minori seducto ad professionem non datur.*
37 *Solutum indebitè repeti non potest quando à pietate causatur error.*
39 *Annus probationis institutus est ut religio probet mores novitij, & novitius austeritatem religionis.*
Præsumptio tacitæ professionis inductæ ex delatione habitus ultra annum est iuris, & de iure, nec admittit probationem in contrarium, ibidem.
43 *Minor quatuordecim annis de iure communi non obligatur religioni nisi factus maior ratum habuerit.*
44 *Professio facta ante annum probationis etiam de iure communi in ordinibus Mendicantium nulla erat.*
45 *Professus allegans se non habuisse animum profitendi non auditur.*
46 *Professio emissa uxore contradicente ea mortua validatur, si vir per momentum temporis steterit in monasterio licet illius mortem ignoraverit.*
47 *Professio nulla convalidatur per solam ratificationem profitentis absque nova acceptatione religionis.*
48 *Monachorum creatio spectat ad Abbatem, & Capitulum.*
49 *Superiores regulares allegantes ignorantiam ætatis novitij non sunt audiendi.*

SIGNIFICATUM. Minor quatuordecim añis profitendo non obligatur religioni, nisi factus major ratum habuerit. Hoc dicit. Sunt duæ partes. Prima ponit consultationem. Secunda responsionem, ibi, *Mandamus*, & hæc distinguit, & secundum membrum prosequitur, ibi, *Si autem.*

Nota primo de jure communi ad validitatem professionis regularis exigi añum ætatis decimũquartum completum. Et in hoc malitia non supplet ætatem, ut perperam putavit Hugo ad exemplum matrimonii carnalis, ut in cap. *De illis, il secundo, de despons. impuber.* Cujus opinio reprobatur in hac decretali, & in cap. *Ad nostram, supra eod.* ubi exigitur añus decimusquartus com-

 ple-

ret arctiorem, & paulò post princ. dicit, arctioris
vitæ prætextu. Ad idem c. *Quia in insulis*, ibi dura
56 est Congregatio, *infra de stat. Monachor.* Atque ita
cum omnes religiones sint ordinatæ ad summum
finem, qui est charitas, per quam quis conjungi-
tur Deo, ut in Extravag. Joann. XXII. *Ad Condito-
rem vers. Cum enim*, & sic finis sit idem: solum ar-
57 ctiorem vivendi modum ponderamus; ideoque si
in una Religione sit sola contemplatio cum arctis-
simo vivendi modo, possibile tamen, & sine defi-
ciendi periculo, non admitteremus transitum ad
religionem, in qua esset contemplatio, & actio e-
tiam per prædicationis officium cum laxo, vel mi-
nus arcto modo vivendi, quod tamen Theologi
admitterent secundum prædicta.] Hactenus ver-
ba Joan. Andr. cum quo concordant *hic* Henric.
Boyth. *n. 16.* Anton. de Butr. *n. 6.* mordens Theo-
logos, qui volunt omnia scire, & nihil sciunt. Car-
din. *n. 19. vers. Tamen secundum Canonistas*, Anch. *nu.
6. vers. Dicit Jo. Andr.* quod Canonistæ Abb. *nu. 8.*
& Jo. de Anan. *n. 3. vers. Canonistæ dicunt.* Summa
Rosella *in verb. Religio 4. n. 8. in fin.* & Angel. *in verb.*
58 *Religiosus n. 34.* Adde quod opinionem Canoni-
starum servat curia; non enim permittit transitum
à religione in qua strictius, & durius vivitur ad re-
ligionem, in qua vivitur laxius, utcunq; annexum
habeat prædicationis officium; unde si Carthu-
sianus transmigraret ad Prædicatores prætexto ze-
59 li perfectioris vitæ, puniretur tanquam apostata: è
converso autem ex quacunque religione datur tran-
situs ad Carthusiam, ut in extravag. 1. *de regular.* ubi
Martinus IV. statuit ut nullus religiosus ordinum
Mendicantium quorumcunque, quavis auctori-
tate ad religionem nō Mendicantium audeat con-
volare, ordine Carthusiensium dumtaxat excep-
to sub pœna excommunicationis latæ sententiæ
60 Papæ reservatæ: & ex hoc confunditur opinio
Passerel. *in privil. minim. cap. 37.* contendentis ex
quacunq; religione dari transitum ad religionem
Minimorum, sed ex illa ad nullam aliam, eo quod
sit omnium arctissima ob votum quadragesimalis
vitæ, ut dicit Julius II. in ipsorum privil. Item du-
bia redditur opinio D. Bonav. *in exposit. reg. Minor.
c. 2. q. 12. & 13. tom. 1.* Corduba *in eadem reg. c. 2.
q. 17. punct. 1.* qui idem affirmant de religione Mi-
nor. sed oppositum servatur in practica, nam &
Capuccini passim transeunt ad Carthusianos pe-
tita licet non obtenta suorum Superiorum licen-
tia. Item ut vidi, obstat exceptio, de qua in præ-
dicta extravag. Martini IV. Quæ quidem exceptio
apponi solet in omnibus privilegiis, & indultis
Apostolicis interdicentibus transitum ad alias re-
61 ligiones, & meritò, quia licèt Carthusiensium re-
ligio nō sit cæteris perfectior ex parte finis, quip-
pe quæ non est instituta ad officium docendi, vel
prædicandi, sed ad solam contemplationem se-
cundum ea, quæ dicta sunt supra n. 41. & 51. tamen
arctissima clausura, ac velut perpetuus carcer, cui
sunt addicti Carthusienses, cum abstinentia à car-
nibus in quocunque casu præponderat omnibus
aliis religionum asperitatibus, ut dixi in c. *Ad Apo-
stolicam n. 38. infra eod.* & in c. *Non est voto n. 25. & n.
28. supra eod.* ubi de transitu Cisterciensium ad Car-
62 thusianos, & quia in strictiori clausura perpetuò
vivunt etiam Eremitæ Camaldulenses, de quibus
mira hic tradunt Jo. Andr. *n. 11.* & Butr. *n. 8.* ideir-
co Eugen. IV. in Constitutione, quæ incipit *Illa
que*, edita 8. Kalen. Novembris 1475. in Bullar.
tom. 1. pag. 274. indulsit Priori, & Fratribus eremi
Camaldulensis, ut omnes, & singulos cujuscunq;
ordinis existant, & de quibuscunque Congrega-
tionibus, domibus, seu monasteriis, sive mendi-
cantium, sive non mendicantium, etiam Carthu-
siensis ordinis venerint, Superiorum ipsorum li-
centia petita, licet non obtenta, in prædicta eremo
63 recipere, & retinere possint. Cæterum cum nostris
temporibus memorata eremus à rigore primævi
instituti plurimum declinaverit, & in transitu de
una ad aliam religionem non attendatur primæva
institutio, & fundatio regulæ, sed præsens obser-
vantia secundum ea, quæ dixi supra *in 1. notab.* fortè
non liceret vigore præsentis Indulti ex ordine
Carthusiensi ad dictam eremum transvolare, sed
64 quia non ita pridem à san. me. Urbano VIII. facta
est unio Eremitarum montis Coronæ cum Ere-
mitis Camaldulensib. sub quibusdam capitulis,
de quibus in Brevi expedito sub die 8. Oct. 1634.
quæ paulò post fuerunt declarata in alio Brevi 15.
Aprilis 1635. & quia hujusmodi unionem novissi-
mè approbavit Sanctissimus Dominus Noster
Innocentius X. videtur subesse spes proxima re-
formationis tam celebris Sanctuarii, ubi S. Pater
Romualdus illius fundator primum in occidente
vitam eremiticam introduxit, ut in primis litteris
Urbani VIII. ac proinde videtur esse locus limita-
tioni Jo. Andr. de qua supra, n. 10.
65 Rursus in curia sæpius vidi derogatum transi-
tum ex religionibus etiam laxioribus tam Mendi-
cantium, quam non Mendicantium ad ordines
militares, quem tamen concederent Theologi
secundum ea, quæ dicta sunt supra *num. 43.* Ad-
hæreas igitur Canonistis.
66 Sed hic QUÆRO An professus in laxiori reli-
gione teneatur adimplere votum simplex, quod
prius emiserat de intrando religionem arctio-
rem.
67 Respondeo breviter, non teneri, quia votum
solemne, quo quis obligatur minori religioni, est
fortius, quam votum simplex, quo religioni ma-
jori astringitur. Post votum enim simplex, si con-
traheret quis matrimonium, non dirimeretur, si-
cut post votum solemne; & ideo ille qui jam pro-
fessus est in minori religione, non tenetur imple-
re votum simplex, quod emisit de intrando reli-
gionem majorem. Ita per hanc rationem docet
Sanctus Thomas *in 2. 2. q. 189. art. 8. ad 3.* quem re-
fert. & sequitur Turrecrem. *in c. 1. in 4. quæst. n. 4.
19. q. 3.* Potest igitur talis remanere in laxiori, quia
per secundum votum solemne derogatum est pri-
mo simplici, quod fecerat: tamen pro voto primo
non completo erit pœnitentia imponenda, ut c.
Qui post votum. de Regular. lib. 6. secundum Turre-
68 cremata *supra*. Diversum est in eo, qui novit reli-
gionem ingredi, & voto non completo factus est
Episcopus; per hoc enim non est solutus voto,
imo si suam velit sanare conscientiam, debet ce-
dere, & votum implere, ut est tex. in cap. *Per tuas,
infr. de vot.* S. Thom. *d. q. 189. art. 3. ad primum*, & hic
nota differentiam inter matrimonium carnale, &
matrimonium spirituale, quod contrahitur inter
Episcopum, & Ecclesiam, ut in c. *ult. & per tot. su-
pra tr. nslation. Episcopi*, nam primum derogat
voto simplici de intrando religionem,
secundum autem non.

Professus

DE REGULARIBUS.

Cap. Significatum.

SUMMARIUM.

1 *PRofessus tacitè an censeatur qui ante annum decimumsextum ignorans defectum ætatis expressam professionem emisit, & postea credens suam professionem validam in monasterio per plures annos in habitu regulari absque reclamatione perseveravit, & num. seq. usque in fin.*
2 *Ignorantia præsumptio non prodest nisi allegetur.*
3 *Professio tacita inducitur per delationem annalem habitus indistincti, licet præcesserit expressa irrita, absque eo quod probetur scientia nullitatis professionis expressæ.*
4 *Ignorantia nullitatis professionis expressæ an tacitam professionem excludat.*
5 *Professio tacita necessariò requirit consensum profitentis, & num. 19.*
6 *Actus censetur factus in executionem obligationis præcedentis.*
7 *Errantis, & ignorantis nullus est consensus, & num. 21. & 41.*
8 *Professio expressè emissa ab eo, qui falsò opinabatur se iam esse professum, an valeat, & n. 42.*
9 *Votum denuò factum propter dubium validitatis prioris voti an obliget, & n. 13. & 42.*
Matrimonij confirmatio à principio invalidi an requirat certam notitiam antecedentis obstaculi, ibidem, & num. 46.
10 *Matrimonium contractum cum ancilla ignoranter, ea viro ignorante manumissa, non convalescit per copulam subsequentem, & n. 16.*
11 *Actus continuatus censetur unus per relationem ad principium sui temporis.*
12 *Ratihabitio actus invalidi an requirat scientiam nullitatis cum qualitatibus, & voluntatem eam sanandi, & num. 41.*
13 *Approbare, & credere esse validum in quo differant.*
Vovens ante pubertatem, si post pubertatem votum ratificet credens esse validum, an obligetur coram Deo, ibidem, & num. 42.
14 *Ordinatus per metum, si ordinem exerceat ignorans nullitatem, an censeatur ratificare.*
15 *Donatum monasterio ob causam erroneam validitatis professionis potest repeti.*
16 *Falsa causa non obligat profitentem, & num. 29. & seq. & num. 41.*
17 *Præsumptio tacitæ professionis per delationem habitus annalem an admittat probationem in contrarium, & num. 40.*
18 *Ignoranti non currit tempus.*
19 *Professio tacita non requirit consensum expressum, sed sufficit tacitus, & præsumptus.*
20 *Præsumptio taciti consensus ex delatione habitus habet locum etiam cum præcessit expressa professio irrita.*
21 *Ignorantia, & error an, & quando excludant voluntarium, & num. seqq. & num. 41.*
22 *Ignorantia antecedens, & concomitans quæ sit.*
23 *Voluntas non fertur nisi in præcognitum.*
24 *Matrimonium contractum per errorem, an & quando sit nullum, & num. 27.*
25 *Ignorantia an sit antecedens, vel concomitans quibus regulis cognoscatur.*
26 *Matrimonium nulliter contractum, si conjuges validum credentes se commisceant, an, & quando convalescat, & num. 28.*
29 *Actus factus ex causa erronea an, & quando sit nullus, & num. 38.*
30 *Falsa causa obligat religioni ubi constat de intentione profitentis.*
31 *Professus nulliter an præsumatur perseveraturus fuisse in Religione, si nullitatem scivisset.*
32 *Mens, & voluntas declaratur etiam ex actu nulliter gesto.*
Voluntatis mutatio in Monacho non præsumitur nisi probetur, ibidem.
33 *In voluntatis perseverantia dignoscenda magis spectatur initium, quàm factum postea subsecutum.*
34 *Voluntas mutari non potest re non integra, & in præiudicium alterius.*
35 *Errans an præsumatur facturus fuisse si scivisset quando ex actu oritur obligatio, & n. 38.*
36 *Restitutio in integrum minori seducto ad professionem non datur.*
37 *Solutum indebitè repeti non potest quando à pietate causatur error.*
39 *Annus probationis institutus est ut religio probet mores novitij, & novitius austeritatem religionis.*
Præsumptio tacitæ professionis inductæ ex delatione habitus ultra annum est iuris, & de iure, nec admittit probationem in contrarium, ibidem.
43 *Minor quatuordecim annis de iure communi non obligatur religioni nisi factus maior ratum habuerit.*
44 *Professio facta ante annum probationis etiam de iure communi in ordinibus Mendicantium nulla erat.*
45 *Professus allegans se non habuisse animum profitendi non auditur.*
46 *Professio emissa uxore contradicente ea mortua validatur, si vir per momentum temporis steterit in monasterio licet illius mortem ignoraverit.*
47 *Professio nulla convalidatur per solam ratificationem profitentis absque nova acceptatione religionis.*
48 *Monachorum creatio spectat ad Abbatem, & Capitulum.*
49 *Superiores regulares allegantes ignorantiam ætatis novitij non sunt audiendi.*

SIGNIFICATUM. Minor quatuordecim an̄is profitendo non obligatur religioni, nisi factus major ratum habuerit. Hoc dicit. Sunt duæ partes. Prima ponit consultationem. Secunda responsionem, ibi, *Mandamus*, & hæc distinguit, & secundum membrum prosequitur, ibi, *Si autem.*

Nota primo de jure communi ad validitatem professionis regularis exigi an̄um ætatis decimūquartum completum. Et in hoc malitia non supplet ætatem, ut perperam putavit Hugo ad exemplum matrimonii carnalis, ut in cap. *De illis*, *il secondo*, *de despons. impuber.* Cujus opinio reprobatur in hac decretali, & in cap. *Ad nostram, supra eod.* ubi exigitur an̄us decimusquartus com-

 ple-

pletus, seu consummatus, ut post Philipp. dicunt hic Jo. Andr. in prin. in ver. Compleverit. & Abb. num. 4. & notatur in cap. Postulasti, in glos. 1. supra eod. Ratio diversitatis est, quia de majori præjudicio, seu obligatione agitur in professione, quàm in matrimonio secundum Abbatem. Et propterea ubi est data Congregatio Monachorum, videmus requiri plenam pubertatem, idest annum decimumoctavum, ut in cap. Quia in insulis, supra eod. Hodie ex decreto Concilij Tridentini in c. 15. sess. 25. de Regular. In quacumque religione tam virorum, quàm mulierum professio fieri non potest ante decimumsextum añum expletum, & professio antea facta est nulla. Unde quæ deciduntur in hac decretali de minori, vel majori quatuordecim añis hodie locum non habent nisi in minori, vel majori añis sexdecim.

Secundò nota professionem factam ante ætatem legitimam validari si major factus eam ratificaverit, & sic tractu temporis convalescit quod de jure ab initio non valuit, contra regulam, Non firmatur, de regul. iur. in 6. & l. Quæ ab initio, ff. eod. Sed dicendum hoc casu professionem ab initio nullam non firmari ex solo cursu temporis, sed ex novo consensu post sublatum impedimentum, seu ut Butr. inquit nu. 9. ex nova causa confirmante. Atque ita valet professio non ex tunc, sed ex nunc, ut verbis glossæ utar hic in ver. Ratam habuerit. Simile in l. Observare, in fin. ff. de offic. Procons. Sufficit autem tacita ratificatio, quæ elicitur ex perseverantia ultra annum in monasterio cum delatione habitus regularis post ætatem legitimam, argum. cap. Litteras, & cap. Accessit, de desponsi. impuber. & est casus formalis in cap. 1. hoc tit. lib. 6. & tenet hic glos. præalleg. Innoc. qui verbum, ratam, exponit expressè, vel tacitè ultra tempus morando, Abb. Antiq. circa med. Host. num. 1. in verb. Ratam, Butr. num. 7. Abb. num. 6. & latius dicam infra num. 19. & seq.

1 QUÆRO an is qui ante añum decimumsextum ignorans defectum ætatis expressam professionem emisit, & postea credens suam professionem validam in monasterio per plures años in habitu regulari absque reclamatione perseveravit, censeatur tacitè professus, necne.

Status quæstionis est super ignorantia non juris, sed facti, videlicet cum ignoratur factum ipsum, hoc est defectus ætatis, ex quo nullitas professionis oritur. Pro faciliori autem dubii solutione duo casus sunt distinguendi.

Primus est cum nec professus, nec Superior regularis deducit ignorantiam nullitatis professionis expressæ: quæritur enim an nihilominus ut sit locus tacitæ professioni, de scientia nullitatis ex
2 parte utriusque constare debeat. Et hic primus casus parum habet difficultatis: nam etsi regulariter præsumatur ignorantia ubi scientia non probatur, ut in cap. Præsumitur, de regul. iur. in 6. & in l. Verius, ff. de probat. tamen hæc præsumptio allegari debet, ut est textus in l. Si adulterium, §. Iidem Pollioni, ff. de adulter. & tradunt Bald. & alii relati à Menoch. de præsumpt. lib. 1. præsumpt. 48. num. 3. & 4. Unde quamvis ignorantia nullitatis professionis expressæ tacitam professionem excluderet, qua de re inferius agetur: tamen absolutum est hanc ignorantiam non præsumi, aut non pro-
3 desse nisi allegetur. Atque hæc opinio clarè probatur in cap. 1. de Regular. in 6. ubi patet per delationem añalem habitus indistincti induci tacitam professionem, licet præcesserit expressa professio irrita: nec ulla ibi fit mentio de scientia hujus nullitatis; & idipsum constat ex hac decretali; & alioquin oporteret in dubium revocare quamplurimas declarationes S. Congregationis Concilii, quæ in hanc usque diem semper respondit, eos qui ante ætatem professi sunt, si post legitimam ætatem in religione per añum perseveraverint censeri tacitè professos, atque alligatos religioni: nec unquam requisivit, an scirent nullitatem professionis expressæ.

4 Secundus casus est, an cum ignorantia ex parte professi, vel religionis deducitur, per eam excludatur tacita professio, nec ne. Et in hac quæstione, quæ admodum gravis, & difficilis est, si solum authoritati Doctorum esset deferendum, absolutum esset posita hujusmodi ignorantia nunquam posse induci tacitam professionem. Ita enim primus forte omnium sensit Navarr. cons. 23. Petrutius. num. 2. cons. 29. Cum de iure, num. 6. de Regular. & cons. 9. N. nobilis, Quodamt. caus. atque alibi: quibus in locis quæstionem paucis absolvit, & ubique citat Cardin. Cajetan. 2.2. q. 189. art. 5. De cujus tamen doctrina inferius dicemus, & idem Navarr. in manual. cap. 12. num. 71. Cujus sententiā postea sequuti sunt Moderni omnes quotquot de hac materia scripserunt, & multos refert Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 37. num. 59. Imò idem sæpius probavit Rota, & præsertim in causa Cremonen. pensionis 5. Martij 1582. coram de Rubeis: cum tamen per contraria nullus allegetur. Sed quia jurisconsultum non decet moveri simpliciter Doctorum authoritatibus, sed legibus, & rationum momentis, ut cap. Ego solis, 9. dist. & Sac. Congregatio Concilii hactenus semper existimavit Navarri opinionem esse valdè dubiam: ideò videtur abs re non esse ut rationes utriusque sententiæ diligentius expendantur.

5 Opinio igitur Navarri nititur hoc præcipuo fundamento; nam constat apud omnes ad professionem tacitè inducendam necessariò requiri consensum profitentis, ut hic, & in cap. Sicut tenor. & cap. Consulti, infra eod. cum simil. Is autem, qui post professionem expressam nullam per annum defert in Religione habitum regularem, duobus tantum modis potest intelligi consentire tacitæ professioni, idest, aut quia intendit iterum profiteri, aut quia intendit priorem professionem ratam habere, ut patet in cap. 1. ibi, [Professionem per hoc fecisse, vel si quam prius fecerat ratam habuisse videtur.] infr. eod. lib. 6.] At neutro modo videtur consentire is, qui ignorat nullitatem professionis expressæ.

6 Et quidem non primo modo; nam cum opinetur suam professionem expressam fuisse validam, sequitur jam esse religioni alligatum, utique non intendit iterum profiteri, sed in religione perseverat tamquam professus non tamquam professurus, censeturque habitum deferre in executionem obligationis præcedentis, arg. l. 4. §. Si ab ignoto, ff. de manumiss. cum similibus, ut plenè per Alexan. cons. 90. n. 9. lib. 3. & Menoch. lib. 3. præsumpt. 49. num. 4. & ex causa necessaria potius, quàm voluntaria, ut l. fin. cum ibi notat. per Bart. ff. de admin. pupillo. præstand. & per Abbat. cons. 116. in fine,
7 lib. 2. Atque ita pergit in primo consensu nullo, & opinione erronea, quæ ad tacitam professionem non

non sufficit; cum errantis, & ignorantis nullus sit consensus, l. Non idcirco. C. de iur. & fact. ignoran. nihilque sit tam contrarium consensui, quàm er-
8 ror, l. Si per errorem, ff. de iurisdict. omn. iudic. cum concord. Quinimò ob hanc rationem nova professio etiam expressis verbis facta ab eo, qui ignorat nullitatem professionis præcedentis, est nulla, quia censetur fieri sub credulitate illius professionis; atque ita ex falsa causa, per quam contractus vitiatur, l. Si divortio, ff. de verbor. obligat. & tenent relati à Sanch. de matrimon. lib. 2. disp. 34. num. 2. Et ideo si quis dubio motus an votum à se emissum fuerit validum, ob id denuò voveat, non tenebitur ad votum ubi sciverit votum præcedens fuisse nullum, eo quod non censeatur habuisse absolutum vovendi animum, sed ex suppositione falsa validitatis prioris voti, ut post Cor-
9 dub. Manuel. & Vegam similiter tradit Sanchez disp. 16. num. 7. & in matrimonio carnali idem scripsit Anchar. in cons. 230. num. 3. ubi ait, ad confirmationem matrimonij à principio invalidi inducendam propter solum temporis cursum requiri certam notitiam amotionis obstaculi præcedentis: alias (inquit) continuatio, & etiam copula refertur ad principium, & consensum erro-
10 neum; & similiter gl. in cap. fin. in ver. Nec facta, de coniug. servor. [Pone (inquit) quod aliquis contraxit cum ancilla ignoranter, & dominus postea illam manumittit viro ignorante, numquid est matrimonium? dic quod non, quia adhuc commiscetur ei ex priori consensu, qui nullus fuit.) Idem tradit glos. in cap. 1. de eo qui dux. in matrim. in ver. Inscia, & ibi Innoc. in fine. [Nam ex consequentia (inquit) prioris consensus videtur ignorans cognoscere; & sequuntur ibidem Host. Jo.
11 Andr. Butr. Cardin. & alii communiter.

Et confirmatur ex doctrina Anchar. d. cons. 230. sub num. 3. ubi sic ait: (Actus qui habet tractum successivum, & continuatum censetur unus per relationem ad principium sui temporis, l. Eum qui, §. In popularibus, ff. de iureiur. ideoque consensus mulieris, quæ credidit matrimonium fuisse validum, habuit semper relationem ad principium contractus; & continuatio, credulitas descendit ex erroneo principio, & fundamento nullo: ergo est nulla postquam trahit principium ab errore.) Hactenus Ancharanus. Et hinc est, ut in Bulla Cruciatæ, qua conceditur Commissario potestas dispensandi cum iis, qui in gradu prohibito ignoranter contraxerunt, consueverit apponi clausula infrascripta, nempè, (altero impedimentum ignorante prius de nullitate prioris consensus certificato.) Quod indicat scientiam nullitatis esse necessariam ad hoc, ut matrimonium novo consensu perficiatur. Ex quibus constat etiam in matrimonio spirituali eum, qui credit se esse alligatum religioni, cum non consentire primo modo,
12 idest non habere voluntatem iterum profitendi. Sed nec potest censeri consentire secundo modo, idest ex eo quod intendat priorem professionem irritam ratificare. Tum quia quod nullum est ratum haberi non potest, cap. Audita, ubi notatur, de elect. Oldrad. cons. 330. Ad idem videtur, n. 2. Tum quia non potest haberi ratum quod ignoratur, l. Mater, ff. de in offic. testam. substantia enim ratihabitionis est scientia, secundū Bald. cons. 176. Præmittendum, vers. Item quia non apparet, lib. 2. Ideòq; ignorans actum, quem ratificat, nihil agit, l. Quæ enim, in princ. ff. rem rat. haber. Cardinal. cons. 44. Quod ratificatio, num. 4. & seq. & requiritur scientia juris, & facti. Bald. cons. 322. Vidua, vers. Præterea, lib. 2. Quinimò ad validitatem ratihabitionis requiritur non solum notitia actus, qui ratificatur, sed etiam illius qualitatum, secundum Paul. de Castro cons. 465. Viso compromisso, col. penult. lib. 1. Crauett. cons. 197. Quamquam, col. fin. prope fin. Quamobrem etsi qui perseverat in religione sciat se professionem expressam emisisse, quia tamen nescit illam fuisse irritam, ratihabitio nihil operatur. Præsertim quia hoc casu non agitur de scientia simplicis qualitatis professionis expressæ, sed de substantia, & validitate illius. Ad ratihabitionem autem contractus irriti requiritur scientia nullitatis, & voluntas eam sanandi, alioquin ratihabitio nulla est, ut tradit Gemin. cons. 128. Factum tale est, n. 7. vers. Ad ultimum, & Alexan. cons. 135. in princ. vers. Nec obstat, lib. 7.

13 Ideoque Caietan. in 2.2. q. 89. art. 5. [Scito (inquit) quod aliud est approbare, seu ratificare, & aliud est credere esse validum, & propterea habere intentionem adimplendi: nam approbare, & ratificare ad actum spectat voluntatis, quia quis vult nunc quod olim voluit. Credere autem esse validum spectat ad intellectum. Intendere autem exequi, quia præsupponitur validum, licet spectet ad voluntatem, nihil tamen facit ad ipsum votum, sed solum ad executionem voti, quā respicit; & ideo si aliquis ante pubertatem simplici voto voverat, & postea in legitima ætate cōsiderans suum votum credens illud esse absolutè validum, intendit millies illud adimplere, nō propterea coram Deo ratificavit, aut approbavit.] Hæc Cajet. Et idem ante ipsum censuit Sylvest. in ver. Matrimonium 4. num. 10. prope fin. his verbis: [Si quis ante annum pubertatis faciat votum religionis, non obligatur ad tale votum major factus, nisi illud ratificaverit. Quod si faceret credens se obligatum, alias non ratificaturus, non tenetur ad illud.] Quod etiam probatur exemplo
14 sacri Ordinis: nam si quis per metum ordinatus fuerit, si postea illum Ordinem exerceat ignorans se ad illius observantiam adstrictum non esse, non censetur ratificare, ut per Navarr. cons. 4. incip.
15 Quidam, num. 8. & 9. de his, quæ vi, met. cau. & ob id si quis ob causam professionis emissæ aliquid donaverit Ecclesiæ, vel monasterio, quia credidit professionem valere, & non valuit, repetit donatum, ut per Calderin. cons. 411. alias 2. de Regular. Etiam censuit S. Congregatio Concilij. Quocirca si donatio bonorum facta monasterio sub credulitate validitatis professionis est nulla, multò magis nulla erit donatio, & obligatio suipsius. Quo
16 argumento utitur in puncto glos. in d. c. Duo sunt, in ver. Si affectu, vers. Item cum clericum 19. q. 2. Falsa enim causa non obligat profitentem, secundum Gemin. cons. 52. num. 3. vers. Ad idem.

Neque his videtur obstare quòd contra præ-
17 sumptionem, quæ surgit ex delatione habitus indistincti per annum, non admittatur probatio in contrarium, cum sit juris, & de jure, ex notat. in c. 1. de Regular. in 6.

Respondetur enim admitti tamen probationem indirectam: nam cùm ad eam præsumptionē inducendam semper certæ qualitates desiderentur, probari poterit aliquam ex dictis qualitatibus de-

ficere in casu, de quo agitur, ut declarat Menoch. *lib. 1. præsumpt. 65.* & scripsi in cap. *Vidua, in ult. not. ab. supra eod.* Quinimo dictæ qualitates ante omnia debent legitimè probari si aliàs ad professionem inducendam desiderentur, ut per eumdem Menoch. *lib. 1. præsumpt. 55.* Unde si ad tacitam professionem inter cætera desideratur scientia nullitatis professionis expressæ, sine qua scientia non potest quis consentire; ideoque nec tacitè profiteri cuique de scientia hujusmodi constare debet. Desideratur etiam ad tacitam professionem inducendam perseverantia in religione per tempus unius
18 anni, ut in d. cap. 1. *de Regul. in 6.* Quod quidem requisitum temporis omnino deficit ubi non est scientia dictæ nullitatis, quia tempus hujusmodi non currit ignoranti, per Innoc. in cap. *Ne pro defectu. num. 2. supra de elect.* Calder. *cons. 366. Mandavit, alias 37. de test. in fin.* & Bald. *cons. 92. Quidam, in princ. lib. 1.* Atque ita etsi præsumptio tacitæ professionis sit juris, & de jure, nihil tamen videtur obstare quominus dictarum qualitatum defectus allegari, & probari possit.

19 Cæterum pro contraria opinione multa videntur magis urgere: unde pro veritate observandum est primò ad professionem tacitam non requiri consensum expressum, sed sufficere tacitum, & præsumptum, qui elicitur vel ex susceptione habitus professorum, vel ex annali delatione habitus indistincti, vel ex actibus, qui solum à professis fieri consueverunt, juxta textum in cap. *Vidua,* in cap. *Super eo, supra eod.* & in d. cap. 1. *eod. tit. in 6.* cum concordan.

20 Observandum est secundò hanc præsumptionem taciti consensus, quæ surgit ex delatione annali habitus indistincti habere locum non solum quando non fuit facta expressa professio, sed etiam quando fuit facta professio irrita ob defectum ætatis. Sic enim apertè constat ex verbis d. c. 1. ibi, [vel si quam prius fecerat ratam habuisse videtur,] & infra *eod. lib. 6.* & in hoc cap.... ibi, (seu post decimumquartum annum professionem à se prius factam ratam habuerit,) ubi glos. inquit hoc esse intelligendum, etiamsi tacitè consentit: itaut in hac parte videantur errasse Navarr. & Sanchez, qui oppositum tradiderant, ille *cons. 28. num. 6. de Regul.* hic verò *de matrim. lib. 7. de impedim. disp. 57. num.* 10. Neque enim constituenda est differentia inter tacitam professionem, & tacitam ratihabitionem professionis invalidæ. Siquidem hæc ratihabitio in substantia nihil aliud est, quàm nova professio tacita, quæ, cum deficiat extremum à quo, incipit valere ut ex nunc, non ut ex tunc, ut inquit glos. communiter approbata *hic in eod. ver. Ratam habuerit,* & declarat Jo. de Anan. in cap. *Consuluit, num. 2. de convers. conjugat.* post Bart. quem citat in repet. l. *Si quis pro emptore, de usucap.*

21 Observandum est denique diligenter ex D. Th. *1. 2. q. 6. art. 8.* ignorantiam, atq; errorem in tantum impedire consensum, & causare involuntarium, in quantum privat ea cognitione, quæ prærequiritur ad voluntarium; ad volendum autem prærequiritur cognitio rei, quæ volenda est. Unde non omnis ignorantia, aut error impedit consensum, sed tantum ignorantia, aut error illius rei, quæ agitur, ut docet ille D. Thomas, & explicat Bart. in l. *Si per errorem, ff. de jurisd. omn. judic.*

22 Hæc autem ignorantia, aut error (& in hoc videtur consistere tota vis præsentis disputationis] duplex est: nam aut est ignorantia ejus rei, quam homo nollet, si sciret, aut est ignorantia ejus rei, quam nihilominus vellet etiamsi sciret. Ignorantia, & error primæ speciei, quæ à Divo Thoma, & Theologis appellatur antecedens, causat simpliciter, & absolutè involuntarium, ut si quis credens uxorem ducere Seiam, ducat Mæviam, & hic error si sit cum dolo, à Jurisperitis dicitur dolus dans causam contractui, eo quod si is dolus abfuisset, contractus initus non fuisset, ut l. *Elegantur, ff. de dolo.* Ignorantia verò, & error secundæ speciei, idest illius rei, quam quis vellet etiamsi sciret, quæ à Theologis appellatur ignorantia concomitans, non facit simpliciter involuntarium, quia nō causat aliquid contra voluntatem. Sed quia aliquando facit non voluntarium negativè; atque ita ex-
23 cludit consensum, ideo distinguendum est: nam aut ignorantia cōcomitans versatur directè circa rem, de qua agitur: & tunc quamvis non faciat absolutè involuntarium, tamen nec facit voluntarium positivè, quia non potest esse actu volitum quod est ignoratum, cum voluntas non feratur nisi in præcognitum, secundum Aristot. *3. de Anima Commen. 39.* Sed tantum causat non voluntarium negativè, idest efficit ut non sit actus, & consensus voluntarius positivè. Exemplum patet in eo, qui volens contrahere matrimonium cum *Seia* contrahit quidē cum ea, sed credit eam esse Mæviam.
24 Hic enim error est concomitans, quia si vir scivisset eam esse Seiam, cum ea libentius contraxisset. Sed tamen quia error est directè illius rei, de qua agitur, quamvis non faciat involuntarium positivè, tollit nihilominus consensum, qui non potest esse in re non præcognita: ideoque matrimonium est nullum, ut patet ex relatis à Sanchez, *lib. 7. disput. 18. n. 6.* Aut verò ignorantia hæc concomitans versatur non directò circa rem, quæ agitur, sed circa causam illius, aut circa aliquam ejus qualitatem, vel circumstantiam: & tunc cum sit ignorantia ejus causæ, vel qualitatis, quam quis vellet etiamsi sciret, numquam causat non voluntarium, nec excludit consensum ab actu principaliter gesto. Exemplum. Si quis ducat uxorem liberam credens esse servam, hic quidem consentit absolutè in matrimonium, sed ignorat qualitatem libertatis: quam tamen si scivisset, utique libentius matrimonium contraxisset. Quare ignorantia dictæ qualitatis cum sit concomitans, idest ejus rei, quam quis vellet etiam sciens, & non versetur directè circa matrimonium, sed circa illius qualitatem, nullo modo excludit consensum ab actu principaliter gesto, ideoque matrimonium est validum, ut tenent omnes in cap. *2. & fin. de conjug. servor.* & inferius dicetur.

25 Verum cum cognitio an ignorantia sit antecedens, vel concomitans, idest, an quis si scivisset, nihilominus facturus fuisset, necne, valde obscura esset veluti pendens ex animo, & voluntate hominum; idcirco juris interpretes quasdam regulas tradiderunt, ex quibus hoc facilè judicari possit absque alia probatione. Quarum quidem regularum illa est præcipua, ut quotiescumque aliquis ex actu ignoranter gesto damnum, aut ignominiā consequeretur, vel suam conditionem deteriorem efficeret; tunc non censeatur facturus fuisse si scivisset quod ignoravit, ut constat ex his, quæ tradit Mantic. *de tacit. & ambig. convent. lib. 3. tit. 12. num. 37.*

26 *num. 37. & seq.* Exemplum patet in eo, qui ignoranter duxit uxorem servam, quam putabat liberam. Hic enim si scivisset eam servam utique matrimonium non contraxisset, quia non æquè utile, aut honestum est ducere uxorem ancillam, vel libertinam, atque ingenuam, ut probat D. Thom. *4. dist. 38. q. unica, art. 1.* Unde fit ut sublato impedimento servitutis per manumissionem domini, quamvis vir uxorem cognoscat affectu uxorio, tamen matrimonium non convalescat, quia vir adhuc commiscetur ei ex primo consensu nullo, & erroneo, ut tradit gloss. in cap. *Si quis ingenuus, 29. q. 2.* & superius dictum est. Eo igitur casu matrimonium est nullum, non simpliciter ob ignorantiam, sed ob ignorantiam qualitatis, quam si vir scivisset, non contraxisset; & sic ob ignorantiam antecedentem, quæ causat simpliciter involunta-
27 rium. At verò per contrarium si ex actu ignoranter gesto quis commodum, vel honorem consequeretur, aut suam conditionem efficeret meliorem; tunc præsumitur facturus fuisse etiamsi scivisset quod ignoravit, ut clarè patet in homine libero, qui contrahit matrimonium cum libera credens eam esse servam, hic enim erat in conditione uxoris. Sed quia ex eo quod ipsa sit libera, non autem ancilla, conditio errantis non fit deterior, imò melior; ideò hæc ignorantia quamvis versetur circa qualitatem substantialem, idest circa conditionem servitutis, tamen non excludit consensum cum sit concomitans, nec vitiat matrimonium, ut tradunt in summa de conjug. *num. 6. & 7.* Hostien. *num. 9.* & sequuntur Canonistæ communiter in cap. *2. & fin.* & ibi dixit *eodem tit. in 3. notab.*

Porrò ignorantia nullitatis professionis expressæ non est directè ignorantia illius rei, quæ agitur, idest tacitæ professionis, sed est potius ignorantia causæ, seu actus præcedentis. Neque enim professus ignorat se deferre habitum indistinctū, & perseverare in religione per spatium unius anni. Ex quibus actibus S. Canones eliciunt consensum præsumptum ad tacitam professionem inducendam: sed tantum ignorat validitatem alterius professionis, quæ multo ante præcessit, credens eam fuisse validam, cum tamen irrita fuerit. Quod patet manifestè, quia etiam posita ignorātia nullitatis professionis expressæ, est tamen possibilis professionis consensus tacitæ: nihil enim prohibet quin aliquis præscindendo ab omni cōsideratione præcedentis obligationis, possit, si velit, se iterum Deo obligare per novum consensū positivum, quamvis credat se jam esse obligatum.
28 Ergò hæc ignorantia non versatur circa novam professionem, quia alias quoad eam consensus non esset possibilis, cum non præcognitum non possit esse volitum. Quod clarius adhuc patet exemplo matrimonii: nam ubi duo contrahunt matrimonium nulliter, si cessante impedimento iterum consentiant affectu uxorio, utique matrimonium convalescit, quamvis conjuges credant illud ab initio fuisse validum, dummodò tamen si nullitatem scivissent, æquè libenter contraxissent, ut censent Rosel. *in ver. Matrimonium. n. 5* Sylvest. *Matrimonium 4. q. 10.* Navarr. *in summa Hispan. c. 22. n. 76.* & alii recentiores. Et similiter si vir fictè uxorem ducat, & postea affectu maritali eā cognoscat, matrimonium fit validum, etiamsi uxor ignoret matrimonium ab initio fuisse irritū, & perseveret in primo consensu erroneo, ut post alios tradit Sanch. *lib. 2. disp. 32. per totam.* Idem
29 probatur ex theorica Romani *cons. 517. n. 13. vers. Secundo vero,* & Alex. *cons. 22. n. 3. & 4. lib. 5.* ubi censent actum factum ex causa erronea, puta ab eo, qui falsò putabat se teneri, ita demum esse nullum, si illo casu quo scivisset se non teneri, actum non fecisset; aliàs verò si fuisset facturus etiamsi scivisset se non teneri, valere actum, quia non præsumitur ille motus ex illa causa erronea. Patet ergo errorem ejus, qui tacitè profitetur ob hanc causam, quia credit se jam esse alligatū religioni, non esse errorem in tacita professione, sed potius in causa illius. Et idem est quod alii Doctores dicunt, actum gestum ex falsa causa ita demum esse nullum, si illa causa sit finalis, idest sine qua actus gestus non fuisset, ut tradit post alios Mantica *de tacit. lib. 4. tit. 12. n. 22. & seq. & num. 34. usque in fin.* Aliàs enim error in causa se obligandi, puta quia quis credit se jam esse obligatum, & non est, non excludit consensum, ut per eumdem Manticam *lib. 19. tit. 5. n. 12.* Et hinc fit ut si ego credam Titium emisse librum nomine meo, quem tamen ipse non emerat, aut nulliter emerat, & ratam habeam hujusmodi emptionem; si postea Titius nomine meo validè emat librum, valet secunda emptio, non obstante ignorantia nullitatis præcedentis, idq; ex conjectura voluntatis, quia qui ratam habuit emptionem credens eam suo nomine factam, eodem modo ratam habuisset, si scivisset eam nulliter factam fuisse, ut post alios tradit Alex. qui plura exempla his similia congerit in *cons. 146. nu. 10. & 11. lib. 5.* Ideoque Gemin. *cons. 119. num. 10.* respondit etiam ex falsa causa
30 aliquem obligari religioni, ubi constat de intentione profitentis, & est de hoc textus ad litterā in *c. Ex parte, de convers. conjug.* Ex quibus omnibus in compendium redactis videtur concludenter probatum professionem factam ex falsa causa, idest quia quis putabat se jam esse adstrictum religioni, non esse nullam, cum non sit ignorantia reī quæ agitur, sed ignorantia in causa se obligandi, dummodo tamen hæc ignorantia sit concomitans, idest si professus scivisset nullitatem fore professionis, adhuc tamen in religione perseverasset.

His igitur præcognitis, solutio quæstionis vide-
31 tur pendere ex inspectione, an professus etiam cognita professionis nullitate, verisimiliter tamen perseverasset, necne in religione. Nam si constiterit eum perseveraturum fuisse, constabit etiam illius errorem, & ignorantiam fuisse concomitantem; ideoq; tamquam ignorantiam non ejus rei, quæ agitur, idest tacitæ professionis, sed causæ illius, seu alterius actus præcedentis, minimè potuisse excludere voluntarium à tacita professione.

32 Plurimis autem probari potest eum verisimiliter perseveraturum fuisse. Et primò qui fecit professionem expressam, licet nulliter ob ætatis impedimentum, jam expressè declaravit se velle efficaciter alligari religioni: mens enim, & voluntas declaratur etiam ex actu nulliter gesto, l. *fin.* & ibi Bart. *ff. de reb. cor.* Hujus autem voluntatis mutatio non præsumitur, nisi probetur, l. *Etiam per, ff. de probat.* etiamsi voluntas ab initio fuerit nulla; quia nihilominus præsumitur durare. Feder. de Sen. *cons. 194. In dubiis matrimonialibus, in princ.* Calderin. *cons. 461. alias 4. de sponsal. in fine,* ubi quod matrimonium impuberum convalidatur si con-

contrahentes pervenerint ad ætatem legitimam, licet ex matrimonio servitus conjugalis inducatur, quia voluntas durata præsumitur, Alex. *consil.* 146. *in casu*, n. 16. *lib.* 5. ubi quod voluntas contrahentis matrimonium, licet nulliter, non præsumitur mutata nisi à die, quo apparet mutata: & ideò ratificatio absentis ante mutationem convalidat matrimonium, & in terminis professionis notat gloss. in cap. 1. *in ver. Non timere*, *supra Quod met. caus.* Quod procedit etiamsi longum tempus elapsum fuerit, *l. Sancimus*, ubi Jas. *in* 3. *notab.* C. *de testam.* & tradit post alios Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.* 37. n. 28. Siquidem nihil est quod persuadeat semel professum à proposito religionis voluisse recedere, neque enim, ut supponitur in dubio, unquam reclamavit, imò plures actus gessit indicantes continuationem ejusdem voluntatis, quales sunt delatio habitus indistincti, actus professorum, & plurium annorum perseverantia. Quis ergo cogit nos pronunciare, si is scivisset nullitatem professionis non perseverasset? Quippe is qui ante annum quantum se fuit validè profiteri volens, quamvis non esset prius religioni alligatus, cur elapso anno validè non profiteretur, cum medio tempore nihil gesserit in contrarium, imò plura fecerit, quæ ostendunt propositi perseverantiam? Dicenti ergo voluntatem mutatam onus probandi incumbit, juxta text. in d. l. *Eam quæ*, atque ita in specie de Monacho tradit Menoch. *de præsumpt.* 37. *num.* 6. & Dec. in cap. *In præsentia*, *num.* 28. *de probat.*

Sed objicies primò. Professus cum primum scivit se non esse obligatum religioni, reclamavit. Ergo præsumitur idem facturus fuisse si antea hoc scivisset, cum ex facto subsequto animus præcedens declaretur, cap. *Constat*, & ibi gl. *in ver. Si statim*, 1. q. 1. c. *Pervenit*, & ibi gloss. 1. 18. *distinct.* gloss. 1. *in c. Quod autem*, 22. q. 2.

33 At respondetur hoc casu magis attendendum esse initium voluntatis, & terminum à quo, quam finem, & terminum ad quem. Tum quia præsumitur quis perrexisse in eadem voluntate usque ad diem mutationis, ut dictum est supra proximè. Tum quia ex delatione habitus annali jus elicit consensum necessarium ad tacitam professionem præsumptione juris, & de jure, ut inferius dicetur. Reclamatio autem subsequens habet juris resistentiam, unde consensus præstitus ab initio magis influit in perseverantiam voluntatis quàm influat reclamatio subsequens in mutationem ejusdem voluntatis. Præsertim quia continuatio sequitur immediatè post consensum ab initio præstitum, reclamatio autem multo post. Quo casu magis urget præsumptio perseverantiæ, ut declarat Menoch. *d. præsumpt.* 37. n. 9. Deinde respondetur reclamationem post perseverantiam annalem in religione non esse attendendam, quia res nô amplius integra eo enim ipso quod completus est annus post professionem expressam nullam, Canones inducunt professionem tacitã, c. 1. *in princ. de*

34 *regul. lib.* 6. unde reclamatio subsequens tempore inhabili nô influit in voluntatem antecedentem, ut patet ex notatis per gl. & DD. in c. *Publicato*, *de elect.* Cum enim actus tacitæ professionis inter professum, & Religionem sit ultrò citroq; obligatorius, ut notatur in c. *Porrectum*, *inf. eod.* mutatio voluntatis professi re non amplius integra nihil prodest, quia nemini licet mutare voluntatem in detrimentum alterius, *l. Sicut*, *C. de act. & obligat.* & declarat *loc. cit.* Menoch. n. 31.

35 Objicies secundò quotiescumq; error talis est, ut si verum esset quod creditur per errorem, orta esset obligatio ad aliquid agendum: tunc qui fecit, præsumitur non facturus si scivisset, tex. est in *l. Si cum te*, *ff. de pact.* ubi falsò existimans se debere legatum Titio, & ideò mandans debitori suo ut ei solvat, sibi non præjudicat.

36 Sed hoc objectum tollitur, quia non procedit in obligatione, quæ fit per solemnem professionem. Unde minor quamvis dolo seductus restituatur, tamen si per dolum, & circumventionem inducatur ad profitendum, non restituitur, secundum gloss. in c. *Cum dilectus*, *in ver. Ad saniorem*, *supra. Quæ met. caus.* (In spiritualibus, inquit, non habet locum in integrum restitutio, quia non videntur decepti qui meliorem vitam elegerunt.) & Abb. ibi ait illum esse dolum bonum, & jura non subvenire nisi contra dolum malum, & in c. *Cum virum*, *n.* 6. *supr. eod.* ubi ait: (Respectu professionis non potest dici minor deceptus, vel læsus, cum serviat ei cui servire regnare est. Unde fit ut quamvis dolus dans causam contractui faciat involuntarium, itaque contractus sit nullus; secus tamen fit in professione, ut est textus expressus in c. *Constitutus*, 20. q. 3. & tradunt gloss. Abb. *locis citatis*. Et

37 eodem modo quamvis credens se teneri, si solvat, possit solutum repetere condictione indebiti, l. 1. *& per tot. ff. de condict. indeb.* hoc tamen non procedit si error causetur à pietate, ut est textus singularis in *l. Cum his*, §. *penult. ff. eod.* ubi Julianus ait: Si in ea opinione sit mulier, ut credat se pro dote obligatam, quidquid dotis nomine dederit, non repetit; sublata enim falsa opinione, relinquitur pietatis causa, ex qua solutum repeti non poterit, atque ibi Bart. & alii notant cessare repetitionem indebiti soluti quando à pietate causatur error.

38 Deinde tollitur idem objectum, quia nô habet locum quando præcessit actus declaratorius voluntatis, quod quis voluerit se obligare, ut hoc casu, in quo professus jam declaravit per professionê expressã se velle obligare se religioni. Tunc enim quamvis ex novo actu, id est ex perseverantia añali inducatur obligatio; tamen quia obligatio illa non est præter ejus intentionem, non facit, quominus ipse præsumatur voluisse tacitè profiteri, ut declarat Alexan. *consil.* 146. *n.* 15. *lib.* 5. Idque patet exemplo matrimonii carnalis, in quo ignorantia nullitatis matrimonii præcedentis non impedit quin conjuges obligentur per novum consensum quotiescumque si nullitatem scivissent, nihilominus contraxissent, ut superius dictum est.

39 Objicies tertiò, Quamvis professus verisimiliter in religione perseverasset, etiamsi scivisset nullitatem suæ professionis, & sic illius ignorantia censeatur concomitans, & non exclusiva consensus: tamen id procedit ex verisimilitudinibus, ac præsumptionibus. Idcircò enim Doctores quasdam constituerunt regulas, quibus hujusmodi verisimilis consensus deprehendi possit, ut superius diximus. Unde nihil prohibet quin hæc præsumptio tolli possit cõtrariis conjecturis, & argumentis, idque tam ex parte religionis, quàm professi: Ponamus enim novitium durante año probationis quãdo adhuc expelli poterat, probè se gessisse sed post emissam professionem expressam, quam cre-

credit validam, sublato expulsionis metu, illicò apparuisse discolum, inobedientem, & religiosæ pacis turbatorem; atque ita veluti incorrigibilem perseverasse integro anno, unde jura eliciunt præsumptionem consensu ad tacitam professionem inducendam. Certè si religio scivisset illius professionem expressam fuisse nullam, verisimiliter nô porrexisset eum in religione retinere, sed potiùs è monasterio ejecisset cognitis illius moribus, ad quos probandos tempus probationis à SS. Patribus indultum est, juxta c. *Ad Apostolicam*, *inf. eod.* E converso ponamus Superiorem regularem infra annum probationis, quando novitius ad sæculum adhuc redire poterat, cum eo blandè, ac benignè egisse; sed postquam credidit religioni alligatum per expressam professionem, rigidè, atque indirectè tractasse, eumque omnibus regulæ austeritatibus exercuisse adeo, ut sic professus pluribus signis, & argumentis ostenderit se pœnituisse antecedẽtis professionis, cum in subsidium fragilitatis humanæ spatium probationis fuerit regulariter institutum, ut & novitius regulæ austeritatem experiatur, c. *Non solum*, *de regular. in* 6. & d. c. *Ad Apostolicam*, (quod superioribus annis contigit in quibusdam religiosis, qui novitium valdè divitem exquisitis illecebris, ac blandimentis saccaro, ac melle nutriebant: sed post emissam professionem tam severè tractaverunt ut eum prioris propositi pœnituerit, licet serò ac re non integra) certè ex hoc liquidò apparebit sic professum si nullitatem suæ professionis scivisset, in religione non fuisse perseveraturum, & sic illius errorem antecedentem fuisse, & non concomitantem.

Verum hæc objectio tollitur, quia postquam nulliter professus in legitima ætate constitutus per añum absq; reclamatione perseveravit in religione, ut supponitur in dubio, postea nec ipse, nec superior religionis admitti possunt ad probandũ defectum consensus in tacita professione ap præ-

40 scriptum sacrorũ Canonũ inducta. ratio est, quia præsumptio taciti consensus, quæ elicitur ex perseverantia annali cum delatione habitus indistincti in religione post legitimam ætatem est juris, & de iure, ita ut non admittat probationem in contrarium; quod constat ex verbis d. c. 1. *de Regular. in* 6. ibi, (quia verò post decimumquartũ annum habitum religionis assumpserit, si per annum illum gestaverit, ex tunc religionem assumptam præsumitur veraciter esse professus.) & tradit gl. in c. *Ex parte in ver. Per annum*, *infr. eod.* (Qui ergo, inquit, post annum remanet in habitu monachali, & non reclamat, intelligitur tunc ipso facto tacitè vovere, unde postea exire non potest, imò compellitur expressè profiteri, & hæc est præsumptio juris, & de jure, ita quod non admittatur probatio in contrarium, ex quo nulla præcessit protestatio.) Hæc gl. atq; idem tradunt in d. c. 1. Jo. Monach. *in ver. Præsumitur*. Prob. *in addit.* Gemin. & Anchar. & sequuntur alii comuniter in d. c. *Ex parte*. Præsertim verò quia quando superior, vel professus petunt se admitti ad probandum se non præstitisse consensum tacitæ professioni propter ignorantiã nullitatis professionis expressæ, hæc probatio propriè dicitur directa, quia Canones ex delatione habitus annali eliciunt consensũ, & ipsi intendunt probare hunc consensum nô intercessisse, atq; ita non agitur de probatione defectus alicuius qualitatis ad tacitã professionem requisitæ, quæ dicitur probatio indirecta, sed ipsius consensus, quæ professio tacita à jure substantialiter inducitur. Hanc autem directam probationem nisi præcesserit protestatio manifestum est numquam admitti cõtra præsumptionem juris, & de jure, ut declarat Menoch. in contrarium allegatus *lib.* 1. *præsumpt.* 65. *colligitur*, ex gl. & aliis supra citatis. Et eò magis, quia text. in Clem. *Eos*, *de Regul.* non utitur verbis præsumptionem importantibus, & legem novam inducentibus. (Eos, inquit, qui deinceps in discretionis cõstituti ætate novitiorum habitum in aliqua religione per annum portaverint hoc ipso religionem illã decernimus esse professos, ponderando verba *deinceps*, *hoc ipso*, & *decernimus*, & hoc esse statutum Papæ, quod pro veritate habetur, dicit Vitalin. *ibi n.* 39.

Nec videntur obstare adducta in contrariũ quoniã innituntur huic fundamento, quod credens se esse legitimè professum, errat; ideoq; non habet

41 consensum, qui necessario ad tacitam professionẽ requiritur. Ad quod patet responsio ex supradictis, procedit enim aut in errore, seu ignorantia antecedenti, idest eius rei, quam quis non fecisset si scivisset: aut in errore, seu ignorantia concomitãte, quæ versatur principaliter circa rem, de qua agitur, ut superius explicavim' ex mente D. Tho. & aliorum, & ad has duas species erroris, & ignorantiæ spectant regulæ illæ, quod errantis non sit consensus, nihilque magis sit contrarium cõsensui, quàm error, quod dolus dans causam contractui vitiet contractum, quod falsa causa non obliget profitentem, quod ratum haberi nô pos-

42 sit quod ignoratur, & aliæ id genus. Unde etiã patet opiniones recentiorum quod consentiens, aut vovens sub credulitate valoris prioris matrimonij, aut voti non obligetur ex secundo, non posse defendi nisi in casu, in quo ignorantia esset antecedens, idest si vovens scivisset se nulliter novisse, iterũ non novisset, & idẽ dicendũ in matrimonio.

Doctrina verò Cardinalis Cajet 2. 2. q. 89. *art.* 5. in qua Nauar. præcipuè se fundat, si diligenter expendatur, non videtur obstare huic conclusioni: nam qui votum nulliter emisit, si millies intendit illum adimplere credẽs esse validum, nô propterea, ut ait Cajet. censetur, coram Deo ratificare; quod est verissimum, quia nullibi cavetur, ut executio voti præcedentis novum votum inducat, cũ aliud sit vovere, aliud votum adimplere, secundũ Cajet. *ibid.* At secus est in professione, quia jura decernunt, ut qui fecit professionem nullam, si postea deferat habitum indistinctum per annum, præsumatur veraciter esse professus, ut in d. c. 1. *de Regul. in* 6. Nô licet igitur arguere; Qui exequitur votum credẽs esse validum nô censetur denuò vovere: ergo & qui differt habitum regularẽ per annum credens suam professionem esse validam non censetur denuò profiteri; quia in hoc secundo casu sacri Canones novam professionem inducunt, cum tamen non inducant novum votum per executionem voti præcedentis. Imò ratio Cajet. concludit etiam in eo, qui scit, & considerat votum suum fuisse nullum, adhuc enim non censetur denuò vovere ex eo quod votum servet, cum adimplere votum non sit vovere, & tamen diversum est in professione; nemo enim negat quin professus nulliter, si sciens nullitatem suæ professionis

fionis perseveret per añum in religione, efficitur tacitè professus; de hoc enim est casus apertus in d. c. 1. Ac præterea Cajetanus loquitur in foro conscientiæ, ut patet in illis verbis, Non propterea coram Deo ratificavit; & ita etiã seipsum explicat Navar. in c. *Statuimus, n. 72. vers. Quod est verum, & n. 75. vers. Quoniam autem,* & in d. *cons. 23. n. 2. & cons. 89. vers. Hoc certum esse videtur* quoad forum conscientiæ, & coram Deo, qui omnia novit, & nihil ignorat. Licet rationes supra adductæ pro hac parte concludant tam quoad Deum, & in foro animæ, quam quoad Ecclesiam, & in foro judiciali. Sylvester autem est potius pro hac sententia, dum ait; Is qui credit se esse obligatum ad votum, si illud ratificet aliàs non ratificaturus, non tenetur ad illud: verba enim illa, aliàs non ratificaturus, à contrario innuunt, ut si aliàs ratificaturus esset, obligaretur ex ratificatione.

Atque ex his omnibus satis liquet posteriorem hanc sententiam, etsi authoritatibus fere destitutam, solidioribus tamen rationibus, ac iuribus esse munitam, atque armatam sed quatenus esset solum dubia, videtur tamen valde è re esse ut eam amplectatur S. Cong. ad pacem, & quietem in religionibus conservandam, quemadmodũ hactenus visa est eam tacitè amplexa fuisse, cum ad hæc usque tempora hanc ignorantiæ exceptionẽ numquam admiserit in casibus contingentibus, ob quam quidem rationem credendum est sacros Canones noluisse hanc exceptionem ignorantiæ contra tacitam professionẽ admitti posse. Quod colligitur ex duplici consideratione. Prima est quod etsi passim apud Canones reperiatur tacitam professionem induci per lapsum unius anni, cum habitus indistincti delatione, etiamsi præcesserit expressa professio irrita: nullibi tamen habetur mentio scientiæ nullitatis dictæ professionis, & tamen non est verisimile ut hoc requisitum si necessarium fuisset, prætermissum fuisset à sacris Canonibus, aut ignorantia numquam fuerit allegata. Et mirum est etiam quod de scientia huiusmodi nullus ex Doctoribus, quos vidimus quidquid tetigerit ante tempora Navarri. Quod ferè nos cogit credere hanc exceptionem ignorantiæ nullatenus esse Sacris Canonibus consentaneam. Neque dicatur ideo nec Canones, nec Doctores hanc quæstionem olim tetigisse, quia ante decretum Concilii Trid. in c. 15. *sess. 25. de Regular.* professio emissa ante ætatem legitimam, vel annum probationis expletum non erat nulla:
43 imò enim de jure communi nulla erat professio facta ante decimum quartum annum, ut est textus expressus hic, & supra in c. *Ad nostram,* & ibi Abb. *in 1. & 4. not.* & in c. *Cum simus, infra eod.* in c. *1. eod. tit. in 6. & in can. 1. Illud autem, 20. q. 1.* & si-
44 militer professio facta ante annum probationis in omnibus religionibus Mendicantium, etiam ante Concilium, nulla erat, ut constat ex c. *Non solum,* & c. *Constitutionem, de regul. in 6.* Itaque hæc objectio non tollit vires primæ considerationis superius factæ, nempe quod Canones, aut Doctores fecissent utique mentionem de huiusmodi scientia, si illa fuisset necessaria.
45 Secunda consideratio est, quia sacri Canones contra præsumptionem tacitæ professionis noluerunt admitti posse probationem quod professus non habuerit animum, & consensum profitendi, ut probatur in c. *Quod interrogasti, 27. distin.* ubi mulier quæ velum regulare susceperit, & finxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse, prohibetur nubere, & cogitur in monasterio perseverare: & in c. *Vidua de regular.* ubi mulier quæ sacrum velamen assumpsit, si velit probare se illud non assumpsisse animo profitendi, non auditur. Quod etiã ducto argumento à matrimonio carnali ad spirituale efficaciter probat text. in c. *Ad id quod, de sponsal.* his verbis: [Quamvis undecim annos habens ab initio invita fuisset ei tradita, & renitens; tamen quia postmodum per annum, & dimidium sibi cohabitans consensisse videtur; ad ipsum est cogenda redire, nec de cætero recipiendi sunt testes, si quos memorata mulier ad probandum quod consenserit ad eumdem nominaverit producendos, cum mora tanti temporis ejusmodi probationem excludat. Si ergo contra hanc præsumptionem Canones noluerunt admitti posse probationem defectus consensus; credẽdum est ut similiter noluerint admitti posse probationem ignorantiæ. Nam propter quod est unumquodq; & illud magis, Authent. *Multo magis, C. de Sacrosanct. Eccles.* Probatio autem ignorantiæ si admitteretur, utique admitteretur propter defectum consensus, quem præsupponit. In tantum enim potest impedire ignorantia professionem, in quantum excludit voluntarium. Sed probatio ipsius defectus consensus non admittitur contra præsumptionẽ tacitæ professionis, ut probatum est: ergo longè minus probatio ignorantiæ. Facit text. in l. *Quæ sub conditione, §. Si quis, ff. de condit. instit.* & in §. *Est tamen casus, instit. de hered. instit.* & c. *Cum quid una via. de regul. iur. in 6.*

46 Ad extremum hanc sententiam in fortioribus terminis videtur sequi Innocentius in c. *Consuluit, de convers. coniugat.* ubi ait votum, quod vir uxore sua vivente, & contradicente ingrediendo monasterium emisit, & non valuit, postea fuisse solemnizatum ex perseverantia in monasterio post mortem uxoris; nec requiri ad hoc ut sciverit mortem uxoris, & postea in monasterio remanserit, sed sufficere ut mortua sit, & rationem dicit esse, quia separando se ab uxore, sive invita, juxta c. *Quidam, de convers. coniugat.* sive voluntaria, ut in cap. *Ex parte, eod. tit.* semper præsumitur velle mutare sæculum. Et ex quo tale propositum habet, per habitus susceptionem esset solemnizatum votum, nisi uxor impediret, c. *Consulti, infra eod.* Ergo sublato impedimento uxoris, statim primo momento post mortem eius votũ solemnizatur. Reddit etiam aliam rationem, quia ad hoc ut votum valeat, non requiritur scientia, vel opinio, sed rei veritas, c. *Placet, de convers. coniugat.* Et quamvis in fine Innoc. subdat aliis videri, & forte melius quod non solemnizetur votum illius, qui ignorans mortem uxoris perseveravit in monasterio, ut de matrimonio carnali idem scripsit in c. 1. *de eo qui dux. in matrim.* tamen primam opinionem simpliciter tenet in d. c. *Quidam, de convers. coniug. n. 2.* in qua etiam residet ibi Jo. de Anania *in fin.* eamque expresse approbat Abb. in d. c. *Consuluit, num. 3.* dicens professionem à viro nulliter emissam uxore contradicẽte, vel dissimulante, aut ignorante incontinenti post mortem uxoris fuisse validatam, etiamsi vir illius mortem ignoraverit, quia intrans religionẽ semper videtur intrasse animo serviendi Deo, & mutandi vitam. Unde incontinenti quando fuit subla-

sublatum obstaculum post mortem uxoris remanet professio sua valida, quia contrahens cum secunda habet semper animum depravatum, & non intendit matrimonialiter consentire, sed potius secundam decipere. Unde ille consensus est illegitimus, nec propriè dicitur consensus, sed dissensus. Aliud est in ingrediente religionem, quia semper habet animum mutandi vitam, ut ibi per eum. Si igitur professio illa sublato impedimento, etiam viro ignorante, convalidatur incontinenti ex momentanea perseverantia in monasterio; multò magis censeri debet convalidari professio in casu nostro, in quo post sublatum impedimentum ætatis supponimus professum perseverasse in religione per plures annos cum delatione habitus indistincti.

Novissimè hanc sententiam sequuti sunt Domini de Rota *in causa Meten. Professionis, 2. Iunij* 1636. coram Carillo in hæc verba: (Nec etiam obstat quod ad ratificandam professionem tacitam desumptam ex pluribus actibus factis per Pepinam in dicto monasterio, requiritur ut ipsa sciverit nullitatem professionis præcedentis: aliter verò ex permanentia in monasterio nõ censetur inducta ratificatio professiõis. Cajet. *in 2. 2. q. 189. art. 5.* Navar. *cons. 28. n. 7. & cons. 89. n. 3. de regular. & in Manuali c. 12. n. 71.* Et in puncto de Moniali in Civitate Meten. quod non censeatur ratificasse professionem sine scientia dictæ nullitatis, Rota *decis. 179. n. 6.* & *decis. 307. n. 5. par. 4. recent.* quia prædictam doctrinam uti non tutam S. Cõgregatio Concilij non amplectitur; sed potius contrarium pluries declaravit, veluti die 13 Januarij 1583. & die 28. Augusti 1621. in alia Romana inhærendo declarationibus aliàs factis censuit Joannem Petrum esse tacitè professum, & religioni adstrictum, etiamsi non probetur ipsum habuisse scientiam individuam nullitatis professionis expressæ ab eo prius emissæ. Quas declarationes S. Concilij S. D. N. Urbanus VIII. observari mandavit primo Februarij 1631. in una Romana nullitatis professionis.) Hæc ibi. & mox subjiciuntur aliqua ex fundamentis superius relatis.

47 Hactenus promiscuè egimus de ignorantia nullitatis professionis tam quoad religionem, quam quoad professum. Rationes enim, & fundamenta omnia, quibus probatum est per hujusmodi ignorantiam non impediri professionem tacitam, æquè vigent, sive ignorantia deducatur ex parte professi, sive ex parte religionis. Veruntamẽ cum ignorantia ex parte religionis deducitur, longe minor est difficultas; quia professio nulla ob impedimentum ætatis seu aliam ob causam cessante impedimento cõvalidatur ob sola ratificationem professi, nec requiritur nova acceptatio religionis, ut constat ex cap. *Cum virum infr. eod.* ibi, [præsertim si ratihabitione sequuta, etsi eam quandoq; contradixisse constiterit,] ex cap. *1. eod. tit. lib. 6.* ibi, seu professionem à se prius factam ratam expressè habeat, ex cap. 1. *supra quod met. cau.* in illis verbis, (Si legitimè probatum fuerit prædictam mulierem, &c.) Quod fecit postmodum ratum habuisse, ipsam ad religionem redire compellatis. Quibus juribus constat solam ratihabitionẽ professi desiderari ad hoc, ut professio nulliter facta efficiatur valida, atque ita censent Navarr. *cons. 35. num. 3. & cons. 46. n. 2. de Regul. in prima edit. & in 2. cons. 27. num. 2. & cons. 28. num. 3.* Unde parum refert an ignorantia nullitatis professionis expresse impediat ratificationem religionis, nec ne, cum ea ratificatio ex parte religionis non requiratur, & quatenus requireretur, tamen Summi Pontifices tamquam suprema Ordinum Regularium, cap. *Exiit, §. Adhæc cum fratres, de verb. signif. lib. 6.* voluerunt eam supplere, admittendo professionem illam per solam ratihabitionẽ professi, ut religionum paci, & tranquillitati consulerent.
48 Præterea si requireretur scientia dictæ nullitatis, utique requireretur non solum in Superiore monasterij, sed etiam in illis de Capitulo, ad quos pertinet novitios ad professionem admittere. Creatio enim Monachorum de jure simul spectat ad Abbatem, & Capitulum, & requiritur saltem consensus majoris partis Capituli, ut notatur in cap. *fin. de Regul. lib. 6.* atque ita si unus tantum ignorasset nullitatem professionis expressè, & ex ejus voto major pars Capituli integraretur, hoc satis esse ad excludendam professionem: deficeret enim consensus, & votum unius necessarium ad professionem recipiendam. Quod esset maximè absurdum, quia hoc modo esset inventa via prorsus tollendi tacitam professionem,
49 ubi præcessit expressè nulla. Denique ex abundanti etsi ignorantia etiam unius ex Capitularibus tacitam professionem impediret; tamen Superiores regulares huiusmodi ignorantiam allegare volentes nullatenus videntur audiendi: nam cum ex Decreto Conc. Trid. *cap. 15. sess. 25. de Regular.* prohibente quemquam ad professionem admittere ante decimumsextum ætatis annum expletum, & ex institutis suorum Ordinum, & Cõstitutionibus Apostolicis præsertim Clementis VIII. teneantur sub gravibus pœnis diligenter inquirere, ac nosse ætatem cujusque Novitij: utique audiendi non sunt allegantes ignorantiam omnino tenentur ex officio inquirere, c. *Ad falsariorum, de crim. fals.* Gemin. in cap. *In memoriam, col. 2. 19. dist.* Jas. in l. *Si rerobligata, post num. 40. vers. Secundo notabiliter limita, num. 41. de legat. 1.* ubi ait, cum quis tenetur ratione officii indagare factum alienum, tunc præsumitur illud scire, nec toleratur ignorantia, alios refert Menoch. *lib. 6. præsumpt. 23. n. 66.*

DE REGVLARIBVS.

Cap. Cum virum.

SVMMARIVM.

1 *Filia minor duodecim annis à monasterio tradita, si maior facta sponte veletur, ad sæculum redire non potest.*
2 *Monachum facit aut paterna devotio, aut propria professio.*
Declaratur n. seq.
3 *Religioni an filius impubes alligetur ex oblatione parentum, & n. 42.*
4 *Professus tacitè censetur per vim oblatus religioni à parentibus, si post pubertatem habitum professorum susceperit.*
5 *Et hæc est præsumptio iuris, & de iure.*
Et quid post Concil. Trid. n. 8.
6 *Voluntatis declaratio, & iuris effectus resultat ex-*

actibus certæ obligationis attributis.
7 Intellectus, cap. supra eod.
8 Professio tacita per susceptionem habitus professorum hodie non inducitur nisi post annum ætatis decimumsextum, & expleto anno probationis.
9 Puella minor duodecim annis à parentibus monasterio oblata an habitum regularem suscipere possit nõ obstante Concilio Tridentino, & n. seq. usque ad num. 25.
10 Concilij Tridentini decretum in cap. 17. sess. 25. de Regular. expenditur, & n. seqq.
11 Voluntatis exploratio si puella sit maior duodecim annis ex Concilio Tridentino facienda est tam ante habitus susceptionem, quàm ante professionem. Sin autem minor ante professionem tantum, & cur.
12 Michaelis Medina testimonium, qui Concilio Tridentino interfuit circa decretum cap. 17. sess. 25. de Regular.
13 Voluntas impuberum, qui religionis habitum susceperunt de iure communi explorari non debet nisi post pubertatem.
14 Argumentum ab identitate rationis non procedit in materia correctoria.
15 Episcopus si velit potest bis explorare voluntatem puellæ, quæ ante duodecimum annum habitum regularem suscepit.
16 Filij post pubertatem non possunt inviti à parentibus religioni offerri.
17 Et quid ante pubertatem.
18 Parentes qui cogunt puellas invitas ad ingrediendum monasterium ante duodecimum annum, an sint excommunicati.
Concilium Tridentinum in cap. 18. sess. 25. de Regul. expenditur, ibidem.
19 Pœna detrusionis in monasterium Monialium an possit infligi mulieribus secularibus, & n. seqq.
20 Monasterium Monialium ingredi non licet authoritate Episcopi, nisi ex causa necessitatis ipsius monasterij.
21 Episcopus permittere non potest, ut mulieres ex causa litium matrimonialium, adulteriorum, vel alia simili, ingrediantur monasteria Monialium.
22 Detrusi in monasterium ad agendam pœnitentiam non coguntur habitum regularem suscipere.
23 Licentiæ admittendi ad habitum regularem puellas duodecim annis minores peti consueverunt à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium.
24 Parentes, vel tutores an possint religioni offerre impuberem invitum, & num. seq. usq. ad n. 45.
25 Filius impubes potest tradi monasterio à parentibus.
26 Tutores sicut possunt pupillum è monasterio revocare, ita religioni offerre.
Declaratur, n. 40.
28 Oblatio parentum de impubere se habet ad professionem sicut sponsalia ad matrimonium.
Contrarium, n. 41.
29 Opiniones plures simpliciter referens censetur ultimam approbare.
30 Fallit si quis primo ponit suam opinionem, & postea subdat, alij dicunt.
31 Doctor respondens per verbum, videtur, intelligitur de iure respondere, quod facit pro dictis Innocentij.
32 Puellæ in electione propositi non coguntur sequi parentum imperium si sint in ætate nubili; alias secus.
33 Dictio, tunc, denotat extremitatem temporis, & idem importat quod, eo casu.
34 Parentes, vel tutores possunt è monasterio revocare impuberem licet invitum.
35 Ligandi, & solvendi Dominus par ius esse voluit.
36 Votum filij impuberis possunt parentes irritum facere, sed non possunt eum cogere ad vovendum.
37 Votum necessariò exigit deliberationem, propositum, & promissionem.
38 Infans ex voto non obligatur.
39 Votum obligat puerum doli capacem quamdiu parentes non contradicunt.
40 Religionem coactè ingressi in adulta ætate dicuntur potius peccata committere, quàm plangere.
41 Sponsalia quid sint, & quid differant ab oblatione, quæ fit à parentibus religioni de filio impubere.
42 Impuberes ex sponsalibus obligantur infra annos pubertatis.
43 Sponsalia ab infante contracta sunt nulla ex defectu consensus, nec pariunt impedimentum publicæ honestatis.
44 Infans tradi potest religioni à parentibus.
45 Pueros an expediat religioni tradere.
46 Pueri à teneris annis ad pietatem, & religionem informandi.
Romani, & nobiles dabant B. Benedicto filios nutriendos, ibidem.
47 Clericis Regularibus Theatinis, & Ministrantibus Infirmis interdictum ne quempiam ad habitum regularem recipiant ante pubertatem.
Bulla Pij V. de novitijs non recipiendis nisi post decimumoctavum annum an, & quomodo sit temperanda, ibid. vers. Generali tamen decreto.
48 Pueros quibus religionibus expediat tradere ex sententia Caietani.
49 Clementis VIII. decreta de novitijs non recipiendis, nisi in conventibus designatis expenduntur.
50 Fratres Minores Cismontanæ familiæ qualiter fuerint reintegrati ad recipiendos novitios.
51 Regis Christianissimi instantia de novitijs non recipiendis, nisi in religionibus primævum institutum servantibus.
52 Religiones plures in Concilio Lugdunensi extinctæ.

1 CUM VIRUM. Si filia minor duodecim annis à parentibus monasterio tradita maior facta, spontè veletur, ad sæculum redire non potest. Hoc dicit secundum Jo. Andr. & omnes. Dividitur in tres partes. In prima ponitur consultatio. In secunda responsio, ibi: *Consultationi tuæ.* In terra tacitæ objectionis solutio, ibi, *nec obloquitur.*

Nota primò dictum Concilij Toletani relatũ
2 hic, & in cap. *Monachum*, 20. *q.* 1. videli. et Monachum facit, aut paterna devotio, aut propria professio. Et pondera Concilium loqui alternativè. Unde videtur inferri, ut sola traditio parentum faciat Monachum filium impuberem; quod tamen est falsum, quia nullus tonderi potest ut fiat Monachus, nisi in legitima ætate, & spontanea
3 voluntate, cap. 1. & ibi gl. 1. *supra eod.* cap. *Si in qualibet*, 20. *q.* 2. Nec filius cogitur in hoc sequi imperium patris, ut *hic in fine*, & in cap. *Puellæ*, 20. *q.* 1. & in cap. *Cum simus, infr. eod.* quia res est voti, non præcepti, cap. *Integritas*, 32. *q.* 1. & d. c. *Puellæ.* Timore hujus contrarij glos. hic in ver. *Paterna devotio*, exponit particulam, *aut*, pro, *&*, ut in l. *penul. C. de verbor. signif.* Sed hæc expositio non congruit litteræ ibi, *Quidquid horum fuerit, al-*

liga-

ligatum tenebit. Quæ verba ostendunt alterutrum sufficere, ut quis alligetur religioni; non enim legendum est, allegatum, sed alligatum, prout habet vera, & communis littera secundum Jo. Andr. n. 1. in ver. *Alligatum.* Unde Hostien. *hic num.* 5. *in ver. Aut dicit litteram posse intelligi disiunctivè.* Nam paterna obligatio, sive devotio facit Monachum filium, quem obtulit in pupillari ætate duobus modis. Primò quia durante pupillari ætate exire nõ debet. Secundo quia si postea non contradicat, consentire videtur, nec potest de cætero reclamare, ut innuitur in hoc cap. & in cap. *Cum simus, infra eod.* cap. *Illud*, 20. *q.* 1. & cap. *Præsens*, *q.* 3. de quo per eum in *Summa hoc tit.* §. *Utrum exire, vers. Dicas breviter*, & consentit Butr. *hic in* 1. *notab. num.* 2. dum dicit aliquem religioni alligari, tam ex traditione parentum, quam ex propria voluntate ingressi; hæc tamen differentia, quod traditio parentum ita demum obligat, si traditus sit in minori ætate constitutus; & tunc non perpetuò, & irrevocabiliter, sed usque ad tempus legitimæ ætatis; & post tempus ita demum, si ratificet; traditio autem propria infra pubertatem nullatenus obligat, post pubertatem verò indifferenter obligat, & irrevocabiliter. Sed certè in neutro ex his duobus casib⁹ paterna devotio facit propriè Monachũ: nam primo casu filius non efficitur Monachus, cum non habeat ætatem legitimam, & egredi non potest, non quia sit religioni alligatus, sed propter defectum discretionis, & judicij, ut in cap. 2. *sup. eod.* Secundo autem casu intervenit ratihabitio, & sic tacita professio filij. Unde meritò hanc solutionem Host. refellunt *hic* Card. *n.* 3. *vers. Oppono*, & Abb. *in glos. n.* 6. *in ver. Paterna devotio.* Expone ergo litteram: Monachũ facit aut paterna devotio, quam filius factus pubes ratã habet ex devotione, quam gerit erga patrem, & sic occasionaliter: aut propria professio secundum gl. præalleg. *in verb. Paterna devotio*, *in prin.* Innoc. *in ver. Alligatum*, Host. *num.* 5. *in ver. Quidquid horum.* Nec refert quod ratihabitio filij in effectu nihil aliud sit, quam professio; quoniam non est novum in jure, ut ratihabitio, & professio ponantur disiunctivè, ut patet in c. 1. *hoc tit. lib.* 6. ibi, Nisi professionem faciat, seu professionem à se prius factam ratam expressè habeat, nec non ibi: *professionem per hoc fecisse, vel si quam prius fecerat, ratam habuisse videtur*, cum simil.
4 Secundò nota impuberem etiam per vim oblatũ religioni à parentibus, si post pubertatẽ habitum professorum susceperit, eo ipso censeri tacitè professum. Et de hoc est casus hic secundum Abb. *in princ.* nam puella ante annos pubertatis fuit tradita monasterio invita, ut patet ex littera ibi, *etsi eam quandoq; contradixisse constiterit*; & tamen quia major facta velũ suscepit, quod dari profitẽtibus cõsuevit, ut patet, ibi, *cum benedictionem accepit, quam*
5 *nonnisi in ætate discretionis recipiunt qua velantur*; ex hoc censetur tacitã professionẽ emittere. Et quidem præsumptione juris, & de jure, quæ sumitur ex actu gesto, contra quã non admittitur probatio, nisi per contrariam protestationem præcedentẽ,
6 ut sentit *hic* Butr. *n.* 4. Ratio est, quia ex actibus certæ obligationi attributis resultat juris effect⁹, & declaratio voluntatis, quæ qualitercunq; declaretur verbis, an signis, nihil refert, ut l. *certum, ff. Si cert. pet.* secundum Petr. de Anchar. *hic n.* 2. in 2. *notab.* & Jo. de Anan. *num.* 3. Ad hoc cap. *Ex parte*, cum ibi not. per glo. *in ver. Per annum*, & cap. *Statuimus, infr. eod.* c. 1. *de Regul. lib.* 6. & Clem.
7 *Ne, eod. tit.* Et ita non obstat tex. in c. 2. *sup. eod.* & in cap. *Puella*, 20. *qu.* 2. ubi impubes monasterio oblatus non censetur tacitè professus, nisi per annum, & diem in monasterio permanserit, sicut nec pubes per vim ingressus, qui infra añum non reclamavit: nam illa jura procedunt, quando ingressus nullum fecit actum positivum à profitentibus fieri solitum: tunc enim non censetur professus tacitè, nisi per añum dissimulando consenserit, ut dicitur in d. c. *Puella*, & notant DD. in d. c. 2. post glos. *fin. ibi.* In hac verò decretali puella major facta velum conversionis, seu professionis accepit. Unde cum intercesserit actus positivus voluntatis declaratorius, non exigitur añale intervallum, sed ex ipso actu susceptionis veli intelligitur tacitè professa, ut hic, & in cap. *Vidua, supra eod.* & infra in cap. *Statuimus.* Et ita hæc jura in effectu conciliat Innoc. in dict. c. 2. *num.* 2. *vers. Nec obstat*, ubi dicit non obstare hoc capitulum, ubi innuitur ut si veniens ad ætatem legitimam non contradicat, ratum habere videatur, quia hic non fuit solus transcursus temporis, sed benedictio Monachalis recepta fuit in majori ætate, & sequuntur totidem ferè verbis Hostien. *num.* 7. Jo. Andr. *num.* 2. *vers. Nec obstat* Cardin. *num.* 11. *vers. Oppono*, & alii communiter. Hodie tamen
8 intelligendum procedere dummodo suscipiens habitum professorum steterit per annum integrum in probatione, & explevit añum ætatis decimumsextum: alias enim ex hoc non censeretur tacitè professus, quia Concilium Tridentinum in *cap.* 15. *sess.* 25. *de Regular.* sicut irritam facit professionem expressam ante annum decimumsextum completum, & non peracto año probationis, ita & tacitam, quæ inducitur per susceptionem habitus professorum, vel per actus, qui à solis professis fieri consueverunt, ut sæpius declaravit S. Congregatio ejusdem Concilii Interpres.
9 QUÆRO, An puella duodecim añis minor à parentibus monasterio oblata hodie habitum regularem suscipere possit, non obstante decreto Tridentini Concilii in *c.* 17. *sess.* 25. *de Regular.*

Videtur respondendum posse puellam à parentibus, ut suo tempore Monialis fiat, oblatam indui habitu regulari, etsi adhuc duodecim annis minor existat: id enim minori duodecim annis de consensu parentum tacito, vel expresso à Sacris Canonibus permissum est, ut habetur expressè in hac Decretali, cap. *Addidistis*, cap. *Quicunque*, cap. *Illud autem*, 20. *q.* 1. c. 1. & c. *fin.* 20. *qu.* 2. & c. 2. ubi
10 plenè dixi supra eodem. Huic autem sacrorum Canonum dispositioni non adversatur Tridentinum Concil. *d. c.* 17. *sess.* 25. *de regular.* nam cùm correctio jurium sit quantum fieri potest vitanda, c. *Cum expediat, de elect. in* 6. l. *Præcipimus, in fine, C. de appellat.* cum simil. & puellæ duodecim annis minores secundum Canones sint habiles ad suscipiendum habitum regularem; non est credendum per Concilium tot jura correcta, & subversa fuisse, c. *Ecclesia vestra, il secunda, eod. tit.* cum ex verbis Concilii ea correctio necessariò non inferatur. Observandum est enim ex eo decreto si ac-
11 curatè expendatur, in hoc solum constitui differentiam inter puellam duodecim annis majorem ac minorem; Quod si major sit, ejus voluntas se-

mel

mel atque iterum explorari debeat, nempe ante habitus susceptionem, & ante professionem; sin autem minor, nonnisi semel, hoc est ante professionem ipsam, verba enim textus sic se habent. (Si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea illa, vel alia professionẽ emittat, quàm Episcopus exploraverit virginis voluntatem) Ubi ponderanda est illa dictio, *alia*, quæ referri non potest nisi ad puellam duodecim annis minorem, ita ut propterea sensus Concilij sit; Si puella major sit annorum duodecim, non antè habitum suscipiat, nec postea ipsa, idest major, vel alia, idest minor, professionem emittat, quàm Episcopus eius voluntatem exploraverit. Atque ita in majore voluntas bis jubetur explorari, in minore semel tantùm.

Diversitatis ratio ex est, quia in minori supervacanea esset hujusmodi exploratio; tum quia integrum judicium ad deliberandum non habet, c. *Illud*, 20. *quæst.* 1. Et arg. à contrariò sensu in hac decretali in fine, tum quia vel invita monasterio à parentibus tradi potest, ut patebit infra à *n.* 17. Non ergo Concilium prohibet quin puella natu minor habitum regularem suscipere queat, imò expresse admittit per illam dictionem, *alia*; sed tantũ prohibet quin ipsa postea profiteatur, priusquã Episcopus illius voluntatem scrutatus fuerit.

Atque ita (quidquid contra senserit Azor. *to.* 1. *lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 5. & 56. & Rodrig. *de regul. to.* 3. *q.* 12. *art.* 2.) clarè ac dilucidè explicat Michael Medina *de sacrorum hominum continentia lib.* 4. *de controvers.* 9. *c.* 4. ubi affirmat (nihil alienius à Tridentini Concilii mente excogitari posse, quam ut puellam duodecim annis minorem prohibuerit habitu regularem suscipere; testaturque se interfuisse illi decreto, atque attentissimis auribus suffragia omnium Episcoporum accepisse, & nihil tractatum fuisse, nisi de sola puellarum majorum duodecim annis ad religionem admissione; & duo tantùm statuta fuisse, Primum ut si puella ingrediens sit major duodecim añis, quantæcumque ætatis sit, duplex Episcop: examen subeat, alterum ante habitus susceptionem, alterum postea ante professionem, quia sæpè puellæ invitæ habitum suscipiunt. Et quamvis voluntariè illum assumant, non rarò invitæ profitentur timore parentum, vel cognatorum, vel verecundia habitum dimittendi. Secundum verò quod in eo statuitur ut puella minor duodecim annis ingrediens unicum examẽ subeat, nempè professionis, tempore quo ante ætatem duodennem vanum existimavit Concilium hoc examen præmitti, ob tenerum rationis usum puellæ.) Hæc Me-
13 dina. Simile habetur in decreto Marcelli relato in c. *Illud*, 20. *q.* 1. ad quod fortè respexerunt Patres Concilij; nam in eo decreto sancitur, ut filii si minori ætate monasterio oblati fuerint, vel habitũ regularem susceperint, decimoquinto anno à Prælatis moniti inquirantur utrum in ipso habitu permanere cupiant, an non. Ecce igitur quod etiam de jure communi exploratio voluntatis in minoribus fieri debet tantummodo cum ad annos pubertatis pervenerint, & non antea.

Et ex his constat nihil obstare quod dicunt aliqui impossibile esse ut post Concilium minori duodecim annis detur habitus, cum ex *d. cap.* 17. antequã detur, debeat ordinarius scrutari puellæ voluntatem an coacta, an seducta, an sciat quid agat. Et hæc causæ cognitio in minore congruè adhiberi non possit; Ideoque necessariò sequitur argumento ab impossibili, ut Concilium voluerit ne ea ætate habitũ regularem accipere possent.

Respondetur namq; hoc argumentum petere principium; negatur enim Concilium requirere hanc causæ cognitionem quando traditur habitus minori duodecim annis, cum eam tantum requirat, quando datur habitus ei, quæ est major annorum duodecim, ut ostensum est supra.

Non item obstat si dicas rationem à Concilio expressam in *d. c.* 17. quæ est ut libertati professionis Monialium consulatur militare, nedum in majoribus, sed etiam, & multo fortiùs in minoribus, quæ eo magis minis, & metui obnoxiæ sunt, quo per ætatem sunt timidiores.

14 Primò enim respondetur in materia correctoria non procedere argumentum à majoritate rationis, gl. 1. in Authen. *Quas actiones*, *C. de sacros. Eccles.* quæ communiter approbatur teste Decio, in l. *Non debet cui*, *n.* 4. *ff. de regul. iur.*

15 Secundò respondetur expressionem dictæ rationis pro hac opinione facere, dum Concilium cautè se restrinxit ad libertatẽ emittendæ professionis, nõ autem ad libertatem assumptionis habitus. Quæ ratio licet militat etiam in minore duodecim annorum, ita & dispositio Cõcilij. Præterquam quod antequã ipsa ad professionem admittatur, poterit Episcopus, si ita è re esse existimaverit, bis voluntatem explorare, ut Conciliũ præscribit in majore, nempe post annum duodecimum, & immediatè ante professionem.

16 Tertiò, respondetur negando in minore militare eandem rationem, quæ militat in majore. Imò enim secundum Canones major non potest invita tradi monasterio, §. *Cum ergo*, c. *Sicuti*, & c. *sequen.* 20. *q.* 1. cap. 1. *supra Quod met. cau.* & c. 2.
17 §. *Si verò*, *sup. ead.* At verò minor a parentibus offerri potest etiam invita, ut plenè dicam in *quæst. sequen.* à *n.* 24. *usque ad n.* 48. Et ob id meritò Concilium in majore requisivit, ut dicta inquisitio adhiberetur, ne invita contra Canones traderetur monasterio. At eandem inquisitionem omisit in minore, quàm fortè intellexit posse etiam invitam monasterio tradi, & hoc non injuria, quia ut colligitur à contrario sensu ex hac decretali, puellæ usque ad dictam ætatem non suam, sed patris sequi voluntatem.

18 Quiquidem intellectus satis etiam confirmatur ex c. 18. immediatè sequenti ubi anathemati subjiciuntur qui quandocũq; coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem invitam præterquã in casibus in jure expressis ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendũ habitum cuiuscunq; religionis, vel ad professionem emittendam. Inquiro enim quorsum illa verba, præterquam in casibus in jure expressis? Et quidem in detrusis in monasteriũ ad agen-
19 dam pœnitentiam, verificari nõ possunt, quia nullibi, quod meminerim, reperitur jure cautum, nec servatur in practica, ut mulieres sæculares detrudantur propter crimen in monasteria monialium ad agendam pœnitentiam; nam c. *Impudicas*, 27. *q.* 1. loquitur de mulieribus jam professis, quæ propter prævaricationẽ detruduntur in ergastula, & alia jura loqũtur de viris, qui detruduntur in monasteria Monachorum, ut in c. *Si ille*, 50. *dist.* c. *Placuit*,

cuit, 21. *quæst.* 2. cap. *De lapsis*, 16. *q.* 6. & cap. *Sicut*, 20. *quæst.* 1. cum concordan. de quibus ibi per gloss. *in ver. offensionis*, & notat gloss. *in summa ead.*
20 *cau. & quæst.* Præterea Episcopus, vel Superior facultatem non habet ponendi personas sæculares in monasteriis Monialium, nisi in casibus necessarijs, ut in decreto Concilij Trid. c. 5. *vers. Date autem, sess.* 25. *de regular.* Et casus necessarij intelliguntur respectu monasterij, nõ autem respectu ingredientiũ, ut sæpius declaravit Sac. Congregatio ejusdem Concilij Interpres. Et idcircò
21 in *causa Salamantina die* 19. *Februarij* 1604. respondit non licere ullo modo Episcopis, vel permittere, vel licentiã concedere mulieribus, ut ex causis litium matrimonialium, adulteriorum, ac dissensionum inter viros, & uxores, & his similibus ingrediantur monasteria monialium. Imò ingredientes incidere in excommunicationem decreto Concilij, atq; summorum Pontificum Constitutionibus impositam. Ergo pariter saltem post Constitutionem Bonifacij VIII. de qua in c. *Periculoso*, *de statu Regular. lib.* 6. innovatam à Concilio in *d. c.* 5. nec licebit Episcopis detrudere in Monasterium monialium mulieres criminosas, cum in hoc nulla versetur utilitas, vel necessitas monasterij, & consequenter exceptio Concilij non potest sortiri effectum in hujusmodi pœna detrusionis, quia hic non est casus Episcopis concessus.
22 Sed esto mulieres detrudi possent in monasteriũ, nihilominus exceptio Concilij verificari nõ potest in his mulierib⁹, quæ coguntur habitum Religionis suscipere, quia qui detruduntur sive viri, sive fœminæ non coguntur assumere habitum regularem, neque id jure cavetur; sed tantùm sunt ibi ut pœnitentes, ut in d. c. *Si ille*, & c. *De lapsis*, & in c. *Tua*, *infra de pœnis*, & cedere in ignominiã ordinis, ut sæculares tam graviter delinquentes habitum monachalem induerent. Quamobrem ut verificetur exceptio Concilij, necesse est assignare aliquem casum in jure expressum, in quo puella cogi possit habitum Religionis suscipere. Et certè non succurrit alius casus, quàm in puellis nondum constitutis in ætate nubili, quæ invitæ à parentibus monasterio offeruntur, secundum prædicta. Et fortè ad hunc casum respexerunt Patres Concilij; nisi dixeris exceptionem illam posse habere locum in mulieribus, quæ votum religionis emiserunt; possunt enim cogi ad voti observantiã, c. 1. & *per tot.* 27. *q.* 1. c. *Licet*, *infra de voto.* Sed tamen adhuc restat difficultas, quia cũ Concilium loquatur per verba pluralis numeri, in casibus in jure expressis, oportet saltem assignare duos casus, in quibus puellæ possint cogi ad susceptionem habitus, l. *Ubi numerus*, *ff. de testib.* & sic casus oblationis adhuc remanet in prædicta exceptione inclusus. Et stante hoc intellectu ineptum esset ut in decreto d. c. 18. *sess.* 25. *de regul.* Concilium perseverasset Sacrorum Canonum dispositionem circa puellas natu minores, quæ à parentibus monasterio traduntur invitæ, si in præcedẽti decreto eandem dispositionem sustulisset, vel certè se incontinenti correxisset quod non est dicendum. l. *Non ad ea*, & ibi gloss. *in ver. Professus*, *ff. de condit. & demonst.* Porrò quia puellæ minores non debent indistinctè ad habitum regularem admitti, sed à parentibus, vel tutoribus oblatæ, & nonnunquam subesse potest seductionis periculum à monialibus, & aliæ rationes vigere possint cur non expediat illas admittere; hinc factum est ut Sacra Congregatio Concilii aliquando, & præsertim in causa Lucana dixerit non esse dispensandum ut puella, quæ duodecimum añum nondum excesserat, admitteretur. Et
23 hinc etiam inoleuit praxis ut licentiæ admittendi ad habitum ejusmodi puellas natu minores petantur à S. Congregatione Episcoporum, Regularium, quæ nonnisi rarò, ac matura deliberatione illas concedere consuevit.

24 Ulteriùs QUÆRO, an impubes invitus possit à parentibus, vel tutoribus religioni offerri.

25 Conveniunt omnes filium ante annos pubertatis tradi posse monasterio à parentibus. De hoc enim est textus clarus *hic*, & in c. *Cum simus*, *infra ead.* cum concord. de quibus supra *n.* 9. Idemque
26 in tutoribus firmat. Innoc. *hic*, & in c. 2. *supr. ead.* quem utrobiq; DD. communiter sequuntur. Et probatur efficaciter in c. *Puella*, 20. *q.* 2. ubi patet tutores posse revocare ingressum puellæ impuberis, nisi añum, & diem dissimulando consenserint.

Ergo si possunt consentire oblationi tacendo, & dissimulando, & sic tacitè; magis consentire possunt expressè. Quod parum habet difficultatis, si filius, vel pupillus consentiant.

Sed dubium est quid juris sit si contradicant, Jo. Andr. *n.* 2. Simpliciter refert opinionem dicentium invitum non posse tradi monasterio; nec eam approbat, aut reprobat. Sed gl. *in summa* 20. *q.* 1. distinguit sic. Si impubes intrat, aut ab alio ponitur in monasterio, aut per se intrat: si ab alio ponitur, & ipse non consentit, & tenet ingressus; Et licet consensus ille qui fit ante annos discretionis non teneat, inde tamen exire non potest priusquam veniat ad legitimam ætatem. Et ita sentit gloss. impuberem invitum non posse monasterio tradi. Eandem distinctionem ponit Petr. de Anchar, in *d. c.* 2. *n.* 8. Et hoc tenent ibi Card. *in* 6. q. Jo. de Anan. *n.* 7. & plenius Abb. *n.* 9.

Fundatur hæc opinio à contrario sensu in cap.
27 *Puella*, 20. *q.* 1. & in c. *Puella*, *q.* 2. Sed illa jura parum, aut nihil faciunt. Deinde pro hac sententia facit secundum Abb. quia voluntarium militem diligit Deus, c. *Non est*, 15. *q.* 1. Item oblatio
28 parentum de impubere se habet ad professionem, sicut sponsalia ad matrimoniũ, arg. 20. *q.* 1. *in primis quatuor Capitulis.* Sed ex sponsalibus contractis per parentes filij non obligantur nisi tacitè vel expressè consenserint, puta quia fuerint præsentes, & non contradixerunt, cap. 1. §. *fin. de despons. impub. lib.* 6. Ergo idem dicendum in hujusmodi oblatione. Et in hoc residet Abb. dicens ita sentire Innocentium, & eius dictum sibi magis placere.

29 Sed tu adverte, quia Innocentius in d. cap. 2. sup. eod. videtur tenere contrarium: nam *num.* 2. *vers. Si autem coacti*, primò recitat opinionem quorundam, qui dixerunt filios coactè missos in monasterio posse quandocumque exire, etiam ante tempus pubertatis, & citat jura superius relata, & mox subdit; Contrarium tamen videtur: & allegat jura pro hac parte, nec aliud subjungit: Unde censetur residere cum hac secunda opinione cum eam ponat ultimo loco secundum theoricã gloss. notab. in l. *Qui filium*, §. *Sabinus*, *ff. Ad Trebell.* Host. qui loquitur de opinionibus Innocentii in cap. 1. *infra de pœnis*, Bart per illum textum in l. *Bona fides*, *ff. depos.* & Bald. in l. *Si idem*, §. *fin.*

ubi similiter infert ad dicti Innocentii. ff. de iurisdi-
30 ction. ind. Et eo magis quia Innocentius in prima opinione loquitur per illa verba, *Quidam dicunt*, quo casu etiamsi illam opinionem retulisset ultimo loco; tamen non censeretur eam approbasse, ut declarat Dec. post alios in cap. 1. *num. 97. supra de constit.* ubi limitat glos. *in d. §. Sabinus*, ut non procedat quando primò ponit suam opinionem, & postea subdit, *alij dicunt*, quia tunc prima opinio non censetur glossæ; non autem secunda, & eodem modo limitat Jas. in d. l. *Si idem*, §. *fin.*
31 *n. 3.* Nec refert quod secundo loco Innocentius loquatur per verbũ *videtur*, quia Doctor respondens per verbum *videtur*, intelligitur de jure respondere, ut in r. 1. & ibi DD. *de iudic.* & notat Marian. Socin. in c. *De cætero, num. 2.* & ibi dixi *n. 3. infra de homicid.* Quod maxime procedit in dictis Innocentii, qui ferè semper loquitur per verbum, *videtur*, *vel credimus*, aut *forte*. Et fuit philosophicum temperamentum, ut inquit Host. in cap. *Nisi cum pridem*, *num. 5. supra de renunc.* Quamobrem Innocentius est apertè pro hac parte. Sed & Host. *in eod.* cap. 2. *nu. 5.* dicit primò, loco, Aliqui dicunt quod si coacti offerantur, ante pubertatem egredi possunt, deinde subdit, Alij contra, & sic cum simpliciter referat duas opiniones, censetur ultimam approbare secundum theoricam gl. præallegatæ. Et hoc expressius firmat ibi Henric. Boich. dum concludit ingressum per vim, seu coactum non debere exire durante pupillari ætate, si compulsio fiat à parentibus, vel in eorum defectum à tutoribus.

32 Et quidem hæc secunda opinio, nec jure, nec ratione destituitur: nam quod pertinet ad jus, pro ea valde stringit hæc decretalis, ubi Constit. Leonis Papæ, ut puellæ, quæ coactæ parentum imperio virginitatis habitum susceperunt, ipsum possint sine prævaricatione deserere, declaratur intelligi de illa, quæ est constituta in ætate nubili; & redditur ratio, quia tunc cùm liberum arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem: ergò à contrario si sit constituta in minori ætate, cogitur sequi voluntatem parentum, cum in electione propositi liberum arbitrium non habeat: alioquin declaratio huiusmodi, & ratio assignata esset inepta, si nulla puella sive major, sive minor cogenda esset sequi vo-
33 luntatem parentum. Et confirmatur ponderando dictionem illam, *tunc*, quæ denotat extremitatem temporis, l. 4. *in fin.* & ibi gl. *ult. ff. de condit. & demonstr.* Bart in l. *In substitutione*, *num. 1. ff. de vulg. & pup.* & propriè idem importat quod eo casu gl. in l. *Gallus*, *in princ. in verb. Tunc*, *ff. de liber. & posth.* & operatur, ut dispositio non habeat locum in alio casu. Roland. à Valle, *cons. 70 num. 15.* & plenius *cons. 56. num. 20. lib. 3.* Unde sequitur, ut in eo tantùm casu puella non teneatur sequi imperium parentum, in quo pervenit ad ætatem nubilem, secus si non pervenerit. Unde Abb. *hic in ultimo notab. num. 5.* videtur recedere à contraria opinione, quam tenuit in c. 2. *supra eod.* dum fatetur hoc capitulum multum facere contra ea, quæ ibi dixit. Ad idem faciunt jura in cap. *Monachum*, cap. *Quicumque*, & cap. *Illud*, 20. *q. 1.* & in cap. *Si in qualibet*, *q. 2.* Facit etiam c. *Præsens*, 20. *q. 3.* ubi patet filium impuberem cõtra ejus voluntatẽ cucullam induit; licet ibi narretur factũ.
34 Quod verò spectat ad rationem, multum habet ponderis quod parentes, vel tutores possunt revocare è monasterio impuberem, etiam contradicentem, & sic absolvere illum à perseverantia in monasterio usque ad annos pubertatis, ut est casus in d. cap. *Puella*, 20. *q. 2.* Ergo possunt eum similiter obligare, licet invitum, ad ingrediendum monasterium, quia Dominus par jus esse voluit ligandi, & solvendi, cap. *Verbum*, *de pœnit. dist. 1.* Ad idem l. *Qui condemnare*, *ff. de re iudic.* & l. *Nemo qui condemnare*, *ff. de regul. iur.* & cap. 1. *eod. tit.* in hac compilatione. l. *Possideri*, & l. *Quemadmodum*, *ff. de acquir. possess.*

Et quemadmodum non attenditur contradictio impuberis in egressu, ita nec debet attendi ingressu. In utroque enim casu viget ratio huius Decretalis, quod impubes in electione propositi liberum non habet arbitrium; & ideo cogitur sequi imperium parentum. Et propria opinio illorum qui dixerunt tutores posse quidem revocare ingressum pupilli, quia id cautum est in d. c. *Puella*, sed non posse illum tradere religioni, cum hoc non reperiatur jure cautum, communiter reprobatur à Doctoribus, cum revocatio, & oblatio à pari procedant, ut dixi supra *num. 26.* & in d. cap. 2. *num. 7. supra eod.*

36 Quod si instes, Parentes possunt si velint irritum facere votum filij impuberis, prout de muliere est expressum *num. 30.* ut in cap. *Mulier*, 32. *q. 2.* & docet S. Thom. *in 2. 2. q. 189. art. 5.* Et tamen nequeunt impuberem cogere ad vovendum, cap. *Integritas*, 32. *q. 1.* Ergo eodem modo quamvis possint extrahere à monasterio filium impuberem, non tamen poterunt illum cogere ad ingrediendum; sufficit enim dare instantiam ad tollendam æquiparationem, & consequentiã, ut post Aristotel. 8. *Topicor. not. gloss.* 2. in cap. *Sicut urgeri*, 1. *q. 1.* Respondebimus, cum votum sit
37 promissio facta Deo, & promissio procedat ex proposito faciendi, propositum autem aliquam deliberationem præexigat; inde fit ut ad votum tria ex necessitate requirantur, videlicet deliberatio, propositum voluntatis, & promissio, in qua perficitur ratio voti, ut declarat S. Tho. *in 2. 2. q. 88.* art. 1. Non igitur mirum si parentes cogere non possint filios ad vovendum, cum de ratione intrinseca voti sit spontanea voluntas, & liber consensus voventis ut hic, & in c. 1. ibi sponte non coactè, & ibi gloss. 27. *q. 1.* cap. 1. *supra. Quid*
38 *met. cau.* cum simil. Et propterea infans ex voto non obligatur, ut per D. Thom. *in 2. 2. d. quæst. 88. art. 9.* Sed oblatio non requirit consensum oblati, cum possit fieri etiam de infante, ut patebit infra *num. 44.* Præterea votum simplex emissum e-
39 tiam in puerili ætate efficaciter obligat puerum doli capacem, quamdiu parentes nõ contradicunt, ut est text. in d. cap. *Mulier*, 32. *q. 2.* & in c. 2. & ibi gl. *penult. infr. de Voto*, S. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art. 5.* Quia sicut doli capax potest se obligare Diabolo per peccatum, ut in cap. *Puerus*, *infr. de delict. puer.* ita & Deo per votum, ut dicit Hugo *in Summ.* 20. *qu.* 1. & ibi not. gl. & Collector in c. 2. *num. 1. supra. eod.* At verò oblatio impuberem non obligat ut similiter patebit infr. *num. 42.* Unde in oblatione procedit æquiparatio à revocatione ad ingressum, cum sit par ratio; licet non procedat in voto ob rationis diversitatem.

Non obstat text. in d. c. *Puellæ*, 20. *qu. 1.* quia procedit in adultis, prout authoritatem illã Leonis declarat textus hic, & not. gloss. *fin.* in cap. *Ad-*
40 *didisti*, *ead. caus. & quæst.* Et ita etiam intelliguntur jura, quæ dicunt, Voluntarium militem diligit Deus, cap. *Non est*, 15. *qu. 1.* quia satis inutile est, ut coacta servitia Domino præstentur, cap. *Illud*, 20. *quæst. 1.* quia quod non petunt, non observant; Ideoque tales considerandi sunt potiùs peccata committere, quàm plangere, ut dicitur in c. *Præcedenti*, & alia id genus: habent enim locum in adultis dumtaxat, non autem in constitutis infra annos discretionis, ut declarat Gratian. in §. *Cum ergo*, *post* d. cap. *Puellæ*.

41 Item non obstat motivum Abbatis ex sponsalibus, ut supra deductum, quoniam sponsalia sunt futurarum nuptiarum præmissa, c. *Nostrates*, 30. *q. 5.* glos. 1. in cap. *fin. supra de translat. Episc.* vel promissio de matrimonio contrahendo secundum Innoc. in cap. *Ex parte*, *in ver. Habitur an*, *infra de sponsal.* & Bald. in leg. 1. *in lectura antiqua in princip. ff. eod.* At oblatio non est promissio futuræ professionis. Ergo non se habet oblatio ad professionem, sicut sponsalia ad matrimonium, ut Abbas dicit.

42 Præterea impuberes ex sponsalibus obligantur infra annos pubertatis, c. *Litteras*, c. *Accessit*, & c. *De illis* il 1. *infr. de despons. impub.* cum concordancum sit contractus ultrò citroque obligatorius c. *Unico*, Idem quoque ibi, Per dictum tamen contractum, *eod. tit. lib. 6.* Et idcirco in d. l. 1. *ff. de sponsal.* diffiniuntur esse mentio, & repromissio (idest reciproca promissio) futurarum nuptiarum. Sed ex oblatione parentum filius impubes, licèt consentiat, nullam contrahit obligationem, nec religioni alligatur etiam infra annos pubertatis, sed tantùm prohibetur exire ob defectum discretionis, & judicii, ut in cap. 2. *supra eod.* & notant *hic* Cardinal. *num. 3. vers. Oppono*, & ipsemet Abb. *n. 6.* in glo. *in ver. Paterna devotio.* Et consensus oblati ante annos discretionis non tenet, ut dicit glos. *in Summ. 20. q. 1.*

43 Demum sponsalia ob eandem rationem reciprocæ promissionis, & pacti ad sui substantiam necessariò exigunt consensum contrahentium, licet impuberum, cap. *Ex parte*, *supra de restit. spoliat.* dict. cap. *un. §. fin.* & l. *Si puellæ. ff. de sponsal.* Feder. de Sen. *cons.* 194. *In dubijs matrimonialibus*, *in princ.* Ideoque contracta ab infantibus nulla sunt ex defectu consensus, ideò ut nec pariant impedimentum publicæ honestatis, ut est textus in d. c. *Unico*, *in princip. de despons. impuber. lib. 6.* in cap. *Unico*, *in princ.* juncta glos. *in ver. Consensus*, *de sponsal. eod. lib.* & in dict. cap. *Litteras*. Plenè Gemin. *cons. 24. Quia diffusè*, *num. 14. usque in finem*, nisi puella sit prope septennium, & appareat in ipsa tantus animi affectus, ut intellectus suppleat ætatem, ut notabiliter scripsit Bald. *cons. 41. Matri-*
44 *monia debent esse libera*, *lib. 4.* Sed oblatio non requirit necessariò consensum oblati; & ideo infans quamvis careat consensu, & usu rationis, d. cap. *Litteras*, & Clem. 1. *Furiosus*, cum glos. *in ver. Infans*, *de homicid.* tamen benè potest tradi religioni à parentibus, cap. *Addidisti*, 20. *q. 1.* & cap. *fin.* & ibi glos. *in ver. Intrarat*, *de tempor. ordin. lib. 6.* Nam textus dicit: Nullus Episcopus infanti, nisi fortè religionem intraret, clericalem præsumat conferre tonsuram. Et glossa dicit: Ergo minor septem annis potest religionem intrare, quod verum est saltem per oblationem parentum, vel tutorum; & illam glos. sequitur ibi Jo. Andr. *circa fin. in glos. 3.* Gemin. *in ead. glos.* & Anchar. *num. 1. in 1. notab.* Ex quibus arbitror non procedere illationem Abbatis; Parentes non possunt contrahere spõsalia pro filiis impuberibus nisi consentiant; Ergo non possunt eos non consentientes religioni offerre. Facit quod not. Innoc. in cap. 2. *n. 2. vers. Et non obstat*, *sup. eod.* ubi dicit, facilius per alias leviores præsumptiones præsumi quem fieri Monachum, quàm conjugem. Et hæc posterior opinio de jure verior videtur, cui etiam valde suffragatur decretum Concilii Tridentini in *cap. 18. sess. 25. de Regular.* ponderatum ut supra *n. 18. & seq.* Licet DD. videantur contrariæ sententiæ frequentiori calculo adhærere.

45 Successivè QUÆRO, An expediat pueros religioni tradere? Doctores non conveniunt. Divus Thomas *in 2. 2. quæst. 189. art. 5.* & *quodlib. 3. art. 11.* quem sequuntur Expositores, & Turrecr. *in summa*, 20. *qu. 1. num. 1.* concludit expediens esse, & fructuosum pueros infra años pubertatis in
46 religione recipi. Primò quia illud quod à pueritia apprehendimus perfectiùs, & firmiùs tenemus, secundum illud Proverb. 22. *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Et communiter dicitur, Quod nova testa capit, inveterata sapit. Ad hoc cap. *Ex studiis*, & cap. *Cum iuventute*, & ibi glos. *in ver. Frequentius*, *de præsumption.* Unde dicitur Threnor. 3. *Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua*, Secundò quia *Matth. 19.* dicitur *Sinite parvulos venire ad me.* Tertiò, Apostolorum exemplo, qui instituerunt ut pueri, & infantes ad Christianam Religionem reciperentur, ut in ea nutriti, firmius, & perfectius eidem inhærerent, ut testatur Dionys. *cap. ult. Ecclesiast. Hierarch.* Quartò, exemplo B. Benedicti, cui, ut Gregorius inquit, *2. Dialogor. in fin.* Romani, & nobiles dabant suos filios nutriendos omnipotẽti Domino. Cui addi potest exemplum Samuelis, quem Anna puerum natum, & ablactatum Deo cum pietate obtulit, qui & in ministerio Templi, quo à matre fuerat deputatus, permansit, & ubi constitutus est, deservivit, ut refertur in c. *Quicumque*, 20. *qu. 1.* Ad idem sunt exempla Jo. Baptistæ, *Luc. 1.* S. Antonii, S. Hilarionis, S. Pauli, primi Eremitæ, S. Mauri, & S. Placidi, Venerabilis Bedæ, & ipsiusmet D. Thomæ quintum añum agentis, ut in Breviario Romano.

Et pro hac sententia stat auctoritas Basilii in quæstionibus diffusè explicatis, *quæst. 15.* ubi disputat qua ætate quis recipiendus sit in monasterium; & determinat, recipiendos esse pueros in prima ætate, quos multis adhibitis circumstantiis præscribit educandos; ductus ea præcipua ratione, quia dum adhuc anima tenera est, & facile formari potest, nec prava consuetudine est corrupta, statim, & ab initio ad bonorum exercitationem induci oportet. Consuetudo enim dicitur altera natura, &c. Ad hoc Concil. Trident. in *cap. 18. in princip. sess. 23.* ubi adolescentium ætas, nisi rectè instituatur, dicitur prona ad mundi voluptates sequendas, ita ut nisi à teneris annis ad pietatem, & religionem informetur antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfectè, ac sine maximo, ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret. Sed & Hieronym. *in epist. ad Eustochium*, refert suo tempore in cœnobiis

fuisse omnes ætates, pueros, viros, & senes. Et Ambros. 3. *de Virginib.* concludit: Non ergo ætas recipitur florentior, sed animus examinatur, nec mirere in adolescentibus professionem, cum legeris in parvulis passionem. Et ex recentioribus Theologis Leonardus Lessius *in opusc. de stat. vitæ deligen. q. 2. n. 16.* testatur in multis ordinibus etiam pueros recipi; idque jam à mille, & ampliùs annis servatum esse, & *n. 20.* firmat non solùm esse expediens, & salutare ut statim post, sed etiam ut ante pubertatem religioni tradantur.

Cæterum negant expedire S. Antonin. *3. par. tit. 16. c. 2. §. 4.* quia, inquit, corpora, & merita nostra defecerunt, cap. *Fraternitatis, 34. distin.* & sic servant Religiones ferè omnes: coguntur enim multas invenire medicinas multorum experientia malorum, cap. *Vt constitueretur, 50. distin.* & consentit Sylvest. *in ver. Religio, 2. q. 2.* & ex Modern. Rodric. *quæst. regular. tom. 3. q. 12. art. 1.* ubi testatur hanc opinionem approbatis, & expertis in religione viris magis receptam esse, & citat Navarr. *Comment. 3. de Regular.* in cap. *Nullis, n. 38. & 8. q. 2.* Ego in hac materia nihil audeo pronunciare, sed expertis in religione viris hoc dijudicandũ relinquo: nam etsi per se loquẽdo rationes propositæ admodum urgeant; contra tamen multum habet ponderis quod Divus Antonin. & Sylvest. ambo ex Ordine Prædicatorum, & doctrinæ D. Thomæ alioquin tenacissimi, in hoc articulo inspecta posteriorum temporum conditione, aliter senserunt. Et Sylvest. dicit experientiam docuisse hoc non expedire, testaturque absolute, ita servare omnes Religio-
47 nes, & allegat Archid. Sed & illud est notatu dignum quod ad petitionem Generalis Clericorum Regularium Theatinorum die 16. Julii 1632. S. Congregatio Episcoporum, & Regularium negotiis, & consultationibus præposita interdixit, ne deinceps in eorum religione quisquam ad habitum regularem reciperetur ante annum decimumquintum inchoatum, ipsisque nuper postulantibus ut hujusmodi prohibitio relaxaretur, S. Congreg. abnuit *die 5. Iulij* 1641. Et similem prohibitionem fecit Religioni Ministrantium infirmis, cum quibus etiam meo tempore noluit dispensare ut puerum quemdam bonæ indolis ante añum decimumquintum reciperent. Et in facultatibus vestiendi novitios quæ à S. Congreg. regularibus conceduntur, non obstante prohibitione iisdem facta occasione pestis, semper consuevit apponi clausula, Dummodo recipiendi saltem attingant añum ætatis decimumquintum. Præterea ubique hodie instituta sunt Seminaria, & Collegia pro pueris educandis, quorum pleraque à Religiosis reguntur. Unde non subest amplius illa necessitas, quæ olim vigebat nutriendi pueros in Cœnobiis, & monasteriis. Generali tamen decreto non videtur hoc prohibendum triplici consideratione. Prima consideratio est, quod cum Pius V. constituisset novitios in religionem non esse recipiendos nisi post decimumoctavum annum, aliqui Procuratores Ordinũ conquesti sunt apud Sanctitatem Suam, quod id tenderet in grave religionis præjudicium. Sanctissimus rem ad Congr. Conc. rejecit. Congregatio censuit omninò temperandam Pij V. constitutionem dum præponit, ætatem octodecim annorum rationibus adductis in schedulis Procuratorum Ordinum. Quibus autem modis temperanda esset, valdè dissensum.

Alii, & major pars censuerunt permittendos ea ætate, qua solebant recipi ante dictam Constitutionem ex institutis ipsorum ordinum; quia à teneris magis assuescunt bonis moribus, & litteris, & S. Thom. 2. 2. non improbat accipi pueros ex regula S. Benedicti. Aliqui verò existimarunt ætatem præfiniendam quindecim annorum, quæ videtur magis conformis Concilio. Audiendos tamen Procuratores regularium. Secunda consideratio est; quia Clemens VIII. *in Decretis generalibus de regular.* reformat. à S. D. N. iñovatis hac in re nihil novi statuit; quin potius decrevit ut quisque recipiendus in aliquo ordine regulari, etiam Mendicantium in ea sit ætate constitutus, quam ejus Ordinis, in quo recipitur, regularia instituta, & ordinationes requirunt. Tertia consideratio est ut hinc præbeatur ansa hæreticis magis detrahendi religionibus: nam Lutherani *in confessione Augustana, art. 27.* reprehendunt ecclesiam ex eo quod permittantur fieri religiosi & alii hæretici plurima convicia proferentes in Seminaria, & Collegia in quibus educantur pueri, passim à Catholicis scriptoribus confutantur: Longè autem minus esset innovandum, quoad Religionem Clericorum Societatis Jesu. Quoniam Sancta Tridentina Synodus in *c. 16. vers. Per hæc tamen, sess. 25. de regular.* quoad eos nihil duxit innovandum, aut prohibẽndum. Imò ipsorum pium institutum
48 expressè præservavit. Ad extremum in hac materia observanda sunt seria verba Cajetani *in 2. 2. d. qu. 189. art. 5.* Ait enim: [In illis locis expedit puero in Religione dari, in quibus optandum est, ut similes fiant illis, quorum consortio dantur, ubi autem personæ, quarum consortio dantur reprobæ, aut deviæ à regularibus sunt institutis, magna dementia est dare illis pueros, aut puellas nutriendas. Et hic error hodie in multis viget locis, dum dantur pueri, & puellæ monasteriis religiosorum, seu religiosarum vitæ coñunis, qui vulgò Conventuales, seu Claustrales appellantur. Quo fit ut reformandi nunquã reformari possint, dum transgressores vitæ regularis continuè nutriuntur ac augentur. Unde sanciri deberet, ut nullus puer, nulla puella possit Religioni tradi, nisi ubi verè vivitur regulariter. Sic enim aut extinguerẽtur irregulariter viventes, aut reformarentur vexatione
49 dante eis intellectum.] Hæc Cajetanus. Cujus consilio valdè affine est quod fecit Clemens VIII. in decretis ad regularium reformationem editis. In singulis enim religionibus, aliquibus tantùm exceptis, designavit aliquot Conventus regularis observantiæ. Et initio tanquam basem, & fundamentũ reformationis præmisit duo decreta, quibus seriò interdixit, ne quis deinceps ad habitum vel professionem reciperetur, nisi in Conventibus ut præfertur designatis, vel in posterum designandis per litteras in forma brevis sub pœna nullitatis receptionis, & professionis inde sequutæ, voluitque ut sic recepti in eisdem Conventibus añum probationis peragerent, & post professionem per aliquot años detinerentur in professoriis. Verum ex his decretis non prorsus prodiit fructus, qui sperabatur: nam etsi novitii primò in conventibus sic designatis, ac deinde in professoriis in regulari disciplina probè instituantur; tamen postea inde exeuntes, & ad alia monasteria laxioris observantiæ demigrantes in communes aliorum religiosorum abusus, & relaxationes recidunt; atque ita Reli-

Religio nunquam penitus reformatur, adeò ut propterea idem Clemens quamvis in id opus perficiendum zelo sanctæ reformationis diu multumque insudaverit; tamen postremò liberè fassus fuerit se in eo negotio animum despondisse, prout ex ore illius se audivisse nobis non semel retulit bonæ mem. Cardinalis Gypsius.
50 Porrò in ordine FF. Minorum de Observantia S. Francisci paulo post initium Pontificatus S. D. N. Urbani VIII. ordinatum fuit ut de cætero non admitterentur novitii in provinciis cismontanæ familiæ, & Fratribus ad certum numerum decedentibus illorum conventus traderentur Fratribus Reformatis, seu strictioris observantiæ ejusdem ordinis, à quibus tantum reciperentur Novitii, & in hujusmodi prohibitione multos annos perduratum est; & utinam paulo diutius perseveratum fuisset: nam ubi numerus fratrum reformationis multum excrevisset, pauci in familia superstites deposita jam spe vestiendi Novitios, & majores dignitates assequendi, facilè ad reformationem transiissent. Atque ita nulla esset in Religione divisio, vel scissura, sed tota ad primum institutum, & regulæ puritatem redacta fuisset. Verum fratribus reformationem pollicentibus tandem oportuit illis ad vestiendos novitios aditum aperire. Docuerunt enim ordinariorum attestationibus se adimplevisse conditiones sibi præscriptas, & legatis añis in Curiis Episcopalibus solemniter renunciasse. Et sic tributa fuit illis licentia vestiendi usque ad certum numerum in singulis provinciis præfinitum, Nobis tamẽ quantum per modestiam licuit semper reluctantibus; prout hæc omnia plenius continentur in Decretis desuper editis, ut videre est in Bullario *tom. 4. pag. 333.* & notavi in c. *Nimis prava, n. 55. & seqq. infra de Excess. Prælator.* Memini etiam Regem Christianissimum superioribus añis supplicasse S. D. N. ut in Regno Galliæ de cætero non vestirentur Novitii nisi in Religionibus, in quibus verè servatur regularis disciplina, juxta primævum institutum, quod tamen etsi sanctissimum foret; nihilominus magnoperè hæsitatum est, ne prohibitio tam generali motus magnos excitaret, ita ut diu postea sustineri non posset; cum tamen satius sit legem non condere, quàm conditam protinus abrogare.
52 Multo securius, & fructuosius hæc præstari possent in generali Concilio, quemadmodum factum legimus in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. ut patet in *c. Vnico, de relig. domib. lib. 6.*

DE REGVLARIBVS.

Cap. Porrectum.

SVMMARIVM.

1 Professio facta sine susceptione habitus Religiosi valida est, & n. 17.
2 Votum profitendi, & professio in quibus differant, & n. seqq. usque ad n. 9.
3 Votum profitendi habet conditionem subintellectam, si recipiatur ab Abbate.
4 Votum profitendi non est solemne, nec dirimit matrimonium post contractum.
5 Volens ingredi Religionem etiam in genere cogi potest, & debet intrare aliquam de approbatis.
Volens Religionem ingredi, & intra perseverare, si exeat infra probationis annum, non est liber à voto ex Concilio Trid. cap. 15. sess. 25. de reg. *ibidem vers.* Neque vero.
6 Professio est votum de præsenti, quod diem aut conditionem non recipit.
7 Et est solemne, quod impedit matrimonium contrahendum, & dirimit postea contractum.
8 Professus in manibus eius qui non habet potestatem recipiendi, non est Monachus ante ratificationem Abbatis.
9 Professionem non impedit infirmitas corporis, sed animi.
10 Professio quamvis in scriptis fieri debeat, tamen ad sui validitatem non exigit scripturam.
11 Habitus non facit Monachum, sed professio regularis.
12 Et quid in habitu professionis, & n. seqq.
13 Habitum portans diu extra monasterium non censetur tacitè profiteri.
14 Habitum professorum suscipiens in ingressu Religionis an infra triduum sit professus.
Et quid post Conc. Trid. num. 16.
15 Professio tacita per susceptionem habitus professorum infra annum probationis hodie non inducitur etiam in ordinibus non mendicantium.
17 Ingressus monasterij, & habitus Religionis de iure communi non sunt de substantialibus Monachatus, secus ex Concilio Trid.
18 Professus non obligatur etiam ex simplici voto, nec valet professio nisi recipiatur ab habente potestatem incorporandi religioni.
19 Professio est contractus ultro citroque obligatorius inter profitentem, & monasterium.
20 Et inter eos est quasi matrimonium spirituale.
21 Baptizare seipsum nemo potest, aut sibi ipsi beneficium conferre.
22 Professionem regularem quis possit recipere, & num. seq. usque ad num. 30.
23 Quid in Abbate, vel Abbatissa, ibidem, & num. 28. & seqq.
Et quid in Episcopo, & n. seqq. usque ad n. 31.
24 Et quid in Archidiacono, Plebano, & aliis inferioribus Prælatis.
25 Votum non determinatum ad certam religionem à Sede Apostolica approbatam non potest dici solemne.
26 Novitiatus fieri debet intra monasterij claustra.
27 Episcopus regularis potest Monachos sibi subditos ad professionem admittere Idem in Episcopo Ecclesiæ regularis, cui monasteria ita sunt subiecta, ut ad eum spectet receptio Monachorum, vel Monialium.
28 Episcopus negligente Abbatissa an possit Moniales creare si monasterium abundet, & Monialium defectum patiatur, & n. seqq.
29 Ad Episcopum non spectat supplere negligentiam Monialium exemptarum, sed ad earum Superiores, vel ad Sedem Apostolicam.
30 Monialium receptio etiam in monasteriis non exemptis non pertinet ad Episcopum, sed ad Abbatissam, & maiorem partem Conventus.
Nec potest Episcopus eis præcipere, ut certam personam recipiant, ibidem, & num. seq.
31 Abbatissa an possit Novitias recipere sine suorum Prælatorum licentia.
32 Professionis receptio à superioritate dependet.

Ne-

33 Novitij ex Decreto Clementis VIII. olim recipi non poterant sine approbatione Episcopi Diœcesani. Hodie secus.
34 In professione recipienda in primis recurrendum est ad consuetudines, privilegia, vel statuta cujusque Ordinis.
35 Prælati immediati Conventuum ex communi observantia Religionum teste Navarro possunt Novitios recipere.
36 Novitios quis possit recipere in Ordine Fratrum Minorum S. Francisci.
37 Et quis in Ordine Prædicatorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum.
38 Novitij à quibus, & qua forma sint recipiendi ex Bulla, & declarationibus Sixti V.
39 Societatis Jesu Religiosi dispensati sunt à Greg. XIV. in recipiendis novitijs non servata forma Constitutionis Sixti V.
40 Professionem an censeatur emittere qui junctis manibus tradidit se Abbati in Monachum, & in Fratrem, & n. seqq. usque ad n. 51.
41 Verbum, tradere, quid importet.
42 Promittere obedientiam monachalem idem est ac profiteri.
43 Votum simplex pendet ex voluntate solius voventis, votum solemne secus.
44 Professio inducitur quando præcedit votum profitendi, & postea subsequitur aliquod signum denotans professionem.
45 Professio facta non servata forma præscripta in regula, vel Constitutionibus Ordinis an valeat, & num. seqq.
46 Regula Monachorum ponens certam formam circa professionis actum non videtur ponere formam substantificam.
47 Nisi habeat decretum irritans, vel statuat ut professio aliter fieri non possit, n. 49.
48 Papa potest infringere professionem ita ut obligationem non inducat.
50 Verbum, potest, negativè prolatum necessitatem importat.
51 Vovens ingredi religionem an teneatur, & cogi possit ibi perpetuò remanere, & n. seqq. usque in finem.
52 Quid in foro externo.
Et quid si à monasterio exivit non sponte, sed coactus, n. 58. & num. seqq.
Et quid si exivit spontè, & statim post ingressum, n. 62. & 69.
Et quid si non statim exivit, sed aliquamdiu in monasterio perseveravit, n. 63.
Et quid in foro conscientiæ, n. 67.
53 Vovens perpetuò se religiosè victurum, & certam religionem servaturum ad sæculum redire non potest, nisi ex causa contrarium prætextetur.
54 Vovere religionem ingredi, & se fieri Monachum, an differant.
55 Conditio habetur pro non adimpleta quando implementum non durat facto illius, qui tenetur adimplere, & num. 65.
56 Solvere non dicitur qui solvit, & incontinenti recuperat.
57 Relictum sub conditione si monasterium intraverit, an debeatur ei, qui intravit, & postea exivit.
58 Obligatio habetur pro adimpleta, quando implementum non durat sine facto illius, qui adimplere tenetur.
59 Voti, & juramenti obligatio non extenditur ad impossibilia.
60 Relegatus in civitate, si dominus insserit non recedere, non tenetur pœna etiam conventionali, & intrata.
61 Vovens ingredi certam religionem non intendens ad aliam se obligare, si ibi non recipiatur, non tenetur intrare aliam.
62 Factum aliquid non censetur si factum non duret.
Venisse non dicitur qui non stetit, ibidem.
Declaratur, n. 65.
63 Vovens ingredi religionem censetur ingressum vovisse secundum formam juris communis, quæ est ut ingredienti detur annus probationis, & num. 68. & 70.
64 Dispositio enim simpliciter concepta, regitur à jure communi & ad illius intellectum est redigenda.
66 Religionem intrare animo probandi melius est, quam nullatenus intrare.
67 Voti obligatio in tantum fertur, in quantum se extendit voluntas, & intentio voventis.
69 Religionem ingrediens animo exeundi, sed cum voluntate ut Deus immutet propositum suum, satisfacit voto.
70 Religionem ingressus ex voto an exire possit ulla causa ex sola ratione libertatis, & n. seq.
71 Novitius ex voto religionem ingressus, infra annum si sine ulla causa recedat, peccat mortaliter. Sed sponte ingressus peccat venialiter.
Contrarium, num. 72.

1 PORRECTUM. Valet professio facta sine susceptione habitus Religionis. Hoc dicit secundum Abb. Siculum, & est ex mente Abbatis Antiqui. Sed secundum Jo. And. Butr. Cardinal. & Anchar. hoc intendit, videlicet, Professio facit Monachum non habitus tantum, & eodem modo summat Jo. de Anania, prætermissa tamen dictione taxativa, *tantum*, quam etiam omittit glos. 1. & magis consonat litteræ. Communis divisio. Consultatio, & responsio. Secunda ibi, *Inquisitioni*.

2 Nota primò ex Decretali differentiam inter votum profitendi, & professionem. Nam votum
3 profitendi est de futuro, veluti cum quis voveret se religionem ingressurum, aut professionem emissurum, & habet conditionem subintellectam, si Abbas voluerit sic voventem recipere, secundum Innoc. *hic in fin.* & Butr. *n. 12.* Nec est solemne, sed
4 simplex; & ideo quamvis impediat matrimonium contrahendum, tamen non dirimit postea contractum, cap. *Consuluit, infra qui cler. vel voven.* cap. *Unice*, §. *Reliqua verò, de voto lib. 6.* & in hoc omnes conveniunt, ut testatur *hic* Hostien. *num. 1.* nec
5 per illud vovens efficitur religiosus, aut de foro Ecclesiæ, licèt compelli possit, & debeat ut religionem intret, cap. *Ex parte, el secundo, infr. de convers. conjugat.* & cap. *Per tuas, de voto* glos. *ultima hic vers. Vel intellige.* & Abbas *num.* 14 Archid. in c. *Scimus, num. 5. 12. q. 1.* & docet S. Thom. *in 2. 2. q. ultim. art. 3.* quinimo etiamsi in genere voverit hoc, scilicet aliquam religionem intrare, & non dixerit quam; ecclesia nihilominus potest ipsum distringere, ut intret in unam de approbatis, postquam de voto in judicio sibi fuerit facta fides, secundum Hostiens. in cap. *Ex parte, n. 5. de cens.* Archidiac. in d. c. *Scimus, n. 5.* & Gemin. *n. 2.* Neque verò sic vovens posset se tueri decreto Concilij Trident. in *c. 15. sess. 25. de regular.* quoniam S. Congregatio consulta. An qui vovit ingredi religionem, & in ea perseverare, si ingressus infra annum probationis recedat, & revertatur ad sæculum, sit liber à voto ex mente Concilij *cap. 15. sess. 25. de Regul.* Respondit decretum Concilij d. *cap. 15.*
6 nihil disposuisse de voto. Professio autem est votum de præsenti, quod diem, aut conditio-
7 nem non recipit nec tacitè, nec expressè, & est solemne, ideoque impedit contrahendum, & dirimit post contractum, cap. *De viduis, il primo*, cap. *Hæc verò*, & cap. *Quæ Christo, 27. qu. 1.* cap. *Insinuante, Qui cler. vel voventes*, & dict. cap. *un. in primo responso, de voto, lib. 6.* Itaque aliud est profiteri velle, quod fit in primo casu, & aliud re ipsa profiteri, quod fit in 2. arg. l. 2. *ff. Depositi*, & l. *In vendentis, C. de contrahend. empt.* Quas differentias constituunt *hic* Innoc. *num. 1. & 3. vers. Sed certè si Hugo*, & *num. 5. & 6. vers. Respondeo*, & vers. *Sed non videtur bona*, Host. *num. 1.* Jo. Andr. *num. 4.* Butr. *num. 2.* Ancharan. *in 1. notab.* & Jo. de Anan. *num. 2.*

8 Hinc infertur ut si quis profiteatur in manibus ejus, qui recipit nomine Abbatis, & recipiens non habet potestatem incorporandi, vel professionem recipiendi, non fit Monachus priusquam Abbas ratificet, quia hujusmodi votum est de futuro, nec dirimit matrimonium post contractum: post ratificationem verò est de præsenti, & tunc dirimit, secundum Innoc. & Host. quos sequitur Jo. And. *n. 4. vers. Quid si profitetur.* Eodem modo distinguitur in matrimonio carnali contracto alterius nomine, de quo Host. *n. 13. in fine*, remittit ad summ. *de sponsal. §. Qualiter contrahuntur*, ad hoc cap. *Si tibi absenti, de præben. lib. 6.*

9 Secundò nota ibi, *infirmitate gravatus*, nec non ibi, *Decederet*. Professionem regularem emitti posse etiam in articulo mortis, dummodo vovens integrum habeat judicium, ut hic, & apertius in cap. *Sicut tenor*, juncta glos. *in verb. Extra mentem*, & in cap. *Sicut nobis, infra eodem.* Atque ita secundum Abbatem *hic in 1. notab.* Infirmitas corporis professionem non impedit; sed infirmitas animi secus. Ratio differentiæ est, quia validitas professionis dependet ab animo, cum voluntarium sit de intrinseca ratione voti, cap. 1. *supra eodem*, cap. *Super eo, infr. de voto*, & docet S. Thom. *in 2. 2. quæst. ult. art. 4.* Unde furiosus, & mente captus validè profiteri non possunt, ut d. c. *Sicut tenor*, & cap. *Gonsaldus, 17. quæst. 2.* An autem Superiores Regulares, qui seduxerunt Monachum, vel Monialem ad profitendum in mortis articulo, teneantur res illius hæredibus restituere, scripsi plenè in d. cap. *Sicut nobis, à num. ... usque in finem.*

Tertiò nota unam practicam profitendi secundum Ancon. de Butr. *num. 4.* videlicet, Cum quis junctis manibus tradit se Abbati in Monachum, & in Fratrem. Sed de hoc latius dicam infra cum glos. *ult. in 1. quæst. num. 40.*

10 Quartò nota ad validitatem professionis regularis non exigi scripturam: satis est enim ut aliunde constet de animo profiteri volentis, ut *hic* per Abbatem *in 2. not.* Nec refragatur tex. in cap. *Vidua, 20. q. 1.* ubi cavetur ut vidua scriptis professionem faciat à se aut signo, aut subscriptione notatam. Etenim, ut exponit glos. ibi *in ver. scriptis*, hoc non ideo dicitur quod necessaria sit scriptura, sed ut scriptura propria obviet ei, qui contravenit, ut cap. *Saluberrimum, 1. q. 7.* & idem notat ibi Hugo dicens, dummodo constet de facto per testes, vel aliàs legitimè, hujusmodi solemnitatem ad cautelam adhiberi, ne postea quod factum est in dubium revocetur, ut refert ibi Turrecrem. *num. 3.*

11 Quintò nota litteram, quæ quotidie allegatur videlicet, Habitus non facit Monachum, sed professio regularis, concordat cap. *Consuluit, infra qui cler. vel voven.* cap. *Ex parte, infr. eod. & supra eod.* cap. *Ut clerici.*

12 Hoc tamen limitant Doctores, ut vendicet sibi locum in habitu probationis dumtaxat, de quo loquitur hoc cap. & d. cap. *Ex parte.* Secus autem est in habitu professorum; quia talis in ingressu religionis receptus, utique Monachum facit. Ita Abbas Antiquus *hic in fine.* Host. in cap. *Statuimus, num. 2. in ver. Consuevit, infr. eod.* & Archid. in cap. *Beneficium, num. 1. eod. tit. lib. 6.* Hujusmodi enim habitus votum professionis habet annexum: unde cum primum quis illum recipit in religione, Monachus est, & ejus votum est solemnizatum, ut notant in d. c. *Statuimus*, glos. 1. Abb. Antiq. *in ver. Novitius*, Host. *num. 1. in ver. Religionis*, & Butr. *num. 6.*

Sed hæc limitatio non videtur vera; quia nullo casu habitus sine professione Monachum facit, nec est habitus professorum, qui facit Monachū, sed tacita professio, quæ ex illius susceptione resultat, textus est ad hoc notabilis in cap. *Constitutionem*, ibi, (Tacitè verò facta infra annum probationis per susceptionem habitus, qui profitentibus tantum datur.) *infra eod. lib. 6.* Præterea si ex sola receptione habitus professorum absque professione votum esset solemnizatum; duobus modis solemnizandi votum taxativè expressis in cap. *unico, de voto, lib. 6.* addendus esset tertius modus, videlicet, per susceptionem habitus professorum, quod esset absurdum; quia quod non est Sanctorum Patrum decreto sancitum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum, c. *Consuluisti, 2. q. 5.* & c. *Inter corporalia, de translat. Episc.* & ita obscurè sensit glos. 1. *hic*, nam primo arguit quod imò habitus faciat Monachum, & allegat jura, quæ loquuntur de habitu professionis, deinde solvit dicens; Illud verum quod habitus sine professione non facit Monachum: sola enim professio vera, vel præsumpta Monachum facit, & solemnizat votum; & paulò infra dicit capitula contraria esse intelligenda de præsumpta professione. Ex mente igitur glos. habitus professorum non facit Monachum, sed sola professio vera, vel præsumpta, quæ ex illius susceptione resultat, & ita illius mentem declarat Abbas *hic num. 8.* nam, ut ipse ait, Hæc glossa vult, in effectu quod habitus dumtaxat non facit Monachum, sed tacita professio quæ resultat quandoque ex habitus susceptione, seu dilatione, Monachum facit; & ita debent intelligi jura, quæ fundantur super habitus susceptione, seu delatio-
13 ne. Unde secundum eum, si quis portet multo tempore habitum religionis extra monasterium, non censetur professus, ut in cap. *Ut clerici, supra eod.* & notat glos. in Clem. *Eos, in ver. In aliqua, eod. tit.* & hoc ideo est, quia tunc cessat præsumptio tacitæ professionis: nam si vellet profiteri, intrasset monasterium. Fortè tamen intentio Abbatis Antiqui, Hostiensis, & Archid. fuit constituere hanc differētiam inter habitum novitiorum, & professorum,

lorum, quod ex sola susceptione habitus novitiorum præsumptio tacitæ professionis non inducitur, sed oportet ut novitius illum deferat per annum, ut cap. 1. infr. eod. lib. 6. & d. Clem. Eos, vel aliunde appareat eum voluisse vitam mutare, ut c. Consulti, infr. eod. & sic solus habitus novitiorum non facit Monachum. At verò ex sola susceptione habitus professorum in ipso religionis ingressu oritur in continenti præsumptio professionis tacitæ; quia in ipso temporis momento, in quo novitius talem habitum recipit, efficitur tacitè professus, ut in d. cap. Constitutionem, infr. eod. lib. 6. & in hoc sensu habitus professionis Monachum facit.

14 Addit tamen Collectarius in cap. Statuimus, in princ. infr. eod. post glos. ult. in d. cap. Constitutionem. Ex susceptione habitus professorum infra annum probationis non induci tacitam professionem, nisi data perseverantia tridui, ut statuitur in prædicta Decretali Constitutionem, in fin. & in cap. Ad nostram, supra eod. Sed tu dic tacitam professionem illico induci, sed revocabiliter, cum infra triduum sit locus pœnitentiæ, ut notabiliter declarat glos. magna, in cap. Beneficium, post medium, vers. In contrarium, infra eod. lib. 6. Ideoque Jo. Andr. in cap. Vidua, num. 7. in fin. supra eodem, prudenter appellat tridui perseverantiam, idest non pœnitentiam.

15 Verum hodie hæc distinctio inter habitum novitiorum, & professorum apertè sublata est jure novissimo Concilii Tridentini in cap. 15. sess. 25. de Regular. quo irrita declaratur professio facta non expleto anno probationis. Et consequenter sublata est etiam professio tacita, quæ olim inducebatur ex susceptione habitus professorum infra tempus probationis, ut Sac. Congreg. declaravit. Quapropter hodie nec habitus probationis, nec professionis infra tempus probationis susceptus Monachum facit; ideoque in Ordinibus Mendicantium, in quibus etiam ante Concilium professio intra annum probationis fieri non poterat, ut in cap. Non solum, & cap. seq. inf. eod. lib. 6. Non inducebatur professio ex receptione habitus professorum infra tempus probationis, ut hic firmant Host. num. 3. Jo. Andr. num. 6. ibi. salvo quod habes in cap. Constitutionem, & Collectar. eodem num. & vers. alias enim fuisset in facultate cujuslibet eludere juris dispositionem, assumendo in ingressu habitum professionis, & lex esset ludibrio posita, secundum Hostien. ad hoc c. Commissa, §. Porrò, de elect. lib. 6. Quare hodie idem dicendum in omnibus Ordinibus etiam non Mendicantibus, cum etiam ad eos Concilium prorogaverit dispositionem. d. c. Constitutionem, ut patet in dict. cap. 15.

16 juncto cap. 22. ejusd. sess. 25. de Regular. Unde etiam fit ut hodie non requiratur amplius perseverantia tridui, quæ olim requirebatur ad hoc ut suscipientes habitum professorum infra annum probationis expletum essent religioni alligati, ut scripsi plenius in d. c. Ad nostram, num. 5. & 6. supra eod. Cæterum finito tempore novitiatus dari possunt casus, in quibus novitius per delationem annalem habitus probationis non fiat tacitè professus, & tamen fiat per susceptionem habitus professionis, & secundum hoc etiam hodie potest contingere, ut habitus professionis Monachum faciat, non autem habitus probationis, de quo dic ut plenè notavi in c. Quia ingredientibus, à num. 38. usque in fin. supra de testam.

17 Sextò nota, Nec habitum, nec ingressum monasterii esse de substantialibus Monachatus, sed de accidentalibus, ideoque professum compelli posse ut monasticè vivat, licet numquam intraverit monasterium, nec habitum sumpserit, ut hic notat Abbas in ult. not. num. 7. Sed hodie hoc corrigitur jure novissimo Concilii Tridentini in cap. 15. sess. 25. de Regul. ut inferius attingam num. 26. & de habitu scripsi latius in d. cap. Quia ingredientibus, num. 7. supra de testam. & de ingressu in cap. Insinuante, in prima quæstione, infra, Qui cler. vel voven.

18 Ultimò nota ibi, Et recipitur ab Abbate. Professionem non valere nisi recipiatur ab eo, qui potestatem habet incorporandi religioni, prout hic notant Innoc. num. 4. Hostien. num. 13. in ver. Et recipitur, Jo. Andr. num. 4. in eod. ver. Qui omnes asserunt eum, qui profitetur, non obligari etiam ex simplici voto, nec posse ab aliquo professionem fieri, nisi sit alius, qui illam recipiat, & qui illi possit dare regulam, & ipsum corpori Ordinis aggregare; & sequuntur hic Butr. num. 6. vers. Nota duo principalia, Cardinal. in 2. not. & in 3. qu. num. 5. Anch. r. num. 2. in 3. not. Abb. num. 9. & Joan. de Anania num. 4. Et est ex mente glos. 1. in vers. Decet ergo, de quo in Speculat. de stat. Monachor. vers. 19. concordat cap. Ad Apostolicam, infra eodem, ibi, (Abbate per se, vel per alium professionem recipiente Monasticam;) nec non ibi, (Prohibendum est Abbatibus ne passim ante tempus probationis quoslibet ad professionem recipiant,) & cap. Non solum, infr. eod. lib. 6. ubi habetur similis prohibitio. Et Concilium Trid. cap. 15. ibi, Ad professionem admittatur, & cap. seq. ibi, (Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant,) sess. 25. de Regul.

19 Ratio hujus conclusionis est, secundum Abb. num. 10. Quia ex professione oritur reciproca obligatio, quæ induci non potest sine consensu utriusque, sicut contingit in aliis contractibus, qui non possunt consistere ex consensu unius tantum, ut l. In omnibus ff. de act. & obligat. & l. Sicut, C. eod. Quandoquidem Monachus obligatur ad obedientiam Superiori exhibendam, ut c. Cum ad monasterium, inf. de stat. Monachor. & cap. Si religiosus, de elect. lib. 6. & vice versa religio obligatur Monacho ad alimenta, ut cap. fin. infra eod. Unde Navarr. cons. 26. incipien. Orta sunt, num. 1. hoc tit. ait professionem esse contractum quemdam reciprocum ultro citroque obligatorium, quo profitens se obligat monasterio, vel Ordini ad serviendum ei secundum regulam ejus: & è contra monasterium ad alendum, & tractandum eum, secundum eamdem regulam; & ita esse necessarium consensum utriusque partis tam Prælati, & monasterii recipientium, quàm ipsius profitentis, quod ante ipsum docuit Sylvester v. Religio 5. q. 8. vers. Et

20 tertiò patet ratione. Sed & Archid. in cap. Vidua, n. 2. in ver. Num illa, 20. q. 1. ait, Inter profitentem, & monasterium esse quasi matrimonium spirituale, & est ex mente Host. hic d. num. 13. dum ad hoc inducit, cap. Cum inter Canonicos, supra de elect. Ergo necesse est ut sit alius, qui hanc obligatio-

21 nem recipiat: nam sicut inter baptizantem, & baptizatum, instituentem, & institutum debet esse personarum distinctio, quia nemo potest seipsum baptizare, aut sibi ipsi beneficium conferre, ut cap. Debitum, de baptism. & cap. fin. de institut. ita distin-

distinctio esse debet inter profitentem, & professionem recipientem; nam cum nemo possit seipsum religioni incorporare, oportet ut ab alio ad id potestatem habente corpori ordinis aggregetur, ut hic, & in dict. cap. Ad Apostolicam, inf. eod. per professionem namque quis efficitur de Collegio Monachorum, & una omnes unum corpus constituunt secundum Innoc.

22 Sed hic incidit quæstio, Quis sit ille Superior, qui potest professionem recipere, & Ordini incorporare?

De Abbate non est dubium secundum omnes; dum tamen hoc faciat non ipse solus, sed una cum conventu, & Fratribus, ut hic notat glos. 1. & scripsi plenè in cap. Ad Apostolicam, in 2. not. infr. eodem. Idem dicendum de Abbatissa, ut tenet Archidiac. in cap. Constitutionem, infr. eodem lib. 6. dicens professionem fieri posse in manibus Abbatissæ, vel supra altare, allegat cap. Consuluit, ubi idem tenet Hostien. infr. Qui cler. vel vov. & sequitur Gemin. in d. cap. Constitutionem, §. 1. col. 2. vers. Quare an professio debeat fieri in manibus illius; dummodo tamen & ipsa professionem recipiat cum consensu majoris partis Conventus, ut dicam infr. n. 28. & seqq. De Commendatario aliquid tetigi in c. Ad Apostolicam, num. 27. inf. eod. & in c. Insinuante, n.... infr. qui cler. vel vov.

23 Sed dubitatur quid in Episcopo? Innoc. hic n. 5. vers. Videtur etiam, tenet posse Episcopum per se, vel missos suos, vel aliàs, ejus tamen nomine recipere professionem talium, etiamsi aliquod monasterium non ingrediantur, vel certam religionem non profiteantur: sufficit enim ut mutent habitum, quem portent in domo propria. Tales namque religiosi censentur, & sub obedientia Episcopi vivent, c. Quod Deo, 33. q. 5. c. De viduis, 27. qu. 1. d. cap. Insinuante, qui clericus, vel vov. & cap. Dudum,

24 de conver. conjugat. Inferioribus autem Prælatis, veluti Archidiaconis, Plebanis & consimilibus dicit hanc authoritatem non competere, nisi & Episcopus hoc ratificet, cum hoc ipsi soli sit specialiter concessum, arg. cap. Si vir, 27. quæst. 2. cap. Nulla, & cap. Vacat 23. distin. Et cum his dictis Innocent. transeunt hic Hostien. n. 14. Jo. Andr. num. 4. vers. Sed numquid Episcopi, & vers. Quid de Archidiacono, Anchar. num. 7. & communiter Doctores, ut Abbas testatur, num. 12.

25 Sed tu adverte: nam aut in manibus Episcopi emittitur professio non determinata ad certam religionem, vel monasterium, & votum hujusmodi non potest dici solemne, sed simplex, quod non dirimit matrimonium post contractum, licet impediat contrahendum, ad hoc enim ut votum ita solemnizetur, necesse est ut fiat professio expressa, vel tacita in aliqua de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis, ut diffinitur in c. un. de voto lib. 6. Ad idem cap. ult. inf. de religios. dom. & c. 1. eod. tit. lib. 6. Aut professio determinatur ad certam regulam, & vel religionem approbatam, & tunc non potest Episcopus quemquam illi religioni, vel ordini incorporare invito Abbate, & Conventu, ad quos hoc jus noscitur pertinere, ut hic, & in prædicta Decretali ad Apostolicam, & utrobique notant glos. & Doctores. Unde meritò Innoc. opinionem ref. illam hic Butr. n. 9. in fin. vers. Attende ne Innoc. faciat te errare. Cardin. in 7. q. num. 7. vers. Dic etiam cum Episcopus, & Abbas num. 12. vers. Sed D. Antoninus. Multo autem difficilius ad praxim deduci posset opinio Innocentii post Concilium Trident. nam ex decreto cap. 15. sess. 25. de regul. invalida est professio illius, qui non stetit per annum in probatione post susceptum habitum. At non potest dici in probatione stetisse qui numquam ingressus est monasterium, sed tantummodo habitum gestavit in domo propria, quantumcunque vixerit sub obedientia Episcopi; quoniam nec ipse austeritates religionis probavit, nec religio mores illius, qui est finis propter quē tempus probationis fuit à SS. Patribus institutum ut legitur in d. c. Ad Apostolicam. Qua de re scripsi

27 plenius in d. c. Insinuante, in 1. q. n. 26. & 41. Fateor tamen in tribus casibus postquam annus probationis præcessit intra claustra posse fieri professionem regularem in manibus Episcopi, adeo ut impediat matrimonium contrahendum & dirimat post contractum, ad præscriptum d. c. un. de voto lib. 6. Primus est in Episcopo ecclesiæ regularis, veluti ecclesiæ Pampilonen. & Vintonien. talis namque cum simul sit Episcopus, & Abbas utique potest Monachos sibi subjectos ad professionem admittere, ut determinat Compostellanus in c. Cum causam, n. 1. supra de elect. quem sequuntur communiter Doctores, ut ibi dixi n. 18. & seqq.

28 Secundus casus est in monasteriis, quæ abundant redditibus, & patiuntur defectum Monialium: nam potest Episcopus monere Abbatissam, & Conventum ut de novo debeant aliquas creare, quod si infra terminum eis præfixum nō parerent, posse Episcopum illorum negligentiam supplere, ibique Moniales constituere, arg. eorum, quæ notantur in c. Ex parte, supra de concess. preben. & tenet Gemin. in c. fin. post medium; vers. Sed si abundaret, & Philipp. Franc. post eum num. 2. vers. Quando ta-

29 men monasterium, infr. eod. lib. 6. Quod ego intelligo verum in monasteriis non exemptis, aliàs enim non pertineret ad Episcopum supplere hujusmodi negligentiam, sed ad illarum superiores, vel ad S. Apostolicam, tex. est in c. Sicut, ibi, Nisi à jurisdictione tua exemptæ sint, de supplen. negl. Prælat. & in cap. Cum singula, §. Prohibemus, in fin. ibi, per diœcesanos si exempta non fuerint, alioquin per Sedem Apostolicam ordinentur, & illic notant Gemin. & Franc. ambo in ult. not. de preben. lib. 6. nisi specialiter cautum sit ut diœcesanus authoritate delegata suppleat negligentiam exemptorum, ut fit in casu Clem. un. de supplen.

30 neglig. Prælat. At verò cessante negligentia, etiam in monasteriis non exemptis Monialium receptio de jure non spectat ad Episcopum, sed ad Abbatissam, & Conventum, ut c. Si ad solum, & ibi notant Jo. Monachus, & Archid. de regular. lib. 6. & tenet Lapus allegat. 31. incipien. Prima conclusio, ubi propterea subdit quod si Episcopus mandet Abbatissæ, & Conventui ut unam recipiant in monasterio nō Mendicantium, & Abbatissa concordat cum quinque, & duodecim dissentiunt, non debebit illa recipi, ex quo de jure Sanctimonialium receptio spectat ad Abbatissam, & majorem partem Conventus, ita ut si Abbatissa vellet recipere, non posset, & si à tali receptione appelletur, appellatio est legitima, ut c. 1. supra de his quæ fiunt à maior. part. Capitul. nec potest Episcopus præcipere ut certam personam recipiant, cum electio debeat esse libera, cap. Cum terra, supra de election. Ita Lapus, quem totidem verbis referunt in c. fin. infr. eod. lib. 6. Gemin. circa medium, vers. idem tenet

tenet Lapus.& Franc.num.1.in glos.2. Licet ipsi tribuant Episcopo majorem authoritatem in hujusmodi monasteriis non exemptis: nam si eandum eos,etiam cessante omni negligentia, posset Episcopus creare Moniales,ut hic, & in c. Decnum, de convers. conjugat, & cap. De vidua,27.qu.1. & mandare Abbatissæ, ut illam sic receptam à se recipiat in monasterio,arg.cap. Placuit,17.qu.1.& tenetur tunc Abbatissa recipere, etiamsi non habeat defectum monialium, cessante tamen legitima exceptione. Ergo multò fortius tenetur recipere ingredientem de mandato Episcopi; ad eum namque spectat cura, & sollicitudo etiam Monachorum,ut in c. Qui vere,in fin.16.q.1. c. Si quis Abbas,& c. Abbates,18.q.2. & subdunt ita tenere Gasparum de Calder. cons. 28. de regular. sed ibi nihil inerit ad propositum, sed in cons. 16. quod incipit. Receptione Monachorum, eod. tit. Verè tamen Calder. loquitur in defectum Prælati regularis,& tandem restringit se ad casum negligentiæ. Unde magis placet prima opinio Lapi, quam etiam sequitur, Navarr. cons. 9. num. 12. de constit. Quod autem ait
31 frater Ludovicus Miranda in Manual. Prælat. to. 2. q.8. art.1. Abbatissas non posse novitias recipere sine suorum Prælatorum licentia, non probatur jure,& in monasteriis subjectis Ordini Fratrum Minorum S. Francisci id specialiter est cautum à Nicolao V. ut refertur in Compend. Privileg. in verb. Abbatissa,§.8.

32 Tertius casus est in Monasteriis virorum, vel mulierum, quæ ita sunt Episcopo subjecta, ut ad eum spectet receptio Monachorum, vel Monialium,puta ex consuetudine præscripta,vel privilegio arg.d.c. fin. infr. eod.lib.6. & quod notatur in c. Ex parte,de convers.conjugat. & in specie tenet Cardinalis hic d.num.7.vers. Ad quam potest Episcopus recipere,& in hoc casu loquitur text. in dict.c. Si vir, 27.q.2. cum aliis supra citatis: nam de jure veteri monasteria erant Episcopo subjecta, ut c. Monasteria,18.qu.2. cum suis concord. At verò in monasteriis, & religionibus exemptis, quales sunt hodie religiones ferè omnes, ut plene notavi in c. Tuarum, infr. de privileg. tenendum est absolutè Episcopum non habere facultatem admittendi quemquam ad professionem, ut Cardinal. ubi supra,& Navarr. cons. 40. incipien. Matthæus professus, hoc tit. receptio enim ad professionem est actus dependens à potestate superioritatis,ut sensit Innoc. hic, & apertius ait Gemin. in c. Constitutionem, §.1. col. 2. vers. Quarò an professio debeat fieri, & Navarrus d. cons. 40. num. 2. ad fin. & clarè probatur in decreto Concilii Trident. c. 16. vers. Finito,ibi superiores novitios,quos habiles invenerint ad profitendum admittant, sess. 25. de reg.
33 Quod adeo verum est, ut cum in Decretis Clementis VIII. super forma recipiendi novitios ad habitum,& professionem promulgatis sub die 19. Maij 1602. inter cætera constitutum esset ne in Conventibus designatis Novitii ad habitum, vel professionem ullatenus recipi possent nisi prævia approbatione Congregationis reformationis,vel Episcopi dioecesani,ut in Bull. tom. 3. pag.130. Religionibus de hoc graviter conquerentibus, hoc caput sublatum fuit.Unde in decretis de Apostatis,& ejectis,in quibus decreta Clem. fuerunt innovata,atque inserta, de approbatione Episcopi nulla fit mentio,ut scripsi plenius in c. fin. infr. eod.
34 Hæc de Episcopo. Sed generaliter ad dignoscendum quis possit ad habitum, & professionem recipere,in primis recurrendum est ad consuetudines,privilegia, & statuta cujusque Ordinis ut cap. fin. infr. eod.lib.6. ubi id notat glos. in ver. Pertineat, Archid. Jo. Andr. Anchar. Gemin.& Franc. & Abb. in c. Ad Apostolicam, infr. eod. & novissi-
35 mè Navarr. in prædllegat. cons. 9. num. 12. de constit. ubi amplius testatur communem observantiam omnium Religionum, quas ipse sua ætate tractavit hoc habere,ut Novitiorum, & Monachorum receptio fiat à Prælatis immediatis locorum, sive Conventuum particularium cum majori parte
36 Capituli. Sed re vera in multis religionibus aliter observatur,& in specie in Ordine Fratrum Minorum S. Francisci ex regula cap. 2. cautum est, ut infr. videlicet, si qui voluerint hanc vitam accipere,& venerint ad fratres nostros, mittant eos ad Ministros Provinciales, quibus solummodo, & non aliis recipiendi fratres licentia concedatur. Et dictio illa taxativa, solummodo, non excludit Ministrum Generalem,ut declaravit Gregor. IX. in explicatione regulæ. Quinimo sensus illorum verborum est, ut licentia recipiendi Novitios à Ministris Generalibus concedatur solummodo Ministris Provincialibus,& non aliis,secundum Hugonem,& alios expositores,& præsertim Cordubam super c. 2. q.7. Idque colligitur ex c. Exyt qui seminat, §. Sed quoniam de verbor. signif. lib. 6. ibi, Concedimus, & præsenti statuto firmamus, liceret non solum Generali, sed etiam Provincialibus Ministris personas fugientes à sæculo in fratres recipere; quæ Ministrorum Provincialium licentia per ipsum Generalem, sicut expedire vi-
37 derit, possit arctari. Similiter in Ordine Prædicatorum ex Constitutionibus dist.1.c.13.§.3.sic legitur: Nullus recipiatur in fratrem Clericū ad probationem, vel professionem nisi à Priori Provinciali, vel ab eo, cui super hoc dederit licentiam specialem, vel à Priori Conventuali cum assensu totius, vel majoris partis Capituli: Conversum autem non recipiat Prior Provincialis,nec aliquis de ejus licentia,nisi de consensu Prioris,& duarum partium fratrum,qui sunt de Conventu, pro quo fuerit induendus. Nec Conventus aliquis recipiat Conversum sine licentia Prioris Provincialis. In Ordine itidem Eremitarum S. Augustini ex Constit. c.4. p.1. ita cautum est, videlicet(Recipiantur autem (scilicet Novitii) de licentia Prioris Provincialis,& de consensu primò Patrum Concilii, deinde majoris partis Capituli.) Sed & in Ordine Carmelitarum ex Constitutionibus Novitiorum receptio ad Priorem Generalem, vel Provincialem dicitur pertinere juxta formam traditam p. 1. cap. 13. §. 5.

38 Insuper Navarri attestatio videtur confundi ex Constitutione Sixti V. Cum de omnibus in Bullar. tom.2.pag.601. qua statutum est ut majores 16. añis non aliter in aliqua Religione recipi possint, nisi de eorū qualitatibus ibi præscriptis in Generali, vel Provinciali capitulo plena fide facta tam Superioris Generalis,seu Provincialis, quam Diffinitorum consensu approbati, & ad habitum regularem admissi fuerint. Et in declarationibus ejusdem Constitutionis ab eodem Pontifice postea editis in §. 12. eod. tom. 2. pag. 603. professiones non habita inquisitione,& servata forma superius præscripta nullæ, atque irritæ declarantur. Et quamvis quoad caput nullitatis professionis ante dictam

dictam Constitutionem ad terminos juris reduxerit Clem. VIII. in Constitutione, quæ incipit, In suprema,in Bullar. tom.3. pag.629. tamen in religionis illam non revocavit; imo falsas esse voluit pœnas contra Superiores, qui in regularibus ad habitum,& professionem admittendis illius Constitutionis formam nō servaverint,licet Constitutionem suam paulisper moderatus fuerit ipsemet Sixtus in prædictis declarationibus, §. 7. ubi quibusdam religiosis indulsit,ut cum quadam cautela ibi expressa possint novitios recipere etiam extra
39 Capitulum. Religiosos autem Societatis Jesu ab observatione prædictæ Constitutionis Sixti V. in recipiendis novitiis nominatim exemit Gregor. XIV. in Constitutione, quæ incipit, Expōni nobis nuper fecit. in Bullar. tom.2. pag.704.

40 In ultima glossa QUÆRO, An is, qui junctis manibus tradidit, seu reddidit se Abbati in Monachum,& in Fratrem, ex hoc censeatur professionem emittere.

Glossa ponit duos intellectus ad hanc decretalem. Primus est quod hic Canonicus, qui se tradidit Abbati in Monachum, & in Fratrem, censeatur professus saltem tacitè, licet formam non expresserit,quæ habetur in c. Vidua,20.q.1.neque huic lecturæ obsistit littera sequens, quæ dicit, Talis ut fiat Monachus, & reddat Domino quæ promiserat,erit utique compellendus, quæ videtur innuere ut nondum esset professus, quoniam exponitur idest, fiet, & vivat ut Monachus, & in hac lectura tandem residet glos. & Innoc. in fin. dum exponit verbum, fiat, idest perseveret in eo, quod jam est; Jo Andr. num. 6. ubi etiam allegat Tancredum,Butr. num. 4. Anchar. circa finem in ver. Fiat,& Abb. num.13. & n. 14. in fine Lapus solemniter allegat,129.incipien. Factum super quo, nu. 10. Secundus intellectus est quod iste Canonicus fecit solummodo votum simplex ut fieret Monachus tradendo se in manus Abbatis,ut in c. Per tuas,infr. de voto, ubi habetur consimile votum ingrediendi religionem,& promissio de illo adimplendo facta in manibus Prælati, & huic intellectui suffragantur illa verba textus, ex quo à convertendo votum emittitur, ut scilicet fiat Monachus. Unde qui sic promisit,& vovit religionē ingredi, compellendus est ut fiat Monachus,& reddat domino vota sua, & sic planè sonat litteræ, & cum hac lectura videtur transire Hostien. in fin. cum illam recenseat secundo loco, & non reprobet.

Tu teneas primum intellectum, pro quo adduco textum ad hoc non ponderatum à Doctoribus in c. Gonsaldus,17. q. 2. ubi deciditur, Gonsaldum Presbyterum tanquam non professum recipere debere beneficiū, quod resignavit, quia etsi quondam in infirmitate fervore passionis pressus Monachum se fieri promiserit: non tamen monasterio, aut Abbati se tradidit, ut in textu; quasi dicat si se tradidisset, beneficium resignatum recuperare non posset, tanquam legitimè professus, ut c. Beneficium, infr. eod. lib. 6. probat ergo ille textus votum ingrediendi religionem solemnizari si postea vovens tradat se monasterio, vel Abbati. Deinde hoc ipsum probo, quia si Canonicus, de quo loquitur hoc capitulum, emisisset votum simplex juxta secundum intellectum, non tradidisset se in Monachum in manibus Abbatis,sed potius de se tradendo vovisset, & considerat hic Cardinalis in
41 3. oppos. Præterea pondera illud verbum, reddere, idest tradere, ut exponunt glos. & Doctores. Tradere autem se Abbati, seu in manibus Abbatis idem importat ac potestati Abbatis se submittere, c. Omnis,11.q. 3. & c. Addidisti, 20.qu. 1. Facit tex. in l. Traditionibus, C. de pactis, & in l. Traditio, ff. de acquir. rer. domin, cum concordant. de quibus per Dyn. in cap. Nemo potest, de regul. iur. lib. 6. At quis non subjicit se potestati Abbatis nisi per solemnem professionem, c. Si religiosus, de elect. lib. 6. Ergo idem est tradere se Abbati, ac solemniter profiteri quod tenet Lapus d. allegat. 129. num.20. præsertim ubi quis tradit se non simpliciter, sed in Monachum, & in Fratrem, ut in textu: hoc enim nihil est aliud quàm subjicere se Abbati tanquam Monachum, eique promittere obedientiam Monachalem, quod perinde est, ac professionem emittere, ut c. Consuluit, infr. qui cler. vel voven. Innoc. hic in princ. Hostien. num.2. in fin. in ver. Tibi se reddidit; & Jo. Andr. eod. n. & verb. Ad hæc simplici voto nō adaptatur illa ratio, quæ ponitur in textu, videlicet quod habitus non fa-
43 ciat Monachum, sed professio regularis. Et similiter alia ratio quæ subsequitur, videlicet ex quo à convertendo votum emittitur, & recipitur ab Abbate, itidem convenit professioni tantum, quæ cum pendeat non solum ex voluntate profitentis, sed etiam alterius, ad sui validitatem exigit ut recipiatur ab eo, qui potestatem habeat religioni incorporandi, ut abundè ostensum est supra in ult. not. non autem convenit simplici voto, quod pendet ex voluntate solius voventis, nec indiget alterius receptione, ut c. Quod Deo, 32. q. 5. & c. Ex parte tua, infra de convers. conjugat. secundum Innoc. hic num. 4. Quibus accedit quod iste Canonicus prius emiserat votū simplex ut fieret Monachus, ac deinde gravi morbo correptus, ut suam sanaret conscientiam, voluit reddere Domino quod promiserat, ne voto non completo ex hac vita migraret, ut dicitur in littera. At certè votum suum non complevisset si tradendo se in Monachum professionem non emisisset, sed potius voto simplici aliud simile votum adjecisset, quod planè ineptum fuisset, & nugatorium. Ac demum si hic ageretur de simplici voto dumtaxat, non autem de professione regulari, hoc cap. incongruè fuisset positum sub hac Rubrica de Regularibus, & potius collocandum fuisset sub illa de voto, & voti redemptione, prout factum est de prædicta Decretali Per tuas. Et minor quod Doctores ad has considerationes nō advertant. Hæc igitur sit conclusio, Quod tradens se in Monachum, & in Fratrem in manibus ejus, qui potest religioni incorporare, dummodo prius añum probationis peregerit ad præscriptum Conc. Trid. c. 15. sess. 25. de Regular. eo ipso Monachus efficitur, & cogi debet
44 in religione perseverare; maximè si prius voverit ut fieret Monachus, juxta text. hic & in d. c. Gonsaldus, 17. qu. 2. & hic notant Butr. & Jo. de Anania ambo in 1. not. dum ex hoc textu colligunt professionem induci quando præcedit votum profitendi, & postea subsequitur aliquod signum deno-
45 tans professionem. Procedit autem hæc conclusio, quamvis regula, aut Constitutiones Ordinis certam profitendi formam præscribant: nam nihilominus tradens se Superiori in Monachum, & in Fratrem censetur tacitè profiteri etiam ea forma non servata, ut innuit hic glossa fin. in princip. ibi, licet fortè nō expresserit formam professionis, &

Abb. n.13. & Sylvest. *in ver. Religio 3. in 1. & 18 q.*
46 *in fin.* Ratio est secundum Abb. quia regula Mo-
nachorum ponens certam formam circa profes-
sionis actum nō videtur ponere formam substan-
tificam; eo quod cum obligatio dirigatur in De-
um, defectus formæ non debet vitiare actum, sic-
ut videmus in excommunicatione, ut notatur in
47 c. *Sacro, infr. de senten. excommun.* Quod tamen limi-
tabis nisi regula, vel constitutiones Ordinis à Se-
de Apostolica ex certa scientia confirmatæ pro-
cederent ulterius decernendo irritam professio-
nem aliter factam; quia tunc professio emissa non
servata forma præscripta non valeret, argum. cap.
Si soli, vers. Nisi nos te gratia, de concess. præbend. lib. 6.
48 cum suis concor. Potest enim Papa infringere
professionem, ita ut obligationem non inducat,
ut cap. 1. *de religios. dom. lib. 6.* & cap. *Non solum,* &
ibi Gemin. *in 15. not. de Regular. eod. lib.* Ad hoc
Concilium Trident. *cap. 15. vers. Professio autem an-
tea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem, &c.*
49 *sess. 25. de Reg.* Et idem esset si regula præscriberet
formam professionis per hæc verba, videlicet
(Professio aliter fieri non possit:) tunc enim pro-
fessio aliter facta irrita esset; quia per hoc cense-
tur data forma substantialis, cui à partibus renun-
ciari non potest, ut notat Bart. in l. *fin. num. 4. C.
de vend. reb. civit. lib. 11.* & Felin. in d. cap. *Cum di-
lecta, num. 6. de rescript.* ubi enumerans decem
signa formæ, septimum signum, inquit, ubi in dis-
positione dicitur, aliter fieri non possit, ibi est da-
ta forma, & ei non potest renunciari; item hæc
verba, [Aliter fieri non possit,] inducunt decre-
50 tum irritans, ut ait Parisius *cons. 9. n. 20. lib. 2.* Item
verbum, *potest*, negativè prolatum necessitatem
importat, secundum Bart. in l. *De his, num. 4. ff. de
transact.* & vide in materia quod scripsi in c. *Cau-
sam, num. 21. & 24. sup. de elect.*
51 Ulterius QUÆRO, An is qui vovit ingredi
religionem, teneatur, & cogi possit in ea perpetuò
remanere.
52 Quæstio duas habet inspectiones. Altera est,
an sic vovens in foro Ecclesiæ cogi possit in reli-
gione perseverare. Altera an ad id teneatur in fo-
ro conscientiæ.
53 Circa primam inspectionem Host. *hic num. 1.*
ait in hac materia vim fieri posse in verbis: nam si
dixerit, Voveo me perpetuò religiosè victurum,
& talem religionem servaturum, tunc non potest
redire ad sæculum, cap. *Consulti,* & cap. *Statuimus,
infr. eod.* quasi saltem tacitè professus intelligatur,
argum. cap. *Diaconi, 28. dist.* Nisi ex causa contra-
rium protestetur, ut cap. 1. *supra quod metus causa.*
Sin autem dixerit, Voveo me intraturum reli-
gionem, tenetur ingredi; potest tamen intra
annum exire, nisi appareat eum voluisse vitam
mutare: nam quoad ecclesiam requiruntur de
hoc indicia, ut in cap. *Non solum, infra eod. lib. 6.* Ita
Host. quem totidem verbis sequuntur Jo. Andr.
num. 6. Cardinal. *in 3. opposit.* Anchar. *sub num. 10.
in ver. Fiat,* & alii communiter.
54 Verum glos. *ultima in vers. Tales ergo,* vult in ef-
fectu ut qui promisit, aut vovit se intraturum ali-
quam religionem compelli possit, & debeat ut
fiat Monachus: quod perinde est ac si dixisset,
compelli potest, & debet ut professionem emittat
monachalem, & consequenter perpetuò remane-
at in religione: nam si glossa sentiret sic voventem
cogi posse tantummodo ad intrandum, non autem
ad perseverandum, non dixisset eum posse com-
pelli ut fiat Monachus; quia per solum ingressum
sine professione quis Monachus, seu religiosus
non efficitur cum effectu, ut dicit textus in c. *Re-
ligiosus, §. Quamvis autem, de senten. excomm. lib. 6.*
Licet Cajetanus aliter sentiat in 2. 2. *qu. ult. art. 4.
vers. Ad primum dubium*, ubi subtiliter probat vo-
tum de ingressu religionis, & votum de fieri reli-
giosum æquivalere, & utroque casu voventem te-
neri tantummodo ingredi, ut novitium; non au-
tem perpetuò perseverare.
55 Et pro opinione glossæ valde urget quod quan-
do ponitur in conditione factum, quod juris sor-
titur effectum, puta si matrimonium contraxerit,
vel si monasterium intraverit, vel aliud simile, tunc
si implementum conditionis non durat facto illi-
us, qui tenetur adimplere, conditio habetur pro
non adimpleta, textus est in l. *Inter Castellianum, ff.
de arbitris*, ubi condemnatus rem tradere non im-
plet præceptum rem tradendo nisi res tradita du-
56 ret; unde si res ad eum revertitur, restituere tene-
tur, ut l. *Qui sic solvit, ff. de solut.* ubi non dicitur sol-
57 vere qui solvit, & incontinenti recuperat. Unde
Angelus *cons. 159. incipien. Conradus Alberti, num. 4.*
Format quæstionem, An is, qui intravit monaste-
rium, & postea exivit, consequi debeat relictum
sub conditione si monasterium intraverit, & per
jura prædicta resolvit talem esse privandum reli-
ctis si facto suo exivit; quia non dicitur condi-
tionem implevisse: secus si sine facto, & culpa sua,
ut l. *Si quis heredem, C. de instit. & substit.* Licet Bart.
ibi super hoc dubitaverit, & solum quæsiverit, &
quæstionem indiscussam dimiserit.
58 Quid dicendum? Pro solutione plures casus
videntur distinguendi. Primus est in eo, qui à mo-
nasterio exivit non spontè, sed coactus, puta quia
à Superioribus regularibus ante professionem e-
jectus fuit, ut in Conc. Trident. *cap. 16. vers. Finito,
sess. 25. de Regular.* & hoc casu votum intelligitur
adimpletum, nec potest Ecclesia talem compelle-
re, ut iterum ad religionem revertatur. Ratio est,
quia quando implementum obligationis non du-
rat sine facto, & ministerio ejus, qui adimplere
tenetur, obligatio habetur pro adimpleta, & eo
casu sufficit implementum per momentum tem-
poris extitisse, licet non duret, ut est textus aper-
tus in d. l. *Si quis heredem, C. de instit. & substit.* Ideo-
que legatum factum alicui si liberos susceperit,
statim debetur natis filiis, licet postea morian-
tur, ut l. *Cum uxori*, C. *quando dies legati ced.*
quam legem sic summat Bald. videlicet, sufficit, ut
conditio in momento temporis sit impleta. Et
facit l. *Hereditatibus, in princ. ff. ad Trebellian.* &
l. *Quid ergo, in fin. princ.* ibi, Ad initium nuptia-
rum se retulit, & *ff. de his qui not. infam.* & hoc
59 tenet Ang. *loc. cit.* Ex hic primus casus parum ha-
bet difficultatis; quia obligatio voti, sicut & ju-
ramenti non extenditur ad impossibile, c. *Signifi-
cante, de pignor. c. 1.* & ibi glos. *in ver. Impossibilia, de
iureiur. lib. 6.* l. *Impossibilia*, & l. *Inter stipulantem,
§. Sacram, ff. de verb. oblig.* & l. *Impossibilium, ff. de reg.
60 iur.* Hinc relegatus in aliqua civitate sub pœna
conventionali etiam jurata, si dominus civitatis
jusserit eum recedere, pœnam non incurrit; ex
quo per eum non stat, cum non possit Superiori
resistere, ut respondit Angel. *cons. 378. Dominus
61 Raymund.* & *cons. 379.* Et proprius ad rem nostram
qui vovit ingredi certam religionem non inten-
dens

dens ad aliam se obligare, si ibi non recipiatur,
non tenetur intrare aliam, & solutus est voto, ut
docet S. Thom. in 2. 2. *qu. ult. art. 3. ad 2.* quem re-
fert, & sequitur Sylvester *in ver. Relig. 2. num. 16.*
post Richar. quem citat & Archid. in c. *Scimus*,
num. 2. 12. q. 1. Quando enim quis vovet intrare
certam religionem subintelligitur conditio, si
possum, vel si volunt me recipere, qua conditione
non existente, non existit votum, ut post Hug.
Cardinal. inquit Archid. *ubi supra.*
62 Secundus casus est in eo, qui non coactus, sed
spontè exivit è monasterio, & tunc subdistin-
guendum; nam aut exivit statim postquam in-
gressus fuit, aut non statim exivit, sed aliquandiu
in religione perseveravit. In primo casu votum
non adimplevit, ideoque ab Ecclesia cogi potest
ut iterum ingrediatur; quoniam non dicitur in-
trasse qui statim exivit, text. est in cap. *Ad nostram,*
ibi, Statim pœnituit quod habitum induisset, *sup.
eodem.* Et hoc casu habent locum jura, quæ di-
cunt, Non censeri aliquid factum esse si factum
non duret, ut cap. *Censuit, 1. q. 1.* cap. *Vides, 23. qu.
6.* l. *Si filius, ff. Quod cum eo, qui in alien. potest.* & l.
Si pro parte, §. Versum, ff. de in rem verso. Unde bre-
vi reversa uxor nec divertisse videtur, dicit text.
in l. 3. *in fin. ff. de divort.* nec dicitur venisse qui non
stetit, cap. *Si quis autem, 18. dist.* cap. *Certum est,
11. q. 3.* & cap. *Missam, de consecr. dist. 1.* cap. *Si post-
quam*, & ibi glossa in ver. *Mente*, & cap. *Capien-
tes, §. Si per viginti*, ubi glos. *in ver. Compareant,
de elect. in 6.* Facit tex. in l. *Plerique, ff. de ritu
nupt.* & in l. *Vir mulieri, ff. de donat. inter virum,
& uxorem*, alioquin si vovens ingredi religionem
non teneretur intrare nisi per momentum tem-
poris, & posset illico recedere, votum esset frustra-
neum, judicium, & irrisorium, quod non est di-
cendum, Clem. *Cum illius, de renunciat.* & ita tenet
S. Thomas *d. q. ult. art. 4. ad 3.* ubi ait, Eum, qui
intrat ut statim exeat, non videri satisfacere voto
suo, quia ipse in vovendo hoc non intendit; & i-
deo tenetur saltem velle experiri an sibi expediat
in religione remanere: & eum sequitur Archid.
in cap. *Scimus, num. 3. 12. q. 1.* & ibi Bellam. *num. 26.*
& Sylvester *religio 2. num. 19.*
63 In secundo autem casu, idest cum non exivit
statim, sed aliquandiu permansit in religione, mi-
hi magis placet opinio Host. & sequacium, ut sci-
licet licuerit ei redire ad sæculum, nec ulterius co-
gi possit ad monasterium reverti: moveor quia
vovens ingredi religionem censetur ingressum
vovisse, secundum formam juris communis, quæ
est ut ingredienti detur annus probationis, ut cap.
Gonsaldus, 17. q. 2. & cap. *Ad Apostolicam, infra eodem,*
cum suis concordantibus, & ita expressè docet
S. Thomas in 2. 2. *qu. ult. art. 4. in corpore ad finem,*
64 & suffus patebit infra in secunda inspectione. O-
mnis enim dispositio simpliciter concepta vesti-
tur à jure communi, & ad illius intellectum est re-
digenda, l. 2. *C. de noxal.* l. *Quæro, §. Inter locato-
rem, ff. Locati*, cap. *Cum sum quæ, de rescript.* & cap.
Quemadmodum, de iureiur. Anchar. *cons. 6. Viso the-
mate, num. 8.* & *cons. 421. Præmittendum est, in
65 princ.* Neque obstat quod obligatio non dicatur
adimpleta quando ejus implementum non durat
facto illius, qui tenetur adimplere, secundum ea,
quæ dicta sunt supra, *num. 45.* Nam respondetur
hoc casu implementum obligationis illius, qui
vovit ingredi religionem, non esse perpetuam
perseverantiam in religione; quia ad illam se non
adstrinxit, saltem judicio Ecclesiæ; sed esse ipsum
ingressum in monasterium ad probandas illius au-
steritates, cui quidem obligationi integrè satisfe-
cit ingrediendo, ibique tamdiu morando ut illius
asperitates potuerit experiri, juxta text. in cap.
Ad Apostolicam, & cap. *Non solum, infra eod. lib. 6.*
Unde ad ulteriorem perseverantiam non est ulla-
tenus compellendus. Et ita in effectu respondet
Cajetanus in 2. 2. *q. ult. art. 8. in respons. ad 2. dub.*
ait enim: (Verum est non venisse eum, qui non
stetit ad id, pro quo venit; & ideo ingrediens re-
ligionem cum veniat ad religionis probationem,
non diceretur venisse si ingressus absq; probatio-
ne retrocederet. Sed si probationi operam dat,
dicitur venisse ad religionem probandam, quia
stat in religionis probatione, quocirca sicut spon-
te ingrediens religionem, & in probatione illius
se exercens, & postmodum exiens, dicitur venisse,
& stetisse, quia venit ad religionem probandam,
& in probatione stetit: ita ex voto ingrediens re-
ligionem, & probando illam, tandem exiens, di-
citur venisse, & stetisse ead. ratione.) Hæc Cajeta-
66 nus. Nec propterea talis dicitur inutiliter vovisse,
quia ut, inquit, D. Thom. *d. art. 4. in respons. ad se-
cundum*, Melius est intrare religionem animo pro-
bandi, quam penitus non intrare; quia per hoc
disponitur ad perpetuo remanendum.
67 Circa secundam inspectionem, videlicet an vo-
vens intrare religionem teneatur ibi esse perpe-
tuò in foro conscientiæ, & quoad Deum, Hosti-
ensis *hic num. 2. in fin.* quæstionem paucis absolvit,
dicens: Sed quantum ad animæ salutem videat vo-
vens quid intendebat, & relinquatur conscientiæ
suæ, cap. *Mulieri, de iureiur.* & sequuntur alii supra
citati, *num. 43.* Sed uberius rem totam explicat,
D. Thomas in 2. 2. *in prealleg. quæst. ult. art. 4. in
corpore*, ait enim: Obligatio voti ex voluntate
procedit: nam vovere voluntatis est, ut Augusti-
nus dicit, ad hoc cap. *Magnæ, infr. de voto.* in tantum
ergo fertur obligatio voti, inquantum se exten-
dit intentio voventis. Si ergo vovens intendit se
obligare non solum ad ingressum religionis, sed
etiam ad perpetuò remanendum; tenetur perpe-
tuò remanere. Si autem intendit se obligare ad in-
gressum religionis causa experiendi cum liberta-
te remanendi, vel non remanendi; manifestum
68 est quod remanere non tenetur. Si verò in vo-
vendo simpliciter de ingressu religionis cogitavit
absque hoc quod cogitaret de libertate exitus, vel
de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad
ingressum religionis secundum formam juris
cōmunis, quæ est ut ingredientibus detur annus
probationis: unde non tenetur perpetuò in reli-
gione permanere: ita D. Thom. cujus distinctio-
nem probarunt ibi Cajet. & reliqui Expositores,
69 Archid. in d. c. *Scimus, num. 3. 12. q. 1.* & Sylvester
in verb. Religio, 2. num. 19. Addit Richar. relatus
ibi à Sylvestro, quod si vovens intrat quidem a-
nimo exeundi, sed tamen cum voluntate dandi o-
peram, ut Deus immutet propositum suum; sa-
tisfacit voto; aliàs secus.
70 Cæterum advertendum decipimus: nam quod su-
perius diximus ex D. Thoma voventem ingredi
religionem in dubio censeri ingressum vovisse ju-
xta formam juris cōmunis, quæ est ut ingredienti
detur annus probationis, non videtur ita intelli-
gendum, ut sic vovēs post probationem possit pro

libito

libito voluntatis à religione exire, etiam sine ulla causa quandoquidem inter ingredientem sponte,
71 & ingredientem ex voto debet esse differentia, & quidem sponte ingrediens potest saltem, quoad Ecclesiam ex sola ratione libertatis exire, ut probaretur in c. *Statuimus*, ibi, Ad priorem statum redire posse liberè infra annum, & in c. *Cum simus*, ibi. Quia tunc liberum sibi erit eum dimittere, *inf. eod.* At verò ingrediens ex voto tenetur Religionem probare, ac si invenerit illius conditiones sibi gratas, ex vi voti obligatur ad perseverantiam, nec potest ex sola ratione libertatis ad sæculum remeare. Nam sicut finis ingressus est probatio, ita probationis finis est gratarum, vel ingratarum conditionum inventio. Inventionis autem finis quoad conditiones gratas est acceptatio, quoad ingratas refutatio. Recta namque ratio non patitur ut aliquid probandum detur, & repertis omnibus probatæ rei conditionibus gratis, refutetur. Et confirmatur quia tempus probationis indultum est tam in favorem novitii, quam religionis, ut cap. *Ad Apostolicam*, *inf. eod.* at religio si novitium jam probatum, & habilem repertum pro sola libertate expelleret, utique ageret contra bonam fidem, ad hoc Conc. Trident. c. 16. ibi, [finito tempore novitiatus Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, (*sess. 25. de regular.* Ergo pari ratione novitius est malæ fidei reus coram Deo si à religione jam probata ex sola libertate recedat. Uterque igitur, idest tam sponte ingressus, quam ex voto, peccat recedendo à religione sine ulla causa. Sed ingressus sponte peccat venialiter tantum, arg. c. *Consulta*, *inf. eod.* Ingressus autem ex voto peccat mortaliter; quia intelligitur, se obligasse ad probandum bona fide, quod non servat, licet in foro Ecclesiastico nihil ei objici possit. Ita Cardinal. Cajet. *in 2. 2. d. qu. ult. art. 4. in respons. ad 3. dub.*
72 ubi hæc fusius probat, & respondet objectis. Quæ doctrina est valde notabilis, & vera est, non tamen transit absque difficultate, saltem in ea parte, in qua habet sponte ingredientem exeundo sine ulla causa venialiter peccare, quoniam cum lex impertiatur authoritatem liberè exeundi infra annum probationis, ut in d. c. *Statuimus*, & c. *Cum simus*, cum suis concordan. Ergo novitius, qui pro sola ratione libertatis recedit à monasterio, non peccat, cum hoc faciat legis authoritate, c. *Qui peccat*, 23. *quæst.* 4. Item propositum ingrediendi religionem non obligat etiam ad veniale, ut post D. Thomam in 2. 2. *q. 88. art. 1.* probat Archid. in c. *Qui bona*, *n. 3.* 17. *q. 1.* & Navarr. in *Manual. c. 12. nu. 26.* & *in repet. cap. Pœnitentia*, *num. 1. de pœnit. dist. 2. Comment. tom. 3. pag. 171.* Ergo ab hujusmodi proposito recedere nullum est peccatum, & hujus sententiæ videtur esse apertè D. Thomas *d. q. ult. art. 4. in respons. ad 1.* dum ait: non intelligitur aliquis retroire, vel aspicere nisi quando prætermittit id, ad quod se obligavit, alioquin quicumque per aliquod tempus facit aliquod bonum opus, si non semper id faciat, esset ineptus Regno Dei, quod patet esse falsum. Et in responsione ad secundum dicit, eum, qui religionem intravit, scandalum non generare si exeat, præsertim ex aliqua rationabili causa. Pondera dictionem illam, *præsertim*, quæ propriè idem importat quod maximè, & quamvis exprimat casum minus dubitabilem, tamen implicat idem esse in casu contrario, videlicet si sine ulla rationabili causa exeat, ut cap. *Diversis fallaciis*, *de cler. conjug.* c. *Ex litteris*, *il secundo*, & ibi notat glos. *in ver. Præsertim*, *de homicid.* Gemin. *cons. 16. num. 4. in fin. vers. Nec obstat*, & Calder. *cons. 548. alias 2. de verb. signif.* liber tamen hic referre verba Sylvestri contrarium insinuantis *in vers. Religio*, 5. *q.* 8. *num.* 8. *ad finem*, quæ sic se habent. (Qui ergo solum proposuit perseverare non vovendo, nec se offerendo professioni, potest intra annum ad sæculum redire *de jure*, & contrahere matrimonium, etiam sine peccato quoad Ecclesiam, & etiam quoad Deum si recedat ex justa causa, puta, infirmitate, vel debilitate: si autem ex causa injusta puta tædio sanctæ vitæ, vel hujusmodi, est peccatum ingratitudinis.) Hæc ille. Et pro opinione Sylvestri, & Cajetani allego opt. tex. in c. *Qui bona*, 17. *qu.* 1. ubi Gregorius ait. Qui bona agunt, si meliora agere deliberant, & post deliberata non faciunt, licet in bonis prioribus perseverent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione, & ibi glo. 1. exemplificat in eo, qui prius proposuit matrimonium contrahere, & deinde continentiam servare, & allegat Hugonem dicentem hunc mortaliter peccare si firmiter proposuit; sed mox subdit secundum alios peccare tantum venialiter. Et per illum text. Host. in c. *Consulti*, *num. 9. infra eod.* dicit peccare eum, qui proposuit fieri Monachum si propositum non adimpleat licet votum non fecerit.

DE REGVLARIBVS.

Cap. Cum simus.

SVMMARIVM.

1 *Pater si cum bonis suis, & filio impubere se obtulit monasterio, filius factus major exire potest, & legitimam à monasterio petere.*
2 *Professionis vim obtinent hæc verba*, Conferentes se & nos monasterio.
3 *Filius impubes à Patre oblatus monasterio cogitur ibi remanere usque ad pubertatem, sed factus pubes liberè exire potest.*
4 *Monasterium quamvis habeatur loco filii non tamen excludit filium legitimum, & naturalem à successione paterna quoad legitimam, & n. seqq.*
5 *Filiatio vera prævalet fictæ.*
6 *Legitima an debeatur filio statim atque pater in Religione capaci bonorum in communi professionem emittit; an verò expectanda sit ejus mors naturalis, & n. seq. usque ad num. 13.*
7 *Successio propriè adaptatur ad defunctum.*
8 Quondam *dictio solet communiter apponi quando fit mentio de mortuo.*
9 Successionis *verbum adaptatur etiam ad Monachum viventem, cum juris fictione dicatur mortuus.*
10 *Authentica* Si qua mulier, C. de Sacros. Eccles. *non est canonizata in cap.* Si qua mulier, 19. quæst. 3. *& cur.*
11 *Legitima non debetur filio nisi post mortem patris naturalem, vel civilem.*
12 *In patria potestate solvitur per mortem civilem sicut per naturalem.*

Puella

13 *Puella monasterium ingredi volens, an sit indulgendum, ut fideicommissum non purificetur per illius professionem sed prorogetur usque ad illius mortem naturalem, & num. seqq. usque in fin.*
14 *Legatum datum maritali si puella nupserit, minori si Religionem professa fuerit, qua parte debeatur professæ, & n. 16.*
15 *Principis authoritas exuberans est in gratiis dilatandis, restringit vero in præcamptoriis.*
17 *Præjudicium quod ex prorogatione fit vocatis ex fideicommisso conditionali, non est considerabile.*
18 *Substitutis quale præjudicium generetur ex prorogatione fideicommissi, & quo remedio sit eis consulendum.*

1 CUM SIMUS. Si pater se cum bonis suis, & filio impubere obtulit monasterio, filius factus major exire potest Religione, & legitimam à monasterio petere. Hoc dicit Abbas. Communis divisio. Secunda, ibi, *Discretione*.
2 Nota primò ibi, *Contulisset*, hæc verba, *Conferentes, & nos a monasterio*, vim professionis obtinere, ut hic. & in c. *Proximum*, *supra eodem*. & notant hic Innoc. *in princ.* Hostiens. *post principium in ver. Contulisset*, Jo. Andr. *num. 1. in eadem. ver.* & Butr. nu. 3. quod tamen intellige ut dixi in cap. *In præsentia*, *nu. 1. not. supra de probat.*
3 Secundò nota, quod etsi paterna devotio, seu oblatio filium impuberem faciat Monachum, ut in Concilio Toletan. IV. *cap.* 48 relato in cap. *Monachum*, 20. *q.* 1. & in cap. *Cum virum*, *supra eodem*. Hoc tamen intelligitur quoad hoc, ut filius cogatur in monasterio perseverare usque ad pubertatem, ut hic per Abbatem in 1. *notab.* Sed adveniente pubertate liberum erit ei in monasterio remanere, vel ad sæculum redire, ut hic est expressum in illis verbis: (Si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit Monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus, quia tunc liberum sibi erit eum dimittere.) Concordat c. *Illud*, 20. *qu.* 1. & *quæst.* 2. cap. *Si qui in parvulis*, & hic notat Hostien. *n. 1.* Jo. Andr. Cardin. Anchar. & omnes *in sum. text.* de quo tamen dic ut planè scripsi in d. cap. *Cum virum*, *supra eadem*.
4 Ultimò nota ibi, *bona paterna*, *quæ ipsi ex successione provenirent*. Ex eo, quod pater ingrediatur monasterium, & ibi professionem emittat, filium non privari successione paterna, quia licet monasterium habeatur loco filii ut in cap. *In præsentia*, & ibi dixi in 5. *notab. de probat.* non tamen excludit filium legitimum, & naturalem à successione; quia vera filiatio prævalet fictæ, ut hic per
5 Butr. *n.* 4. intellige quantum ad legitimam, quæ filius privari non potest cum sit jure naturæ debita; sed reliqua bona monasterio remanebunt, quæ illi competunt ex ingressu, ut in Auth. *Si qua mulier*, C. *de Sacros. Eccl.* quam Abb. dicit esse canonizatam in c. *Si qua mulier*, 19. *q.* 3. & in Auth. *Ingressi*, C. *Eadem*, & hic notat gloss. *penult.* Innocen. *in fin.*, Hostiens. *num.* 3. Butr. *num.* 5. & reliqui omnes.
6 Sed non modica est difficultas, an legitima debeatur filio statim atque pater in Religione capaci bonorum in communi professionem emittit, an verò expectanda sit mors naturalis ipsius patris?
Legistæ communiter videntur sentire expectandam esse mortem naturalem. Ita gloss. in d. Auth. *Si qua mulier*, *in ver. Moriatur*, C. *de Sacros. Eccl.* cum qua concordant ibi Jacob. Butrigar. 4. & Cynus n. 5. Bart. *n.* 22. Salycet. *n. penult. qu.* 11. Alber. *num.* 7. & 8. & Jas. *in n.* 51. & ex Canonistis in d. c. *In præsentia de probat.* Butr. *num.* 29. Felin. 56. Paris. *n.* 166. Decius n. 262. & Beroi n. 556. Gulielm. de Benedictis *in repetit.* cap. Raynutius, *in ver. Mortuo itaque testatore*, *il primo n.* 279. *de testam.* & nonnulli ex modernis, quorum opinio de jure civili fortè est verior per text. in d. Authen. *Si qua mulier*, ponderando illum, ut hic per Abbatem, n. 5. *vers. Sed tu adverte*. Nec obstat iste tex. quia, ut respondent aliqui ex prædictis Authoribus, hic pater post professionem erat naturaliter mortuus; unde mirum si legitima erat filio debita, ut l. 1. §. *Si impuberi*, ff. *de collat. bonor.* Id quod colligunt ex hac littera ibi, *quæ ipsi*
7 *ex successione provenirent*: nam ver. *successio*, propriè adaptatur ad defunctum, cum viventis nulla sit successio, seu hæreditas, l. *Qui superstitis*, ff. *de Acquir. hæredit.* secundum Abb. hic n. 6. *vers. In contrarium*. Quinimò Felin. in d. c. *In præsentia*, *n.* 56. *de probat.* attestatur se vidisse integram, & ex illa apparere patrem fuisse mortuum.
Sed his non obstantibus Canonistæ communiter tenent legitimam filio deberi illico post professionem patris per istum text. qui cavillari non potest: nam qui dicunt patrem hic fuisse mortuũ, utiq; divinant, cum ex littera hoc nullatenus deprehendatur, & Correct. *singular.* 162. *n.* 3. affirmat se integram hanc Decretalem vidisse, legisse,
8 ac relegisse, & nihil in ea invenisse, ex quo appareat patrem fuisse mortuum. Quin potius colligitur oppositum; tum quia in principio recitatur nomen patris, ibi, *Cum B. Miles se cum filio suo*, &c. & non dicitur *quondam*, & tamen hæc dictio solet communiter apponi quando fit mentio de mortuo, ut advertit Abbas hic n. 6. *vers. Sed pro prima intellectu*, & constat ex cap. *Cum contra*, ibi, *Quondam pater tuus*, *supra*, *de pignor.* & cap. *Ex parte R. quondam Angliæ Reginæ*, *de for. comp.* cum similibus, ut ibi per Felin. *n.* 2. & Alex. *cons.* 14. *Visis*, & *consilet* [illegible] *n.* 15. *Lib.* 6. Tum quia integra ab Ant. Aug. Collectione 2. *Decret. lib.* 3. *tit.* [illegible] *c.* 5. refertur in hæc verba, [Sanè nuper auribus nostris est relatum, quod cum C. miles lepræ morbo, Domino permittente, respersus se cum filio suo discretionis annos nullatenus agente ad quoddam monasterium cum bonis etiam suis, quæ à monasterio ipso tenuerat, contulisset, dictum filium habitum fecit suscipere Monachalem, cumque ipsi puero disciplina monastica propter asperitatem Regulæ displiceret, infra decem hebdomadarũ spatium à monasterio & habitu taliter suscepto resiliens, bona patris ab Abbatia illa cœpit cum instantia postulare.) Hæc ibi. Pondera ab ingressu patris, usque ad petitionem legitimæ non intercessisse nisi decem hebdomadas, & cum pater non laboraret febri, sed tantum esset lepra respersus, satis credibile est eum adhuc fuisse superstitem quando filius legitimam postulavit, arg. cap. *De cæteris, de Cler. ægrot.* & c. [illegible] *de conjug. leprosor.* aut certè si pater obiisset, textus de illius obitu mentionem fecisset, ut moris est. Nec refragantur illa verba: *Quæ ipsi ex successione provenirent*, Quia benè adaptantur ad Monachum naturaliter viventem cum juris fictione dicatur mortuus.

l. Deo

l. *Deo nobis*, *C. de Episcop. & cler.* Quatenus hanc partem tenentur hic gl. *penult.* Innoc. *in fin.* Hoft. num. 5. Butr. *num.* 5. Card. *nu.* 1. Anchar. *in fin.* & Jo. de Anan. *num.* 3. & in d. cap. *In præsentia*, *de probat.* Abb. Siculus *num.* 59. Barbat. *num.* 124. & Menoch. *num.* 72. Sylvester *in verb. Hæreditas*, 1. *q.* 7. *num.* 10. *&* 6. *dictio*, & in ver. *Religio* 6. *q.* 1. *&* 2. *dicto*, Navarr. *Comment. 2. de Regular. num.* 48. & 54. Covar. in cap. 1. *num.* 7. *de testam.* & sic transeunt communiter Doctores nostri, ut inquit Abbas *hic num.* 4. & quamvis ipse *num.* 6. circa finem dicat contrarium verius videri de subtilitate juris; tamen fatetur satis æquum esse hanc tenere in favorem filij, ne cogatur postulare alimenta à monasterio. Similiter Bald. in d. Authen. *Si qua mulier*, *num.* 38. (Nota [inquit] quod filij in Authentica nostra quoad petendum legitimam expectant mortem naturalem patris. Et illud est verum de jure civili, sed de æquitate canonica videtur secus; unde poterunt intentare conditionem ex canone pro ista legitima
10 statim facta professione per patrem, ut extra *de Regular. c. Consensum*, qui textus non est alibi.) Hæc Bald. quem sequitur Card. *hic n.* 2. Adde quod verum non est prædictam Auth. *Si qua mulier*, in qua fundatur opinio Legistarum fuisse canonizatam in d. c. *Si qua mulier*, 19. *q.* 3. Quoniam non est à Papa inserta Canoni, sed tantum redacta à Gratiano in volumen Decreti, & per hoc ca-
11 nonizata non intelligitur, ut dixi in c. *Canonum statuta*, *n.* 38. *supra de Constitut.* Et hoc tenendo, quia etsi legitima non debeatur filio nisi post mortem patris, l. *final. ff. de liber. agnoscend.* & dicta l. 1. §. *Si impuberi*, *ff. de collat. bonor.* tamen pater dicitur mortuus etiam per monachatum, ut cap. *Placuit*, 16. *q.* 1. & d. l. *Deo nobis*, *Cod. de Episcop. & cler.*
12 Facit l. *final. Cod. de servit. pass.* Unde in simili sicut per mortem naturalem solvitur patria potestas, ita & per mortem civilem, quæ per ingressum contingit, ut hic per Anchar. *n.* 2. Et fideicommissum conditionale similiter purificatur per ingressum religionis, sicut per mortem naturalem, ut plenè notatur in c. *In præsentia*, *de probat.* & vide bonam gl. in d. c. *Placuit*, *in ver. Mortuus*, 16. *q.* 1.
13 Sed hic quæritur utrum annuendum sit supplicationi puellæ monasterium ingredi volentis, ut fideicommissum non purificetur per illius professionem, sed prorogetur usque ad diem mortis naturalis.

Gratia in supplicatione petita videtur justa, & concedenda, cum hactenus nemini sit jus quæsitum in bonis de quibus agitur, & nedum non fiat præjudicium considerabile vocatis per fideicommissum, sed potius fiat melior eorum conditio, ut ex deducendis mox apparebit.
14 In præsentia verò non est opus aggredi disputationem illam arduam & in primis difficilem, An filia, cui legata fuit dos major, & opulentior si nupserit, minor vero si monasteriũ ingressa fuerit, possit profitendo majorem dotẽ sibi propter carnales nuptias relictã consequi, non obstante contraria patris dispositione. Quandoquidem petitur tantum dilatio purificationis fideicomissi, non autem derogatio, & annullatio illius, inter quos casus magna est differentia, cum Principis
15 authoritas maxima, & exuberans sit in gratiis dilatorijs, restrictior verò, & angustior in peremptorijs, & decisorijs, ad textum in l. *Quoties*, *Cod. de precib. imperat. offerend.* & notant in cap. *Quæ in Ecclesiarum*, *de constitut.* Innocen. *num.* 3. *post med. vers. Si verò non auferatur ius*, Compostell. *num.* 6. *eod. vers.* Host. *num.* 4. *vers. Ubi verò rescriptum*, Jo. Andr. *num.* 22. Abb. *num.* 12. & Felin. *num.* 47.
16 Præterea quæstio illa adeo à multis ventilata fuit, ut difficile sit discernere quænam sit magis communis opinio, quamvis affirmativã esse magis receptam censuerit Rolan. à Valle, *cons.* 35. *lib.* 3. qui alios citat; contrariam verò amplexus videatur jure veriorem Covar. *var. lib.* 1. *c.* 19. *n.* 9. Quod si rationes sint expendendæ, magis quidem vigere videntur pro parte negativa, quibus satisfacere non videtur Roland. licet multam insudaverit in responsionibus per eũ allatis. Sed & huic suæ sententiæ videtur consuetudo repugnare, ad quam plerique Doctores recurrunt, quæ tamen probanda esset, idcoque ad evitandas tot difficultates, hæc discussio consultò omittitur, præsertim cum Rota videatur aliquando secuta opinionẽ affirmativam, ut per Mohed. *decis.* 235. *alias* 3. *de testib.* Et nihilominus opinor gratiam petitam adhuc videri concedendam ex infrascriptis.

Et primò, quia cum jam per substitutionem factam fratri sine liberis decedenti fuerit quæsita primò rata hæreditas huic puellæ, & hodie magis de eius amissione, quam acquisitione quæratur, & sit indubitatum, si ei denegetur retentio, eam retractum iri à pio illo affectu ingrediendi religionẽ: certè succurrendum est ei, & adjuvanda ejus pia intentione, retrahatur ab ea vita, quæ longẽ præstantior est carnali matrimonio. Tanti enim fecerunt Doctores prædictam quæstionem tractantes hanc rationem, ut hac potissimum moti fuerint illi, qui affirmativã partem defendunt, cui satisfacere volentis, qui contrariam asserunt, respondent non esse verisimile, ut qui Divino afflatus spiritu vult in aliqua religione profiteri, retinere velit bona temporalia, & eorum contemplatione à tam laudabili proposito pati sese avocari, cum bonorum temporaliũ possessio interdicatur his, qui profitentur. Verum hæc responsio non satisfacit in specie, de qua agitur, in qua extra controversiam est puellam hanc nolle profiteri, nisi impetrata à Sanctissimo D.N. venia retinendæ portionis ad se spectantis, & in eo monasterio professionem est emissura, in quo licet bona temporalia retinere.

Secundò videtur hæc gratia concedenda, cum non contineat fideicommissi totalem derogationem, sed protelationem tantùm, scilicet ut demũ cum diem suum extremum clauserit, bona revertantur ad substitutos, non autem à die emissæ professionis. Nam ut dictum est in hujusmodi dilationibus concedendis exuberans est Principis authoritas, non solum contra testatorum dispositiones, sed etiam contra expressas contrahentium conventiones, ut fuit resolutum à Rota in causa *Tiburtina Castri Vivarij*, in qua fuerant à Papa contra expressum pactum contrahentium concessæ plures dilationes ad relevandum castrum venditum cum pacto de retrovendendo intra certum tempus, & tamen jam fuerat jus quæsitum parti ob lapsum temporis præstituti ad retrahendum; in specie verò nostra nullum adhuc jus competit fideicommissarijs.
17 Atque hinc insurgit tertia, & ultima ratio; nam cum

cum jus hoc sit conditionale sub incerto eventu mortis sine liberis; & ideo sit valde debile, & in spe tantùm consistens, ut fuit resolutum in *causa Bononien. de Bolognino*, 10. *Decembris* 1568. nullum fit præjudicium considerabile substitutis ex dilatione huiusmodi, cum ea non concessa, hæc puella non sit professura; & ita nihil certi juris quæsitum fidei commissarijs respectu acquisitionis hujus portionis. Et hac ratione tunc in dicta causa censuit Rota non fuisse necessarium in legitimatione cujusdam masculi facere mentionem fœminarum ad successionem potest masculos vocatarum.
18 Unum tamen est animadvertendum ex hac dilatione posse resultare præjudicium vocatorum, si ante obitum puellæ aliqua sororum decederet cum filijs, superstitibus aliis sororibus propter impedimentũ transmissionis. Sed huic incommodo obviam iri potest si in supplicatione addatur, ut in eventu, quo monasteriũ jure communi non veniat præferendum, purificatio fideicommissi quantum ad effectum transmissionis cẽseatur facta à die emissæ professionis.

DE REGVLARIBVS.

Cap. Ad Apostolicam.

SVMMARIVM.

1 PRæcessio nec fieri, nec recipi debet infra tempus probationis; sed facta, & recepta tenet.
   Et quid post iura Sexti, & Concilii Tridentini, num. 23.

2 *Novitiatus, seu probationis tempus quamdiu duret ex veterum canonum dispositione variè referuntur sententiæ, & n. seqq. usque ad n.* 13.

3 *Magistri novitiorum, cum salvari possint, sine causa corrigunt, terminorum sunt transgressores.*

4 *Probationis tempus ex generali consuetudine omnium ferè ordinum ultra annum non extenditur.*

5 *Consuetudo potest legem interpretari, & tollere.*

6 *Novitij ex regula S. Benedicti probantur per duodecim menses.*

7 *Novitij post Concilium Tridentinum expleto anno probationis aut ad professionem sunt admittendi, aut à Monasterio ejiciendi.*

8 *Probationis tempus à Superioribus regularibus ultra annum prorogari non potest.*

9 *Declaratur num.* 11. Fateor tamen, *Prorogatur à Sede Apostolica novitiæ morbo correptæ, etiam ultra sex menses à finito anno donec duret spes recuperandæ valetudinis.*
   Item novitiæ quæ verebatur ne emissa professione bona sua apud mercatores existentia recuperare non posset, num. 11.

10 *Tridentinum Concilium* c. 16. vers. Finito sess. 25. de Regular. *comprehendit etiam Moniales.*

11 *Novitius adversus tacitam professionem potest sibi cavere per protestationem præcedentem.*

12 *Novitij non sunt ad habitum recipiendi nisi facta diligenti perquisitione de illorum natalibus, moribus, & vita anteacta.*

13 *Novitius ob defectum ætatis, vel aliàs ad profitendum inhabilis elapso anno ejici non debet à monasterio, sed expectari potest quousque sit habilis ad profitendum, & n. seq.*

14 *Ætas nulla in masculis est præfinita à Concilio Tridentino ad suscipiendum habitum novitiatus.*
   Et quid in mulieribus remissivè, ibidem.

15 *Novitij in religione Societatis Iesu probantur biennio.*

16 *Abbas solus non potest quemquam recipere ad habitum, & professionem, sed cum maiori parte Conventus.*

17 *Novitij, qui habitum religionis S. Basilij de manu Commendatarij non expressè professi susceperunt, & per aliquot annos gestarunt, censentur tacitè professi.*
   Episcopus Ecclesiæ regularis potest Monachos ad professionem recipere, ibidem, vers. Rursus.

18 *Abbas potest Monachi receptionem demandare alteri etiam laico.*

19 *Professio satis est ut recipiatur Superiore mandante, vel postea ratificante.*

20 *Multa fieri prohibentur, quæ facta tenent.*

21 *Renunciari non potest beneficio in favorem duorum indulto, nisi de consensu utriusque.*

22 *Renunciari potest iuri etiam in favorem plurium introducto quatenus tangit personam renunciantis.*

23 *Anno probationis hodie nec tacitè, nec expressè potest renunciari, & in hoc corrigitur hoc capitulum, & n. seqq.*

24 *Decretum irritans inducit formam.*

25 *Forma an possit renunciari quatenus concernit privatam utilitatem ipsius renunciantis.*

26 *Annus probationis restringi non potest à Superioribus regularibus, etiamsi per ingressum fiat alteri grave præiudicium.*

27 *Dispensatur cum muliere, cuius vir sacros Ordines suscepit, ut statim profiteri possit, cùm in habitu laicali quindecim menses in monasterio steterit.*

28 *Vir, cuius uxor duodecim annis maior monasterium ingressa habitum regularem suscepit, expectare debet donec annus probationis labatur, & professio sit emissa.*

29 *Conversæ sunt personæ Ecclesiasticæ quæ alicui religioni addictæ solemniter profitent.*

30 *Et possunt professionem emittere iuxta dispositionem iuris communis, earumque constitutiones.*

31 *Tenentur tamen ad clausuram formalem, & emissionem trium votorum, nec in earum monasterijs reponi possunt Moniales aliorum monasteriorum correctionis causa.*

32 *Novitij Ordinis S. Dominici in articulo mortis profiteri possunt ante annum probationis ad effectum lucrandi indulgentiam, & gratias spirituales ex indulto Pij V.*

33 *Et quid post Bullam Greg. XIII.* In tanta.

34 *Regulares de licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem religionem eiusdem Ordinis transeuntes, an per alium annum in probatione stare, atque iterum profiteri teneantur, & num. seq. usque in finem.*

35 *Regularis duobus modis transferri potest ab uno ad aliud monasterium.*

36 *Monachus translatus ad Prælationem alterius monasterij an teneatur iterum profiteri.*

37 *Fratres Minores transeuntes ad Ordinem Canonicorum Regularium anno probationis renunciari non possunt & n.* 64.

38 *Carthusia est strictissima omnium religionum.*

39 *Carthusiani petita, & non obtenta à suis Superioribus*

sine licentia recipi possunt ab Eremitis Camaldulensibus.

40 *Minimorum, & Cappuccinorum religiones aliquibus respectibus sunt strictiores Carthusiana.*

41 *Annus probationis ad quid institutus, & num. 58. & seq.*

42 *Professus in una religione censetur professus in omnibus quoad substantialia regulæ.*

43 *Novitius, qui post annum probationis exijt è monasterio, inde ad triennium reversus potest statim profiteri, nisi religionis aut personæ conditio sit immutata, & n. 63.*

44 *Approbatus ad aliquod officium non potest in simili officio reprobari requirente eamdem personæ idoneitatem.*

45 *Transiens ab uno ad aliud monasterium non eget nova probatione.*

46 *Novitiatus non exigitur ubi professio non est necessaria, & num. 67.*

47 *Regulares translati de strictiori ad laxiorem ejusdem Ordinis ex consuetudine illico admittuntur ad officia, & dignitates secundæ religionis, & num. 65.*

48 *Religiosorum species discernuntur ex diversitate professionis, & habitus.*

49 *Religio strictior non dicitur considerata primæva regula, sed habito respectu ad præsentem observantiam, & constitutiones ultra regulam factas, & nu. seqq.*

50 *Transitus à Fratribus Capuccinis ad Minores de Observantia non datur.*

51 *Nec à Calceatis ad Discalceatos ejusdem Ordinis.*

52 *Professio emissa ante annum probationis expletum ex Concilio Trident. est nulla, nullamque inducit obligationem.*

53 *Verba universalia, & geminata quam habeant vim.*

54 *Regularium translatio canonice fieri debet.*

55 *Transiens ad laxiorem religionem ejusdem Ordinis potest quandocumque ad primam redire, nisi in secunda fuerit tacite, vel expresse professus, & num seq.*

56 *Translatus ab uno ad aliud monasterium ejusdem religionis potest per Abbatem ad libitum revocari ad primum.*

57 *Religiosis non licet temerè conversare ab uno aliud monasterium.*

59 *Regulares Prelati quanta cum cautela debeant novitios ad professionem recipere.*

60 *Regulares quam permittente à religione deficiant.*

61 *Regulares quo prætextu se excusent à proprietate.*

62 *Transitus ad laxiorem religionem causa præcipua est infirmitas, ac debilitas complexionis.*

64 *Translatus ad laxiorem religionem post Concilium Tridentinum anno probationis renunciare non potest.*

66 *Fratres Minores ad Conventuales ejusdem Ordinis transeuntes sunt incapaces successionis ex Bulla Alexandri VI.*

---

1 AD APOSTOLICAM. Professio fieri, & recipi potest ante probationis annum. Hoc dicit, secundum Jo. Andr. Butr. & Anchar. Sed comprehendendo utrumque responsum, hoc intendit, secundum Card. Abb. & Jo. de Anan. Professio nec fieri, nec recipi debet infra tempus probationis; sed facta, & recepta tenet. Dividitur in duas partes. In prima ponitur duplex consultatio decisa. In secunda responsio, ibi, *Quæstionibus*. Et hæc subdividitur: nam primò respondet ad primam: secundò ad secundam, ibi, *prohibendum*. & est pars cap. *Ad Apostolicam, infr. de convers. conjugat.*

2 Nota primò ibi, *Unius anni*. Regulari institutione interdictum esse Monachum fieri ante unius anni probationem, ut hic, & cap. *Gonsaldus*, ibi, [Canonica institutio interdicit Monachum ante unius anni probationem effici.] 17. q. 2. & pondera illud verbum, *regulariter*, hic positum paulò infra, quod indicat hoc non esse perpetuum: nam quandoque statuitur biennium, ut in cap. *Si quis incognitum, eadem caus. & quæst.* quandoque verò triennium, ut in cap. *Monasterijs*, 19. q. 3. Unde factum est ut in hac Canonum varietate circa probationis tempus quatuor emerserint opiniones.

Prima opinio est eorum, qui dixerunt idcircò diversa tempora fuisse statuta, ut ostendatur tempus probationis esse arbitrarium, argum. cap. *De causis, supra de offic. de leg.* ac proinde arctari, & prorogari posse, quinimo & prorsus tolli: nam statim quis potest recipi, & renunciare beneficio hujus probationis, ut hic patet, & in cap. *Statuimus, infr. eod.* & hanc opinionem recenset primo loco gloss. in d. cap. *Gonsaldus, in verb. Unius anni*, & eam sequitur gloss. 1. *hic*, & Abbas *in ult. notab. n. 8. vers. Mihi autem.*

Secunda opinio est gloss. præallegatæ in d. cap. Gonsaldus, quæ distinguit, an is, qui converti desiderat, sit clericus notus; & tunc probetur per annum, juxta text. in d. c. *Gonsaldus*. An verò sit clericus ignotus, sive laicus notus; & probetur biennio, ut in d. cap. *Monasterijs*, vel demum, sit laicus ignotus &; probandus sit per trienium, ut in d. c. *Si quis incognitum*. Si tamen clericus notus per annum statim converti voluerit, admittatur, ut in hoc cap.

Tertia opinio fuit Hugonis hic relati ab Host. *num. 1.* & à Jo. Andr. *num. 6.* qui sic distinxit, videlicet si vita, & conditio ejus qui vult converti sit nota; probabitur per annum, & sic loquitur d. cap. *Gonsaldus*. Si conditio sit nota, sed vita ignota; probabitur biennio, & sic loquitur d. c. *Monasterijs*. Si verò utrumque ignotum sit, idest tam conditio, quàm vita; tunc triennium erit expectandum, & sic loquitur de cap. *Si quis incognitum*, cap. *Legem*, 53. & cap. *Multos*, 54. *dist.*

Quarta denique opinio est aliorum, quos tacito nomine hic recenset Host. *eod. num. 1.* qui existimarunt veterum Canonum diversitatem fuisse correctam per jura posteriora, quæ restringunt se ad annum, ut *hic*, & in cap. *Statuimus, infr. eod.*
3 cum suis concordantib.

Verum hæc ultima opinio non placet Hostien. quia cùm eadem diversitas nõ reperiatur expressè revocata, & sit rationabilis; remanet in suis terminis, ut in Auth. *de non alien. reb. Eccles. §. fin. col. 2.* Quod enim non mutatur, quare stare prohibetur? l. *Sancimus*, C. *de testam.* & l. *Præcipimus, in fin. C. de appellat.* & Magistri, qui jura, cum salvari possint, sine causa corrigunt, terminorum sunt transgressores, contra id, quod legitur in c. 1. *in fin. de sepultur.* Nec secundum eum obstant jura moderna, quia etsi indistinctè loquantur; tamen possunt, & debent distingui per jura antiqua sic distinguentia, ut l. *Non est novum*, & l. *seq. ff. de legibus.*

In hac

4 In hac opinionum dissonantia tu dic ex generali consuetudine omnium ferè ordinum regularium receptum esse, ut probationis tempus ultra añum nõ extendatur, & idem et Host. *hic n. 2.* & Jo. Andr. *n. 6. ad fin.* fatentur de consuetudine omnes sequi contrariã opinionẽ; ac proinde in judicijs nõ esse ab ea recedendum arg. l. *Minimè, ff. de legibus.*

5 Hæc igitur consuetudo, quicquid distinxerint jura antiqua, indistinctè servanda est; quia consuetudo potest legem interpretari, & tollere, §. *Leges*, 4. *dist.* c. *Certificari de sepult.* Butr. *hic nu. 5.* Præsertim verò quia Conciliationes, & distinctiones Doctorum circa probationis tempus non carent difficultate; nam textus noster, qui præscribit terminum unius anni, tantum abest ut se restringat ad clericos notos, ut potius expresse loquatur etiam de ignotis, ut patet ex illis verbis,
6 *de reliquo certa notitia non habetur.* & text. in dict. c. *Gonsaldus*, 17. *q. 2.* in præfinitione temporis annalis refert se ad regulam B. Benedicti, quæ absque ulla distinctione Clericorum, vel laicorum jubet probari novitios per duodecim menses, quibus elapsis, suscipiantur in Congregatione, nec liceat eis ex illa die egredi de monasterio, ut
7 Rubrica de disciplina suscipiendorum Fratrum. c. 58. Quibus hodie accedit jus novissimũ Concil. Tridentini, quod in c. 15. *sess. 25. de regular.* non per verba indefinita, sed universalia præfixit probationi terminum unius añi in quacunque religione, & in *cap. 16.* immediatè sequenti præcipit, ut finito tempore Novitiatus, Superiores quos habiles invenerint ad profitendum admittant, aut è monasterio eos ejiciant. Ex quibus verbis
8 apparet tempus probationis à Superioribus regularibus ultra annum prorogari non posse, cum inferiores à Papa dispensare nequeant contra generale Concilium, extravag. *Sancta Romana*. §. *Quidam autem*, & ibi gloss. *in ver. Concilij, de relig. dom.* & probavi latissimè in cap. *Nimis, à n. 2.*
9 *supra de fil. Presbyter.* Unde mos fuit legitima subsistente causa hujusmodi prorogationes obtineri à Sed. Apost. & in specie cũ virgo monast. ingressa, adversa valitudine correpta, dubitaret ne post annum probationis, cujus finis instabat, professione non emissa è monasterio ejiceretur, juxta *c. 16. sess. 25. de regular. vers. Finito tempore professionem autem emittere non posset volentibus Monialibus*, quæ verebantur, ne ob morbum inutilis esset monasterio: adijt pro remedio Sacram Congregationem Concilij; quæ censuit agendum cum Sanctissimo, ut concedatur prorogatio ultra menses sex à finito anno, donec du-
10 ret spes recuperandæ sanitatis: Sanctissimus annuit ut concedatur ista prorogatio. Et amplius putavit *cap. 16. sess. 25. de regul. vers. Finito*, non comprehendere moniales, sed tantum viros, qua tamen in re dixit amplius à Sacra Congregatione deliberandum. Sacra Congregatio deliberavit d. c. 16. etiam Moniales comprehendere; quia c. 15. præcedens loquitur tam de Monialibus, quàm de viris; & subest ead. ratio. Rursus cum Olympia
11 Spinula monasterium ingressa dubitaret, ne emissa professione bona sua apud mercatores existentia recuperare non posset, & tempus professionis emittendæ instaret, petijt à S. Cong. ut sibi liceret manere in monasterio ultra tempus novitiatus, nec tamen propterea intelligeretur tacitè profiteri, S. Congregatio censuit quoad tacitam professionem posse Olympiam sibi cavere per protestationem, ut posset autem ultra tempus novitiatus manere in monasterio, & non profiteri, opus est ut Sanctissimus det dilationem. Sanctitas sua indulsit sex menses ultra añum novitiatus, ut manere posset in monasterio absque professione. Fateor tamen non videri prohibitum Superioribus, quin possint professionem prorogare ex aliqua justa causa ad breve tempus, & ita intelligi potest alia declaratio, qua dictum est tempus probationis esse arbitrarium, & ultra añum prorogari posse, alioquin nimis durum esset ut novitius revoluto anno probationis confestim, & nulla interjecta mora expellendus esset à monasterio, si protinus ob legitimum aliquod impedimentum profiteri non posset; aut pro qualibet brevi dilatione impetranda recurrendum esset ad Sedem Apostolicam, præsertim ex longinquis partibus, *arg. c. ult. §. fin. Ne sede vacan. lib. 6. l. Si longius, §. fin. ff. de judic.* ad quod vide quæ scripsi in d. c. *Nimis, à num. 25. usque ad num. 30. supra de fil. Presbyter.* Verba igitur d. c. 16. *vers. Finito tempore*, videntur cum aliqua moderata latitudine, & civiliter accipienda ex not. per glos. in l. *Anniculus, in ver. Civiliter, ff. de verbor. signif.* Et ex his sublata remanet prima opinio Joannis glossatoris, & Abbatis quod tempus probationis absolutè sit arbitrarium. Cessant
12 itidem secunda, & tertia opinio distinguentium inter clericos, & laicos notos, & ignotos, quia novissimè ex Constitut. Sixti V. *Cum de omnibus* in Bullar. *tom. 2. pag. 601.* & ex decretis Clem. VIII. *super receptione, & educatione novitiorum*, statutum est, ut quod attinet ad novitiorum recipiendorum formam, diligens perquisitio habeatur de uniuscujusque natalibus, & vita anteacta. Atque ita hodie distinguendum non est inter notos, & ignotos; vel quorum conditio, aut vita est nota, vel ignota: quia nullus, cujus conditio, aut vita ignoratur, recipi potest nedum ad professionem, sed nec ad habitum novitiatus. Tene igitur tempus probationis regulariter ultra annum non extendi.

13 Fallit primò hæc regula in novitio ad profitendum inhabili ob defectum ætatis; nempe quia non excessit añum decimumsextum à Concilio Trident. præfixum in *cap. 15. sess. 25. de regular.* Lex enim quantumcunque generalis semper restringitur ad personas habiles, c. *Unico, de ætat. & qualit. lib. 6.* & c. 1. *de fil. Presbyt. eod. lib.* & notat Decius in c. *Cum omnes, in 2. lectur. n. 2. supra de constit.* & Jason. in l. 2. §. *Prætor. n. 3. ff. qui satisdar. cogant.* Unde cum novitius quidam esset proximus professioni, nec dum ageret decimumtertium añum, dubitavit superior an posset permittere, ut in novitiatu maneret usque ad tempus professionis, vel potius eum ejicere deberet, S. Congreg. censuit sic posse; quia Concilium d. c. 16. *vers. Finito*, loquitur de habilibus ad emittẽdam professionem; sed hic non est habilis, cum ætatem non habeat.

14 Præterea S. Congreg. inclinavit in hanc sententiam, ut in masculis non sit præfinitum tempus à Concilio ad suscipiendum habitum: quid autem in mulieribus, dixi in c. *Cum virum, supra eod.* Idem responsum in quibusdam inhabilibus, qui non adhuc sciebant legere, nec officium ordinare pro-ut Religionis instituta poscebant.

15 Deinde fallit eadem regula in religione Societatis Jesu, in qua novitii probantur biennio: hoc

enim

enim institutum nequaquam fuisse; imò expressè præservavit Tridentina Synodus in *d. c. 16. sess. 25. de regul.* nam postquam jussit novitios expleto anno probationis ad professionem admitti, aut è monasterio expelli, immediatè subjunxit: Per hæc tamen S. Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin religio clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum institutum à Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & ejus Ecclesiæ inservire possit.

16 Secundò nota ad Abbatem pertinere monachum recipere ad habitum, & professionem, ut patet ex litteris ibi, [Abbate professionem recipiente monasticam, & monachalem habitum cõcedente] concordat textus in *c. Porrectum, supra eodem* ibi, (ex quo à convertendo votum emittitur, & recipitur ab Abbate.) Non tamen intelligas hoc jus spectare ad Abbatem solum, sed ad Abbatem & conventum simul, circumscripta consuetudine, vel privilegio, cap. *fin.* & ibi notat glossi. *in verb. Pertineat.* post Jo. Monach. & Archidiac. *infr. eod. lib. 6.* glossi. *fin.* & DD. in d. cap. *Porrectum*, Lapus *allegat. 31.* incipien. *Prima conclusio. num. 1.* & ad hoc requiritur major pars Conventus, *c. 1. cum ibi notat. infr. de his quæ sunt à maiore par. Cap.* Lapus *ubi supra num. 3.* Nauarr. *in c. 3. num. 5. de Regular. & consf. 9. n. 12. de Constit.* & Menochius *de præsumpt. lib. 6. præsumption. 83. n. 9. & seqq.* Sed Jo. Andr. *hic n. 2. in ver. Verisimile posset unam Apostillam*, dicens Abbatem debere hoc facere consultis fratribus, & cum hac apostilla transeunt hic communiter DD. ut testatur Abbas *n. 11. vers. Sed ultra gloss. quære* & hanc opinionem, quod scilicet Monachorum creatio spectet ad Abbatem de Capituli consilio pluribus hic tuetur Abbas *d. n. 11. usque in finem cap.* ubi amplius sentit Abbatem non teneri sequi consilium fratrum, sed sufficere, ut requirat, & expectet responsum, ut cap. *Cum invenerit sup. de elect.* Mihi magis placet prima opinio: tum quia pro illa est textus apertus in cap. *alt. 16. q. 7.* ubi post Hugonem hoc tenent Archid. & Bellam. ambo. *nn. 2.* & Turrect. *num. 1.* tum quia ita est in Collegiata seculari, in qua Canonicorum creatio est simultanea inter Prælatum, & Capitulum, secundum veriorem, & crebriorem sententiam, quam servat Curia, ut latissimè ostendi in cap. *Cum Ecclesia Vulterana. à n. 2. supra de election.* Ergo idem dicendum in Collegiata regulari, cum nulla afferri possit sufficiens ratio diversitatis, *c. Cum inter corporalia, supra de translat. Episc.* Nec refragatur apostilla Jo. Andr. cum quia loquitur per verbũ *forte*; tum quia ipse non agit de simplici receptione ad professionẽ; sed de receptione ante annum probationis expletum, quæ fieri non debet, nisi consultis fratribus, ut per eum. Verumtamen in hac materia in primis recurrendum est ad consuetudinem, vel privilegium cujusque Ordinis, ut post Speculatorem adnotarunt Archidiac. Bellam. & Torrecr. *ubi supra*, & scripsi plenius in
17 cap. *Porrectum, num. 34. supra eod.* Quod autem hic dicitur de Abbate, ipso deficiente, videtur obtinere etiam in Commendatario ex sententia S. Congregationis Concilij. Nam cum in Religione S. Basilij approbata in sui initio fuerit expressa professio trium votorum à tempore cujus initij memoria non existit, & regulari observantia in ea collabente ejus monasteria commendata fuerint, ac deficrit emitti consueta professio, quia nec erat caput aliquod religionis: dubitatum fuit an illi, qui hujusmodi religionis habitum de manu Commendatarij, vel Prioris non expressè professi susceptum per *aliquot* annos gestarunt, tacitè professi intelligantur regulam S. Basilij S. Congregatio censuit intelligi tacitè professos. Rursus quod hic dicitur de Abbate, procedit etiam in Episcopo Ecclesiæ regularis; quia Episcopus, & Abbas; idcoque ad eum spectat Monachos ad professionem admittere, ut notat Compostellan. in *c. Cum causam, n. 1. supra eod.*

18 Tertiò nota ibi, *per se, vel per alium*, Monachi receptionem à Superiori regulari posse alteri demandari, prout hic notat Hostien. *nn. 7.* & Butr. *n. 3.* & idem Hostien. in *d. c. Porrectum, n. 13. in ver. Et ita situr, supra eod.* ubi amplius censet post Innoc. *nn. 4.* munus demandari posse non tantum Monacho, & Clerico, sed etiam laico, & satis esse
19 ut professio recipiatur ipso Superiore mandante, vel postea ratificante, ut *c. Gaufridus, 17. q. 2.* & *c. Insinuante, quæ clerici, vel voveat.* cum concord. de quibus ibi per eum.

20 Quarto nota regulam, quod multa fieri prohibentur, quæ facta tenent, ad quod quotidiè allegatur hæc decretalis ad idem, *§. fin. 15. quæst. 1.* & cap. *Quemadmodum, §. Quod si post huiusmodi, supra de inventum.* Sed contraria regula habetur in cap. *Imperiale, 25. q. 2.* & in *l. Non ambigitur, C. de legib.* ubi patet gesta contra legis prohibitionem non valere, quamvis lex non procedat ulterius ad irritationem actus. Pro conciliatione die ut plenè scripsi in cap. *Cum accessissent, de Constit.* post Joan. Andr. *hic num. 2. in verb. Obtinent*, & Abb. *num. 11.*

21 Quintò nota, beneficio in favorem duorum indulto non posse per alterum renunciari altero invito: nam quod favore alicujus introductum est, in ejus odium retorqueri non debet, *l. Quod favore. C. de leg.* & *c. Quod ob gratiam. de reg. iur. lib. 6.* & in re communi potior est conditio prohibentis, *l. Sabinus. ff. com. divid.* & *l. Per fundum. ff. de servit. rustic. prad.* sed de communi consensu uterque potest renunciare juri suo; quia regula est, Quod quilibet renunciare potest his quæ pro se introducta sunt, *c. Statutum, infr. eod. c. Gratum, supra de offic. deleg. c. Cum nobis olim, de elect. l. Si quidem. de minor.* ita glossi. *hic in verb. Monasterij.* Holt. *num. 4. in fin. vers. Sed & ex hoc*, & *n. 8.* Butr. *n. 3.* & Abbas, *n. 10.* Quinimò secundum Goffred.
22 quilibet renunciare potest juri, quod introductum est in favorem omnium illorum, de quorũ numero est, in quantum illud jus tangit personam renunciantis, nisi in jure contrarium exprimatur, & hic potest intelligi textus in *d. l. Si quis in conscribendo. C. de pact.* & cum eo transit *hic* Hostien. *n. 8.* apud quem *n. 9.* reperies etiam, decem, & octo fallentias ad regulam prædictæ *l. Si quis in conscribendo.*

23 Ultimò nota in vers. *Si tamen*, anno probationis, secundum hæc tempora posse renunciari de communi consensu nedum expressè, sed & tacitè, videlicet per susceptionem habitus regularis, & professionem emittam, & receptam ante tempus probationis expletum, ut hic est casus, & in *c. Statutum. infr. eodem.* Sed hoc corrigitur hodie quoad Fratres Prædicatores, & Minores in *c. Non solum, infr. eod. lib. 6.* & quoad reliquos Mendicantes in *c. seq.* & generaliter quoad omnes re-
24 ligiones à Concilio Tridentino *inc. 15. sess. 25. de Regular.* nam in prædictis juribus, & præcipuè in *d. cap. 15.* apponitur decretum irritans professiones antea factas. Decretum autem irritans induxit formam, cui renunciari non potest, ut notat Baldus in *l. 1. num. 2. vers. In contrarium, ff. de liber. & postum.* & Albert. Brunus *in tractat. de forma fol. 3. col. 1.* ubi enim est data forma, consensus partium nihil operatur, glossi. in cap. *Statutum, in princ. in verb. Committatur, de rescript. lib. 6.* & ita anno probationis renunciari non posse ìæpius declaravit S. Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, & latè consuluit Navarrus *cons. 62.* incipien. *An Franciscanus. hac titulo, ubi num. 5.* dicit ita tenendum in consulendo, & judicando.

25 Hinc redditur valde dubitabile, quod notat Decius in cap. *Cum accessissent num. 22. supra eo constituit.* ubi pluribus firmat etiam formæ renunciari posse, quando privatam respicit utilitatem quandoquidem tempus probationis inductũ est tam in favorem novitij, quam religionis; & propterea secundum hæc tempora illi poterat renunciari; quia quilibet potest renunciare ei, quod pro se noscitur introductum, ut expressè hic dicitur, & in d. c. *Statutum*, & tamen posteaquam per decretum irritans professionem tempus probationis est factum de forma, illi amplius à novitio, & monasterio ex S. Congreg. sententia renunciari non potest: ergo formæ non est renunciari etiam quatenus concernit privatam utilitatem ipsius renunciantis: circa quod tamen vide quod scripsi in d. c. *Cum accessissent, à num. 22.*

26 Hinc etiam fit ut hodie locum non habeat quod hic notant Host. *nn. 2. in ver. Interdicat.* & Jo. Andr. *n. 1. in eod. ver.* Videlicet tempus probationis restringi posse, ubi per ingressum religionis fieret alteri grave præjudicium, ut in cap. *Ex publico, §. 1.* & ibi notat idem Host. *in ver. Infra duorum mensium. infr. de convers. coniug. at.* & in cap. *Consultti, §. 1.* ubi etiam Holt. *in ver. Proposuit. infr. eod.* Etenim etsi hæc sit justa causa petendi dispensationem à Sede Apostolica tamen ab Ordinarijs inferioribus, & Superioribus Religionum post Concilium Trid. amplius arctari non potest.

27 Ideoq; cum Sacra Pœnitentiaria respondisset Cynthiæ Mutinz, cujus vir Ordines sacros susceperat, fieere post consummatum matrimonium ingredi religionem, & in ea profiteri, eademque Cynthia agens annos triginta & octo id quam efficere cuperet: petijt secum dispensari, ut non obstante *cap. 15. sess. 25. de Regul.* statim, vel intra annum quandocumque ad professionem admitteretur, cum in monasterio quindecim menses morata, regulæ asperitatem experta sit, & ipsa à Monialibus noscatur. Sacra Congregatio censuit hanc materiam juris positivi esse, *c. Ad Apostolicam. de Regular.* ubi intra annum probationis professio fieri non debet, sed facta tenet; ideo posse dispensari, & causam justam hoc casu subesse Sanctissimus dispensavit.

28 Amplius, suborto dubio, An si mulier, quæ duodecim annis major ingressa est monasterium, habitũq; susceperit, deinde expleto probationis anno professionem emittere velit; interea vir expectare debeat donec annus probationis labatur, &

professio sit emissa: Sacra Congregatio censuit ita debere.

29 Fallit primo conclusio superiùs firmata nu. 23. in mulieribus, quæ Pœnitentes, aut Convertitæ appellantur, & sunt personæ ecclesiasticæ alicui religioni addictæ, & solemniter pœnitent, ut per Calder. *cons. 21. initia 7. de indic.* & Jul. Clar. *in §. fin. quæst. 35. num. 20.* Sicuti Romæ est monasterium
30 S. Mariæ Magdalenæ Ordinis S. Augustini. In his enim quoad tempus probationis, & professionem emittendam servari debet jus commune, & illarum constitutiones: nam Concilium Tridan *c. 18. sess. 25. de Regular. in vers. Ab hoc tamen excipiuntur mulieres*; referendum videtur non tantum ad ea, quæ desuper continentur *in eod. cap. 18.* Sed etiam ad reliqua, quæ in aliis capitulis præcedentibus ejusdem sess. sancita fuere; & consequenter etiam ad disposita *in cap. 15.* Unde S. Congregatio consulta, An mulieres, quæ Pœnitentes, seu Convertitæ appellantur, de quibus fit mentio in *cap. 18. sess. 25. de Regul. vers. Ab hoc*, possint professionem emittere juxta dispositionem juris communis, earumque constitutiones: Respon-
31 dit posse. Teneri tamen hodie ad clausuram formalem, & ad emissionem trium votorum ex Decreto Pij V. & Gregorii XIII. nec in earum monasteriis possunt reponi amplius Moniales aliorum monasteriorum, quæ sub clausura degunt correctionis causa: nec amplius egredi ipsæ Convertitæ possunt. De his tamen vide quod dixi in *c. Statutum, num. 80. infr. eod.*

32 Fallit secundò superadicta conclusio in Monialibus novitijs Ordinis S. Dominici, quæ in articulo mortis constitutæ, dumodo sint legitimæ ætatis, ex indulto Pij V. emittere possunt professionem ante annum probationis expletum; ita tamen ut sic decedentes consequi possint indulgentiam, & alias gratias, quas Moniales veræ professæ decedentes consequuntur, ut in ejus litteris incipien. Summi Sacerdotij cura, in Bullar. *tom. 2.*
33 *pag. 315.* Verum hujusmodi indultum quatenus adversatur Decreto Concilij Tridentini *in cap. 15. sess. 25. de Regular.* videtur redactum ad illius terminos à Gregorio XIII. in Constitutione, quæ incipit, *Inter cætera, eod. tom. 2. pag. 370.* Ac proinde si Monialis sit professa ex cali infirmitate decederet, monasterium non succederet in bonis illius, arg. cap. *Constitutis, 20. quæst 3.* & scripsi in cap. *Sicut nobis, supra eod.* Quod si ex morbo convaleceret, non conferetur religioni alligata nisi transacto probationis anno iterum profiteretur; licet quoad indulgentiam, & gratias spirituales forte sustineri possit indultum Pij V. non fuisse à Gregorio revocatum, prout tenuerunt multi ex recentioribus, quos tamen cumulant hic moderni Collectores, num. 4.

34 QUÆRO, An Regulares de licentia Sedis Apostolicæ à strictiori religione ad laxiorem ejusdem Ordinis transeuntes, per alium annum in probatione esse, atque iterum profiteri teneantur.

35 Regularis duobus modis transferri potest ad aliam religionem. Primo ut ille præsit tamquam Abbas, vel Superior. Secundò, ut subsit tamquam
36 privatus Monachus. Si transferatur ut præsit, Feder. de Sen. *cons. 5. incip. Quidam Monachus*: respondit Monachum unius monasterij ad prælationem alterius monasterij promotum non teneri iterum profiteri: nam (Per professionem (inquit

n. 3. [quam fecit in primo monasterio, ipso jure erat, aut intelligebatur conformatus moribus secundi monasterij quoad substantialia regulæ; quantum verò ad omnia, quæ sunt extra substantiam hujus regulæ, conformabit se illa de facto observando, nec est necesse, ut verbo obligetur, vel astringatur, cum ipso facto se astrinxerit suscipiendo prælaturam ipsius monasterij: nam cùm ipse sit unum corpus cum suis Monachis, cujus corporis ipse est caput; satis ipso facto intelligitur tacitè promisisse se observaturum quæ observari debent in ipso monasterio per Abbatem.) Hæc Federic. de Sen. cuius verba transtulit Petrus de Perus. *in suo tractatu de mutat. stat. person. n. 7. & 18.* Illum tamen pluribus reprobat Nauarr. *de Reg. cons. 60.* incip. *An Monachus.* Verum in hoc primo casu, quicquid sit de illius veritate, non videtur immorandum, quia propriè ad præsentem quæstionem non spectat.

Si autem regularis ab una ad aliam religionem transferatur ut subsit, non ut præsit, ut in hoc casu, tunc si Religio sit alterius Ord. clarum est regularem teneri per alium añum in probatione esse, atq; iterum profiteri, etiamsi religio, ad quam transfertur, sit laxioris regulæ: ut ex facto respon-
37 dit Nauar. *in præallegato consil. 62. de Regular.* ubi prolixè ostendit Franciscanum, si transferatur ad Ordinem Canonicorum Regularium, qui regulæ inserviunt laxiori, ut in cap. *Quod Dei timorem, infr. de stat. Monach.* non posse renunciare anno probationis concesso per Concil. Trid. *in cap. 15. sess. 25. de Regular.* Et pro hac conclusione observandum est multoties contingere, ut una religio licet generaliter sit largior, quam alia, tamen censeatur arctior respectu alicuius peculiaris institu-
38 ti. Sicut Carthusia est omnium religionum strictissima, ut in Extrauag. Martini IV. quæ est prima de Regul. (licèt ex constit. Eugenij IV. in-
39 cipien. *Illa qua. 8. Kalendas Decemb. 1435.* in Bullar. *to. 1. pag. 274.* Carthusiani petita, & non obtenta à suis Superioribus licentia recipi possint ab Eremitis Camaldulensibus) & in specie est arctior,
40 quam Minimorum S. Francisci de Paula, ut pluribus probat idem Nauar. *de Reg. cons. 10. alias 50.* incip. *Carthusianorum religio;* & tamen hæc posterior est arctior respectu perpetuæ abstinentiæ ab ovis, & lacticinijs, ut ibidem Nauarr. advertit. Quemadmodum religio Fratrum Minorum S. Francisci, præsertim Cappuccinorum, negari non potest quin sit strictior Carthusiana respectu asperitatis habitus, arctissimæ paupertatis etiam in communi, & multitudinis præceptorum, ad quæ FF. Minores ex vi regulæ tenentur sub reatu mortalis peccati, ut habetur in c. *Exijt qui seminat, de verb. signif. in 6.* adeout propterea habeant se huiusmodi religiones tamquam excedentia, & excessa, licet in Carthusiana ille veluti perpetuus carcer, & strictior clausura, cujus & Concil. Trid. meminit in *cap. 13. in fin. sess. 25. de Reg.* præponderet omnibus alijs asperitatibus, ut per Nauar. *loco cit.* Unde æquum est ut regularis probet hæc genera asperitatum priusquam religioni per professionem perpetuò alligetur hic, & in cap. *Non solum, insr. eod. lib. 6.* vix enim ferendum esset, ut Carthusianus transiens ad Cappuccinos in primo momento temporis esset eorum religioni irrevocabiliter incorporatus; atque hanc sententiam probavit Nauar. *de Reg. cons. 60.* incip. *An Monachus*, quem alij recentiores postea secuti sunt.

41 Quod si religio sit eiusdem Ordinis, ut si fiat transitus à Discalceatis ad Calceatos, vel à Reformatis ad eorum Conventuales, in quibus terminis procedit præsens quæstio, res est magis dubia. Nam cum tempus probationis à SS. Patribus sit indultum non solum in favorem conversi, sed etiã monasterij, ut ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri, ut hic in littera: hoc casu nec respectu novitij, nec respectu monasterij pri-
42 ma facie videtur necessarius annus probationis. Non respectu novitij; nam si austeritatem consideremus respectu substantialium religionis, satis est ut regularis semel professionem emiserit in aliqua religione; nam qui unam religionem profitetur, omnes censetur profiteri quoad substantialia, ut tradunt Fed. de Sen. *d. cons. 5. sub. n. 1. vers. Præterea sufficit* Lap. *alleg. 130. pro dubijs, n. 4. vers. Item secundum opinionem Theologorum* post Jo. Andr. quem citat in cap. *Sane in gloss. magna post. princ. supra eodem.* Cald. *cons. 391. in prim. vers. Aut professio illius, alias, 6. de Reg.* Gem. *cons. 41. in princ. vers. Quidam verò,* plenè Anchar. 321. *Præmittenda sunt,* & Petr. de Perus. *d. tract. de mut. stat. person. n. 8.* Si verò austeritatem consideremus respectu regulæ, utique si religio est eiusdem Ordinis, & instituti satis videtur esse ut regularis expertus jã sit omnes illius austeritates in strictiori observã-
43 tia absque eo quod illas iterum probet in laxiori. Nam cum, qui certus est, certiorari amplius non oportet, *c. Eum qui, de Reg. iur. in 6.* Et propter hanc rationem cum olim dubitatum esset in S. Congregatione Concil. An is, qui habitu regulari suscepto, annum integrum mansit in religione, eoque lapso gravi morbo correptus, & propterea professione nequaquam emissa, permissu Superiorum ad sæculum redijt, posset inde ad triennium morbo liberatus, & ad monasterium reversus protinus emittere professionem, vel potius per alium annum stare in probatione teneretur: S. Congregatio censuit posse statim emittere professionem non expectato alio probationis anno, nisi religionis, aut personæ conditio sit immutata; idque Superiorem religionis animadvertere diligenter debere, quæ fuit opinio Bartholomei Brixiensis *in quæstione sua Venereali 68.* quem refert, & sequitur gloss. in d. cap. *Eum qui.* Sed nec respectu religionis annus probationis videtur necessarius; quia cum religio jam experta sit indolem, ac mores novitij in arctiori, ac duriori disciplina; quem ibi semel approba-
44 vit amplius reprobare nõ debet: nam approbatus ad aliquod officiũ non potest in simili officio reprobari requirente eandẽ personæ idoneitatem. Innoc. in c. *Cum venerabilis, in penult. col. in gl. in ver. Instrumentum, vers. Item si admitto, de except.* Abb. in cap. *Præsentium, de test.* Felin in d. c. *Cum venerabilis, in ult. col.* Dyn. *in reg. quodomnes, de reg. iur. in 6.* & Bald. *in Margarita, in ver. Approbatus,* Præsertim quia Discalceatorum, & Calceatorum S. Augustini, item Observantium, & Reformatorum strictioris Observantiæ S. Francisci, & aliorum huiusmodi videtur una, & eadem religio: idem enim est institutor, & eadem regula, unus generalis utriusque. Ergò quemadmo-
45 dum non requiritur nova probatio cum regularis transit ex uno ad aliud monasterium, c. *Nullus,* ubi notatur, *de elect. in 6.* ita nec cum transit ex una

46 una Religione ad aliam ejusdem ordinis, & instituti. Et hac ratione non videtur obstare decretum, *c. 15. sess. 25. de regul.* Quia ex Conc. tradendum requiritur annus probationis, si professio sit necessaria. Sed ut negatur hujusmodi necessitas, cum jam præcesserit professio in eadem religione; ideoque, nec probationis annus requiri videtur, quod est præambulum ad professionem emittendam. cap. *Consulta, insr. eod.* cum concord. & sicuti Conc. non requirit novam probationem in eo, qui transit ad aliud monasterium ejusdem religionis, ita nec in regulari, qui transit ad laxiorem ejusdem ordinis. Nec videtur etiam rationi consentaneum, ut qui steterit tamquam veteranus inter professos strictioris religionis, modo agat in laxiori inter Novitios, *arg. c. ...* Unde hanc opinionem videtur sequi Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. n. 101.* ubi postquam tradidit, transeuntem ad aliam religionem debere in secunda religione añum probationis explere, subdit deinde hoc esse intelligendum si transitus fiat ad ordinem distinctum, vel ad ejusdem ordinis monasterium, strictioris tamen disciplinæ. Idemque indistinctè de transeuntibus etiam ad aliam religionem censent Comitolus *summ. q. 5.* & Henric. *lib. 4. de excomm. cap. 4. n. 2. in commen. litera O.*

47 Quibus accedit etiam communis observantia: nam translati de licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem ejusdem Ordinis illico admittuntur ad officia, & dignitates secundæ Religionis, nec ullam professionem emittere, aut añum probationis præmittere consueverunt, ut testantur Procuratores omnes Ordinum Mendicantium.

48 Verum his non obstantibus videtur respondendum Regulares ut supra transeuntes ad laxiorem Religionem etiam ejusdem Ordinis teneri per alium añum stare in probatione, atque iterum profiteri, adeo ut liberum sit eis ad primam Religionem redire, nisi peracto probationis año secundæ alligari per expressam, vel tacitam professionem. Quod ut evidentius appareat observandum est Religiones ad effectum, de quo agitur, tunc censeri diversæ speciei, quando utrobique diversa invenitur vivendi ratio observatur, ut probatur in Clem. 1. *de relig. dom.* & in Clem. *ne in agro, de stat. monach.* Gemin. *cons. 41. Præclarissime, in princip.* ait ipsas Religiosorum discerni ex diversitate professionis & habitus intelligendo verbum illud, *professione* non pro substantialibus Regulæ, quia in illis Religiones omnes conveniunt, ut notatur in cap. 2. *de eccles. ædific.* & dictum est supra n. 44. sed pro diversitate regularis disciplinæ, ut idemmet declarat paulò inferius, quam rationum diversitatem consideraverat etiam Anchar. *cons. 321. in prin.* Idque procedit sive idem sit institutor, & eadem regula, sive non: nam cum in vita in genere, ejus regulæ fore censentur, ut dicebat Abbas Antiquus
49 relatus à Jo. Andr. in cap. *Relatum, circa princ. de stat. Monach.* Ideoque diversa, seu strictior religio ad effectum, de quo agitur, non dicitur considerata primæva regula, seu habito respectu ad præsentem observantiam, & constitutiones factas ultra regulam, Lap. *alleg. 130. num. 1. vers. Item quia Cardin.* Zabar. *cons. 28. Quidam frater, in princ.* & fuit opinio Innoc. communiter approbata supra eod.
50 in cap. *Sane.* Patet exemplo Fratrum Cappuccinorum, & Minorum de Observantia Sancti Francisci, quorum unus est institutor, & eadem regula, de qua in c. *Exijt qui seminat, de verb. signif. in 6.* in Clem. *Exivi de Paradiso,* & in extrauag. Jo. XXII. *quarundam,* & extrauag. *ad Conditorem canonum eodem titulo,* & tamen nulli dubium est has Religiones quoad hoc censeri diversas, adeo ita Cappuccinis minimè liceat ad Observantes transire, juxta cap. *Licet insr. eod.* & Conc. Tridentinum c. 19.
51 *in fin. sess. 25. de regular.*

Quinimò hoc procedit etiamsi utriusque sit unus, & idem generalis; nam adhuc tamen ad effectum transitus censentur diversæ, si una sit strictior altera, ut patet in Religionibus Calceatorum, & Discalceatorum S. Augustini, certum est enim à Calceatis non dari transitum ad Discalceatos. Ergo inter has est specifica differentia; alias enim si prorsus esset una, & eadem Religio, daretur transitus indistinctè de una ad aliam, sicut datur de uno ad aliud monasterium, d. c. *Nullus,* atque ibi notatur, *de electio. in 6.* Dicendum est igitur religiones haberi ut diversas quotiescumque regularis disciplina, & ratio vivendi in eis diversimode observatur; licet sint sub eodem capite, & regula.

Quibus ita constitutis probatur conclusio su-
52 perius proposita ex decreto Concil. Trid. *in c. 15. sess. 25. de reg.* ubi statuitur, ut in quacunque religione ad professionẽ non admittatur qui minori tempore, quam per annum in probatione steterit, & professio antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus. Ponderanda enim est dictio illa, *quacunque,* quæ cum sit universalis, l. *Ex quacunque, ff. si quis in jus voc.* l. *Quicunque, C.*
53 *de ser. fugit.* l. *Hoc articulo,* ubi plenè notatur, *ff. de hæred. instit.* cum simil. meritò includit etiam ea quæ alias non comprehenderentur, c. *Solitæ, vers. Quodcumque ligaveris, de maior. & obed.* c. 2. *de offic. legat.* c. *Romanorum, 19. dist.* l. *Tres fratres ff. de pact.* & tradit Roman. *in cons. 51. Visis, n. 2.* eamque dictionem propterea esse amatam vocat Lucas de Pen. in l. *fin. in princ. C. de excus. artific. lib. 10.* quod etiam magis procedit hoc casu ponderata præpositione, ac geminatione verborum, quibus Conc. tum utitur in d. c. 15. quam in c. 22. eadem sess. Hæc enim geminatio dictionum universalium eius est virtutis, ut omnia includat, quæ dici, vel excogitari possunt absque aliqua limitatione, distinctione, & restrictione, Jas. in l. 1. *col. penult. vers. Tenetur prædicto modo, ff. de legibus,* quod fuse pluribus relatis comprobat Crauet. *cons. 294. Verba transactionis, nu. 1. & seqq.* adjiciens eod. verba comprehendere etiam casus impropios, & in quacunque materia, etiam poenali per doctrinam gloss. in l. 2. *in ver. Aliis, C. de quadr. præscriptione,* & Salicet. in l. 2. C. *de nox.* Itaque dum Concil. decernit necessario esse præmittendum annum probationis ad professionem emittendam in quacunque religione, & adjectis alijs verbis universalibus, ac repetitis, perinde est ac si sanxisset id esse observandum in quacunque religione sive illa sit laxior, sive strictior, & sive alterius, sive ejusdem ordinis, in quocunque casu tam ingredientium, quam transeuntium. Quam verborum geminationem ad hunc effectum ponderat, licet admodum succinctè Nauarr. *de cons. 62. n. 9. de regul.*

54 Præterea ut Religiosus unius religionis fiat religio-

ligiosus alterius, requiritur ut canonicè transferatur, c. Cum singula, §. fin. de preben. in 6. sed canonicè non transfertur absque nova professione, ut ex adv. in d. c. Cum singula respondit Navarr. cons. 61. incip. Quidam Abbas, n. 2. de regular. Ergo religiosus unius religionis fieri non potest religiosus alterius absque nova professione: & per consequens absque novo anno probationis, qui ad professionis validitatem exigitur tam de jure communi in Ordinibus Mendicantium, c. Non solum, & c. Constitutionem, de reg. in 6. quam generaliter in omnibus ex decreto Concilij in d. c. 15.

51 Et confirmatur, quia si sic transiens non teneretur in secunda religione profiteri, sequeretur ut pro libito suæ voluntatis posset quandocunque ad primam reverti, liber enim est recessus a religione, quamdiu quis nondum est illi tacitè, vel expressè per professionem alligatus, ut hic, & cap. 2. supra eod. c. Consulit, & [illegible], & c. Statuimus, infr. eod. cap. 1. in princ. [illegible] lib. 6. & c. [illegible] eod. tit. cum simil. Ideoque videmus translatum

56 ab uno ad aliud monasterium ejusdem ordinis posse per Abbatem quandocunque revocari ad primum, cap. Volentes, §. [illegible] vers. Et si [illegible] [illegible] ad aliud monasterium transire, de privil. in 6. Sed consequens est absurdum: quia post canonicam translationem non licet amplius ad primam religionem reverti, nisi servatis iis quæ de jure ad novam translationem requiruntur, juxt. c. Licet, infr. eod. & supra c. Ante, gl. in c. Non est vobis, in vers. Permittimus, supra eod. alioquin fas esset regu-

57 laribus temerè conversare ab una ad aliam religionem, quod tamen nec licet ab uno ad aliud monasterium, ut in cap. Tamen, supra eod. sequitur ergò ut sic transiens teneatur iterum profiteri, & consequenter novum annum agere, cum ex decreto d. cap. 15. in nulla religione admittatur ad professionem, qui minori tempore, quam per annum in probatione steterit.

58 Ad hæc annus probationis datur tam novitio, quam religioni, ut alter alterius qualitates experiatur priusquam invicem indissolubiliter obligetur, ut hic, & in c. Non solum, & c. Constitutionem, infra eod. lib. 6. Dignum est enim ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam, ut in c. Recedentes, infra de stat. Monach. Potest autem facilè accidere ut regularis assuetus in strictiori observantia difficulter possit se conformare moribus fratrū laxioris religionis; ideoq; perpetuis conscientiæ stimulis agitatus cum eis nulla fruatur animi tranquillitate, sed vivat anxius, & inquietus. Unde priusquā obligetur secundæ religioni, & præcludatur illi regressus ad primam, æquum est ut spatium habeat, ac tempus deliberandi, quod imbibitati fragilitatis humanæ fuit à SS. PP. institutum, ut in hoc c. Et in d. c. Non solum. Item è vers. potest probabiliter contingere ut regulares ægrè ferant mores, & acrimoniam professi in strictiori regu-

59 la; & proinde inter translatum & cæteros regulares perpetua sit morum discrepantia, ac dissensio animorum. Nam cohærere, & conjungi non possunt quibus & studia, & vota diversa sunt, ut legitur in c. In nova, 16. q. 7. Quod considerant. Feder. de Sen. & Petr. de Perus. locis initio citatis supra n. 33. & 36. Plerumq; enim Monasterium, quod semper tranquillum fuerat, litigioso recepto aliquo, & seminante discordias non quiescit,

ut sœpe aliter dicebatur Host. n. 4. Quapropter grave est inexpertos monasterio applicari, c. Monachus, 19. q. 1. Unde Host. eod. n. 4. consulit, ut in receptione, & potissimum in professione suscipienda, caveat sibi Abbas: nam mus in pera, serpens in gremio, ignis in sinu, malam consueverunt retributionem exhibere hospitibus, cap. Nisi bulas, infr. de judeis. Probetur ergò diligenter priusquam monasterio alligetur, arg. c. [illegible] penult. supra de Cler. Peregrin. ne contingat postea pœnitere, sed sero, arg. c. 1. de servo non ordinan. cum

60 suis concord. Amplius, cum ambulare debeant homines de virtute in virtutem, c. 1. de transl. c. Legimus, 93. dist. l. Ut gradatim, de muner. & honor. & nemo mittens manum, &c. c. Magne, de voto. Quinimo in viam Dei non progredi sit retrogredi, secundum B. Bern. relatum à Jo. Andr. & Petr. de Anchar. in d. c. Recedentes in princ. de stat. Monach. Hinc docuit experientia regulares migrantes ad laxiorem vitam plerumque fieri natura deteriores. Quapropter Augustinus scribens ad Clerum & populum Hipponensem Epist. 137. ait, (Quo modo nunc ex [illegible] meliores, quā qui in monasterijs profecerunt; ita non [illegible] pejores, quam qui in monasterijs ceciderunt.) alias legitur, [illegible] quod refertur in c. Quamvis [illegible] dist. 47. probet ergò illos religio, & quos habiles invenerit, expleto anno probationis ad professionem admittat, aut e monasterio ejiciat, ad Concil. Trid. præscriptum c. 16. vers. [illegible] sess. 25. de regul.

61 Considerandum est etiam in religionibus strictioris observantiæ, etsi votum paupertatis in particulari arctissimè observetur, nihil tamen necesse religiosis ex ijs, quæ necessaria sunt, juxta præceptum ejusdem Concilij in cap. 2. sess. 25. de reg. præsertim quoad ægrotos, debiles, aut senio confectos, in quos præcipua exercentur opera Charitatis, quæ fortè non ita se habent in religionibus laxioribus, in quibus religiosi coguntur ipsimet sibi necessaria comparare, &, ut sæpe audivimus, non alio prætextu, & palamento conantur se, licet perperam, à retentione peculij excusare, nisi quod religio necessaria eis ad vitam non subministret, præsertim in infirmitatibus, quod est maximè considerandum, cum præcipua causa legitima transeundi ad laxiorem sit infirmitas, & debilitas complexionis, ut notant Gemin. & Franc. in d. c. Cum singula, §. Prohibemus, prope finem de preben. in 6. quæ ratio valdè urget etiam ex parte Superiorum regularium, à quibus sic transiens per annum probari debet, ne propter infirmam valetudinem, aut virium imbecillitatem perpetuo sit inutilis, & onerosus monasterio. Unde justum est sive novitium, sive religionem spectemus, ut alter alterum probet priusquam obligetur ex quasi contractu, qui dicitur fieri inter professum, & monasterium,

62 ut hic notant Doctores, & in cap. Vertitur, supra eod. & propterea dum S. Congregatio declaravit eum, qui morbi causa Superiorum permissu exijt è Monasterio, post expletum probationis annum, posse inde ad strictiorem receptum statim profiteri absque nova probatione, prudenter adjecit verba illa, nisi religionis, aut personæ conditio & immunitas, quæ satis confirmant opus esse novo anno probationis quotiescunq; regularis disciplina diversa est ab illa, quam quis ab initio professus fuit.

Hanc

Hanc sententiam generaliter in eo, qui transit ad laxiorem Religionem, sequutus est Navarr. d. cons. 62. de Reg. & clarius cons. 67. incipien. N. olim Ordinis, ubi movetur tum decreto Concilij Trid. quod generaliter loquitur; tum quia, inquit, annus probationis non solum datur in favorem professuri, ut experiatur, id quod professurus est: sed etiam in favorem eorum, qui professionem suscipere debent, ut experiantur mores suscepti an conveniant suæ Congregationi; & ita licèt qui expertus est strictiorem regulam, satis videri posset expertus laxiorem, & sic ex parte illius cessare videatur necessitas eum probandi: non tamen ad hoc tollitur monasterio necessitas probandi mores illius, qui longè melius cognoscuntur tractatu annali, quam mestruo, vel semestri, vel alio minori, & cons. 61. Quidam Abbas, n. 4. de reg. dixit non esse absurdum ut antiquus, & veteran⁹ in una religione sit postea noviti⁹ in alia.

Quod videtur etiam ex antiquis tacitè sensisse Host. in c. Licet col. 3. sub n. 16. vers. Sed quid si monasterium infr. eod. ubi ait: Si dubitatur an regularis sit legitimè translatus necne, ita demum secundum monasterium compellitur illum defendere, si à tempore transitus sit elapsus annus; aliàs est restituendus priori monasterio. Atque ita indistinctè sensit Host. transeuntem ad aliud monasterium ita demum esse illi incorporatum, si steterit per annum, ac propterea tacitè professionē emiserit, juxt. cap. 1. de regul. lib. 6. & Clem. Eos, eodem. tit.

Nec dissentit Fed. de Sen. cons. 5. nam ipse non putavit requiri novum annum probationis in eo, qui transfertur ut præsit; quia per assumptionem prælationis in secundo monasterio videtur tacitam professionem emisisse, ac renunciasse anno probationis, quod fieri poterat de jure communi in ordinibus non Mendicantium, ut hic patet, & in c. Statuimus, infr. eod. juncto c. Non solum & c. Constitutionem. eod. tit. lib. 6. sed aliud censuit in eo, qui tamquam Monachus transfertur ut subsit.

64 Ac demum hanc sententiam videtur olim probasse S. Congreg. Concil. nam cum dubitatum esset an professus in una religione, & ad aliā translatus etiam laxiorem auctoritate Sedis Apostolicæ posset renunciare anno probationis: Respondit non posse, nec illam renunciationem per Superiorem concessam intra annum recipi debere sed teneri eum iterum profiteri, juxta formam traditam, c. 15 sess. 25. de reg.

65 Unde sequitur, ut nec obstet contraria observantia; quia cum hic casus sit comprehensus dict. cap. 15. non valet contraria consuetudo etiam immemorabilis, utpote sublata cap. ultim. ejusdem sessionis.

Expedit autem ut in dubio ita declaretur ad compescendam facilitatem, & frequentiam transitus à strictiori ad largiorem religionem ejusdē

66 Ordinis. Quam ob causam olim Alex. VI. statuit ut Fratres Minores de Observantia transeuntes ad Conventuales ejusdem ordinis essent incapaces successionis, ut refert Rodoan. de reb. eccles. non alien. q. 8. n. 58. & Rodriq. de reg. tom. 2. q. 28. vers. Advertendum tamen. facit tex. in Clem. 1. d. reg. & in c. 1. eod. tit. in extravag. commun.

67 Cum eo tempore actum esset de suprascripto dubio in S. Congregatione Concilij responsum est transeuntem de licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem religionem, etiam ejusdem Ordinis, teneri in secunda religione novum annum probationis peragere. Sed quoad novam professionem, subdubitante Cardinali Iustiniano, articulus non fuit decisus; tametsi ex anno probationis, qui est præambulus ad professionem, & frustratorius esset professione non sequuta, satis inferri possit ad obligationem iterum profitendi.

DE REGULARIBUS.

Cap. Sicut nobis.

SUMMARIUM.

1 *Professionem qui fecit, & habitum suscepit, licet nunquam steterit in claustro, ad observantiam regularem compellitur.*

2 *Votum an solemnizetur ex susceptione habitus professorum extra monasterium.*

3 *Profiteri quis potest etiam in lecto, & in domo propria.*

4 *Tolerantia, & patientia Superioris delictum subditi non excusat.*

5 *Abbas dispensare non potest ut Monachus vivat dissolutè.*

6 *Præscribere non potest Monachus contra obedientiam Monachalem, quantumcunque temporis degat extra monasterium.*

7 *Professio emissa à Novitia in mortis articulo per circumventionem Abbatissæ non valeat, & an dos sit monasterio acquisita, & n. seqq. usque in finem.*

8 *Professio emissa per dolum, & circumventionem Abbatis an obliget profitentem, an ve illius bona sint heredibus restituenda, & num. seqq. usque ad num. 22.*

9 *Dolus in spiritualibus non vitiat contractum.*

10 *Dolus bonus dicitur, quo quis ad meliorem vitam inducitur.*

Declaratur, num. 13.

11 *Dolus malus quid sit.*

12 *Professio puellæ non est irrita ex eo quod Episcopus illius voluntatem non exploraverit.*

13 *Dolo allici quis non debet ad religionem ingrediendam.*

14 *Bona seducti ad Religionem cur monasterio non requirantur, & nu. seqq.*

15 *Dolus suus nemini debet esse lucrosus.*

16 *Contractus bonæ fidei dolo initus est ipso iure nullus.*

17 *Dolus dans causam contractui ita demum nocet, si sit dolus ipsius contrahentis, secus si alterius.*

18 *Dolus an debeat esse Abbatis, & monasterij ad hoc ut bona seducti ad Religionem sint heredibus restituenda.*

19 *Prælatus tutori, & curatori æquiparatur.*

20 *Dolus tutoris, vel curatoris dans causam contractui nocet pupillo.*

21 *Prælatus solus in quærendis potest Ecclesiæ præiudicare.*

22 *Professio emissa in articulo mortis obligat profitentem si sit mentis compos aliàs secus.*

23 *Matrimonium potest contrahi etiam in mortis articulo.*

24 *Metus mortis an & quando vitiet professionem.*

25 *Quid si sit metus mortis naturalis.*

26 *Et quid si mortis accidentalis casualis.*

2 *Et quid si mortis accidentalis violentia*
27 *quid si metus non fuerit ordinatus ad professionem extorquendam, num. 29.*
28 *Metus mortis cur inficiat professionem si sit incussus ab homine, non autem si divinitus sit illatus.*
30 *Professio in mortis articulo an censeatur emissa in fraudem substituti, seu venientium ab intestato, & n. seq. usque in finem.*
31 *Profiteri non videtur suscipiens habitum religionis in morte, nec eius bona monasterio deferuntur.*
32 *Renunciatio facta in articulo mortis praesumitur in fraudem expectantis.*
33 *Professio emissa à Monialibus S. Dominici in articulo mortis constitutis ante annum probationis elapsum ex indulto Pii V. prodest quoad spiritualia tantum, non autem quoad temporalia.*
34 *Mors proxima non praesumitur immemor salutis aeternae.*
35 *Dolus non praesumitur in his, quae habent iuris assistentiam.*

---

1 SICUT NOBIS. Qui professionem fecit, & habitum recepit, licet numquam steterit in claustro, sed in saeculo proprijs bonis fuerit usus, ad observantiam regularem compellitur. Hoc dicit. Communis divisio. Secunda ibi, *Fraternitati*; in qua primò solvit casum; secundò solvit obstaculum, ibi, *Cum quod.*

Nota primò ibi, *de recuperanda sanitate desperans.* Eum, qui tam gravi morbo affligitur, ut de praesenti vita desperet, nihilominus obligari ex professione, de quo tamen latius dicam infra *nu. 22. & seqq.*

2 Secundò nota ibi, *Habitum Canonicorum Regularium.* Votum solemnizari per susceptionem habitus professorum, etiam extra monasterium, prout *hic* notant Butr. *in 1. notab.* & Anchar. *n. 2.* Oppositum tenui post Host. Collectarium, & alios in cap. *Insinuante, num. 30. infra, Qui cler. vel voven.* Et ad hunc textum respondeo istum clericum non tantum suscepisse habitum professorũ, sed etiam fecisse professionẽ expressam, secundũ Host. *hic n. 2. in ver. habitum,* Jo Andr. & alios in summa hujus textus, quod apertè probat littera, ibi (Regularem habitum se postulante suscepit, & ad observationem religionis canonicè sua se professione ligavit; alioquin ex sola susceptione, vel delatione habitus extra claustrum professio tacita non inducitur, cap. *Ut clerici, supra eod.* & ex sententia S. Congreg. Concilij scripsi plenius in praedicta Decretali *Insinuante*, & est ex mente gloss. *penult. hic.*

3 Tertiò nota ibi, *Sed nec ad Ecclesiam transivit*; Ingressum in monasterium non esse de substantialibus monachatus; ideoq; posse quem validè profiteri etiam in lecto, & in domo propria, ut hic est casus secundum Jo. Andr. & omnes, & notat Abbas *in 2. notab.* Sed an hoc sit verum, praesertim post Concil. Trid. Clem. VIII. scripsi latissimè in d. c. *Insinuante, à n. 24. usque in fin.*

4 Quartò nota ibi, *Videntibus, & scientibus.* Delictum subditi non excusari ex patientia, & tolerantia Superioris. Facit textus in cap. *Cum iam dudum, vers. Cum multa per patientiam tolerentur, supra de praeben.* quandoque tamen tolarantia hujusmodi inducit dispensationem in casibus, in quibus Abbas potest dispensare, ut in esu car-

5 nium. Sed ut Monachus dissolutè vivat Abb. dispensare non potest, ut cap. *Cum ad monasterium, in fin. de stat. Monachor.* secundum Ancharan. *hic num. 4.*

6 Ultimò nota ex illis verbis, *Quod tanto tempore contra Canoniam mansit*, &c. Monachum quantumcumq; temporis moram traxerit extra monasterium nunquam praescribere contra obedientiam Superioris, nec se in libertatem vindicare; quia illam possidet mala fide & in talibus diuturnitas temporis culpam non minuit, sed auget, ut hic, & in cap. *Quia ingredientibus, supra de testam.* in cap. *Quod Deo pari, 33. q. 5.* & in cap. *fin. de consuetud.* cum alijs hic allegatis in gloss. *ult.* Unde dicit lex, Rediculum est meliorem fieri conditionem furis propter continuationem furti, ut l. *Infitiando, §. Infans, ff. de furt.* & servus fugitivus sui furtum facit, & ideo nec habet locum usucapio, nec longi temporis praescriptio, & dicit tex. in l. 1. C. *de servis fugit.*

7 QUAERO, An valeat professio emissa à novitia in articulo mortis per circumventionem Abbatissae, & an dos fuerit monasterio acquisita.

Quaedam puella gravissimo morbo contagioso, nempe ethico cum sputo sanguinis purulento diu laborans medicorum judicio desperata suasionibus Abbatiss. ac Monialium monasterij, ubi añum probationis peregerat, inducta professionem emisit, postquam infra dies quindecim ex hac vita migravit. Et quia Decreto Concilij Trident. *c. 16. sess. 25. de Regular.* statuitur ut finito tempore novitiatus Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio ejiciant: atque alio decreto *cap. 17. eiusdem sess.* cautum ut puella, quae habitum regularem suscepit, professionem non emittat, nisi exploraverit Episcopus an seducta sit, an sciat quid agat; & si voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta monasterij illius, & Ordinis regulam, liberè ei profiteri liceat: Dubitatum fuit an huiusmodi professio emissa ab inhabili ad religionem, & ad mortem tendente, atque alieno adjutorio indigente, ut se in illo actu sustentare posset, valida esset, necne? & quatenus esset valida, an cum Abbatissa dolosè, ut supponitur, timens ne dicta puella decederet non professa, ad finem ut lucrum dotis monasterio cederet, patre illius reclamante, qui dotem assignaverat, illam clam ad professionem induxit; dos hujusmodi propter dolum ad patrem superstitem reverti debeat: an verò quaesita fuerit monasterio. S. Congreg. Concilij *die 26. Novembris 1616.* & si visa fuerit sentire validam esse professionem, ut proponitur, emissam; nihilominus tam in judicio validitatis professionis, quàm restitutionis bonorum satius putavit audire eos, quorum interest: itaque postea petita est resolutio instante Procuratore monasterii, atque audito etiam Procuratore venientium ab intestato.

8 Proposita quaestio duas implicat inspectiones, & utramq; bimembrem. Prima inspectio est an eidem validitati professionis, aut dotis acquisitioni officiat dolus, & circumventio Abbatissae. Secunda est an eidem validitati, aut acquisitioni obsistat quod professio emissa fuerit in mortis articulo.

Circa primam inspectionem solutio difficultatis

tis quoad utrumque membrum habetur ex canone *Constituit, 20. quaest. 3.* qui duplicatur in c. *penult. 16. q. 7.* ubi apertè statuitur ut qui per dolum, & circumventionem Abbatis professionem emisit, cogatur in religione perseverare, sed ipsius bona haeredibus reddantur, & ita per illum text. firmat Innoc. in cap. *Dudum, num. 4. in ver. Allexerunt, infr. de convers. coniugat.* ait enim: Quamvis non debeat quis dolo allici ad religionem ingrediendam, hoc tamen non irritat votum; sed quoad bona temporalia benè obest dolus, & ideo monasterium illa non lucratur, sed haeredibus deferuntur. Idem firmat Speculator *in tit. de statu Monachorum, §. fin. num. 71. vers. Excipitur tamen,* Bald. *in Auth. Si qua mulier, in fin. vers. Ultimo quaero, C. de Sacr. Sanct. Eccles.* ubi refert, & approbat dicta Speculatoris, Abb. in d. cap. *Cum dilectus, num. 12. supra, quod met. caus.* ubi asserit probari in d. cap. *Constituit.* Quod si dolo quis fuerit inductus ad intrandum religionem, tenet ingressus; sed si religiosi, qui dolo illum induxerunt, fecerunt hoc propter bona temporalia illius, non debent illa bona habere; & subdit illum casum esse singularem, quem etiam dicit valdè notabilem Decius in cap. *In praesentia, num. 31. de probat.* Idem tenent glos. Archid. & Doctores in d. cap. *Constituit,* & sequitur Navar. *in Comm. 2. de Regular. num. 31.* & alii recent.

9 Ratio hujus decisionis quoad primum membrum validitatis professionis ea esse dignoscitur secundum Archid. *ibi num. 2.* & Turrecrem. *in ver. Manere cogantur*, quia qualitercumque quis fiat voluntarius, tenet conversio; unde congruè dicitur in tex. *Perseverare cogantur*; quia licet allecti, tamen voluntarii intraverunt. Et quamvis dolus causam contractui dederit, & Ecclesia non debeat fraudem facere in suis contractibus, cap. *Per tuas, de donat.* imò bonae fidei contractus dolo initus sit ipso jure nullus, cap. 1. *15. quaest. 6.* l. *Et eleganter, ff. de dolo*; tamen secus est in spiritualibus, c. *Dudum*, & ibi glos. *in ver. Spes, infr. de convers. coniugat.* cap. *Cum dilectus*, & ibi glos. *fin.* & Doctores, *supra quod met. caus.* nam secundum Archid. *loc. citat. circa finem.* Idcirco spiritualis contractus etiam dolo initus valet, quia hic dolus suum effectum non habet; effectus enim, & finis doli est decipere, ut l. 1. §. *Dolum, ff. de dolo*, iste autem non decipitur, quia vice Dei hominem supra caput suum imponit, cap. *Statuimus, 19. quaest. 3.* Item non potest dici deceptus qui se Christo conjunxit, ut ait glos. in d. cap. *Constituit, in ver. Co-*

10 *gantur*: dolus enim, quo quis inducitur ad meliorem vitam, dicitur dolus bonus; & ideo valet professio, quia jura non subveniunt nisi adversus dolum malum, ut dicit Abbas in d. cap. *Cum dilectus, num. 12.* & Bero. in c. *In praesentia, num. 107. vers. Ratio diversitatis, de probat.* & ante eos glos. praalleg. in d. cap. *Dudum*, & est textus in cap.

11 *Venient, de convers. coniugat.* Dolus autem malus est calliditas, fallacia, seu machinatio ad circumveniendum, fallendum, & decipiendum alterum adhibita, ut diffinitur in d. l. 1. §. *Dolum, ff. de dolo.* Quo fit ut minor per dolum, & circumventionem illectus, & seductus ad religionem ingrediendam non restituatur in integrum, ut tenet glos. *fin.* in d. c. *Cum dilectus, supra quod met. caus.* [Quia (inquit) non videtur deceptus qui meliorem vitam elegit, vel cujus conditio melior facta est,] ut ait Turrecrem. in d. cap. *Constituit, circa finem,* & sequitur Abbas in cap. *Cum virum, num. 6. supra eodem*, & fuit dictum glos. in d. cap. *Dudum, in ver. Spes.*

12 Nec praedictis obstat quod Concilium Tridentinum in *cap. 17. sess. 25. de Regular.* jubet explorari voluntatem puellae an sit seducta; siquidem hoc tantum innuit ut non liceat puellas seducere ad religionem ingrediendam: sed hinc non sequitur ut si fuerint seductae, non obligentur ex professione, cum praesertim omissio explorationis voluntatis professionem non vitiet, ut Sacr.

13 Congregatio declaravit. Unde quod superius diximus dolum, quo quis inducitur ad religionem, esse bonum dolum. Notabiliter limita ut procedat tantummodo respectu ipsius ingredientis, cujus conditio melior effecta est, nõ autem respectu inducentis; quia fas non est deceptoriè quempiam seducere, vel allicere ad religionem, si tamen fiat, hoc non irritat votum, ut declarat Innoc. praallegat. in cap. *Dudum, num. 4. in ver. Allexerunt, de convers. coniugat.*

14 Cur autem bona puellae, ut praefertur seductae, vel illectae non acquirantur monasterio, quod est secundum membrum primae inspectionis similiter multiplex est ratio. Prima deducitur ex d. cap. *Constituit, 20. q. 3.* videlicet ne turpis lucri sectatores, qui non in fructum animarum, sed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes quempiam circumveniendo totonderunt, idest ad profitendum induxerunt, ex sua circumventione, & dolo com-

15 modum consequantur. Unde ex eo textu congruè Turrecrem. in extremis verbis sumit argumentum, quod nulli suus dolus debeat esse lucrosus. Altera ratio est secundum Bero. in d. c. *In praesentia, num. 105. de probat.* quia oblatio bonorum, quae ex professione consequitur, sapit naturam contractus bonae fidei, & non stricti juris, cùm de jure canonico omnes contractus sint bonae fidei, ut

16 tradit Bald. in c. 1. *supra de plus pet.* Contractus autem bonae fidei vitiantur ipso jure propter dolum dantem causam contractui, ut d. cap. 1. *15. q. 6.* & d. l. *Et eleganter*, & ibi Bart. & Doctores, *ff. de dolo,* Plenè Archid. in d. cap. *Constituit, num. 1. & 3.* & ibi etiam Bellam. *in princ.*

17 Tertiam denique rationem differentiae cur valeat professio illecti ad religionem, non autem bonorum oblatio ex professione consurgens subtiliter assignat idem Bero. in praallegat. c. *In praesentia, num. 107. vers. Sed tu noviter considera*: nam secundum eum dolus sive det causam, sive incidat, ita demum vitiat, si sit dolus ipsius contrahentis, secus si sit dolus tertii, quia talis dolus etiamsi det causam, non nocet, ut est text. in d. l. *Et eleganter, §. 1.* & ibi notat Bart. Quando autem fit oblatio de persona, & rebus duplex fit contractus, alter cum monasterio, & conventu respectu bonorum; & hunc contractum vitiat dolus monasterii, tanquam dolus contrahentis, ut in d. c. *Constituit, 20. q. 3.* & per Bart. in d. l. *Et eleganter.* Alter contractus fit de persona cum Christo, & non cum homine; quia ratione voti quis obligatur Deo, ut c. *Magnae, infr. de voto,* c. *Cum ad monasterium, de stat. Monachor.* glos. *ult.* in d. cap. *Cum dilectus,* cum simil. Unde non mirum si talis contractus obligationis personalis ex dolo Abbatis, vel monasterii non vitiatur, nec est ipso jure nullus; quia si vitiaretur, diceretur vitiari ex dolo ter-

tertii, hoc est Abbatis, vel monasterii, quod non est dicendum.

18 Non obstat si dicatur. Ad hoc ut bona auferantur monasterio, requiritur ut dolus praecesserit simul à Praelato, & majori parte conventus, eo quod cùm receptio Monachorum spectet ad Abbatem, & conventum simul, cap. *fin.* & ibi glos. & Doctores *infr. eod. lib. 6.* dixi in c. *Porrectum*, & c. *Ad Apostolicam*, *supra eodem.* factum illorum bene potest nocere monasterio, glos. *in rub. C. Quae sit longa consuetudo*, & *supra de his quae fiunt à maior. par. cap. per totum*, & cap. *Cùm omnes*, *de constitut.* At verò dolus solius Abbatissae, vel plurium Monialium non constituentium majorem partem conventus non videtur obesse monasterio in hac bonorum acquisitione; quia delictum, &c. cap. *Delictum*, *de regul. jur. lib. 6.* & hanc decisionem ponit Abbas, in cap. *Dudum*, *in glos. in verb. Mocquando*, *infra de convers. conjugat.* Berò, *cons. 28. num. 11. vol. 1.* Lell. Zecchius *de Republ. Ecclesiastic. de regular. num. 14. limit. 1.* & Tapia in authen. *Ingressi in ver. Sua, cap. 11. num. 20. C. de Sacrosanct. Eccles.*

Etenim respondetur objectam decisionem posse tantùm admitti si dolus adhibeatur à persona alicujus privati religiosi, vel à minori parte conventus, & in hoc casu loquitur Abb. in d. cap. *Dudum*, ubi primò ponit regulam, Quod monasterium privetur bonis quando induxit aliquem dolosè ad ingrediendum non propter Deum, sed propter bona temporalia ingressi, & mox limitat quando totum monasterium fuit in culpa, secus si particularis persona; quia delictum singulare non debet monasterio obesse, ut in cap. *Venerabilis, de except.* & cap. *Si Episcopum*, 16. *q.* 6. Hoc inquam casu admitti potest supradicta decisio, prout eam admittit Bero, in d. c. *In praesentia*, *n.* 108. ubi illam tuetur ab impugnationibus Decii sentientis oblationem bonorum vitiari etiam propter dolum unius Monachi. At verò secus dicendum est si dolus fuerit adhibitus ab ipso Abbate, vel Abbatissa; tum quia textus in d. cap. *Constituit*, considerat dolum, & circumventionem solius Episcopi, vel Abbatis, non autem monasteriorum quia Abbas,
19 & Praelatus tutori, vel curatori aequiparatur, in cap. *Quia Episcopus*, & ibi glos. *Magistralis*, *post medium, vers. Alij comparant*, 5. *qu.* 3. Unde sicut do-
20 lus tutoris, vel curatoris dans causam contractui nocet pupillo: ita & dolus Abbatis, vel Abbatissae, ex his quae scripsit Bart. in d. l. *Et eleganter*, *in fin. 2. col. ff. de dolo.* Tum denique quia hoc casu non versamur in bonis acquisitis, sed in acquirendis per professionem puellae, ut praefertur, seductae. In quaerendis autem solus Praelatus potest monasterio praejudicare glos. not. in c. *Illud*, *§. Si ergo*, *in ver. Meliorem*, 16. *q.* 6. Innoc. in cap. *Fraternitatis*, *de donat.* Abb. in cap. *Verum, num.* 3. *vers. Nam in acquirendis*, solus Praelatus potest nocere Ecclesiae infr. de condit. apposit. latissimè Jason in l. *Hoc legatum, ff. de legat.* 3. Rota *divers. par. 3. lib. 2. decis.* 109. *n.* 4. Unde hanc partem tuentur in d. c. *In praesentia, de probat.* Felin. *n.* 9. Decius, *n.* 33. Bero, *nu.* 110. & Ferrett. complures alios allegans *num.* 22. & 23. & Navarr. *comm. 2. num. 31. de regular.* quos novissimè sequitur Thom. Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 7. cap. 34. n. 6.* & nihilominus in casu hujus puellae intercessit dolus, & circumventio non tantùm Abbatissae, sed etiam monialium, ut in thémate, unde cessat omnis difficultas.

21 Circa secundam inspectionem manifestum est professionem regularem fieri posse etiam in articulo mortis, & profitentem obligare, ut est textus clarus hic in illis verbis, (cum aegritudine nimia laboraret, quasi de morte securus, & de recuperanda sanitate desperans.) concordat textus in cap. *Sicut tenor*, ibi, de praesenti vita desperet, & in cap. *Porrectum*, ibi, infirmitate gravatus, necnon ibi, metuens ne voto decederet non completo, *supra eod.* & in cap. *Ex parte*, *il primo*, *infr. de convers. conjugat.* & in specie hic notant Anchar. & Abb. ambo *num.* 1. Speculat. *in tit. de stat. Monachor.* §. 1. *sub num.* 71. *vers. Caeterum*, Bald. in d. Authen. *Si quamulier, vers. Septimo quaero, C. de Sacrosanct. Eccles.* Doctores in d. c. *In praesentia*, *de probat.* & praesertim Bero, *num.* 197. ubi firmat eum, qui fervore infirmitatis, & doloris impatientia metu mortis ingreditur, & professionem facit in aliquo monasterio, teneri in religione perseverare, nec esse locum poenitentiae, quod tamen intellige dummodo sit mentis compos; aliàs enim non obligaretur, veluti si tanta esset morbi vis, ut in phrenitidem incidisset, in quo casu loquitur textus in d. c. *In praesentia*, Ad idem d. c. *Sicut tenor*, cap. *Gonsaldus*, & ibi notat 17. *qu.* 2. cap. *Neque furiosus*, 32. *q.* 7. & cap. *fin. de success. ab intest.* l. *Sanum mente*. *C. de transaction.* & hic notat glos. *in ver. De morte securus*, Hostien. *in prin.* Bero, *ubi*
22 *supra*, *num.* 199. & alii communiter. Et est simile in matrimonio carnali; nam etsi mortiferè quis aegrotet, tamen nisi sit extra mentem positus, validè contrahit, ut notat Jo. Andr. in regula, *sine culpa, de regul. iur. lib. 6. in Mercur.* & Abb. *hic in 1. not.* Cyn. in l. *Nuper*, *C. de natural. liber.* Alex. in l. *Si quis posthumos*, *ff. de liber. & posthum.* & alibi passim Doctores.

Quinimo Pius V. indulsit Monialibus novitiis Ordinis S. Dominici ut in articulo mortis constitutae possint professionem emittere, dummodo aliàs sint legitimae aetatis, etiam anno probationis nondum completo, ut in ejus litteris incipien. Summi Sacerdotii in Bullar. *tom.* 2. *pag.* 315. tametsi litterae hujusmodi aliquibus videantur redactae ad terminos juris, & Concilii Tridentini à Greg. XIII. in constitutione quae incipit, *in tanta*, *eod. tom. 2. pagin.* 370. de quo tamen dic ut scripsi in cap. *Ad Apostolicam, in ult. not. vers. Fallit secundò supra eodem.*

24 Neque huic conclusioni adversatur quod metus mortis, veluti cadens in constantem virum, inficiat professionem, ut cap. *Perlatum*, & cap. *Cum dilectus*, *supra de his, quae vi, metusve causa*, Archid. in d. cap. *Constituit. num.* 3. *vers. Cum ergo facilius* 20. *quaest.* 3. ubi exactè inquirit rationem differentiae cur in spiritualibus contractus metu initus sit ipso jure nullus, dolo autem initus teneat; cum tamen in aliis contractibus bonae fidei magis officiat dolus, quàm metus.

Quoniam, ut respondet glo. 1. *hic*, ideirco timor mortis impedit Monachatum in d. cap. *Perlatum*, quia monachatur ibi ut evadat mortem corporis, hic verò non monachatur ut evadat mortem corporis, sed potius mortem animae. Fortè glos. habuit bonum intellectum, licet mentem suam non satis aperiat. Sed tu dic plenius secundum Host.
25 *n.* 1. quandoque imminet timor mortis accidentalis, quandoque timor mortis accidentalis. Si imminet timor mortis naturalis, seu, ut Theologi dicunt, ab intrinseco, ut in graviter aegroto, votum non impeditur, ut hic, & in d. cap. *Ex parte*, *il primo*, *de convers. conjugat.* & d. cap. *Porrectum*,
26 *supra eod.* Si verò imminet timor mortis accidentalis, tunc subdistinguendum an illa sit casualis, vel violenta, & quidem si timeat mortem accidentalem casualem, idem dicendum quod in primo casu, ut scilicet votum non impediatur, puta navigat, & periclitatur navis, vel timet incendium, ruinam, vel pestem, aut cladem, quae forsan Deus immittit ut homines convertantur, ut cap. *Reverterunt*, 16. *q.* 1. cap. *Sanctum est*, *de consecrat. dist.* 4. & in Auth. *Ut non luxurientur contra*
27 *naturam* 1. *respon.* & §. 1. *collat.* 6. Si autem timeat mortem accidentalem violentam, tunc irrita est professio, ut d. cap. *Perlatum*, cum simil. Ratio
28 diversitatis est, quia in hoc ultimo casu, idest cum timetur mors accidentalis violenta, metus incutitur ab homine, non à Deo, & contra violentiam hominis jura subveniunt, ut l. 1. & *totoitulo, ff. quod met. caus.* In primis verò duobus casibus, nempe cum ingruit timor mortis naturalis, vel accidentalis casualis, immittitur timor à Deo forsan ad animae conversionem, ut proximè dictum est, contra quod non competit restitutio, ut notat Jo. Andr. *hic*, *Cum verum*, *supra eod.* nec esset superior, qui illam dare posset, c. *Inferior* 21. *dist.* & cap. *Cum inferior*, *supra de maior. & obedient.* nam & Deus quandoque per flagella corripit peccatores, c. *Nabuchodonosor*, 23. *q.* 4. Et hoc videtur sentire glos. ultra innuit; Timor mortis hic monachatum non impedit, quia non monachatur ut evadat mortem corporis, sed mortem animae, id est quia timor non ab homine, sed divinitus incutitur ad animae salutem. Ita distinguit Host. cui Jo. Andr. Henric. Boich. & caeteri consentiunt. Ex hoc ipsum in effectu voluit idem Host. *in summa*, [illegible] *§. Et qualiter*, *circa prin.*

29 Tu verò in ultimo casu, idest cum imminet timor mortis accidentalis violentae, seu ab extrinseco, subdistingue an timor hujusmodi incutiatur ad professionem extorquendam, an non; at in primo casu irritat professionem juxta textum in praeallegat. cap. *Perlatum*, non autem in secundo. Unde si quis religionem ingrederetur, ut evaderet mortem sibi imminentem ab inimicis, vel ministris Justitiae propter conscientiam scelerum valeret ingressus, ut scripsi plenè in cap. [illegible] *supra eod.* & innuit *hic* [illegible] licet valde succinctè, *num.* 8. dum ait timorem mortis tunc demum impedire votum, quando in illum finem ordinatur; aliàs secus. Itaque in casu hujus puellae cum timor fuerit mortis naturalis, seu ab intrinseco propter morbum incurabilem, concludendum est professionem ex hoc capite non fuisse irritam, & hoc planum.

30 Sed non levis est difficultas in posteriori membro secundae inspectionis, videlicet an ad effectum ut dos puellae in haeredibus restituenda, dolus, & fraus sufficienter probetur ex hoc quod professio emissa fuerit in articulo mortis, quando illius salus jam desperata erat, Bald. in d. c. *In praesentia num.* 31. *de probat.* affirmat Doctores tenere professionem in articulo mortis emissam non nocere substituto quia videtur in fraudem, & idem Bald. in Auth. *Nisi rogati*, *col. fin. num.* 24. *C. Ad Trebel.* ubi quaerit. Quid si rogatus restituere haereditatem in ultimo vitae spiritu se Monachum faciat, & profiteatur, an id obsit fideicommissario. Et resolvit non obesse; quia videtur in fraudem fecisse, allegat l. *Filia mea*, *ff. solut. matrimon.* & l. *Omnis*, §. *Lucius*, *ff. quem fraud. credit.*
31 facit quod ipse Bald. notat in Auth. *Si qua mulier*, *vel penult. vers. Septimo quaero*, *C. de Sacrosanct. Eccles.* ubi dicit [illegible] in morte habitum religionis non censeri professionem emittere, nec illius bona in monasterium transferri, allegat Speculatorem idem dicentem *in titul. de stat. Monachor.* §. 1. *circa finem.* Eandem opinionem amplectitur [illegible] de Anchar. *n.* 1. ubi postquam dixit posse quem validè profiteri, etiamsi de vita desperet, statim subdit; Hoc limitarem verum esse, nisi fortè alteri fieret praejudicium per ingressum talem, puta fideicommissario universali, cui debet fieri restitutio, quia ille sine liberis decedebat: nam ingrediendo, & profitendo in mortis articulo, licet videatur liberos habuisse per d. c. *In praesentia*, non videtur hujusmodi professio fideicommissario nocere. Et sequitur Jo. de Anan. *in* 1. *notab.* Et pro hac parte facit optimè textus, quem Bald. allegat in d. l. *Filia mea*, *ff. solut. matrim.* ubi repudium missum à marito uxori suae aegrotanti tanquam fraudulentum non praejudicat patri, qui stipulatus fuerat dotem sibi
32 reddi soluto matrimonio per mortem. Ad idem facit textus in c. 2. *de rescrip. lib. 6.* quod prodiit ex utero d. l. *Filia mea*, ubi expressum est renunciationem beneficii factam in mortis articulo prae-
33 sumi in fraudem expectantis. Demum facit pro hac parte quod Pius V. dum in sua constitutione indulsit Monialibus Novitiis Ordinis S. Dominici ut in articulo mortis constitutae profiteri possent, etiam ante annum probationis expletum, ut dictum est *supra num.* 23. *vers. Quinimo*; cum mysterio adjecit clausulam illam, scilicet ut sic decedentes consequi possint indulgentiam, & alias gratias, quas moniales verè professae decedentes consequuntur. Hinc apertè infirmant indultum hoc suffragari tantummodo quoad spiritualia, & concernentia salutem animae profitentis, non autem quoad bona temporalia in praejudicium fideicommissarii, ut [illegible] ab intellectu, quod tenuerunt nonnulli ex recentioribus relati à modernis Collectariis in cap. *Ad Apostolicam*, *num.* 5. *supra eodem.*

34 Caeterum opinionem Baldi, & sequacium impugnat in d. c. *In praesentia*. Decius *num.* 209. *vers. Sed tenens ista* & latius Bero, *num.* 204. tum quia non est verisimile, ut quis velit in vita sua privari, & spoliari omnibus bonis, & jugo religionis se subjicere ad finem ut post mortem suam excludatur fideicommissarius; quin potius hinc elicitur fortior praesumptio quod motus fuerit bono ze-
35 lo, tum quia in extremo vitae constitutus non praesumitur immemor salutis aeternae, arg. l. *Mevius*, *ff. ex facto*: tum denique quia in dubio in his, quae habent juris assistentiam, & sunt ex genere bonorum, sicuti est professio regularis, dolus non est praesumendus, arg. eorum, quae tradit Bart. in l. *Non solum*, §. *Et probari*, *ff. de nov. oper. nunc.* juncto hoc c. Et c. *Porrectum*, *supr. eod.* Quinimo ut dolus, & fraus praesumatur, praecedere debent perspicua indicia, ut l. *Dolum*, *C. de dolo.*

Prima opinio in proposita facti specie verior videtur; quoniam puella haec non tantùm fecit professio-

fessionem laboraret in extremis, sed etiam seducta persuasionibus Abbatissæ, & Monialium, ut constat ex dictis supra in prima inspectione. Verum cum hic articulus præsumptæ fraudis sit admodum controversus, & pendeat ex conjecturis, & circumstantiis, quæ in facto consistunt, & possunt aliter atque aliter se habere: satius esset illum rejicere ad judicem Ordinarium, ut mos est S. Congregationi, & posset impliciter respondere professionem emissam in mortis articulo, & ad persuasionem Abbatissæ, & Monialium, nisi aliud obstiterit, esse validam: sed dotem ita demum esse proximioribus restituendam, si de fraude legitimè constiterit, quod judex causæ diligenter discutere debebit. Et ita responsum.

DE REGVLARIBVS.

Cap. Licet.

SVMMARIVM.

1 Regularis zelo sanctioris vitæ ad arctiorem ordinem transire potest licentia petita, licet non obtenta, etiamsi prima religio super hoc sit privilegiata, & num. 11.

Declaratur num. 22. & 23.

2 Privilegium aliquibus religionibus concessum de non transeundo ad arctiorem intelligitur de transitu indiscreto, & num. 22. & 23.

3 In juramento ubi prohibetur, temerarium tantum censetur prohibitum.

4 Lex privata, idest inspiratio divina, præjudicat legi publicæ, idest communi.

5 Privilegium debet potius interpretari, ut nihil operetur, quàm ut juri divino præjudicet.

6 Religiosi manere debent in ea vocatione qua vocati sunt.

7 Nec transire debent ad aliam religionem sine magna necessitatis vel utilitatis causa.

8 Hominem simul universis fulciri virtutibus, impossibile est.

9 Planta non coalescit quæ sæpe transfertur.

10 Monachus quando [illegible] sua vocatione, nisi instinctu Spiritus Sancti ad perfectiorem vitam moveatur.

11 Regularis potest, licet non obtenta licentia transire ad strictiorem religionem authoritate propria, vel potius Spiritus Sancti, & jure divino naturali, & num. seqq. & num. 59.

12 Votum profitendi [illegible] alicui licitum est commutare.

14 Consilium quo tenetur requirere, tamen sequi non astringitur.

15 Prælatus regularis sine justa causa denegans licentiam subdito transeundi ad arctiorem religionem mortaliter peccat.

16 Episcopus non potest ecclesiam deserere, ut transeat ad religionem sine licentia Papæ: nec debet hujusmodi licentiam petere, an abstinere quamdiu suis subditis prodesse potest.

17 Vita activa est fructuosior, quàm contemplativa.

18 Religiosus potest episcopari, sed Episcopus non potest monachari.

19 Regularis ut transire possit ad arctiorem religionem licentia petita, licet non obtenta, requiritur,

Primò, ut secunda religio sit strictior quoad actualem observantiam, num. 20.

Secundò, ut prima religio non sit super hoc specialiter privilegiata, num. 22.

Tertiò, ut transitus non redundet in scandalum, vel infamiam primæ religionis, num. 24. & seqq. usque ad n. 30. & n. 45.

Quartò, ut transiens non moveatur ex temeritate, vel levitate, sed zelo sanctioris vitæ, num. 32.

Et quomodo de hujusmodi zelo constare debeat, num. 31.

Et quid si de hoc probabiliter dubitetur, num. 32.

Et quando dicatur probabiliter dubitari, num. 33. & 35.

Quintò, ut licentiam petat à suo Prælato immediatè, num. 36.

Et an debeat eam petere etiam à conventu, num. 37. & sequ.

Sextò, ut sit tacitè, vel expressè professus, n. 40.

Septimò, ut sit subditus, non autem Prælatus, num. 41.

Octavò, ut licentiam petat ante transitum, n. 43.

Nonò, ut eam petat cum humilitate, & instantia, num. 45.

Decimò, ut causam sui transitus assignet Prælato suo, num. 46.

Undecimò, ut debito tempore expectet responsum, num. 47.

Et quid si Prælatus non respondeat, aut non probabiliter, num. 48.

Duodecimò, ut constet Prælato secundam religionem paratam esse illum recipere ad quam vellet se transferre, num. 49.

Decimotertiò, ut veniat cum litteris dimissoriis Prælati sui, n. 50.

Quid si veniret sine dictis litteris, quid facere debeat Prælatus secundæ religionis, n. 51.

20 Religio una ut sit arctior altera, non attenditur an habeat strictiorem regulam, sed ut modo in ea arctior vita ducatur.

21 Regularis potest transire à religione, in qua remissius vivitur, ad minorem religionem melius observatam. Sed cum dubitatur an secunda religio sit arctior, Superioris judicium est requirendum.

22 Privilegio Cisterciensium, & Sericatis [illegible] professi transire possunt ad arctiorem religionem sine licentia Superioris obtenta, non gaudent aliæ religiones per communicationem.

23 Sed si Superior licentiam pertinaciter denegaret, recurrendum esset ad proximum Superiorem.

25 Regularis, qui ad arctiorem transivit, revocari potest si prior ecclesia enormiter læderetur.

Et hoc per viam juris communis si teneret transitus, vel per viam restitutionis si non teneret, ibidem.

26 Alienatio personarum major, & gravior censetur, quàm rerum, & num. 59.

27 Opera justitiæ præponenda sunt operibus charitatis.

28 Clericus sæcularis transire potest ad religionem non petita Episcopi licentia, imò & ipso contradicente.

29 Episcopus tamen posset eum repetere, si ecclesia gravem pateretur jacturam, licet transivisset de ejus licentia.

31 Regularis petita licentia præsumitur bono zelo ad arctiorem religionem transire.

Quod

32 Quod si de hoc dubitetur, recurrendum est ad Superiorem, ad quem subditus appellaret, si gravaretur, & requiritur ejus licentia petita, & obtenta.

33 Regularis quibus conjecturis deprehendatur transiisse ad arctiorem Ordinem ex causa temeritatis, seu levitatis.

34 Canonicus Regularis, qui non potest vivere sine carnibus, dicitur transire ad Monachos ex temeritate.

36 Prælati sui appellatione venit Prælatus immediatus monasterij, non autem Generalis, vel Provincialis, nisi aliud habeat consuetudo, vel statuta Ordinis.

38 Intellectus, cap. Statuimus, 19. q. 3.

39 Regularis transiens ad strictiorem ordinem non alienatur, sed in melius commutatur auctoritate Superioris.

40 Novitius potest ad aliam religionem transire absque Superioris licentia.

41 Prælatus an possit ad strictiorem religionem transire petita, licet non obtenta Superioris licentia.

42 Quid si habeat alium Superiorem citra Papam.

43 Et quid si sit Papæ immediatè subjectus.

44 Licentia ubi in aliquo casu exigitur, non sufficit eam petere ex post facto.

47 Licentiam, vel consilium qui debet petere, tenetur debito tempore responsum expectare.

48 Regularis an possit transire ad arctiorem si petita licentia Prælatus nil respondeat, aut non probabiliter, vel sine causa licentiam deneget.

49 Regularis discedens è monasterio, ut transeat ad arctiorem religionem, antequam constet eam paratam esse illum recipere, fugitivus est, & apostata.

52 Transitus ad arctiorem ordinem non petita licentia an sit irritus, itaut regularis ad primum ordinem revocari possit, & n. seqq. usque ad n. 60.

53 Quid si transierit ex temeritate seu levitate.

54 Et quid si zelo melioris frugis.

55 Licentia transeundi ad strictiorem ordinem peti debet à Monacho ex honestate; non autem ex necessitate.

Contrarium, num. 56.

57 Regularis transiens ad arctiorem non petita licentia præsumitur motus ex animi levitate.

58 Circuitus non est inutilis quando per eum satisfit canoni.

60 Monachus morari debet apud monasterium, ad quod transivit, lite pendente super ejus transitu.

61 Monialibus an liceat de uno monasterio transire ad aliud strictioris observantiæ petita, licet non obtenta, Superioris licentia.

62 Religio tota, seu domus religiosa an possit se ad strictiorem religionem transferre.

1 LICET. Professus religionis privilegiatæ quod de illa ad aliam etiam arctiorem transire non possit, petita Prælati sui licentia, quamvis non obtenta, poterit zelo sanctioris vitæ arctiorem regulam profiteri. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. & Joan. de Anan. vel aliter secundum Abb. Potest religiosus zelo sanctioris vitæ ad religionem transire strictiorem petita prius licentia Prælati sui, licet non obtenta, etiamsi primum monasterium sit privilegiatum, quod de illo ad aliud etiam arctius transire non possit. Dividitur in duas partes principales. Prima ponit exordium, ex quo secunda factum diffinit, ibi, *Cum ergo*; & prima pars facit quinque; nam primò ponit formam privilegij; secundò ipsius interpretationem, & interpretationis causam, ibi, *quia tamen*; tertiò illam fortificat ibi, *Cum etiam*; quartò illam reassumendo specificat ibi, *Quocirca*; quintò, specificationem determinat, ibi, *illa*. Jo. Andr.

2 Nota ex prima parte textus, Indultum aliquibus religionibus concessum, quod professi apud eas transire non possint ad religionem arctiorem, ita esse temperandum, ut intelligatur si transitus fiat ex temeritate, vel levitate: secus verò si zelo perfectioris vitæ, glos. *hic in ver. Ex temeritate* Butr. & Cardin. *in 1. notab.* unde Innoc. *in princ. in ver. Transire*; supplet, idest temerariè, sed si velit discretè transire, non obstante privilegio transire poterit, & concordant Host. *in princ. in ver. Possit*, & Jo. Andr. *n. 2. in ver. Transire*, ubi quod privilegium non impedit discretum transitum.

3 Similis interpretatio fit in juramento, quod ubi prohibetur, temerarium tantum intelligitur prohibitum, cap. *Ita ergo. 22. quæst. 1.* glos. *ubi supra*, & Host. *num. 5.*

4 Rationes cur hoc privilegium ita sit interpretandum, habes in littera, nempe quia ubi spiritus Dei est, ibi libertas, & *qui Spiritu Dei aguntur non sunt sub lege*; quia lex non est posita justo, & lex privata, idest inspiratio divina, & lex conscientiæ præjudicat legi publicæ, idest communi.

5 Et ex hoc, & ex textu deducitur, ut quando privilegium juri divino seu inspirationi divinæ potest in aliquo præjudicare, sit strictissimè intelligendum, itaut nec debeamus illud interpretari ut aliquid operetur, si non potest illud operari sine derogatione juris divini, seu libertatis spiritus; quod est valde notandum secundum Abb. *hic in primo notabili.*

6 Secundò nota ibi, *vocatus*. Unumquemque religiosum debere in ea vocatione permanere, in qua vocatus esse dignoscitur, secundum Apostol. *1. Ad Corinth. 7.* & dic vocatione, idest professione, ut *hic* per Jo. Andr. *num. 2. in verb. Vocatus.*

7 Quapropter secundum D. Thomam *in 2. 2. q. 189. art. 8. in corp.* & Jo. Andr. *ubi supra*, non est laudabile de una religione ad aliam transire sine magna necessitatis, vel utilitatis causa, tum per hanc authoritatem, tum quia ex hoc plerumque scandalizantur illi, qui relinquuntur; tum quia verisimilius est quem proficere in religione, cui assuevit, quàm in illa, cui non assuevit cæteris paribus.

8 Unde in collationibus Patrum *coll. 14. c. 5. in princ.* legitur Abbatem Nestorium dixisse: [Unicuique utile est, ut secundum propositum, quod elegit, summo studio, ac diligentia ad operis cœpti perfectionem pervenire festinet, & nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat, & rationem subjicit: Impossibile enim est unum, eundemque hominem simul universis fulciri virtutibus, quas qui voluerit pariter attentare, in id incidere eum necesse est, ut dum omnem sectatur, nullam integrè consequatur.] Huc etiam spectat illud Marci Varronis: Nunquam perveniet qui quot videt calles sectatur: & illud Senecæ *Epist. 2.*

9 (Primum argumentum compositæ mentis existimo, posse consistere, & secum morari,) & *infra*: Nusquam est qui ubique est; & in peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant,

beant, nullas amicitias. Item non coalescit planta,
10 quæ sæpe transfertur. Verumtamen prædicta authoritas, Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, [intelligi debet, nisi instinctu Spiritus Sancti ad sanctiorem vitam inducatur: ut hic per Abb. *in 2. not. ab.* magnopere tamen cavendum, ne forte Angelus Satanæ in lucis Angelum se transformet, ut hic dicitur in littera.

11 Tertiò nota ibi, *licentiam postulaverit*. Ad hoc ut regularis transire possit ad arctiorem regulam sufficere licentiam Superioris petitam, licet non obtentam, ut hic est casus secundum omnes in summario textus. Ad idem cap. *Mandamus*, juncta glos. *in verb. Monachus*, & cap. *Statutum*, 19. *quæst.* 3. cap. *Nunc est vobis*, cap. *Sanè*, & cap. *Significatum*, *supra eodem*, & hic notat glossa *in ver. Licentiam postulaverit*, Hostien. *num.* 9. Joan. Andr. *num.* 5. & reliqui omnes, glossa in cap. *Ioannes*, *in verb. Monasterium*, *supra eodem*. Item glos. in cap. *Cum singula*, *in verb. Canonicè*, *de præbend. lib.* 6. Et hanc esse veram, & indubitatam conclusionem omnium planè Doctorum firmat, Abbas *in cons.* 95. *In præsenti*, *ante num.* 1. *vers. Tamen vera*, *lib.* 1. & tunc religiosus ad arctiorem transire poterit propria auctoritate Innocen. *hic num.* 1. *in ver. Adimplere*, Hostien. *num.* 14. & Joan. Andr. *num.* 4. *in eodem verb.* Vel potius auctoritate Spiritus Sancti, ut idem Hostien. ait *num.* 15. *in verb. Indulgere*, & ita hoc videtur licere jure divi-
12 no naturali, quo licitum est votum proprium commutare in melius, ut per Cajetan. *in 2. 2. quæst.* 88. *art.* 12. *paulo post princ. vers. Ad huius evidentiam sciendum*. Ad hoc cap. *Pervenit*, *il secondo*, *supra de iureur.* & tenet novissimè Thom. Sanchez *super Decalog. tom.* 2. *lib.* 8 *c.* 7. *num.* 3. & satis clarè deducitur ex littera hujus cap.

13 Et hinc solvitur objectum, quod sæpè propter bonum obedientiæ omittatur quod alias esset bonum, cap. *Quid culpatur*, 23. *q.* 1. Nam ut formaliter respondit Hostien. *hic num.* 11. Talis auctoritate hujus cap. est absolutus: Quinimo, à Spiritu Sancto intelligitur absolutus à licentia impetranda, qui ei spirat ut transeat: ergo ei tanquam Superiori obediendum est, cap. *Qui resistit*, 11. *q.* 3. unde & excusatur qui ad majus Tribunal vocatus est, l. *Contra pupillum*, *in fin. ff. de rei vendicat.* & patet in cap. *Gaudemus*, § *Quia verò*, *vers. Nec uli unquam licuit*, & *vers. Verumtamen*, *infra de divort.* Et est simile in Consilio quod quis teneatur
14 requirere, & tamen si qui non adstringitur, ut c. *Cum olim*, *supra de arbitr.* Item simile in cap. *Potuit*, *de locato*, & l. *ult. C. de iure emphyt.* Quomodo autem hujusmodi licentia sit postulanda, & quæ desiderentur ad hoc ut transitus ad arctiorem religionem sit licitus, plenè examinatur infra in prima quæstione.

15 Quartò nota ibi, *de iure teneri*. Prælatum regularem teneri sine difficultate indulgere subdito licentiam migrandi an strictiorem ordinem, si cum humilitate, & puritate fuerit postulata, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum, ut in littera, & ex hac ratione deducitur, ut Prælati hujusmodi licentiam protervè, & sine justa causa denegantes mortaliter peccent, ad hoc quod scripsi in c. 8. *quo*, n. 48. 39. & 40. *supra eod.* & tenent relati à modernis Collectoribus *hic n.* 16.

16 Quintò nota, ibi, *deserere Prælatum*, Episcopum non posse ecclesiam suam derelinquere, ut transeat ad Religionem sine licentia Rom. Pontificis, nec debere hujusmodi licentiam postulare, aut etiam obtinere quamdiu suis subditis prodes-
17 se potest, Abbas *hic n.* 6. Rationem habes in textu, quia vita activa est fructuosior, quàm contemplativa, & majus bonum minori bono præponitur. Unde in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio, solicitudo contemplationi, & labor qui-
18 eti religiosorum. Quo fit ut religiosus possit episcopari, cap. *Quod Dei timorem*, *infra de stat. Monach.* & cap. *nunc.* 18. *q.* 1. sed Episcopus non possit monachari, ut hic: nam plus est illuminare, quàm incere. Hanc materiam latius prosequor in cap. *Nisi cum pridem*, *à num.* 5. *usque ad num.* 11. *supra de renunciat.* ibi plenè videas.

19 QUÆRO generaliter, quæ requirantur ad hoc ut religiosus ex una religione ad aliam strictiorè transire possit licentia petita, licet non obtenta.

Abbas *hic in* 4. *not. ab.* ponit tria tantum requisita ad hoc ut religiosus licitè transire possit ad aliam religionem. Sed multò plura desiderari, satis clarè ex infra dicendis patebit.

20 Primò ergo requiritur, ut secunda religio sit strictior quoad actualem observantiam: non enim attenditur tempus institutionis regulæ, seu primævi instituti, sed necesse est, ut tempore transitus ibi rectior vita ducatur. Et hoc sinit littera hujus tex. ibi, *vitam duceret arctiorem*, ut accuratè observat Abb. *in 9. not. ab.* subdens in hoc multos decipi existimantes sufficere, ut secunda religio habeat strictiorem regulam, & probatur in c. *Sanè*, *supra eod.* ibi: (Si locus, in quo nunc permanet, majoris religionis, quàm ecclesia Aromatensis existat, ubi Innocen. *in princ.* ponderando illud verbum, *Nunc*, [licet (inquit) monasterium, ubi fecit professionem, institutum fuerit in districtiori regula, & monasterium ad quod transivit, in laxiori, tamen hoc non est attendendum, sed quod monasterium modo sit arctius.] Et concordant ibi Hostien. *in princ. in verb. Nunc*: & Joan.
21 Andr. *n.* 2. & 3. qui ex hoc infert secundum Theologos de arctiori religione, in qua remissius vivitur, posse quem transire ad minorem religionem melius observatam. Quod expresè docuit S. Th. *in* 2. 2. *q.* 188. *art.* 8. *in corp.* ubi refert in collationibus Patrum Abbatem Joannem *in collat.* 19. *c.* 2. 5. & 6. de seipso dicere, quod à vita solitaria, in qua professus fuerat, transiit ad minorem, scilicet eorum, qui vivunt in societate, propter hoc, quod vita eremitica coeperat declinare, & laxiùs observari. Et ex facto respondit Cardin. *in cons.* 28. *Pro elucidatione*, *per totum*, *maximè num.* 2. dicens de hoc esse casum in d. c. *Sanè*, & Abb. *d. cons.* 95. *num.* 1. *lib.* 1. Lap. *alleg.* 62. *num.* 6. *vers. Ad secundum*, & *alleg.* 131. *num.* 1. *vers. Item quæ*, licet hoc casu ideft cum dubitatur an secunda religio sit arctior, videatur judicium superioris necessarium, secundum Jo. Andr. *hic n.* 3. Henr. Boich. *n.* 11. & Abb. *n.* 3. Hostien. *in summ. tit. de vot. n.* 7. & Sylvester *in verb. Religio* 4. *quæst.* 1. *in* 1. *not. ab. & q.* 2. Quæ autem religio dicatur major, an scilicet quæ arctior, & durior est; an verò quæ perfectior, & fructuosior, dixi post Jo. Andr. in c. *Sanè*, *à n.* 24. *usque ad n.* 66. *supra eod.* ubi plenè videas.

22 Secundò requiritur, ut prima religio non habeat privilegium specificum, quod non sufficiat licentia petita nisi etiam si obtenta, sicut habent Cistercienses, secundum Hostien. *hic in princ. in verb. Transire*, & Jo. Andr. *num.* 2. *in eod. verb.* Simile privilegium habet Societas Jesu à Pio IV. & Pio V. videlicet ne ab illa fieri possit transitus ad quamcunque religionem, præterquam ad Carthusia, nos absque licentia superiorum obtenta, ut refert Sanchez *super Decalog. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 28. *post med. vers. Tamen quia*, Pius IV. subdens eo privilegio gaudere omnes Mendicantes per communicationem. Quod non credo verum: quia hujusmodi communicationes non extenduntur ad ea, quæ sunt difficilis concessionis, juxta theoricam Antonii de Butr. *in cons.* 19. quod fuit sæpius approbatum in Sacra Congregatione Concilii, & in Rot. Cæterum adverte, quia si hujusmo-
23 di licentia pertinaciter denegaretur, recurrendum esset ad proximum superiorem, arg. cap. *Nullus*, *de iurepatr.* ut notat Hostien. *hic num.* 7. *in verb. Vt ei transeundi*: alioquin secundum eum, esset privilegium dare contra inspirationem divinam, & ad litteram servaretur.

24 Tertiò requiritur, ut transitus ad arctiorem non redundet in jacturam, vel infamiam primæ religionis, ut probat hæc littera ibi, in jacturam, vel injuriam sui ordinis. Igitur si quis transire vellet ad aliam religionem, etiamsi constet eam arctiorem esse, tamen transire non poterit, si ex hoc transitu gravem jacturam, vel infamiam prior religio sustineret, arg. cap. *Sicut veri*, 11. *q.* 3. secundum Innoc. *hic num.* 1. Hostien. *num.* 5. *in verb. Interitura*. Ratio est quia quis non debet esse lapis offensionis, vel causa scandali, cap. 2. *supr. de præscript.* cap. *Nisi cum pridem*, § *Prograviquoque scandalo*, *de renunciat.* sed & communis utilitas, quæ versatur in hoc, ut ad arctiorem religionem non transeat, est merito præferenda, ut patet in hoc cap. In vers. *illa semper regula*. Quinimo sic transiens revocari posset, si inde prior ecclesia enormiter læderetur. Et hoc per viam juris communis, si non teneret transitus, vel per viam restitutionis in integrum, si teneret, secundum Hostien.
26 Quia sicut ex gravi læsione rerum temporalium restituitur ecclesia, cap. *Ad nostram*, 5. *fin. supra de rest. eccles. non alien.* cap. 1. *de restit. in integr.* ita, & multò magis restituenda esse in læsione personæ, quia major, & gravior censetur alienatio personarum quàm rerum, arg. cap. *Præcipimus*, 2. 32. 1. secundum Hostien. *hic num.* 12. cum quo concordant Jo. Andr. *num.* 22. Henric. Boich. *num.* 7. Butr. *num.* 14. Anchar. *num.* 11. *in* 2. *oppos.* Cardin. *num.* 13. *in* 4. *quæst.* & Abb. *num.* 12. Vital. in Clem. 1. *num.* 18. *de regular.* S. Anton. *in* 3. *par. tit.* 1. *cap.* 4. *in fin. princ.* Sylvester *in verb. Religio*, 4. *qu.*
27 1. *in fin.* Adde quod transitus ad arctiorem religionem zelo sanctioris vitæ est actus charitatis, ut patet in tex. ibi, ex lege privata: nam ut exponit glos. lex privata est amor, Dei seu charitas, de qua dicitur: Habe charitatem, & fac quicquid vis, cap. *Radicata*, *de pœnit. dist.* 2. Primam autem religionem non lædere est actus justitiæ, l. *Iustitia*, *ff. de iust. & iur.* At opera justitiæ præponenda sunt operibus charitatis, cap. *Forte*, & cap.
28 *Denique* 14. 4. 5. Confirmantur hæc exemplo Clerici sæcularis, qui quamvis possit transire ad Religionem non petita Episcopi licentia, quinimo & ipso contradicente, ut c. *Duo*, 19. 9. 2. tamen posset
29 Episcopus eum repetere, si ex ejus transitu ecclesia gravem pateretur jacturam, secundum Innoc. *hic num.* 3. & Abb. *num.* 14. Nec mirum, quia

cum propter salutem animarum possit à religione avocari, etiamsi cum licentia transierit, ut patet in eo, quod legitur, & not. in cap. *Quod Dei timorem*, *infra de stat. monach.* multò fortius ex eadem causa hoc fieri poterit, quando transivit licentia Prælati non petita, vel etiam denegata, arg. cap. *Admonet*, cum ibi notat. *de renunciat.* ut bene *hic* per Holl. *num.* 7.

30 Quartò requiritur ut transiens ad arctiorem religionem non moveatur ex temeritate, seu levitate, sed ex charitate, seu zelo sanctioris vitæ, ut hic est casus, & est vera, & indubitata omnium conclusio, ut inquit Abb. *d. cons.* 95. *ante nu.* 1. *lib.* 1. & hic junge quæ dixi *supra in* 1. *not. ab.* Quod si objicias: quomodo constabit de intentione Mona-
31 chi? Cum enim profundum sit cor hominis, quis scrutabitur illud? Sanè nemo alius potest scire quo corde, qua conscientia, qua fide moveatur, nisi is, qui movetur, & Christus, qui charitas est, & cui voluerit Christus revelare, & nullus alius: Respond. Hostien. *hic n.* 24. *vers. Nemo enim alius*. Standum esse illius juramento, de cujus intentione quæritur, ut notatur in cap. *Significasti*, § *fin. infra de homicid.* & nihilominus etiam sine juramento in casu isto propter exteriora, quæ bona apparent, præsumendum esse intentionem esse bonam. Et ideo textus in fine præcipit Priori, & Conventui primæ religionis, ne Monachum ipsum super eo, quod de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta fecisse dignoscitur ullatenus molestent, quia charitas est bona vitæ, cui non communicat alienus, scilicet à charitate, ut in glos. *ult.* Atque ita ita transitum ad arctiorem religionem ex facto ipso quod habet speciem boni, præsumi ex bono zelo, nisi probetur contrarium, firmant *hic* glos. *penult.* Hostien. *ubi supra*, Jo. Andr. *nu.* 18. & Abb. *num.* 8. licet aliud videatur sensisse Anchar. *num.* 7. *in* 9. *not. ab.*

32 Cæterum si probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad ordinem arctiorem ex charitate, an ex temeritate transire. Superioris est judicium requirendum, ut in tex. Alias legitur judicio relinquendum, ut refert Hostien. *num.* 16. *in eodem ver.* Et est simile in cap. *Pervenit*, 11. *qu.* 1. in cap. *Nullus*, *infra de iurepatr.* & in § *Si a Clero*, *in authen. de Sanctiss. Episc. coll.* 9. & hic non sufficit licentia d. Superioris petita, sed requiritur etiam obtenta. Quod expresè adnotavit Cardin. Cajetan. *in* 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 8. *post princip.* & Sanchez *super Decalog. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 16. Superior autem in hoc casu est ille, ad quem subditus appellaret si gravaretur, cap. *Vt debitus*, & cap. *Cum speciali*, *supra de appellat.* cum aliis proximè citatis, & non ille, cum quo est quæstio, C. *ne quis in sua causa tuus dicat*, *in rubro. & in nigro*, secundum Host. *hic num.* 16. *in verb. Superiora*.

33 Quod si quæras quando dicatur de hoc probabiliter dubitari, itaut ad Superiorem sit recurrendum, dic secundum Abbat. Antiq. *hic n.* 2. si Monachus dixit in Capitulo cum esset bene verberatus, ego non ero de cætero in hoc monasterio, utique non erit audiendus, quia non transit ex charitate. Sed si negat se hoc dixisse, res erit dubia, & ideo, adeundus erit Superior, vel secundum Host. *num.* 15. *in verb. Probabiliter*, Jo. Andr. *num.* 6. *in eod. verb.* & Cardin. *n.* 13. *in* 5. *quæst.* Verba habuit cum Prælato, vel cum aliquo ex sociis, & dixit se deinceps in religione illa non amplius re-

mandorum illis viventibus; & sic non solum dubitatur, sed constat eum ex motu iræ hoc fecisse, vel quia est sicut Arca Domini, non potest quiescere, sed semper consuevit diversas religiones
34 mutare. Aliud exemplum ponit Innoc. num. 3. in verb. Transire, Host. num. 18. in verb. Ex temeritate, Jo. Andr. num. 6. vers. Innocen. & Card. dicta quæst. 5. videlicet quia est talis complexionis, ut non possit vivere sine carnibus, & tamen de Canonico regulari vult transire ad Monachos. Ad
35 hoc cap. Non cogantur, 41. distinct. Sed si Prælatus probabilem causam suæ contradictionis assignet, & tamen Monachus in suo proposito transmigrandi perseveret, similiter res dubia censebitur, & Superior erit requirendus, secundum Innoc. num. 2. in fin. vers. Si autem probabiliter, Hostien. num. 15. in fin. vers. Sin autem, & Jo. Andr. num. 7. vers. Si alias probabiliter.

36 Quintò, requiritur ut religiosus, qui vult ad arctiorem ordinem transire, petat licentiam à Prælato suo, ut hic patet in vers. Tali ergo, & vers. Quoties, scilicet immediato. Nam Prælati sui appellatione non venit Generalis, vel Provincialis, sed Prælatus immediatus ipsius monasterii, ut probat Feder. de Sen. cons. 145. in Episcopus. num. 6. post med. vers. Nam appellatione Prælati, Calder. cons. 3. Quis dicatur Superior professi, per tot. de Regular. Item in Prælato immediato verificatur ratio illa textus, ne bonum obedientiæ contemni videatur, ut cap. Si religiosus, de elect. lib. 6. Et hoc videtur sensisse Sylvest. in ver. Religio, 4. quæst. 3. & voluit expressè Lap. allegat. 61. Quidam Frater, aliàs 62. num. 2. vers. Aliàs autem hoc cessante. ubi dicit de jure licentiam volentis transire ad aliam religionem spectare ad Superiorem immediatum. Allegat in simili Jo. Andr. in cap. 2. num. 1. in verb. Superiore, de testam. lib. 6. & Paulum de Eleazariis in Clem. ult. de elect. qui dicit solum Abbatem posse dare hanc licentiam migrando, & non alium Superiorem, nisi hoc habeat institutio regulæ illius ordinis, vel consuetudo ipsius loci. Quod ipsum voluit idem Lapus allegat. 130. Pro dubio, aliàs 131. num. 1. vers. Item licentia. & num. 5. vers. Item etiam ponitur. ubi similiter ait, Prælatum immediatum conventus esse Superiorem suum, & ab eo sufficere licentiam petere, nisi aliud habeat consuetudo, vel statuta ordinis. Et in Abbate exemplificat hic Innoc. num. 2. & 4. Host. num. 15. circa finem. in vers. Utrum quis velit, Abb. Antiq. num. 2.
37 Jo. Andr. num. 7. & alii communiter. Nec requiritur de necessitate, ut licentia petatur à conventu, sed satis est eam petere à Prælato, ut pluribus firmat Archidiac. in cap. Statuimus, num. 2. 19. qu. 3. & post eum Bellam. ibidem num. 3. Joan. Monach. in cap. Cum singula, num. 4. de præbend. lib. 6. & ibi etiam Philipp. Franc. in §. Prohibemus, num. 3. Ant. de Butr. in cap. Non est vobis, num. ult. supr. eod. & ibi etiam Abb. num. 6. & idem Abb. in cap. Ex nascitur, num. 4. de his, quæ fiunt à Prælato; licet tutius esset etiam à conventu hanc licentiam postulare, secundum Innoc. in cap. fin. num. 1. de renunciation. cum quo transeunt ibi Hostien. n. 3. Jo. Andr. n. 7. Anton. de Butr. num. 13. Pro hac opinione inducitur littera hujus textus, qui in corpore simpliciter loquitur de Prælato, nec ullam facit mentionem de conventu, licet in suprascriptione dicatur Priori, & conventui Dunolensi. Ad idem fortior tex. in c. Si religiosus de elect. lib. 6. inducendo eum, ut per Archidiaconum in d. cap. Statuimus, num. 2. 19. qu. 3.

38 Nec refragatur text. in eod. cap. Statuimus, in illis verbis: districtioris religionis obtentu audeat sine Patris, & totius Congregationis permissione recedere. Quoniam in tribus vetustis Codicibus legitur, Patris totius Congregationis; & apud Ivonem legitur, Abbatis totius Congregat. & secundum Archid. ubi supra verior est littera, quæ est sine illa copula, & clare colligitur ex cap. Quorumdam. §. Volentes, in fin. de elect. lib. 6.

Similiter non refragantur sequentia verba d. c. Statuimus, sine communi litterarum cautione, quæ videntur innuere, ut Prior, & Canonici debeant dare consensum, secundum Hugon. & Turrecrem. num. 2. in fin. Nam responderi potest ea verba non esse referenda ad consensum Fratrum, sed ad cautionem Prælatorum utriusque monasterii, ac religiosi transeuntis: nam per litteras dimissorias cautum, & consultum est tam primo Abbati, cujus obedientia non contemnitur, quàm secundo, qui per illas fit certior de bono zelo ejus, qui transit, & vitat periculum restitutionis. Item ipsi religioso, qui de cætero molestari non poterit, secundum ea, quæ dicam infra in secunda quæstione, num. 52.

39 Demum non refragatur argumentum à simili, quo utitur in proposito Turrecrem. in d. c. Statuimus, n. 2. videlicet quod si alienatio rerum ecclesiasticarum fieri non debet sine consensu Clericorum, utique longè minùs alienatio personarum, ut latiùs dictum est supra num. 26. Nam respondetur hanc non esse alienationem personæ, quia religiosus arctatur tantum ad petendam licentiam transeundi propter bonum obedientiæ, eaque petita, licet non obtenta, dummodo moveatur zelo melioris frugis, transire potest propria auctoritate, seu potius Spiritus Sancti sic inspirantis, ut ex Innoc. & Host. dictum est supra nu. 11. vel secundum Archid. in d. c. Statuimus, num. 2. in fin. 19. q. 3. talis non alienatur, sed in melius commutatur auctoritate superioris, arg. cap. Scripturæ, de voto, & cap. Pervenit, il secondo, de usuris. Quis autem sit Superior, ad quem spectet dare licentiam Monacho transeundi ad parem, vel laxiorem religionem, distingue ut dixi in cap. Dilecti, supra de renunciat. à num. 8. usque ad num. 36. & quæ sint causæ dispensandi, à num. 36. usque in fin.

40 Sextò requiritur, ut petens licentiam sit expressè, vel tacitè professus, aliàs enim si esset infra annum probationis, transire posset non modo ad quamcunque religionem, sed etiam ad sæculum remeare, absque ulla Superioris licentia petita, vel obtenta, tex. est in c. Statuimus, inf. eod. ponderando verb. Libere, idest Superioris licentia minimè requisita, ut ibi dixi n. 3. post Abbat. n. 2.

41 Septimò requiritur, ut qui vult transire, licentia petita, licet non obtenta, sit subditus: nam si esset Prælatus exemptus, non posset prælationem dimittere, nec ad strictiorem religionem transire, nisi obtenta licentia à Papa. Et hoc propter vinculum Prælaturæ, secundum Host. in cap. Illud, in princ. infra de cleric. excommun. ministr. & Archid. in cap. Si Abbatem, ad fin. de elect. lib. 6. ubi referunt sic per Papam Clementem IV. fuisse determinatum.

42 Sed tu vide hanc quæstionem plenè examinatam per Jo. Andr. in cap. Cum non sit, num. 11. & 12. de regul. jur. lib. 6. in Mercurialib. ubi concludit sub distinctione: nam aut inferior Prælatus habet alium Superiorem citra Papam; & tunc sufficit ut petat licentiam, licet eam non obtineat, quia littera hujus text. in vers. Illa semper regula, ponit speciale in Episcopo, ut Prælaturam dimittere nequeat sine licentia Papæ: ergo secus in Prælatis inferioribus, arg. cap. Nemo, de præsumption. ad
43 hoc cap. Congregatio, 17. q. ult. Aut est immediatè subjectus Papæ, & transire non potest, Papa licentiam denegante; sed eo non respondente, valet transitus in sui præjudicium; Papa tamen potest eum revocare. Rationes vide ibi per Joan. Andr. cum quo concordant hic Henrich. Boich. n. 9. Anchar. n. 8. in 12. notab. & Abb. n. 12. Rosell. in verb. Religio, 4. num. 8. Angel. in verb. Religiosus, num. 35. Sylvest. in verb. Religio, 4. q. 3.

44 Octavò, requiritur ut hujusmodi licentia petatur antequam fiat transitus ad secundam religionem; aliàs enim non satisfieret dispositioni hujus Decretalis, quia nisi in aliquo casu exigitur licentia, non sufficit eam petere ex post facto, sed à principio est postulanda, ut hic per Abb. num. 11. Rosella in verbo Religio, 4. num. 4. & Angel. in verb. Religio, num. 35.

45 Nonò, requiritur, ut licentia transeundi petatur cum humilitate, & puritate, ut hic patet in vers. Quoties, & per humilitatem excluditur temeritas, & præsumptio, & per puritatem excluditur levitas, & passio, atque injuria ordinis, secundum Host. num. 7. in verb. Humilitate, & in ver. Puritate, & Jo. Andr. num. 3. in eisdem versic.

46 Decimò, requiritur, ut religiosus causam sui transitus assignet Prælato suo; & hoc innuit hæc littera ibi; Et non ficte, sed verè ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare, secundum Innoc. num. 1. in verb. Palliatam, Host. num. 8. in eod. verb. & Jo. Andr. num. 3. in fin. & num. 6. Cardin. num. 3. in 6. quæst. Quod si causam non assignet, sed simpliciter transeundi licentiam postulet, tunc Prælatus, cui ejus cura commissa est, debet ab eo causam quærere cur transire velit, ut secundum Innoc. num. 2. Host. num. 15. in verb. Utrum quis velit, & Jo. Andr. num. 6. in eod. verb. & Cardin. in 7. quæst.

47 Undecimò, requiritur ut religiosus petita licentia, & causa, ut præfertur, assignata, non statim discedat, sed expectet debito tempore responsum à Superiore. Quisquis enim debet consilium, vel licentiam petere, tenetur debito tempore responsum expectare, c. Cum in veteri, in fin. de elect. & hic notant Jo. Andr. num. 11. Butr. num. 12. Cardin. num. 2. in 1. oppos. Anchar. num. 5. in 7. notab. & num. 10. in 2. oppos. & Abb. num. 8. in glos. in verb. Decenter, Sylvest. in verb. Religio, 4. q. 3.
48 2. in 2. notab. Debito autem tempore transacto, si Superior causam sic assignatam acceptet, tunc religiosus liberè transire poterit. Et idem dicendum si Superior causam audire nolit, vel audit, sed non exaudit, vel non respondet, aut respondet, sed non probabiliter, imò mutatè, falsè, vel malè, vel injustè, vel etiam sine aliqua causa licentiam denegat, arg. l. Nulla differentia, ff. de auctor. tutor. Nam in istis omnibus casibus poterit liberè transire, secundum Innoc. num. 2. Hostien. num. 15. in verb. Utrum quis velit, & Jo. Andr. num. 6. in eodem verb. & num. 7. Sin autem Prælatus probabiliter respondeat, & Monachus in suo proposito perseveret, tunc est Superior requirendus, secundùm ea quæ dicta supra in 4. requisito, n. 35. quod si Superior licentiam denegaverit nulla causa assignata debebit subditus causam denegationis requirere: & si Superior negaret rationem reddere, ipsi imputandum esset secundum Innocen. n. 4. & latiùs dicam infra n. 56.

49 Duodecimò, requiritur, ut eidem Prælato constet secundam religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, atque rectà sic transferatur ad secundam religionem, ne detur ipsi occasio vagandi seu apostatandi, Innocen. in cap. fin. num. 2. supra de renunciat. ubi dicit Abbatem non debere licentiam dare Monacho suo intrandi religionem arctiorem, nisi primò eam inveniat, & secundus Abbas paratus sit eum recipere, etsi aliter recedit fugitivus est, & apostata, cum non sit in alicujus obedientia; & sequuntur ibi Host. num. 3. Jo. Andr. num. 7. Butr. num. 9. Cardin. num. 2. quæst. 3. & Abb. num. 3. Jo. Monach. in cap. Cum singula, n. 5. de præbend. lib. 6. ubi etiam Anchar. num. 2. & hodie est expressum in decretis S. Congregationis Concilii de Regularibus apostatis, & ejectis, in §. 5. Bullar. tom. 4. pag. 267.

50 Decimotertiò, requiruntur litteræ dimissoriæ Abbatis primi monasterii, sine quibus secundus Abbas non debet Monachum recipere, ut c. Sta-
51 tuimus, 19. q. 3. Quod si absque litteris hujusmodi veniat, debet Priorem Abbatem consulere, qui si fateatur eum licentiasse, aut licentiam denegasse, nullam, vel manifestè injustam causam assignans, tunc secundus Abbas eum securè recipiat. Idem si assignet causam justam, quam tamen constet notoriè falsam esse. Si verò justam proponat, & dubiam, tametsi Monachus incontinenti coram secundo Abbate paratus sit probare ipsam esse falsam; tamen non spectat ad secundum Abbatem hujusmodi probationem recipere, imò tenetur Monachum ad priorem Abbatem remittere, vel ad Superiorem ipsius primi Abbatis, vel ipsemet Monachus illum adeat, & coram eo querimoniam exponat de licentia denegata, & ita hic formaliter notant Innoc. n. 5. Host. n. 17. Jo. Andr. n. 13. Cardin. q. 17. 18. & 19. & Anchar. n. 13.

His ergo requisitis concurrentibus religiosus tutò transire poterit ad arctiorem, petita, licet non obtenta licentia; non tamen censebitur plenè translatus, ita ut ad primum redire non valeat, nisi postquam in secunda religione peracto probationis anno expressè, vel tacitè professionem emiserit, ut fusè probavi in cap. Ad Apostolicam, à num. 34. usque in fin. supra eod.

52 Successivè quæro, si regularis transierit ad arctiorem ordinem non petita Superioris licentia, an transitus sit irritus, ita ut regularis ad primum ordinem revocari possit.

53 Si transierit ex temeritate, seu levitate, non autem desiderio perfectioris, seu zelo sanctioris vitæ: planum est transitum ad secundam religionem, & professionem in ea emissam non valere, ut per Abb. consil. 95. num. 2. lib. 1. Rosell. in verb. Religio 4. num. 6. ubi expressè dicunt non valere hunc transitum, & loquuntur de professo in secunda religione, qui propterea propria auctoritate tenetur redire ad primam: & reddunt rationem, quia etsi variatum sit sententiis in articulo, an transiens bono zelo non petita licentia revocari possit, conveniunt tamen omnes eum revocandum fore

do transferit ex causa temeritatis, vel levitatis, & in hoc casu intelligi debet textus in cap. Mandamus, [illegible] Ro. Innocen. in fin. de [illegible], prope nunc relatum ibi ab Abb. [illegible] Innocen. hic num. 4. vers. Hoc tamen. Alterum, Si Monachus maioris transeat, & sine justa causa, liberè remittitur [illegible] licentiam, quæ sibi denegata fuit ab Abbate. Monachum [illegible] [illegible], arg. c. Frustra [illegible] & cap. [illegible] de ætat. & qualitat. ubi Monachus transiens potest redire ad primum monasterium, [illegible] per Abbatem; & ita potest Monachus, qui sine causa transiit, cum [illegible] denegatur. Hæc Innoc. cum quo concordant Host. [illegible]

54 Verum si transeat pro meliori fructu licentia non petita, tunc sunt opiniones glos. [illegible] Licentiam postulaverit, [illegible] magis propendit in eam sententiam, [illegible] per id, quod habetur in [illegible] c. in fin. ibi: illi mandamus quod super eo, quod [illegible], & [illegible], & [illegible] nullatenus [illegible]. Verum [illegible] Monachus transiens licentia petita, licet non obtenta. Ejusdem [illegible] Petrus de Sampsone, & Abb. Antiq. num. 2. in vers. [illegible], dum dicunt [illegible] licentiam migrandi ad strictiorem ordinem à Monacho petendam esse ex honestate, non autem ex necessitate, [illegible] à lege publica [illegible], liberè poterit transire. Hi enim procul dubio sentiunt Monachum revocari non posse ex eo, quod licentiam non postulaverit. Quibus [illegible] subdit Petrus per authoritates in textu [illegible] de spiritu Dei [illegible], ut ad strictiorem [illegible] licentiam, ut refert Jo. Andr. num. [illegible] & pro hac opinione [illegible] de Canonico Regulari, qui transfert à monasterium Monachum [illegible] dicit: ipsum in eodem loco cum pura conscientia remanere permittas.

In oppositum videtur textus in d. cap. Mandamus, 19. q. 3. ubi interdicitur ne Canonicus Regularis transeat ad Monachos, & sic ad strictiorem religionem; in c. Quod Dei timorem, de statu Monachor. & contrarium attentans, jubetur ad primum ordinem redire, & puniri [illegible], ut deinceps memorialem cucullum deferat, & ultimus in choro maneat: & capone memorialem, idest in memoriam suæ transgressionis, & verecundiam sui delicti, & metum aliorum, secundum Hugon. Archidiac. & Turrecr. Et glos. [illegible] Monachos, intelligit illum textum [illegible] Canonico, qui transiit non ex causa levitatis, sed licentia non petita, & ideo cogitur redire, & subdit notabilem textum in d. cap. [illegible], quia ibi dicit permittas, & sic est [illegible], vel ibi fuit petita licentia, secundum Host. [illegible] hic num. 9. vers. Tu dicas contrarium. & in hac opinione [illegible] glos. præallegata, & Archid. [illegible] in d. cap. Mandamus, quam etiam tenet glos. [illegible] & Innoc. in cap. Intellecimus, supra de

56 ætat. & qualitat. Ex idem Innoc. hic num 4. Qui ponit tres casus, in quibus Monachus potest ad primum ordinem revocari. Primus est quando sine licentia petita transivit. Secundus quando transivit licentia petita, sed denegata ex justa causa.

Tertius quando transiit licentia petita & denegata, cum sufficienter Superior licentiam denegavit, & ad subditum pertineat causam denegationis requirere: & tunc si Superior denegaret reddere rationem, ipsi imputandum esset, arg. [illegible] & in his casibus secundum Innocen. competit Abbati rei vendicatio, vel condictio ex [illegible], vel officium judicis. Idem firmat Hostien. hic num. 9. vers. Tu dicas contrarium. & movetur per dictum cap. Mandamus; tum per text. nostrum à contrario sensu ibi, licentiam postulavit, [illegible] quia sic est subditus. Idemque putat verius Jo. Andr. num. 21. vers. Quod puta verum, per vers. [illegible], & subdit se ita vidisse pronuntiari, sequitur Roman. cons. 341. circa primum [illegible] 3. vers. Tertiò vero, dicens posse hoc casu Abbatem nobile judicis officium implorare, & revocare Monachum suum, qui justa causa, motus transivit ad arctiorem religionem non petita licentia. Sumitur hoc tamen communiter à communis Doctores in hoc cap. Sed & Abb. hic num. 10. dicit hoc tamen communiter moderniores, & in d. cons. [illegible] Licet etiam gl. [illegible] gl. & Goffr. cum dicit Jo. Andr. & communiter omnes Doctores, & [illegible] tenere quod [illegible] quomodocumque religiosus transeat ad strictiorem religionem non petita licentia etiam non ex animi levitate, teneatur redire ad primam, cum non valuerit aliquo modo

57 transire. Ex quibus patet alteram opinionem recedendum esse, tum quia eam sequuntur Doctores [illegible] omnes; tum quia servatur in practica, & est etiam de jure verior; nam recedens à sua religione non petita licentia Superioris contemnit bonum obedientiæ, & ideo non præsumitur motus afflatu Spiritus Sancti, sed potius ex animi levitate, secundum Hostien. hic num. 15. in vers. [illegible], Henric. Boich. num. 8. & Abb. num. 10. Lapus alleg. 130. [illegible] 135. num. 2. Meritò est

58 revocandus. Nec obstat si dicatur, ad quod valet iste rigor, cum restitutus ad primum, iterum possit licentiam petere, & redire ad secundum? Nam ut respondet Jo. Andr. hic num. 21. vers. Et si dicas: satis est quod satisfit juri requirenti, ut licentiam petat; & allegat simile in cap. Ad petitionem. de accusation. & in Clem. Quia regulares, de supplen. neglig. Prælat. Item in [illegible] simile, nam videmus [illegible] electione, vel petitione repulsa, admitti [illegible] de eodem, & super eodem [illegible] cap. Super eo, & cap. [illegible] cap. [illegible] de renunc. & cap. Examinata, [illegible] Facitur notata in cap. Cum quid de reg. jur. lib. 6. Præterea posset reversus ad primum [illegible] manere mutato proposito, c. [illegible] & cap. Intellecimus, de ætat. & qualitat. Facit secundum eum quod ipse notat in cap. [illegible] glos. [illegible] & cum prædictis junge quæ in hac ipsa quæstione dixi in cap. Non est vobis, num. 29. [illegible] supra eod.

59 Ad motivum Petri, & Abbatis Antiqui, quod licentia peti debeat de honestate tantum, & quod non sit in usu eam petere, Respondet Joan. Andr. hic num. [illegible] hoc esse falsum, & se vidisse contrarium servari, & ver. Debet, hic positum ex propria significatione necessitatem importat, ut notat glos. in l. Sæpe, in verb. Necessitatem [illegible] Felin. in c. Nam concupiscentiam [illegible] & ibi etiam Alex. de Nævo num. 25. de Constitut.

60 Sed apud quem morabitur Monachus hac lite pendente, qui dicitur transisse ad ordinem arctiorem, & licentiam injustè denegatam, Abbate in contrarium asserente? Respondet Hostien. hic num. 15. circa med. vers. Sed apud quem, quod etsi Innocentius videatur hic notasse contrarium: tamen Monachus morari debet apud monasterium, ad quod transivit: tum quia reus est: tum quia ipsum monasterium quasi possessionem ipsius habet, arg. l. final. C. de rei vendic. l. Ecce ordinata, C. de liberal. caus. & l. Ordinata lite, ff. eod. & ejus quod legitur, & notatur in cap. Ex litteris, supra de probat. Et cum opinione Host. concordant Abb. hic num. 5. & communiter Doctores.

61 Ultimò QUÆRO pro complemento materiæ, an dispositio hujus Decretalis vendicet sibi locum in monialibus, adeo ut liceat eis de monasterio transire ad aliud strictioris observantiæ, licentia superioris petita, licet non obtenta jure communi inspecto absolutum est id licere, ut c. Virgines, 20. q. 4. ubi sic legitur: Virgines sacræ si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud monasterium pergere disposuerint, ibique commanere decreverint, Synodus concedit. Refertur à D. Thoma 2. 2. q. 189. art. 8. vers. Sed contra est, & ad hoc sufficere licentiam petitam sentit ibi glos. dum allegat hoc capitulum Archid. Bellam. & Turrecr. licet Hugo aliter intelligat illud cap. Virgines, ut ibi per Turrecrem. in princ. nec hujusmodi facultas sublata fuit ex perpetua clausura, quam Monialibus indixit Bonifac. VIII. in cap. Periculoso, de stat. regul. lib. 6. & consequenter, nec à Concilio Tridentino Constitutionem Bonifacij Innovante in cap. 5. sess. 25. de Regular. ut illic notat glos. in verb. Perpetua, dicens illam Decretalem non tollere, quin Moniales possint si velint ad strictiorem religionem humilitatis, & puritatis causa transire quod petita licentia, ut his. Item una Monialis ad regimen alterius monasterij possit assumi, cap. Nullus, de elect. lib. 6. semper enim erunt in clausura. Et cum glos. concordant ibi Archidiacon. num. 1. in verb. perpetua, & Gem. n. 1. Abb. in cap. [illegible] num. [illegible] de stat. monach. Sylvest. in verb. Religio 4. q. 16. dist. 2.

Verum hodie quicquid contrascripserit Tho. Sanchez & alii ab eo citati super Decalogo tom. 2. lib. 6. cap. 7. num. 5. & 6. tenendum est hanc facultatem fuisse Monialibus ademptam ex motu

62 proprio Pij V. Incipien. Decori, super clausura Monialium, ut latè dixi in cap. Resolventes, num. 48. & 49. infra ut [illegible] ubi etiam latissimè examinari an tota religio vel domus religiosa possit se ad arctiorem religionem transferre à num. 10. usque ad num. 54.

DE REGVLARIBVS.

Cap. Consulti.

SVMMARIVM.

1 Qui ad monasterium convertitur habitum suscipiendo novitij potest infra annum ad sæculum redire, nisi appareat eum voluisse vitam mutare omninò.

2 Habitus religionis triplex.

3 Apostata à religione est infamis.

4 Verbum, credo, à legislatore prolatum non importat opinionem, sed veritatem.

5 Imperfecta duo quandoque faciunt unum perfectum.

6 Obligatio ad religionem in genere quibus modis inducatur, & num. 44. & 50.

7 Obligatus ad religionem in genere per susceptionem habitus novitiorum cum proposito mutandi vitam potest ad laxiorem ordinem pertransire, & num. 29.

8 Novitius ad sæculum rediens non debet vivere sæculariter, adeò dissolutè.

9 Potest tamen vestes sæculares deferre, & uxorem ducere.

10 Si tamen vestes, cum quibus intravit, essent nimis lascivæ, honestum esset ut illas deponeret.

11 Protestatio declarat animum protestantis in facto multipliciter intelligibili.

12 Protestatio non proficit nisi sit contemporanea actui gesto.

13 Propositum absolutè vitam mutandi cum susceptione habitus probationis, an tacitam professionem inducat impediens matrimonium contrahendum, & dirimens post contractum, & num. seqq. usque ad num. 44.

14 Referuntur authoritates, & fundamenta pro prima opinione.

15 Intellectus c. Litterarum, de voto, & n. 20.

16 Votum necessario requirit deliberationem, propositum, & promissionem, & num. seq.

Quæ tamen sufficiunt implicata, & præsumpta, num. 18.

17 Votum quid sit.

18 Propositum mutandi vitam quale esse debeat ut obligationem inducat.

19 Referuntur Authores, & fundamenta pro secunda opinione.

20 Propositum mutandi vitam cum susceptione habitus novitiatus esse votum simplex quibus argumentis probetur.

21 Propositum in jure unitatis accipitur pro voto solemni.

22 Propositum mutandi vitam pro susceptione habitus probationis quibus fundamentis ostendatur non esse votum solemne.

Intellectus c. Statuimus, de regul. & c. Non solum, eod. tit. lib. 6. ibidem, & n. 22. 33. & 52.

23 Habitum probationis assumens in dubio non præsumitur velle profiteri, sed tantum probare austeritatem religionis.

24 Votum quando dicatur solemne ad effectum dirimendi matrimonium post contractum.

25 Referuntur Authores pro tertia opinione Canonistarum.

26 Professio tacita obligans ad religionem in genere dirimit matrimonium tam prius contractum, & non consummatum, quam post contractum, & consummatum, & num. seq.

27 Proponere absolutè vitam mutare quid sit.

28 Bona professi in genere generaliter sunt religioni in genere arbitrio Episcopi distribuenda.

29 Propositum mutandi vitam absolutè cum susceptione habitus probationis esse votum solemne quibus fundamentis probetur.

Intellectus huius c. Ibidem, & num. seqq.

30 Ecclesia non potest justè obligare quemquam invitum ad religionem in genere.

31 *Dotis, saltem, est subsidiaria.*
34 *Intellectus c. Beneficium de regular. lib. 6.*
Beneficium Novitii vacat per propositum mutandi vitam absolute, ibidem.
35 *Intellectus c. Consaldus 17. q. 2.*
Beneficium non vacat per votum Religionis nisi illud sit solemne, ibidem.
36 *Obligatio ad religionem in genere per susceptionem habitus professorum non oritur ex voto simplici, sed ex tacita professione.*
37 *Habitus professorum extra monasterium assumptus tacitam professionem non inducit.*
38 *Fallit si praecesserit votum continentiae.*
39 *Votum simplex aliorum ex substantialibus Monachatus solemnizatur per susceptionem habitus probationis.*
40 *Propositum mutandi vitam absolute non praesumitur nisi constet etiam aliquis effectu dato, & quae sint hujusmodi indicia.*
41 *Testamentum an indicat sufficientem probationem propositi vitam mutandi.*
42 *Propositum mutandi vitam an post Concilium Tridentinum solemnizetur per susceptionem habitus probationis, & num. seqq. & num. 55.*
Novitius ex ejus religionem ingressus profiteri non potest ante annum decimumsextum completum, nec infra annum probationis, ibid.
43 *Novitius, qui per annum gestavit habitum probationis, & postea proposuit absolute vitam mutare, an censeatur tacite professus.*
44 *Professi in religione a Sede Apostolica non approbata, quam putabant approbatam, an sint obligati ad religionem in genere, & num. seqq. usque in fin.*
45 *Obligatio ad religionem in genere an dirimat matrimonium post contractum, & num. seq.*
46 *Veritas in simulatione praefertur opinioni.*
47 *Impedimentum oritur etiam ex actu nullo.*
48 *Professus in religione, quam credebat approbatam, peccat matrimonium contrahendo, & n. 52.*
49 *Professio emissa in manibus Traffatorum an aliquam, & qualem inducat obligationem.*
50 *Professio emissa infra annum probationis in Ordinibus Mendicantium an pariat obligationem ad religionem in genere dirimentem matrimonium post contractum.*
Et quid si profitens intendebat se obligare illi religioni in specie, ibidem, & num. seqq.
Et quid post Concilium Tridentinum, num. 57. & num. seqq.
51 *Professio irrita ex defectu recipientis an obliget religionem in genere, & num. 55.*
53 *In materia voti si non valet quod ago, ut ago, valet ut valere potest, & num. 56.*
54 *Fingens se foeminam, & professionem faciens in monasterio Monialium obligatur ad religionem in genere.*
55 *Obligatio ad religionem in genere non requirit consensum recipientis.*
57 *Obligatio ad religionem in genere, quae de jure oritur ex professione emissa in religione non approbata, an sublata fuerit a Concilio Tridentino, & num. seq.*
58 *Novitiatum fieri debet in religione approbata, alias professio est nulla, nullamque inducit obligationem.*
59 *Dispositio intelligitur de actu valido.*

1 CONSULTI. Quod monasterium convertitur habitum sumendo novitij, potest infra tempus probationis ad saeculum redire, nisi appareat eum voluisse vitam mutare omnino. Hoc dicit. Communis divisio Consultatio, & responsio. Secunda ibi, *licet autem* in qua distinguit duo membra. Primum solvit ibi, *in primo*. Secundum ibi, *in secundo*. Tertiò consulit ibi, *ut autem*.

2 Nota primò ibi, *Habitum sumendo novitij*. Quandoque novitiorum habitum esse distinctum ab habitu professorum, ut hic; quandoque est indistinctus, idest à novitiis, & professis gestari solitus; quandoque indistinctissimus, quo scilicet praeter novitios, & professos, promiscue utuntur etiam alii communem vitam cum eis ducentes, ut in cap. 1. *de regular. lib. 6.* & de his vide glos. *Magistrum* in Clem. *Eos, eod. tit.* & Henric. Boich. in cap. *Statuimus infra eodem*.

3 Secundò nota ibi, *Apostasiae nota*, Apostatam à religione esse infamem, prout hic notant Butr. in 1. not. & Jo. de Anania num. 3. Nota enim exponitur, idest infamia, ut l. 2. *in princ.* ibi, Hac nota laboraret, *ff. de his, qui not. infam.* & de triplici specie apostasiae, vide glos. 1. in c. 1. *inp. de apostat.* Host. & Jo. Andr. *hic in princ.*

4 Tertiò nota ibi, *Credimus*, hoc verbum à legislatore prolatum non opinionem, idest assensum unius partis cum formidine alterius, sed veritatem importare, concordat textus in cap. 2. *in fin. de postulan.* in l. *Et si quis*, §. *Si cui simenn*, vers. *Credo tamen*, *ff. de religios. & sumpt. funer.* idem de ver. *videtur*, quod probatum à lege est expressivum veritatis, cap. *De caetera*, & ibi dixi num. 2. post Joan. Andr. de Butr. Cardinal. & alios *infra de homicid.*

5 Quartò nota ex duobus imperfectis quandoque fieri unum perfectum: nam solum propositum absolutè vitam mutandi non facit Monachum, ut c. *Litteraturam, infra de voto*. & c. *Ex transmissa* cum ibi notatis, *supra de renunciat.* Similiter nec solus habitus novitiorum Monachum facit c. *Ex parte*, c. *Statuimus infra eod.* & cap. 1. *eod. tit. lib. 6.* Abbas Antiq. *hic num.* 3. Hostien. in c. *Perrectum*, num. 5. *supra eod.* & est planum. Et tamen si haec duo simul junguntur, in unam speciem perfectam coalescunt, & tacitam professionem inducunt, ut hic est casus secundum lecturam Innocentii communiter approbatam; de cujus tamen veritate latissime dicam infra in 1. *quaestione à num.* 13. *usque ad num.* 40. Et potest appellari haec professio irregularis, quae scilicet extra Ordinem ex duobus imperfectis resultat, prout in simili Anchar. post Hostien. in c. *Insinuante*, num. 5. *infra qui Cler. vel vov.* sic appellat professionem tacitam, quae inducitur simul ex voto castitatis, & ex habitu professorum extra monasterium suscepto; quae tamen seorsim non inducunt professionem, ut ibi dixi num. 16. *simili regular.* habetur in cap. *Nihil*, 17. q. 1. & in l. 2. §. *fin.* juncta glossa in ver. *Ex, a sonnr*, ff. *de excusat. tutor.* n. 48. *ff. de testam.* ubi docet ex duabus probationibus semiplenis fieri unam plenam probationem: contraria tamen regula, videlicet, duo imperfecta non facere unum perfectum elicitur ex c. *Quorundam*, & ibi glos. 1. 23. *dist.* ex l. *Spadonem*, §. *Qui tutra mult a. ff. de excusat. tutor.* & l. 1. §. *fin. C. Qui in tutelar. se excusant.*

6 Quintò nota ibi, *Ad laxiorem saltem regulam per-*

transire. Unum modum inducendi obligationem ad religionem in genere, videlicet cum quis proponit absolutè vitam mutare, & suscipit habitum probationis; sed de hoc latius infra à n. 13. Alius modus est cum quis profitetur expressè infra annum probationis in Ordinibus Mendicantium, ut in c. *Non solum*, & ibi notat gl. in ver. *Vestri Ordinis, de regularibus lib. 6.* Alius item modus est cum quis tacite profitetur per susceptionem habitus professorum infra probationis tempus in Ordinibus tam Mendicantium, quam non Mendicantium: nam indistincte intelligitur tex. in c. *Consuetudinem*, vers. *Tacita vero facta*, eodem tit. & lib. ut ibi declarat glos. communiter approbata in ver. *obligat.* Alios denique modos habes infra num. 44. & 50. Hodie tamen hanc obligationem ad religionem in genere sustulit Tridentina Synodus in cap. 15. *sess. 25. de regul.* in illis verbis, Nullamque inducat obligationem, & c. *Nisi in casibus*, ut plenius dicam infra n. 42. & n. seq.

7 Sextò nota ex iisdem verbis *Ad laxiorem saltem regulam*. Obligatum ad religionem in genere per susceptionem habitus novitiorum cum proposito absolute vitam mutandi non teneri transire ad aequalem, sed posse eligere minorem, seu laxiorem, etiam nulla subsistente causa, secundum Ant. de Butr. n. 2. concordat. c. *Super eo*, *supra eod.*

8 Septimò nota ibi *Non ut saeculariter vivat*. Novitium ad saeculum redeuntem non debere saeculariter vivere, idest dissolute, ut cap. *Dictum*, 81. *dist.* & explicat gloss. hic in verb. *saeculariter*, scilicet portando arma, vel luxuriose vivendo: arg. cap. *Sit*, 20. q. 3. secundum Innoc. *num.* 3. &
9 Hostien. num. 13. Poterit tamen uxorem ducere, & vestes saeculares deferre, cum praecipiat regula Sancti Benedicti, ut in eadem veste, in qua intraverint, revertantur, ut in d. c. *Super eo*, *in fin*
10 si tamen vestes, cum quibus intravit, essent nimiùm lasciviae, honestum esset ut illas deponeret, & honestiores assumeret, idque in memoriam pristinae religionis, arg. l. *Servos*, C. *de quaest.* prout haec adnotarunt hic Jo. Andr. n. 7. Butr. num. 9. & 10. Cardin. n. 8. Anchar. *n.* 4. & Jo. de Anania *eod. nu.* Subdit tamen Abbas num. 5. hoc verum esse de honestate, non ex debito; quia in nullo obligatur iste ultra alios saeculares, sed exhortative fuit dictum, ut non vivat saeculariter.

11 Ultimò nota ex fine textus effectum protestationis: nam declarat intentionem protestantis in facto praegnanti, & multipliciter intelligibili, secundum Ant. de Butr. num. 3. & Anch. num. 5. facit tex. in l. *Nesennius*, ff. *de negot. gest.* Item pondera illa verba, *in primo sua protestatio*, quae
12 probant protestationem non prodesse nisi sit contemporanea actus gesti: quare actus dubius non recipit declarationem à protestatione postea subsequuta, ut hic per Butr. *eod. nu.* 5.

13 QUAERO pro explicatione materiae An propositum absolute vitam mutandi cum susceptione habitus probationis tacitam professionem inducat, adeo ut non solum impediat matrimonium contrahendum, sed etiam dirimat post contractum.

Hic est unus ex articulis, in quo Theologi discrepant à Canonistis. Sed nec Theologi conveniunt inter se. Unde in universum scribentes in tres scinduntur opiniones.

14 Prima opinio est illorum, qui arbitrantur hujusmodi propositum nullam prorsus obligationem inducere; ac proinde non esse impedimento, quin liberè novitius possit ad saeculum redire, ac matrimonium contrahere, & non tantum reddere, sed etiam exigere debitum conjugale. Inter quos numerantur Cajetanus in 2. 2. q. 88. *art.* 4. *dubio tertio*, & in opusculis tom. 1. *tract.* 31. *in.* 7. *responsi*. Sot. *lib.* 7. *de just. & jur. quaest.* 2. *art.* 2. *vers.* *His tamen non obstant*, Conar. *de pactis*, 2. *par.* §. 3. *num.* 12. *circa medium*, Et ex Summistis Angel. *in ver.* *Votum*, 1. *in.* 7. Sylvester. *in ver. Religio*, 5. q. 8. *vers.* *Quarta*, ibi, nec alia opinio. & in ver. *Votum*, 1. *qu.* 2. Navarr. *in manual. c.* 12. *num.* 26. & alii complures, quos novissime refert & sequitur Sanchez, *de matrimonio*, *lib.* 8. *disput.* 33. *n.* 19. Allegantur etiam pro hac opinione duo celebres Canonistae. Unus est Archid. in cap. *Qui bona*, *nu.* 2. 17. q. 1. Alter est Abbas in c. *Litteraturam*, *in* 2. *not. infra de voto*. Verum Archidiac. simpliciter format quaestionem: Pone quod quis proponit saeculum mutare, & religionem intrare, & cum tali proposito habitum recipit, numquid taliter ingrediens obligatur? Et primo dicit Host. tenere quod sic, & quod tale propositum aequipollet voto solemni. Deinde recitat sententiam D. Tho. asserentis ad votum tria requiri, videlicet deliberationem, propositum, & permissionem: nec aliud subjungit: Abbas vero dicit communiter sentire Doctores nostros ex proposito deliberato, & confirmato quem obligari ad executionem boni concepti, & deliberati, & mox recenset doctrinam D. Thomae, de qua supra: & subdit illam destruere multas theoricas Canonistarum; verumtamen in fine concludit hoc propositum esse votum simplex religionis, ut inferius patebit *nu.* 19. *vers. Et sequitur Abbas*.

15 Pro hac opinione adducitur primò tex. in d. c. *Litteraturam*, *infra de voto*, ubi patet proponentem in animo religionis ingressum ad illum non teneri.

16 Sed certè ille textus nihil facit, quin potius in contrarium retorquetur; quia dicit ex proposito mente concepto non esse inductam obligationem si plus non est in voto processum. Ergo à contrario esset inducta, si ulterius processum esset puta ad habitus susceptionem, ut hic. Unde meritò Host. ibi inducit illud c. Pro opinione Canonistarum, ut etiam refert Archid. in d. c. *Qui bona*, *n.* 42. 17. q. 1. Praeterea ille tex. non loquitur de deliberatione, & proposito firmato, de quo nunc agimus, sed de proposito prout est nuda conceptio boni explicandi, ut dic. infra *n.* 20.

Deinde pro hac parte adducitur ratio admodum stringens: nam proponens absolutè vitam mutare & habitum probationis recipiens, neque obligatur ex voto, neque ex praecepto Ecclesiae. Non ex voto, quia ut egregie docet S. Thom. *in* 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. ad votum tria necessariò requiruntur; Primò quidem deliberatio; Secundò propositum voluntatis; Tertiò promissio, in qua perficitur ratio voti. Superadduntur autem quandoque alia duo ad quandam voti confirmationem, scilicet, pronunciatio oris secundum illud Psalmi 65. *Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea*, &c.
17 & testimonium aliorum. Unde ut Magister diffinit in 4. *sentent. dist.* 38. Votum est testificatio quaedam promissionis spontaneae, quae Deo, & de his quae sunt Dei, fieri debet. Solum ergo pro-

propositum non est votum, ita D. Thom. quem tot sequuntur Theologorum sequitur, Sylvestro teste in ver. Votum, 1. quaest. 2. & Religio, 5. qu. 8. vers. Sed nec opinio. Quod etiam ubique innuit Scriptura, & in specie Deuteronom. 23. Cum votum voveris Domino Deo, &c. facies sicut promisisti. & Ecclesiast. 5. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, & stulta promissio. Ergo ut infert S. Thomas, Vovere est promittere, & votum est promissio. De jure etiam canonico hoc probatur in dict. cap. Litteraturam, de voto. & de jure civili in l. 2. ff. de pollicit. ubi patet votum cuilibet ex quadam pollicitatione, id est unica promissione, ut l. Pactum, ff. eod. Quare, ut inquit Abbas in d. cap. Litteraturam. Si de ratione voti est promissio, secundum S. Thom. & Archid. Doctrina Canonistarum circa istam quaestionem evertitur, sed & Sylvester, Religio, 5. q. 8. vers. Quarta, moredet Canonistas quod male intelligentes jura, quae loquuntur de proposito mutandi vitam absolute, putant promissionem non esse de ratione voti, sed sufficere solum propositum coram Deo. Itaque suscipiens probationis habitum cum tali proposito non obligatur ex voto. Sed neque obligatur ex praecepto Ecclesiae, tum quia secundum Sylvestrum de hoc praecepto nullibi constat; tum quia Ecclesia non potest quemquam non consentientem obligare ad continentiam, cap. Integritas, 32. q. 1. & latius dicam infra num. 28.

18 Ut satisfiat huic objectioni, in qua ferè consistit victoria praesentis disputationis, observandum est Canonistas nullibi afferere promissionem non esse de ratione voti, sed supponunt sufficere implicitam, & praesumptam, quod & Theologi admittunt, praesertim Cajetan. praeallegatus in 2. 2. q. 88. art. 1. dub. penult. dicens tale esse propositum, de quo Canones loquuntur. Quare Hostien. loc. cit. 9. in ver. Proposuerit, declarans quale debeat esse propositum mutandi vitam ad hoc ut obligationem inducat, sic ait: [Non intelligas hoc quod ex solo proposito obligetur, sed ex proposito deliberato, & continuato, & voto emisso, maximè suscepto habitu, cap. Sicut nobis, cap. Porrectum, supra eod. Non igitur Doctores nostri intelligunt posse dari votum sine promissione, sed sub nomine propositi intelligunt, & simpliciter complectuntur illa tria, quorum explicitè meminit S. Thom. videlicet deliberationem, propositum, & promissionem, prout illorum mentem declarat Tabiena in ver. Votum, primo, vers. Notandum tertio, ait enim: Non ita sericse[?] assimaverunt Canonistae, sed in ver. Propositum intelligebant omnia illa tria, & quando dicunt quod non requiritur promissio, intelligunt de exteriori.] Haec ibi, quod est ad mentem Canonum, qui ad obligationem inducendam non sunt contenti nudo, ac simplici proposito, sed requirunt propositum absolutum, quod includit deliberationem praecedentem, & promissionem subsequentem, saltem interiorem, & implicitam. Unde hoc propositum habere rationem voti saltem simplicis admittunt multi ex Theologis proximè citandi.

19 Secunda opinio est existimantium hoc propositum mutandi vitam absolutè cum assumptione habitus novitiatus non esse votum solemne religionis, sed votum simplex impediens quidem matrimonium contrahendum, sed non dirimens post contractum, juxta tex. in cap. Consuluit, infr. Qui cler. vel vov. & in cap. un. §. Ressiqua verò, de voto, lib. 6. Cujus sententiae sunt Petr. de Palud. in 4. sentent. dist. 38. q. 1. art. 1. conclus. 3. num. 1. ubi tenet eum qui suscipit habitum alicujus religionis non animo probandi, sed cum firmo proposito permanendi, non posse ad saeculum redire, quia hoc aequipollet voto simplici ex vi statuti Ecclesiastici de quo in cap. Statuimus, de Regular. & eum sequitur S. Antoninus in 3. par. tit. 16. c. 2. §. vers. Quartus, & vers. Sed quantum ad Deum, ubi ait (talem obligari ad religionem in genere quantum ad Deum, in foro conscientiae si firmè propositum habuit permanendi. Sed durum videri ut obligetur voto solemni, quia hinc magnus laqueus injiceretur animabus, quod Ecclesia non facit, cap. De viduis 27. q. 1. Ideoque sibi magis placere opinionem, quod obligetur ex vi voti simplicis, quod utique impedit, sed non dirimit matrimonium contractum. Licet communiter Canonistae videantur dicere quod illud habeat vim voti solemnis, quod si esset; matrimonium post contractum, & consummatum dirimeret. Verum quia hoc esset ex statuto Ecclesiae sicut & de voto continentiae in Ordinibus sacris: ideo Papa posset cum talibus dispensare in contrahendo.) Haec ille quod iussus in secunda parte tituli. 12. cap. 2. vers. Nota ergo secundò. Et ex Canonistis hoc tenet Cardinalis num. 4. in fin. vers. in praedicta, ubi firmat obligatum ad religionem in genere ex proposito vitam mutandi absolutè cum susceptione habitus validè matrimonium contrahere, cum non sit religiosus, & cogendum esse in religione perseverare non propter professionem, sed propter votum simplex; & dicit se ita in facto consuluisse, & sequitur Abb. num. 3. ubi post multa concludit: Tales non esse veros religiosos, sed peccare mortaliter stando in saeculo, & non intrando religionem, ex quo propositum habuerunt mutandi perpetuò vitam, eo quod ex tali proposito videntur Deo voluisse servire, unde venient contra votum stando in saeculo non tamen obligantur ad intrandum eamdem religionem, sed possunt intrare laxiorem. Idem firmat Syl. in verb. Religio, 5. qu. 8. in fine, ubi ait: Dico ergò quod propositum mutandi vitam absolutè est votum simplex religionis, vel est oblatio professionis, qua in ipso religionis ingressu multi petebant profiteri licet non admitterentur subitò, sicut olim poterant in omnibus religionibus, & nunc possunt in non Mendicantibus: unde isti remanebant obligati religioni in genere, & non erant professi.) & in verb. Religio, 3. qu. 19. vers. Quartò moderatum, dicit falsam esse opinionem illorum, qui dicunt tacitam professionem induci per assumptionem habitus novitiorum cum proposito vitam mutandi absolutè. Et veram opinionem esse quod hoc propositum sit votum expressum perseverandi in religione, vel etiam votum interpretativum, ut cum quis se offert professioni, nec tamen fit professus, quia alios non subitò acceptat.) Hactenus ille. Unde patet Abbatem, & Sylvestrum perperam allegari à Modernis pro prima opinione. Et cum his sentit Tabiena dicens opinionem Cardinalis esse valdè probabilem, in ver. Votum primo, vers. Notandum tertio.

Haec sententia duas implicat assertiones. Altera est affirmativa, videlicet hoc propositum cum susceptione habitus esse votum simplex religionis, & in

& in hoc discrepat à prima opinione. Altera est negativa, id est non esse votum solemne, & in hoc discrepat à tertia Canonistarum.

20 Prima assertio, videlicet esse votum simplex, probatur primò ex c. Qui bona, 17. q. 1. ubi Gregorius: Quibona, inquit, agere mulieres agere deliberant, & deliberata non faciunt, licet in bonis prioribus persisterent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione] & ipsi tex. non intelligitur de proposito, prout est nuda cura[?] pro boni explicandi, quod non obligat ad bonum conceptum exequendum, ut est casus in d. cap. Litteraturam secundum Abb. de infamia, sed de deliberatione, & proposito firmato, quale est propositum de quo agitur, ut ibi declarant Hugo, & Archidiac.

Deinde probatur eadem assertio in cap. Propositum, 20. q. 3. ubi Leo Papa: [Propositum, inquit, Monachi proprio arbitrio, & voluntate susceptum deseri non potest absque peccato: quod enim vovit Deo, debet & reddere. Ergo propositum est votum, & concordat tex. in cap. seq. ubi, Ad propositum inviti revocari coguntur, & in cap. Sapientum 27. q. 1. ubi pluribus in locis propositum, votum pro eod. accipiuntur.

Caeterum ad d. cap. Qui bona, & alia jura, quae accipiunt propositum pro voto simplici respondetur procedere, si ulterius non sit in voto processum, secus si processum fuerit ad habitus susceptionem; quia tunc propositum solemnizatur, ut patebit ex authoritatibus, & rationibus infra adducendis pro tertia opinione: tex. vero in d.

21 c. Propositum, & c. seq. probant oppositum, quia loquuntur de proposito prout est votum solemne religionis dirimens matrimonium post contractum sicut etiam accipitur in cap. Viduas, & propositum viduitatis: in cap. Firmandum, & in c. Viduam, quae, 27. q. 1. & passim alibi.

Deinde probatur eadem assertio, quia suscipiens habitum novitiatus cum proposito vitam mutandi absolutè non potest redire ad saeculum, sed tenetur saltem ad laxiorem regulam perseverare, ut hic est casus, & in cap. Statuimus, sup. eod. Haec autem obligatio oriri non potest ex praecepto Ecclesiae ut patebit infra num. 30. Ergo necesse est ut oriatur ex voto: hoc autem votum non est solemne, ut mox probatur; relinquitur ergo ut sit votum simplex impediens, sed non dirimens, ut in cap. unic. vers. Ressiqua verò, de voto, lib. 6.

22 Secunda autem assertio, id est hoc propositum cum susceptione habitus probationis non esse votum solemne religionis, probatur primò in d. c. Statuimus, supra eod. & in c. Nec solum, eod. tit. in cap. 2. Dum, ubi professio tacita, & expressa, & propositum absolutè vitam mutandi species diversae ponuntur, ut patet ex illis textibus. Nam professio tacita, vel expressa aut continet illum vitam absolutè mutare, quando non dicitur esse alternativam, arg. quae proponuntur inter diversa, l. Hac verba, the atrile, ff. de verbor. signif. cum similibus. Ergo hujusmodi propositum nec est professio tacita, nec expressa, sed quid tertium: quo arg. in effectu utitur Abb. hic n. 3. vers. Item nota textum, & Sylvester in ver. Religio, 3. qu. 19. vers. Quarto mouetur.

Respondere tamen potest in d. cap. Statuimus, agi de professione expressa, & de duabus speciebus professionis tacitae; una scilicet, quae inducitur per susceptionem habitus professorum, alia verò, quae inducitur ex proposito mutandi vitam absolutè. Unde non sequitur ut hoc propositum non sit professio. In praedicto vero Decretali Nec solum, agitur de professione expressa, et de professione tacita in genere; & non de specie professionis tacitae, quae scilicet inducitur ex hujusmodi proposito mutandi vitam. Propterea autem hanc speciem contra illam posuit tacitam professionem in genere, quia illa regulariter obligat praecisè ad religionem quam habitus est susceptus, cap. fin. Religionem assumptam praesumitur veraciter esse professus, supra eod. c. & Clem. Ita, ibi, Religionem illam directam esse professos, & ibi glos. in ver. Illam, pro. Haec verò non obligat nisi religioni in genere, ut hic patet. Non ergo sequitur ut hoc propositum non sit professio tacita; sed tamen sequitur ut non sit ex illis speciebus tacitae professionis, quae obligant religioni in specie.

Probatur secundò in cap. Ex transmissa, supra de renunc. ubi, ut inquit Sylvester in verb. Religio, 3. qu. 19. vers. Quarta: Clare patet quod votum mutandi religionem, & propositum perseverandi simul non faciunt religiosum per habitus susceptionem, nec aliquam inducunt professionem.

Verum Sylvester videtur falli in intellectu illius Decretalis, nam ut ibi. tenent Innoc. nu. 3. Hostien. num. 9. vers. In praedicta, Jo. Andr. num. 5. in fin. vers. Et in Ordin. & Butr. num. 7. ibi, nullum propositum certum habuit, sed tantum probationis habitum suscepit nullo voto praecedente, ut ibi etiam notavit.

23 Probatur tertiò, quia professio Regularis sine animo, & voluntate profitendi non inducitur, cap. Professionem, & cap. 1. supra eod. cum similibus. At proponens absolutè vitam mutare, & suscipiens habitum probationis non ... profiteri, sed magis experiri religionem ... nam si vellet profiteri, assumeret habitum professorum, non probationis, c. Super eo, cum aliis ... supra eod. & notat ibi glossa in ... quae ... opinione ... ex quo ... habitum novitiorum ... saeculo expressè ... obligare ... sed potius ... argumentum & glossa ... religionem, nec apparet quod propositum vitam mutare absolutè; nam etiam suscipiendo habitum novitiatus non praesumitur velle profiteri, ut tenet glossa ... in c. Statuimus, supra eod. propositum cum mutandi vitam ... probationem ... in d. cap. Nec solum, supra eod. ... quaestio propositum ... evidenter contra vitam mutare voluisse, qui recipiendo potius habitum praesumitur ... votum suum solemnizare, ut probabitur in argumentis pro tertia opinione.

24 Probatur quartò secundum Cardinalem, quia votum non solemnizatur ad effectum dirimendi matrimonium post contractum, nisi per susceptionem sacri Ordinis, vel per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis, ut dicitur in c. un. de vot.

tur. lib. 6. Hic autem nec Ordinem sacrum suscipit, ut supponimus; nec profitetur expressè, vel tacitè in aliqua religione, sed tantum obligatur religioni in genere, ut hic patet. Ergo illius votum nō est solemne ita ut dirimat post contractū.

At respondetur negando minorem: nam qui proposuit absolutè vitam mutare, suscipiendo postea habitum certæ religionis, quantum in se est tacitè profitetur in illa: quod autem eidem religioni non obligetur in specie, non provenit ex se, sed ex canone, qui indulget sic profitenti, ut possit ad laxiorem saltem regulam pertransire, ut hic statuitur. Adde quod illa verba d. c. *un.* alicui ex religionibus approbatis, verificantur etiā in illo, qui obligatur religioni in genere, ut clarè probatur in c. *Consensionem. de regul. lib. 6.* in verbo, (Tacitè vero facta generaliter religioni alicui recipientem obligat,) ponderando quod tex. utitur illa dictione, *alicui*, qua etiam utitur prædicta Decretalis unica. Et est ratio quoad substantialia regulæ, de quibus in c. *Cum ad monasterium, infr. de stat. Monach.* pares sunt proinde hanc, vel illam religionem, vel religiones omnes in genere, cum in substantialibus non differant, sed una sit religio, ut tradunt Fed. de Sen. *cons. 5. Quidam Monachus, sub num. 2. vers. Præterea facilius.* Cald. *cons. 391. alias 6. de Regular. in princ. vers. Aut professio illius*, Lap. *allegat. 35. incipien. Probabis, num. 4.* plenè Anchar. *cons. 321. Præmittenda sunt.*

Probatur ultimò, quia professio nec expressè, nec tacitè fieri potest nisi recipiatur ab eo, cujus est religioni incorporare, cum sit contractus reciprocus, qui non potest consistere ex parte unius tantum, l. *In omnibus, in secunda, ff. de act. & oblig.* & probatur in c. *Porrectum*, & ibi dixi in *alt. vel ult.* & in c. *Ad Apostolicam, infra eodem*, & docet S. Thomas in 4. *distinct. 38. qu. 1. art. 2. q. 3.* ubi ait, (Non esse votum solemne ad dirimendum, nisi quando aliquis se dat principaliter Deo, divinis se servitijs mancipando: quod quidem fit per Ord. sacri susceptionem, vel per professionē certæ regulæ debito modo factæ, scilicet in manu ejus, qui debet recipere, & aliis circumstantiis servatis, quæ per jura determinantur; alias enim non esset votum solemne quantumcumque quis profiteretur, quia in tali professione non fieret sub potestate eorum, qui religioni præsunt.) Hæc S. Tho. quem in propositione refert, & sequitur Tabiena in *verb. Votum, primo, in 3. notab. vers. Idem tenet S. Thom.* In vero, qui suscipit habitum probationis cum proposito absolutè vitam mutandi, nulli certo Ordini à Superioribus aggregatur, sed solum remanet obligatus religioni in genere, ut hic patet. Ergo deficiente religionis consensu, illius votum non est solemne; quo præcipuo fundamento Abbas *hic num. 3.* tenet contra communem sententiam Canonistarum.

Cæterum facilis est responsio: nam major propositio, quæ dictum est professionem non valere sine consensu recipientis, declaratur ut procedat in professione, quæ fit alicui religioni in specie, non autem in illa, quæ fit religioni in genere, in qua recipientis consensus nec est necessarius, nec possibilis, ut secundum communem opinionem, & veram patebit in quæstione sequenti *num. 55.*

25 Tertia igitur opinio est Canonistarum, qui ferè omnium consensu censent hoc propositum mutandi vitam absolutè, solemnizari per assumptionem habitus novitiatus, adeout inducat professionem tacitam, non quidem obligantem alicui certo Ordini, sed religioni in genere, & non tantum impediat matrimonium contrahendum, sed etiam dirimat post contractum, ita Goffred. *in summa de Regul. n. 12.* Henrich. Boich. in c. *Statui-*
26 *mus, n. 9. infr. eod.* & hic docet Innocent. *in princ. in ver. Proposuerit*, ait enim: (Si de proposito mutandi vitam legitimè constiterit, videlicet vel per confessionem, quam nunc facit, vel per protestationem, quam fecit ingressu, hic habitus solemniter susceptus dirimit matrimonium jā contractum, subaudi non consummatum, ut mox patebit: hæc enim protestatio, sive intentio cum susceptione habitus probationis habetur pro tacita professione, & est hic argumentum, quod habitus probationis solemnizat propositū.) Hactenus ille, & consentit Abb. Antiq. n. 4. Quid enim, inquit, si quis velit absolutè vitam mutare, & intravit religionem, postea exivit, & contraxit, numquid tenet matrimonium? Dicit Goffred. quod non: licet habitus non obligaverit ad certum lo-
27 cum, tamen obligavit eum in genere. Idem plenius firmat Host. n. 3. Qui primo exponit verbum, *absolute*, idest nō intendens retrocedere, sed omnino mundum fugere, & in religione perseverare, & mox subdit: (Ex quo cum tali proposito intrat, & habitum suscipit, omnino religioni obligatur; & constito de hoc proposito, habitus solemniter susceptus dirimit matrimoniū jam contractum, & non consummatum,) cap. *Ex publico*, & c. *Ex parte, il secundo, infra de convers. conjugat.* multò fortius post contractum, cap. *Meminimus, infra Qui clerici vel vovent.* quia talis intentio cum susceptione habitus pro tacita professione habetur, cap. *Statuimus, infra eod.* & arg. c. 3. §. 1. *de voto*, ubi de hoc & *infra num. 12.* Quærit quid si novitius qui voluit absolutè vitam mutare, postea matrimonium contraxerit, an valeat, & resolvit non valere. Quia, inquit, etsi habitus non solemnizet votum quoad regulam assumptam, solemnizat tamen quantum ad Monachatum, sive religionem in genere, in quam consensit cum habitum assumpsit intendens absolutè vitam mutare. Idipsum tenet Jo. Andr. *nu. 7. in gloss.* (Numquid, dicens, qui voluit absolutè mutare sæculum, si contrahat, non tenet matrimonium, quia religiosus est, licet nō præcisè illius religionis. Unde dicebant Vincent. Janon. & Host. quod si ille qui ingreditur habebat sponsam non cognitam, illa statim poterat cum alio contrahere; & hoc satis probatur in cap. *Beneficium, infra eod. lib. 6.*) Hæc Jo. Andr. & sequuntur Collectar. *in princ.* Imol. *nu. 6.* Anchar. *num. 7.* Jo. de Anania *num. 6.* Quinimò cum hac opinione transire omnes fere scribentes præter Cardinalem testatur Abb. *n. 3. vers. Et cum hac opinione.* De communi etiam Canonistarum testatur S. Antoninus *in 3. par. tit. 16 cap.*
28 *2. §. 4. vers. Communiter tamen*, & passim Moderni. Eidem sententiæ adscribendi sunt Auctores, qui tenent bona professorum in genere generalissimo esse religionis in genere, & arbitrio Episcopi fore distribuenda: quod censuit Gaspar. de Cald. *consil. 23. incipien. Quidam fecit professionem, hoc tit.* quem referunt & sequuntur in c. *In præsentia, de probat.* Butr. & Abb. *ibid. nu. 64.* & scripsi plenius in c. *Quia ingredientibus, num. 13. & seqq. supra de testam.* Hi enim absque dubio sentiunt illorum votum esse solemne: nam per votum simplex bona non acquiruntur religioni, sed per professionem dumtaxat, ut cap. *Quia ingredientibus*, cap. *Perlatum*, & cap. *Si qua mulier*, 19. q. 3. cum simil.

29 Pro hac tertia opinione allegatur primò text. apertus hic, ubi Pontifex consultus an novitius infra annum possit redire ad sæculum, distinguit an proposuerit absolutè vitam mutare, an conditionaliter experiri observantiam regularem. Et in primo casu determinat eum debere ad laxiorem
30 saltem religionem pertransire, ut regulariter vivat. Inquiro unde oriatur hæc obligatio migrandi ad laxiorem, ibique regulariter vivendi. Et certè non ex nudo Ecclesiæ præcepto, quia non potest juste præcipere tam aspera, nec quemquam perpetuò invitum religioni mancipare, cum continentia res sit magis voti quam præcepti, quæ suaderi potest, non imperari, dicit textus in cap. *Integritas, 32. q. 1.* c. *de his 28. dist.* & ibi Turrecrem. *n. 7.* Navarr. *cons. 39. nu. 2. de Regular.* consensus enim est de ratione intrinseca Monachatus, cap. *Præsens Clericus, 20. q. 3.* & c. 1. *supra eod.* cum concor. quas ibi dedi *num. 20. & 24.* Rursus hæc obligatio non oritur ex voto simplici, quia vovens profiteri in certa religione tenetur ibi, & nō alibi esse professus, ut est textus in cap. *Per tuas*, *infra de voto*: quod si ibi non recipiatur, solutus est voto, nec tenetur, aut cogi potest intrare laxiorem, ut docet S. Thom. in 2. 2. q. ult. art. 3. ad 2. quem refert, & sequitur Archid. in c. *Scimus, nu. 2. 12. q. 1.* & Syl. *in ver. Religio. 2. n. 16.* & scripsi plenè in c. *Porrectum, num. 51. & seqq. supra eod.* Restat igitur ut obligatio hujusmodi proveniat ex voto solemni, quod ex indulgentia Ecclesiæ in hoc speciali casu non obligat illi religioni in specie in qua suscipitur habitus cum proposito vitā
31 mutandi, sed religioni in genere, ut hic patet. Et hoc innuit dictio illa, *saltem*, quæ habetur in textu, quasi dicat, qui proposuit absolutè vitam mutare, & habitum certæ religionis suscipit, de rigore juris tenetur ibi perpetuò remanere, & regulariter vivere; sed nihilominus ex benignitate permittitur ei, ut saltem possit ad laxiorem regulam pertransire. Et est simile in c. *Superna, supra eod.* in cap. *Consuetudinem, eod. tit. lib. 6.* Conferunt quæ de prædicta dictione, *saltem*, scripsit Bald. dicens illam esse subsidiariam in *cons. 69. Factum tale est. Quidam n. 2. vers. Nam dictio saltem, lib. 2.* & Gemin. *cons. 57. Dubitatur, n. 5. vers. Secundo probatur sic.*

Non obstat quod hoc cap. fuerit correctum per cap. *Statuimus, infra eod.* ut dicit gloss. *hic in ver. Distinguendum*, quoniam dictam gloss. communiter reprehenditur à Doctoribus: nam in prædicta decretali *Statuimus*, idem per omnia deciditur, quod in hoc cap. Ut in specie advertunt Butr. *num. 8.* & Abbas, *n. 4. vers. in glossa tertia*, & mox patebit.

32 Secundò igitur pro hac opinione adducitur text. itidem clarus in d. cap. *Statuimus, infra eodem*, ubi deciditur, Novitios posse infra annum probationis redire ad sæculum, nisi in tribus casibus. Primus est post susceptum Religionis habitū, qui dari profitentibus consuevit. Secundus est post professionem emissam, scilicet verbis solemnibus, & in scriptis factam; & ibi explicat Host. *n. 3. in fin. in verb. Professionem.* Tertius est post susceptum habitum probationis cum proposito vitam mutandi absolutè. Sed in primis duobus casibus votum est solemne, ut de professione expressa est planum, & de suscipiente habitum professionis patet in c. *Consultat. vers. Tacitè verò emissa, infr. eod. lib. 6.* Ergo & in tertio, arguendo à connexis, & æquiparatis, ad cap. *Translato, supra de constit.* & c. *Inter corporalia, de translat. Episcop.*

33 Tertiò pro hac parte adducitur textus in c. *Non solum, infr. eod. lib. 6.* ubi similiter æquiparantur hæc tria, videlicet professio tacita, professio expressa, & propositum absolutè vitam mutandi; & ponuntur omnia sub unica determinatione, & verborum structura, ibi, (Nisi major tamen quatuordecim annis existens professus sit tacitè, vel expressè, aut evidenter constet illum voluisse vitam mutare.) Una autem determinatio respiciens plura determinabilia debet omnia æqualiter determinare, l. *fin. C. de sentent.* l. *tam hoc jure, §. Sed si autem*, & ibi Bart. *n. 1. ff. de vulgar. & pupillar.* facit c. *Majores, supra de baptism.* ibi. Nec ad alios prima, & ad alios secunda clausula referatur. Nec satisfacit responsio Abbatis *hic num. 3. vers. Non obstat*, quod in d. cap. *Non solum*, æquiparatio fiat tantum quoad hoc, ut neuter possit redire ad sæculum, imò enim æquiparatio fit non solum respectu effectus, scilicet obligationis remanendi in religione, sed etiam respectu causæ, quia nimirū hoc propositum cum susceptione habitus est votū solemne, & obligat ad remanendū in relig. sicut professio tacita, vel expressa, ut clari* patebit ex trib* fundamentis immediatè sequentibus.

34 Quartò allegatur pro hac opinione tex. irrefragabilis in c. *Beneficium de regular. lib. 6.* ubi beneficium existentis infra annū probationis in tribus casibus potest, & debet alteri conferri. Unus est si constet quod vitam voluerit absolutè mutare. Alius est si professionem expressam fecerit. Tertius est si scienter habitum receperit professorū, quia tex. dupliciter inducitur, & primò sic; Prædicti tres casus æquiparantur quoad inducendam vacationem beneficij, imò primo loco recēsetur propositum absolutè vitam mutandi, & professio expressa ponitur media inter propositum mutandi vitam, & receptionem habitus professorum: sed in duobus ultimis casibus votum est solemne, ut probatum est supra in secundo fundamento pro hac sententia, *nu. 32.* Ergo & in primo casu, alioquin si hoc propositum esset votum simplex incongrue tex. posuisset illud primo loco, ante professionē expressam, & professionē tacitam, quæ inducitur per susceptionem habitus professionis, arg. c. 1. *supra de major. & obedient.*
35 cum simil. Deinde inducitur sic; Beneficium non vacat per votum simplex religionis, sed per votū solemne dumtaxat tex. est secundum unum intellectum in c. *Gonsaldus, 17. quæst. 2.* ubi Gonsaldus Presbyter ægrotus Monachum se fieri promisit, & sic fecit votum simplex religionis; postea tamen monasterio, aut Abb. se tradidit, & sic professionem non emisit, sed beneficium renunciavit; postea convaluit, & ecclesiam suam repetit, & textus decidit eum debere beneficium sic dimissum recuperare. Ergo beneficium novitii etiam dimissum non vacat per votum simplex religionis: concord. tex. secundum unam lecturam in c. *Ex transmissa*, cum ibi not. *supra de renunciat.*

Sed

Sed per propositum mutandi vitam absolutè vacat beneficium novitij, ut patet in d. cap. *Beneficium*, si enim non vacaret, non posset alteri conferri, ut d. cap. *Ex transmissa*. Ergo hujusmodi propositum non est votum simplex religionis, sed votum solemne. Quibus ponderationibus evertitur responsio Sylvest. asserentis ex proposito mutandi vitam oriri obligationem quandam ad religionem in genere, per quam inducitur vacatio beneficij. Quoniam hæc vacatio non induceretur si propositum illud cum susceptione habitus non esset professio. Obligatio enim ad Religionem in genere si provenerit ex simplici voto non esset majoris efficaciæ ad inducendam vacationem beneficij, quam sit obligatio ad Religionem in specie, quæ oritur ex voto simplici profitendi certam religionem, quæ beneficii vacationem non inducit, ut proximè probatum est.

36 Quintò hæc sententia probatur à simili; nam obligatio ad religionem in genere, quæ de jure oritur ex susceptione habitus professorum infra annum probationis in Religionibus tam Mendicantium, quam non Mendicantium non provenit ex voto simplici, sed ex tacita professione, ut est tex. rotundus in cap. *Constitutionem, inf. eod. lib. 6.* in illis verbis: Tacitè verò facta infra probationis annum per susceptionē habitus, qui profitentibus tantum datur, & non illi specialiter, cujus habitus est susceptus, sed generaliter religioni alicui recipientem obligat. Ergo similiter & obligatio ad religionem in genere, quæ oritur ex proposito mutandi vitam absolutè cum susceptione habitus Novitiatus certæ religionis juxta tex. hic, non provenit ex simplici voto, sed ex tacita professione. Quod si contradicas, aut assigna si potes inter hos duos casus sufficientem rationem diversitatis; aut in sententiam nostram descende, arg. c. 2. *de translat. Episcop.* & c. *Tua de consanguin. & affin.*

37 Sextò adducitur pro hac parte alia similitudo. Habitus professorum extra monasterium assumptus tacitam professionem non inducit, c. *Ut clerici, supra eod.* gloss. in Clemen. *Eos, in ver. In aliqua, de regular.* Abb. in c. *Porrectum, num. 8. supra eod.*

38 & tamen si præcedat votum simplex continentiæ votum solemnizatur per assumptionem prædicti habitus, etiam extra monasterium, textus est in c. *Ex parte, el primo, infra de convers. conjug.* & in c. *Insinuante*, & ibi dixi, *num. 15. & num. 17. infra qui cler. vel vovent.* Innoc. Abb. Antiq. & alij, n. seq. allegandi. Ergo pari ratione quamvis habitus probationis in monasterio receptus non inducat professionem tacitam, c. *Ad Apostolicam, supra eod.* cum suis concordant. tamen secus dicendum est si præcedat votum simplex religionis, seu propositum absolutè vitam mutandi, ut hic: nam duo imperfecta in hac materia faciunt unum perfectum, ut dixi supra *in 4. not.* & plenius in cap. *Vidua, à n. 33. supra eod.*

39 Ultimò probatur hæc sententia secundum Innoc. Host. & Abb. Antiq. *hic*, quibus cæteri consentiunt; nam si quis emittat votum simplex continentiæ, vel abdicationis proprietatis, vel obedientiæ, & sic unum ex substantialibus monachatus, ut cap. *Cum ad monasterium, infra de stat. Monachor.* & postmodum voto tali emisso suscipiat habitum probationis, hoc casu votum in susceptione habitus solemnizatur, ut probatur secundùm eos in cap. *Meminimus*, & in cap. *ult. infra. qui cler. vel vovent.* & arg. cap. *Ex parte el primo, de convers. conjugat.* Ergo multò fortius per susceptionem talis habitus solemnizatur propositum absolutè vitam mutandi, in quo tria substantialia regulæ includuntur. Unde secundum Innoc. & alios multò magis in susceptione habitus solemnizatur votum, quo quis renunciat sæculo. Et est ratio quare prædictis modis solemnizetur votum, nempe quia ex quo prædicta quis vovit, cogendus est ea servare etiamsi habitum nō suscipiat. Igitur tutum est ut dicamus quod si per se facit illud, quod sine habitu servare tenetur, suscipiendo postea habitum, præsumptione juris, & de jure præsumatur hoc velle adeo roborare, ut de cætero non permittatur deserere habitum, sic susceptum: nam qui duplicat, firmat l. *unica ad fin. C. de plus petition.* & est opt. arg. in l. *Si mulier, lege secunda, §. Sin autem, C. ad Velleian.* quam rationem disertis verbis assignant *hic* Innoc. *num. 2.* Host. *num. 7. vers. Ratio autem*, Jo. Andr. *n. 5. vers. Est autem ratio*, Cardin. *in 4. q. n. 4.* Butr. & Anchar. ambo, *n. 7.*

Ex his arbitror hanc tertiam opinionem fulciri optimis fundamentis, & ad jura præallegata non adæquare à Theologis responderi, immeritò carpi Canonistas nostros, quasi vim voti non intelligant.

40 Nunc cum in cap. *Non solum, infra eod. lib. 6.* dicatur non præsumi quem voluisse vitam mutare, nisi clara probatione, & competentibus indicijs ostendatur: Reliquum est ut videamus quæ sint hujusmodi indicia. Et quidem à Doctoribus enumerantur infrascripta, duo ponit gl. in cap. *Statuimus, in ver. Nisi evidenter appareat, infra eodem.* Primum si in sua receptione renunciavit sæculo expressè. Secundum si receperit vestes, quæ profitentibus tantum dantur. Tertium ponitur *hic* ab Innoc. *in princ. in ver. Proposuerit*, & Host. *n. 3.* videlicet per confessionem suam, quam modo fecit. Quod tamen limitat Host. Nisi talis confessio esset matrimonio carnali præjudicialis, ut cap. *Super eo, infra de eo qui cogn. consang. uxoris suæ*, de quo dic ut legitur, & notatur in c. *Pervenit. infra de raptor.* Quartum itidem ponitur ab Innoc. & Host. *ubi supra*; idest si in ingressu protestatus fuit coram testibus, quod intendebat vitam mutare. Quintum, & sextum ponitur in d. c. *Non solum in gl. in ver. Indicijs*, nimirum si beneficiis renunciavit, vel de bonis propriis verbo, & re disposuit, & in idem recidit quod Host. *num. 11.* & alij dicunt, si omnia bona sua divisit. Septimum est quod ponit *ibidem* Host. Si testamentum fecit. Sed hoc non placet, quia cum testamentum sit revocabile, hinc non elicitur evidens probatio quod voluerit in religione perpetuo deservire, ut requirit textus in d. c. *Statuimus.* Ob quam rationem S. Congreg. Cardinalium Concilij Trid. Interpretum declaravit ejusdem Concilij decretum, c. 16. *sess. 25. de regul.* quo invalidantur renunciationes non factæ infra duos menses ante professionem, & de licentia Ordinarij non comprehendere testamenta, & alias ultimas voluntates; quia nimirū ex illis non adimitur novitio libertas redeundi ad sæculum infra añum probationis. Unde non sine mysterio gl. præallegata in d. c. Non solum, dicit verbo, & re, quasi sentiens non sufficere, ut de rebus propriis disponat verbotenus, & per viam ultimæ voluntatis. Octavum est, si renunciavit anno probationis, seu beneficio Decretalis *Ad Apostolicam, supra eod.* secundum Host. Quod & Cajetanus admittit *loco citato*, videlicet in 2. 2. *q. 88. art. 3. dub. penult.* ubi dicit hoc c. Recipere declarationem à c. *Statuimus, infra eod.* & intelligi de proposito mutandi vitam habente implicitam promissionem, quale est propositum illius, qui renunciat anno probationis, facit enim quantum in se est quod facturus esset probationis tempore cōpleto. Nonum, si renunciavit propriis, aut castitatem, vel obedientiam promisit, secundum Innoc. & alios superius relatos in ultimo fundamento pro sententia Canonistarum, *n. 39.* Decimum est si in ingressu bona sua monasterio donavit absque protestatione; secus si protestatus fuit quod conditionaliter intrabat ut regulam probaret, quia præsumitur mortis causa donasse, nisi aliud in donatione expresserit, ita Host. in c. *Statuimus, n. 4. vers. Quid de his qui legaverat, inf. eod.* quem ibi sequuntur Jo. Andr. *n. 2. eod. vers.* Cardinal. *in 2. not. in 4. quæst.* Abb. *n. 4. vers. Sed quærit hic Hostien.* & alii communiter S. Anton. in 3. *par. tit. 16. c. 2. §. 4. vers. Quærit etiam.* His igitur indiciis, & signis, vel si quid aliud simile faciat, vel dicat, per quod eniæ ejus voluntas appareat, constare dicitur evidenter eum voluisse absolutè vitam mutare. Unde si postea qualemcumq; habitum religionis suscipiat, jura præsumunt eum velle votum suum implere, & solemnizare, tacitè profitendo, & hæc est præsumptio juris, & de jure, ut dicunt Doctores, contra quā non esset audiendus, qui suo juramento firmaret velle se in susceptione habitus non habuisse animum profitendi, ut c. *Vidua, in fine*, & ibi dixi in *ultimo notab. num. 9. supra eod.* & hoc in foro Ecclesiæ, sed in foro animæ, & quod Deum in tantum fertur obligatio voti, in quantum se extendit voluntas, & intentio voventis, ut per D. Tho. *in 2. 2. q. ult. art. 4.*

42 Sed dices; Hodie inanis videtur prolixa hæc disceptatio, cum ex Concilio Tridentino nulla sit professio facta ante annum probationis elapsum, nullamque inducat obligationem etiam ad religionem in genere, ut colligitur ex verbis c. 15. *vers. Professio autem antea facta, sess. 25. de Regular.* & ex sententia S. Congreg. dixi in c. *Quia ingredientibus, num. 22. supra de testam.* Idque etiamsi præcesserit votum: nam cum dubitatum fuerit an is, qui ex voto religionem ingreditur, possit in eo validè etiam ante annum probationis professionem emittere salvo Decreto Tridentini Concilii, *cap. 15. sess. 25. de Regular.* S. Congregatio respondit non posse. Frustra ergo quæritur, an qui proposuit absolutè vitam mutare, suscipiendo post habitum probationis, censeatur tacitam professionem emittere obligantem eum ad religionem in genere, cum hæc tacita professio infra probationis añum, & obligatio inde resultans fuerit prorsus à Concilio sublata, ut plenius dixi in prædicta Decretali *Quia ingredientibus, eod. n. 22.* & dicam infra *n. 57.* At respondetur hunc casum adhuc posse contingere non obstante Tridentini Concilii Decreto. Ecce Novitius expleto anno probationis dimisso habitu redit ad sæculum; postea proposuit absolutè vitam mutare secundum aliquem ex modis enumeratis supra num. 40. profectò si cum tali proposito ad religionem reversus iterum suscipiat habitum probationis, illico censetur professus tacitè, & obligatus religioni in genere, neq; enim hoc casu sit obstans decretum Concilij nec tenebitur per alium annum in probatione stare; sed statim profiteri poterit expressè, vel tacitè, nisi religionis, aut personæ conditio sit immutata, secūdū opinionem Bartholom. Brix. *in sua quæst. Venereali, 68.* quam sequitur gloss. in c. *Eum, qui de reg. tur. lib. 6.* & sæpius probavit S. Congregatio Concilij. Rursus posset accidere hic casus in eo, qui habilitatus esset à Papa ad emittendam professionem sine ulla probatione. Quare præsens disputatio non est inutilis.

43 Posset etiam attentari hunc casum contingere posse in novitio, qui per annum gestavit habitum novitiorum distinctum ab habitu professorum: nam si postea proponat absolutè vitam mutare, & pergat in delatione habitus hujusmodi, videri potest votum suum solemnizare, argum. l. *Si mulier, la secunda §. Sin autem, C. ad Velleian.* cum concurrant duo requisita ad hoc necessaria, videlicet propositum, & habitus. Contrarium tamen credo verius, quia ad hoc ut votum solemnizetur, jura, & Doctores requirunt, ut præcedat propositum, & postea recipiatur habitus. Ex hac enim juris interpretatione censetur quis propositum suum velle roborare, ac perficere, adeo ut sibi non liceat amplius ad sæculum reverti, ut sæpius repetitum est. Quæ ratio cessat in eo qui primo suscepit habitum novitiatus, & post annum proposuit vitam mutare: nam cum hoc propositum sit votum simplex, solemnizari non potest nisi sequatur novus actus, qui præcedenti voto adjiciat robur & firmitatem, qualis est nova susceptio habitus, ut hic patet, non autem continuatio habitus jam suscepti. Quod ergo non est Patrum Decreto sancitum, &c. c. *Consuluisti, 2. q. 4. c. Inter corporalia de translat. Episcop.*

44 Secundò QUÆRO, An professi in religione à Sed. Apostolica non approbata, quam putabant approbatam, sint obligati ad religionem in genere.

Hæc quæstio est admodum dubia, & implexa ob varias Canonistarum opiniones: nam glos. in c. *un. in ver. Approbatæ, de voto, lib. 6.* ubi definitur votum solemnizari per professionem factā alicui de religionibus approbatis: Ergo, inquit, si profitetur religionem non approbatam, si postea contrahit, tenet matrimonium; quod verum puto etiamsi quando profitebatur credebat illam

45 approbatam. Ita glos. quæ videtur sentire ex professione emissa in religione nō approbata nō oriri obligationem ad religionem in genere, si sequamur opinionem Franchi in c. *Constitutionem, nu. 4. vers. Secundò adverte, inf. eod. lib. 6.* Existimantis per obligationem ad religionem in genere dirimi matrimonium postea contractum, quæ fuit opinio Innocentij, & Canonistarum ferè omnium, ut dixi supra *num. 23* Glossam sequuntur illic Archid. *prope finem, in verb. Approbatis*, Jo.

46 Andr. Anchar. Gemin. & Franch. qui omnes reddunt rationem, quia in his spiritualibus veritas præfertur opinioni, 3. *Ista ita, 35. quæst. 9.* ubi gloss. *fin.*

47 Cæterum Jo. Andr. *ibidem num. 3.* allegat in contrarium jura, quæ probant impedimentū oriri etiam ex actu nullo, c. *un. de bigam. lib. 6.* & c.

Andrin, de elect. maximè propter intentionem recipientis, cap. *Quidam de convers. conjugat.* & propter communem opinionem, ut *Trid. 5. qu. 7.* ac deinde subdit: Propter hæc duo ultima dico illũ, qui obligari intendebat, contrahendo peccare; nec hoc tractat gloss. sed dicit quod contractum teneat, quod etiam sentit Damascen. à Jo. Andr. allegatus. Et hanc opinionem Joan. Andr. quod professus in religione, quam credebat approbatam, contrahendo matrimonium peccet, sed contractum teneat, sequuntur in eod. c. *un.* Petr. de Anchar. & Gemin. Itaque secundum horum opinionem patet ex professione hujusmodi irritam esse aliquam obligationem, hæc autem obligatio alia esse non potest, quàm vel ad obligationem in genere, quæ secundum posteriorem sententiam non dirimit matrimonium postea contractum, licet impediat contrahendum: vel certè obligatio, quæ proficiscitur ex simplici voto, secundũ Præpos. in *c. Rursus, in fin. Quisler. vel voven.* ut inferius dicetur. Et quamvis, ut subdit Præpositus *num. 20.* glos. in d. c. *un.* sentiat dictã professionem nec valere ut votum simplex; ideoque taliter professum posse contrahere, & ibi hoc placeat Archid. & Jo. Andr. verè tamen gloss. dicit tenere matrimonium postea contractum, sed non dicit licere contrahere: & secundum Archid. & Jo. Andr. sic professus contrahendo peccat, & ipsemet Præpositus idem fatetur paulò inferius dicens esse peccatum mortale.

49 In simili quæstione de eo, qui profitetur aliquam ex regulis approbatis, puta S. Guil. in manibus, ut aiunt Truffatorum, seu Barratorum. Spec. *in tit. de stat. Monach. n. 45.* sic ait: (Pone, Quidam fingentes se esse de ordine S. Guil. seduxerunt quemdam juvenem credentem illos esse de ordine illo, & recepit habitum illius ordinis, & promisit se illam regulam perpetuò servaturũ, postea novit illos Truffatores esse, an iste sit ad observantiam illius religionis compellendus? Jo. de Deo in suis quæstionibus dicit quod si ille voluit absolutè vitam mutare, & in Ordine S. Guil. vivere, sive ibi, sive alibi, ubicumque talis ordo vigeret, sanè cogendus est c. *Dilectissimi, 12. q. 1.* Si verò intendebat se Deo obligare in illo loco tantum,

50 & cum illis, non tenetur alibi, ut c. *Ex mandato, de non. spons. marit.*) Eamdem distinctionem de eo, qui emisit professionem infra annum probationis in Ordinibus Mendicantium, qui ex c. *Non solum, infra eod. lib. 6.* erant obligati ad religionem in genere, sequitur Lap. Abb. in c. *Constitutionem, eod. tit. lib. 6. n. 7.* his verbis: (Potest dici quod si tempore emissi voti, vel factæ professionis expressit vovens, vel profitens de certis loco, & ordine, stabitur expressioni si probetur, ita quod si ibi esse non poterit non erit nec in specie, nec in genere Ordini obligatus, & contrahere matrimonium poterit, & contractum tenebit; si autem aliud non expressit, vel si expressit non probatur, stabitur dicto suo in foro animæ, non autem in foro contentioso, nisi forte hoc juvaret delato juramento, & aliter probari nõ posset; unde tunc nec contrahere poterit, & si contraxerit, non tenebit.) Lap. sequitur simpliciter ibi Anch. & dicit mente tenendum, *sub n. 1. vers. Quartò not.*

51 Verum hanc distinctionem quoad primum membrum, videlicet quod si prorsus intendebat se generaliter obligare, remaneat obligatus religioni in genere, ita ut matrimonium contrahere non possit reprobat Jo. de Imol. quia cum non adsit recipiens, qui habeat mandatum incorporandi, non potest quis esse professus, & sequitur Præpositus in d. c. *Rursus, n. 21.* qui tamen dicit illum astringi voto simplici, & posse compelli ad ingrediendum, nec posse contrahere matrimonium sine mortali peccato.

52 Quo verò ad secundum membrum, quod professus in certo loco, & ordine, si ibi esse non possit, non remaneat obligatus religioni in genere, latè eamdem distinctionem reprobat Franc. in d. c. *Constitutionem, nu. 4.* ubi pluribus ostendit non esse faciendam differentiam an quando quis profitetur expressè, intendat se obligare illi religioni in specie, vel in genere, sed indistinctè remanere eum obligatum religioni in genere si illi in specie non potuerit obligari: & inducit textum in d. c. *Non solum*, ubi quis emisit professionem infra annum in Ordine Prædicatorum, vel Minorum, & sic intendebat se obligare illi Ordini in specie, ponderando verba illa, Ad professionem vestri Ordinis, & tamen quia professio illa nulla fuit, remanet obligatus religioni in genere, secundum gl. & Archidiac. & ita dicit de hoc esse casum ibi Præpos. in d. c. *Rursus, sub n. 10. Quisler. vel vov.* (Si autem, inquit, non valet professio respectu illius religionis certæ, quam intendebat profiteri; tamen professio in genere sustinetur, quia remanet obligatus ad intrandam unam ex religionibus approbatis, puta in eo, qui Ordinem Minorum ingreditur, & ante annum probationis profitetur illam regulam cum solemni professione; professio illa nõ valebit quoad hoc ut ille sit obligatus Ordini Minorũ; sed bene valebit quoad hoc ut cogatur aliam religionem ex approbatis ingredi, c. *Non solum, eod. tit. lib. 6.* ubi est casus.) Hæc ille.

53 Ratio est, quia in materia voti locus est illi regulæ, si non valet quod ago ut ago, valet saltem ut valere potest, ut probat tex. in c. *Quidam, de convers. conjug.* ubi maritus, qui invita uxore fecit professionem, & ei postea fuit restitutus, non cogitur ea mortua redire ad monasterium, quia hic in parte votum non tenuit cum non esset in ejus potestate debitum non reddere, sed tamen non debet matrimonium contrahere, quia per dictũ votum promisit etiam debitum nõ exigere, quod erat in ejus potestate; & quoad hoc votum tenuit, atque ita ex illo textu hanc regulam deducit Abbas *n. 3. vers. Item nota.* Ergo simili modo qui profitetur in religione approbata, licet quoad illam religionem votum non teneat, quia nõ est in ejus potestate; tenet tamen quoad obligationem ad religionem in genere, quod ab ejus potestate dependet.

54 Qua etiam ratione qui fingit se fœminam, & profitetur in monasterio Monialium, obstrictus remãet religioni in genere, c. *Quod interrogasti, 27. dist.* per quem tex. ita concludit Bart. Brix. *in sua q. Dominical.* 81. incipien. *Iuvenis*, quem sequitur Abb. in c. *Tuarum num. 7. de privileg.*

55 Et tenendo hanc opinionem, quæ de jure verior videtur, non obstat dictum Jo. de Imol. de quo supra *num. 51.* quod non possit quis obligari religioni in genere ob defectum recipientis: nam respondetur quicquid contra senserint Abb. & Sylvest. supra citati *num. 19.* id non esse necessarium in religione in genere, ut docet Innoc. in *cap. Porrectum, num. 6. vers. Et idem supra eod.* & Franc. post Lapum, & Geminianum in d. c. *Constitutionem.* Et est communis opinio teste Præposito, in d. c. *Rursus, num. 10. vers. Istud votum istis duobus proximis modis.* Ratio est, quam reddit Gemin. in d. c. *Non solum, in fine*, quia cum inducitur obligatio ad religionem in specie monasterium obligatur profitenti ad alimenta, & ideò oportet talem obligationem contrahi per habentem potestatem, secus autem in obligatione ad religionem in genere, quæ cum nullam contineat obligationem respectu certi monasterij, satis est ut illa sic inducta recipiatur per habentem potestatem quando professus ingreditur religionem

3 in specie. Et similia exempla quod professio emissa sine auctoritate recipientis obliget ad religionem in genere, habentur ex Speculat. *de stat. Monach. n. 24. qu. 19. vers. Sed prius*, Præposit. in d. c. c. *Rursus, num. 20. vers. Aut Monachus nullum habet*, & Abb. in d. c. *Porrectum, num. 10. vers. Fatetur tamen.* Alioquin sequeretur, ut ad inducendam hujusmodi obligationem ad religionem in genere necessarius esset consensus religionum totius orbis, quod non tamen esset absurdum, quàm impossibile.

56 Rursus non obstat quod actus agentium non debeant operari ultra eorum intentionem; si quidem non est præter intentionem profitentis ut voluerit vitam mutare, ac Deo per professionem obligari; & quia hoc perficere non potest in ea religione, quæ à Sede Apostolica non est approbata, consentaneum est ut in aliqua alia id perficiat, & reddat Domino vota sua cum in hac materia spirituali si non valet quod ago ut ago, valeat ut valere potest, ut dictum est supra n. 53. Alioquin si diceremus consensum præstitum in aliqua religione non esse attendendum ad alias religiones, de quibus professus non cogitavit, sequeretur ut nunquam daretur casus, quo quis obligaretur ad religionem in genere, nam qui profitetur v. g. in religione S. Francisci, utique non intendit se obligare religioni S. Dominici, & tamen jura eliciunt obligationem ad religionem in genere ubi professio ex aliquo capite est nulla, & obligant professum ad ingrediendum aliquam ex religionibus approbatis, quod clarè etiam patet exemplo viri, qui simulans se fœminam, professus est in monasterio Monialium; is enim propter votum solemne cogitur ingredi aliam religionem, de qua tamen non cogitavit, ut per Butr. Abb. & Gemin. superius relatos.

56 Superest ut videamus an obligatio hujusmodi sublata fuerit à Concilio Tridentino.

Ratio dubitandi oritur ex Decreto c. 15. *sess. 25. de Reg.* ibi Nullamq; inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscumq; effectus: quibus verbis sublatam esse obligationem in genere, & correctam esse jura antiqua in c. *Non solum*, & c. *Constitutionem de Regular. lib. 6.* jam pridem censuit S. Congregatio ejusdem Concilij interpres, sicut & superius dictum est n. 42.

Pro parte negativa facit, quia decretum Concilij, & declaratio desuper emanata videntur habere locum dumtaxat in illis duobus casibus, in quibus loquuntur, videlicet cum professio est nulla ob defectum ætatis, vel ob defectum anni probationis: cum enim Concilium corrigat jus commune in prææallegatis juribus, non videtur extendendum ad professionem irritam ex alio capite, videlicet ex eo quod emissa fuerit in religione nõ approbata: expedit namque jura juribus concordare, cap. *Cum expediat, de elect. lib. 6.* & quod non mutatur stare non prohibetur, l. *Sancimus, C. de testam.* & l. *Præcipimus, in fin. C. de appellat.* Igitur regulæ, & antiquo juri stabimus nisi in quantum reperimus recessum, ut in hac materia anni probationis dixit glos. in d. c. *Constitutionem, in ver. Prorogamus, sub eod. lib. 6.* Ob quã rationem similiter resolutum fuit decretum *d. c. 15.* nihil disposuisse de voto, cum illic de voto nulla fiat mentio. Et quamvis jura prææallegata in c. *Non solum*, & cap. *Constitutionem*, sint correcta à Concilio in casu professionis emissæ infra annum; non tamen sunt correcta in sui generalitate, quam ex professione nulliter facta in certo ordine orta sit obligatio ad religionem in genere. Neque enim illa jura fundant se in illa specie nullitatis, sed in nullitate simpliciter, & absolutè; ideoque Doctores quoad obligationem in genere interpretantur illos canones habere locum, sive professio nulla sit ex defectu novitiatus, sive ex quovis alio capite, præterquam ob defectum consensus, ut patet ex Speculat. & aliis supracitatis *n. 49.* Unde si fiat in religione non approbata, videtur ex ea oriri obligatio ad religionem in genere, quemadmodum ante Concilium oriebatur in terminis d. c. *Non solum*, & d. c. *Constitutionem.*

58 In contrarium facit, quia dum Concilium *in d. cap. 15.* ad validitatem professionis requirit ut novitius post susceptum habitum stet per annum in probatione hoc videtur intelligendum de susceptione habitus, & de anno probationis in religione per Sedem Apostolicam approbata, cum dispositio Concilii intelligi debeat de actu valido, ut

59 in his ferè terminis declarat Lapus *allegat. 46.* incipien. *Factum ita se habet, num. 5. vers. In contrarium*, ubi resolvit quod dicitur in d. c. *Non solum*, ut professio infra annum emissa in Ordine Mendicantium obliget religioni in genere, debere intelligi de professione alias legitimè facta; susceptio autem habitus probationis in ordine per Sedem Apostolicam non approbato est ipso jure nulla, ut c. *un. de religios. dom. lib. 6.* Unde hoc casu novitius non potest dici stetisse per annum in probatione post susceptum habitum, prout requirit Concilium ad hoc ut professio sit valida; ideoque cum professio hujusmodi sit irrita, etiam ex defectu receptionis ad habitum, & probationis, scilicet validæ; consequens est, ut ex Concilio Tridentino nullam pariat obligationem etiam ad religionem in genere. Quod satisplacet.

DE REGULARIBUS.

Cap. Ex parte.

SUMMARIUM.

1 *Professus tacitè censetur præsumptione juris, & de jure qui ultra annum portat habitum monachalem in monasterio, ubi sunt habitus indistincti, & n. 5.*

2 *Habitum novitiorum distinctum ab habitu professorum quantocumque tempore quis gesset, numquam censetur tacitè professum.*

3 *Habitus regularium quotuplex.*

4 *Professus tacitè an censeatur qui ante annum decimum quartum professionem expressam emisit in religione Hierosolymitana, & postea in ea stetit per plures annos ignarus de iure professionem fuisse nullam, & n. seq. usq. in fin.*

5 *Professio emissa ante decimum sextum annum censetur tacitè ratificata ex perseverantia annali cum habitus delatione post ætatem legitimam.*

6 *Non obstante ignorantia nullitatis professionis sive ignorantia sit facti sive iuris.*

7 *Ignorantia facti, & iuris in quibus differant.*

8 *Ignorantia iuris nullitatis professionis expressæ an prosit militibus, mulieribus, & minoribus quominus censeatur tacitè professi ex perseverantia annali in religione.*

9 *Militem arma magis, quam leges scire decet.*

10 *Ignorantia iuris prodest militibus minoribus, rusticis, ac mulieribus quando agitur de excusando eos à pœna, vel de damno vitando, alias secus.*

11 *Minor, seu mulier ad religionem seducti non restituuntur, quia non dicuntur læsi.*

12 *Ignorantiæ iuris exceptio ad excludendum consensum in matrimonio, professione, & sacris Ordinibus non admittitur.*

13 *Veritas in spiritualibus præfertur opinioni.*

14 *Ignorantia facti ex quo oritur nullitas professionis expressæ non impedit quominus inducatur tacita professio ex perseverantia annali cum delatione habitus indistincti.*

15 *Reclamatio qualis requiratur ad impediendam tacitam professionem.*

16 *Professus nulliter quo tempore debeat reclamare ad hoc ut non censeatur tacitè profiteri.*

17 *Protestatio formalis requiritur ad impediendam tacitã professionem, quæ oritur ex delatione annali habitus indistincti.*

Protestatio non valet in his, quæ pendent consecutivè, à dispositione iuris.

19 *Propositum relinquendi religionem ex quibus verbis eliciatur.*

Professionem tacitam non impediunt verba ex passione animi prolata, ibidem.

20 *Protestationis actus eliditur per subsequentes actus contrarios.*

21 *Protestatio præcedens ita demum impedit validitatem matrimonij subsequentis, si fiat immediatè ante matrimonium; secus si ex intervallo.*

22 *Et quid in professione.*

23 *Protestatio an impediat validitatem matrimonij tam carnalis, quam spiritualis, si pars protestationi non consentiat, & n. seq. usque in fin.*

Protestatio in his quæ pendent à potestate protestantis, valet, & actum vitiat, ibidem.

24 *Secus in iis quæ pendent à consensu duorum, quia protestatio non valet absque consensu alterius partis.*

25 *Protestatio in matrimonio tam carnali, quam spirituali an requirat consensum expressum alterius partis, & num. seq.*

26 *Professio est contractus ultro citroque obligatorius.*

1 EX PARTE. Qui ultra annum portat habitum monachalem in monasterio ubi sunt habitus indistincti, tacitè dicitur esse professus, & compellitur expressè profiteri; hoc dicit. Communis divisio. Secunda ibi, *Ideoque*.

Nota ex hac Decretali, per delationem ultra annum in monasterio habitus indistincti, id est tam à Novitiis, quam à Professis promiscuè gestari soliti, induci tacitam professionem, & quidem præsumptione juris, & de jure, quæ non admittit probationem in contrarium, nisi ante expletum annum probationis præcesserit protestatio, gl. *hic in ver. Per annum*. Host. *num.* 9. Joan. Andr. *num.* 3. Cardin. *num.* 4. Butr. *num.* 7. & alij communiter. & probatur in Clem. *Eos, de Regular.* & in c. ubi hoc tenent Jo. Monach. *in ver. Præsumitur*, Prob. *in additione*, Gemin. & Anchar. *infra eod. lib.* 6.

2 Dixi per delationem habitus indistincti, quia si habitus novitiorum esset distinctus ab habitu professorum, quantocumque tempore habitum novitiorum quis gestaret, numquam censeretur tacitè professus, nec cogeretur illam regulam expressè profiteri, ut docent *hic* Innoc. *in princ.* Jo. Andr. *n.* 3. & Cardin. *num.* 3. *in* 2. *opposit.* & Abb. Antiq. in cap. *Consulti* 5. *eod.* ubi dicit se vidisse litteram absolutoriam datam super hoc cuidam Monacho, qui ferè per viginti annos steterat in habitu probationis, cuius dictum referunt *hic* Jo. Andr. *ad fin.* Cardin. *num.* 4. & Abb. Siculus *num.* 3. & gloss. 2. *in fin.* in d. Clem. *Eos, eod. tit.* hoc casu nec oritur obligatio ad religionem Innoc. & Jo. And. De triplici autem habitu regula-
3 rium videlicet distincto, indistincto, & indistinctissimo, & quando ex ejus gestatione ultra añum quis dicatur tacitè professus vide hic per Abb. *eod. num.* 3. ubi distinctè omnes casus complectitur, & in d. Clem. *Eos, de Regular.* ubi materiam explicat per conclusiones.

4 QUÆRO, Post Concilij Tridentini promulgationem Decius habitum per Equites S. Jo. Hierosolymitani, qui apud eosdem indistinctus existit, suscepit, & antequam ad ætatis suæ annum decimumquartum pervenisset, expressam professionem per eosdem emitti solitã emisit. Et quamvis satis citò illum pœnituisset emissæ professionis; tamen putans tamquam juris ignarus se obligatam in eadem per multos annos perseveravit habitum prædictum continuè gestando, & actibus professorum se immiscendo. Certum tamen est, dum annum suæ ætatis decimum sextum ageret, sæpe alijs religiosis dixisse hæc, vel similia verba: *Se io non habuessi fatto professione in questa, mai non la farei per vita mia.* Tandem mensibus prætéritis intelligens à quodam jurisperito suam professionem non valere, cœpit intentare declaratoriam nullitatis eiusdem. Suppositis igitur prædictis, ac professionem emissam etiam in dicto Ordine S. Jo. Hierosolymitani ante decimumsextum ætatis annum completum esse nullam ad quemcumque effectum ex Tridentini Concilij decreto in *cap.* 15. *sess.* 25. *de Regular.* An Decius sit censendus tacitè professus nec ne.

Citra controversiam est professioné expressam hoc casu fuisse irritam tam ex dispositione juris communis, quia emissa ante añum demimũquatum consummatum, cap. *Ad nostram*, ubi gl. *in ver. Consummationem*, & c. *Significatum, supra eod.* quam ex Concilio Tridentino, quia ante annum 16. expletum, ut in *d. cap.* 15. *sess.* 25. *de regu-*
5 *lar.* Certum est similiter professionem expressè emissam ante legitimam ætatem censeri tacitè ratificatam si professus de jure communi post annum 14. & ex Concilio post annum 16. per añum integrum detulerit habitum indistinctum: tex. est ad litteram in c. 1. *in princ. de regular. lib.* 6. quam tacitam professionem ex sententia S. Congregationis Concilium non sustulit. Et hæc est præsumptio juris, & de jure, quæ non admittit probationem in contrariũ, ut notat ibi Jo. Monach. *n.* 3. quem in hoc communiter DD. sequuntur & gloss. *hic in ver. Per annum*, quæ similiter à Doctoribus approbatur, ut dixi supra *num.* 1.

6 Quæ cum ita sint, in hac facti specie de duobus dubitari potest. Primum est, An dispositio dicti c. 1. vendicet sibi locum hoc casu, in quo Decius, ut proponitur, ignoravit suam professionem expressam de jure fuisse nullam. Secundum est, An itidem ille tex. habeat locum non obstantibus verbis à Decio prælatis prout in themate. Quoad primum in c. *Significatum, sup. eod.* plene examinavi articulum. An qui ignorat se emisisse professionem expressam ante ætatem legitimam, & credens suam professionem esse validam, postea perseverat per annum integrum in Religione deferendo habitum indistinctum, censeatur tacitè professus, necne: & pluribus ostendi, etiam ex sententia S. Congreg. Concilij, censeri tacitè professum. Ergò longè magis idem videtur respondendum in casu præsenti. Quandoquidem jura, & fundamenta omnia, quibus constat tacitam professionem induci, non obstante ignorantia facti, unde oritur nullitas professionis expressè, fortiùs concludunt in ignorantia juris: nam
7 inter has duas ignorantiæ species regulæ constituuntur oppositæ, hoc est ignorantia facti præsumitur, nisi probetur scientia, l. *Verius, de probat.* l. *Si fideiussores*, & ibi Bartol. *ff. ad Velleian.* l. *fin. ff. Pro suo*, c. *Proposuisti*, 82. *distin. in fin.* c. *Si vero*, *il secondo, de sent. excomm.* & c. *Præsumitur ignorantia, de regul. iur. lib.* 6. quem textum loqui de hac specie ignorantiæ communiter ibi affirmant DD. Rursus facti ignorantia excusat, c. *Ignorantia facti, de regul. iur. in* 6. l. *Etsi consensu*, §. 1. *ff. de contrahen. empt.* l. 1. *ac ferè per tot. ff. de iur. & fact. ignor.* Sæpe enim & peritissimos fallit l. 2. *ff. eod.* Specul. *in tit. de Advocato*, §. *Nunc tractemus*, *num.* 2. At per contrarium juris ignorantia non præsumitur nisi probetur, Bart. in l. *Non fatetur, col. ult. ff. de confess.* latè Anton. Gabriel *lib.* 6. *tit. de reg. iur. conclus.* 7. Ignorantia non præsumitur. Item juris ignorantia non excusat. 1. *q.* 1. §. *ult. ante fin.* c. *Presbyterum*, 28. *dist.* c. *Ignorantia de reg. iur. in* 6. d. l. 1. & l. *Iuris ignorantiam, cum seqq. ff. eod.* Ignorare enim jus nemini licet, l. *Leges*, C. *de legib.* Specul. *in tit. de except. & replic.* §. 2. *Sed quid si velit*; ideoque ignorantia dicitur causa injusta, in l. *Liberorum*, *ff. de iis qui not. ant. infam.* Quamobrem si ignorantiam facti, ex quo oritur nullitas professionis expressè, non prodest ad exclusionem tacitæ professionis, ut latissimé probatum est in d. c. *Significatum, supra eod.* Ergò multò minus prodesse debet ignorantia juris. Et idcircò Authores, qui censent ignorantem factum, ex quo resultat invaliditas professionis expressæ nunquam censeri tacitè professam, quia perseverat in religione tamquam professus, non tamquam professurus, & ex præcedenti consensu erroneo, inter quos Nauar. in plurib. ejus Consiliis *in tit. de reg.* relatis in d. c. *Significatum*, tamen contrarium scripserunt in eo, qui allegat juris ignorantiam, ut per eumdem Nauar. *cons.* 20. *num.* 2. & *cons.* 46. *n.* 3. & Sanch. *de matrim. lib.* 7. *de imped. disp.* 37. *q.* 3. *nu.* 25. Atque ita Authores, qui in contrarium adduci possunt, quia loquuntur cũ expressè professus perseverat in religione, ignorans se professionem fecisse ante ætatem legitimam & sic in terminis ignorantiæ facti non sunt extendendi ad casum quando quis scit quidé se emisisse professionem ante ætatam, sed tamen ignorat jus disponere eo casu professionem esse nullam, quæ est juris ignorantia. Nam ut dicitur in l. 2. *ff. de iur. & fact. ignor* in omni parte error in jure non eo-
8 dem loco, quo facti ignorantia haberi debebit. Sed objicies, hoc casu esse constituendam differentiam inter juris, & facti ignorantiam, quia versamur in equite armatæ militiæ, in quo admitti potest ignorantia juris, l. *Regula, ff. de iur.*
9 *& fact. ignor.* Nam militem arma magis quã leges scire decet. l. 1. *post princ.* C. *de iur. deliber.* ideoque Sanch. *de Matrim. lib.* 7. *de imped. disp.* 37. *quæst.* 3. *nu.* 25. quamvis dixerit tacitam professionem nõ impediri ex eo, quod quis ignoret suam professionem expressam de jure fuisse nullam: tamen postea limitat hoc non procedere in militibus, minoribus, rusticis, & mulieribus, in quibus ignorantia juris dicitur probabilis, & æquiparatur ignorantiæ facti. Præsertim verò quia hoc casu miles videtur agere de damno vitando, ne perpetuò alligetur monachali servituti, quæ, ut habetur in c. *Præsens*, 7. *q.* 1. nisi deligatur, non bonos successus habet; ut dicitur in c. 1. 54. *dist.* corporali servitute districtior est. Unde quamvis non agatur de delicto, sed de contractu, qualis est professio, c. *Porrectum*, & c. *Ad Apostolicam, supra eodem* admitti debet juris ignorantia, c. *Turbatur*, §. *Notandum*, 1. *quæst.* 4. Et eo magis, quia Decio nulla culpa imputari potest, quod super validitate suæ professionis peritos non consuluerit; cum tradendo se in manibus Superiorum dictæ religionis, supponere posset omnia necessaria observata fuisse, arg. c. *Quod culpatur*, 23. *q.* 1. & patet ex traditis per Anton. de Butr. *cons.* 18. *in quæst. in fin. vers. Aut enim erravit.*

10 At respondetur jura quæ dicunt militibus, minoribus, & aliis hujusmodi prodesse juris ignorantiam juxta l. 1. C. *de iur. & fact. ignor.* cum aliis supra alleg. admittere duas declarationes. Una est ut procedant solum quando agitur de excusando illos à pœna, l. *Quis adulterium cum incestu*, §. 1. *ff. de Adult.* & l. *Qui supra*, C. *de incest. nupt.* gl. in c. *Etsi necesse*, *de donat. inter vir. & uxor.* Rom. *cons.* 506. *in princ. nu.* 2. Altera est ut procedant quando agitur de damno vitando, alias secus, Feder. de Sen. *cons.* 102. *num.* 3. *vers. Cum quæritur*, Bald. *cons.* 163. *num.* 4. *lib.* 1. At neutra ex his declarationibus applicatur casui nostro, in quo non agitur de excusando militem à pœna, nec ipse tractat de damno vitando, cum ex professione nullum ei dammum inferatur, imò maximum bonũ, ut inquit Pet. Ledesma *de matrim. q.* 53. *art.* 1. *in responsione ad secundum.* Et quamvis servitus mona-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nachalis dicatur districtior corporali servitute; tamen Religiosus servit ei, cui servire regnare est, ut Gemin. ait in c. 1. num. 7. vers. *Quæro an ingrediens, de regul. lib. 6.* post Jo. Andr. quem citat in
11 c. *Cum virum*, ubi etiam Abb. num. 6. *supra eod.* ita ut propterea minor, seu mulier ad religionem seducti non restituantur, quia non dicuntur læsi, tex. in c. *Constituit, 20. quæst. 3.* atque illic notant gloss. & DD. & in c. *Cum dilecta, quod met. cau.* Specul. *in tit. de restit. in integr. in 2. par. §. Qualiter, num. 6. vers. Sed numquid minor.* Archid. & Gemin. in d. c. 1. *de regul. in 6.* Jo. Andr. Abb. & DD. in d. cap. *Cum virum* Respondetur secundò contra professionem tacitam quæ inducitur ex delatione annali habitus communis, non solum non admitti probationem per juris ignorantiam, quæ regulariter non admittitur, ut d. l. 1. *Cum concord.* Sed nec per alias species probationum, quæ regulariter sunt permissæ cum hæc præsumptio, ut superius dictum est, *n. 1.* sit juris, & de jure, quæ nullam admittit probationem in
12 contrarium. Et re vera maxime absurdum esset, si in hac materia tam gravi matrimonii spiritualis admitteretur ab Ecclesia exceptio ignorantiæ juris; nam hoc prætextu liceret etiam contrahenti matrimonium, aut sacros Ordines suscipienti allegare defectum consensus ob juris ignorantiã, quod tamen abhorrent sacri Canones, c. *Presbyterum 28. dist.* c. *Ad id quod,* & c. *Is qui fidem,* & utrobique notant Canonistæ *de sponsal.* Abb. *in sua quæst. 2.* Incipien. *Stante statuto, in 12. col. n. 14.*
13 Quoniam in his spiritualibus veritas præfertur opinioni, gl. in cap. *unic. in verb. Approbatū,* & ibi Archid. Jo. Andr. Anchar. Gemin. & Franc. *de*
14 *voto lib. 6.* Respondetur denique objectionem prædictam hoc solum intendere, ut in milite idẽ operetur ignorantia juris, quod in aliis non privilegiatis operatur ignorantia facti: sed facti ignorantia in aliis non excludit tacitam professionem tum quia professus ante ætatem legitimam, licet ignoranter, semper præsumitur habuisse animum vitam mutandi, ut præter alios quos retuli in c. *Significatum, supra eodem* docet Archid. in c. *Quod interrogasti, n. 4. 27. dist.* & in hac perseverantia, & duratione consensus post ætatem legitimamS. Canones fundant præsumptionem tacitæ ratihabitionis professionis expressæ; ut ex Abb. in c. *Consuluit, de convers. conjug.* & aliis dixi plenè in d. c. *Significatum, supra eodem.* Tum quia ignorantia nullitatis professionis expressè cum sit ignorantia eius rei, quam si professus scivisset, nihilominus in religione perseverasset; atque ita professionẽ à se prius factam ratã habuisset juxta terminos d. c. 1. *de Regul. in 6.* nullo modo efficit perseverantiam illam, ac tacitam ratihabitionem involuntariam, ut multis rationibus, authoritatibus, & exemplis illic probavimus, quæ hic transcribere non est opus. Ergò quatenus etiam hoc casu error juris, & facti pari passu ambularent: tamen prodesse non debet Decio Ignorantia juris, sicut cæteris non prodest ignorantia facti.

15 Quoad secundum dubium, qui tuentur partes Decii objiciunt dispositionem *d. c. 1.* non habere locum hoc casu, in quo Decius sæpe prorumpit in verba initio proposita ex doctrina Jo. Monach. *ibid. post n. 3. in ver. Per hoc,* ubi ait, præsumptionem illam, quod deferens habitum per añum censeatur tacitè professus, tunc procedere, quando prædictos actus fecit absque eo quod antequam laberetur annus immediatè sequutus annum præfixum ad profitendum, aliquam fecerit reclamationem. In casu autem præsenti nedum annus immediatè sequens ætatem legitimam ad profitendum, qui post Concilium est annus 17. sed nec ipsemet annus 16. lapsus fuit absque aliqua reclamatione, cum Decius sæpè dixerit: *Se io non habuessi fatto la professione in questa religione, per vita mia mai non la farei,* ut in facto supponitur: dicunt enim verba huiusmodi habere vim sufficientis reclamationis secundum Jo. Monach. *ubi supra* cum ex illis satis remanserit declaratus animus profitentis, Alex. *cons. 99. n. 10. lib. 3.* facit tex. in l. *fin. C. si maior. factus,* ibi post añum 15. nihil conquestus sit. Præsertim quia impossibile erat Decio, qui putabat se valide professum, protestari, quod per actus subsequentes non intendebat se obligare religioni. Nec tollit obicem, quod doctrina Jo. Monachi procedat in eo, qui aliquam fecit reclamationem ante lapsum annum
16 ætatis suæ 15. de quo loquitur d. c. 2. *de regul. lib. 6.* non autem in Decio, qui illam fecit post añum 15. Quia respondetur in d. c. 1. non considerari añum 15. formaliter, & per se producta illa ætate, sed respectivè tamquam primum annum, quĩ succedit post annum 14. præsignantem in masculo ætatem habilem ad profitendum. Unde idem Jo. Monach. *ibid.* Gemin. *n. 7.* notant quod dicitur ibi de anno 15. respectu masculi, verificari in 13. respectu fœminæ. Quare quod habetur ibi de anno 15. similiter hoc casu videtur verificari in anno 17. quia quemadmodum annus 15. de jure communi immediatè subsequitur añum præfixũ ad profitendum, idest 14. ut in cap. *Ad nostram,* & c. *Significatum, supra eod.* ita post Concilium annus 17. immediatè subsequitur annum præfinitum ad professionem, idest 16. ut in *d. c. 15. sess. 25. de Regul.* Concil. Trid. idque satis indicat littera *d. c. 1.* dum considerat taciturnitatem totius primi anni immediatè sequentis post ætatem præfixam ad profitendum, & declarat Nauarr. *cons. 75. per tot. de regul.*

17 Sed prædictis non obstantibus videtur respõdendum verba à Decio prolata non obstare quominus inducta fuerit tacita professio ad præscriptum d. c. 1. *de Regul. in 6.* nam etsi Jo. Mon. dicat ex delatione habitus annali non induci tacitam professionem quando sic indutus aliquam fecit reclamationem, tamen cum non aperiat qualis debeat esse dicta reclamatio, videtur intelligend* de solemni reclamatione, de qua DD. communiter loquuntur, hoc est de formali protestatione. Ita enim censet gl. in c. *Quod interrogasti, in verb. Finxit, 27. dist.* & gloss. *hic in ver. Per annum,* quam sequuntur Joan. Andr. & alii communiter. Item gloss. in Clem. *Eos, hoc tit.* & Hostien. *supra in c. 2.* & c. *Ad Apostolicam* Franch. alios referens in d. c. *1. post num. 3. in gloss. Videtur.* Prob. *ibidem nu. 7.* Ripa in c. *Cum M. num. 94. de Const.* & satis probatur in c. *Cum virum,* ibi: Cum eam non constet evidenter contradixisse, & in c. *Consulti,* ibi: Propositum suum in principio protestetur,
18 *supra eod.* Quod adeo verum est, ut non desint graves Authores qui sentiant nec solemnem quidem protestationem tamquam contrariam facto sufficere ad impediendam tacitam professionem à jure

à jure inductam: cujus sententiæ sunt Laud. & alii relati à Gemin. *in d. c. 1.* Nam protestatio non valet in his, quæ pendent consecutivè à dispositione juris, ut post Abb. pluribus probat Dec. in d. c. *Cum M. n. 67. de Const.* & vide quod scripsi post
19 Innoc. in c. 1. *n. 14. supra Quod met. caus.* Præsertim verò quia verba Decii superius relata nedum formalem protestationem non important, sed ne simplicem quidem reclamationem. Considerandum est enim in religionibus sæpe contingere, ut religiosi maximè indiscretis pœnitentiis, aut præceptis lacessiti, aut tædio strictioris vitæ affecti, aut ob aliam ejusmodi causam in similis verba prorumpant; quæ potius indicant quamdam velleitatem, seu momentaneam animi indignationem, seu displicentiam, quàm firmum propositum relinquendi religionem, & ad sæculum redeundi: arg. c. *Vulgaris. §. Cogitatio de pæn. dist. 1. c. Si quis iratus. 2. q. 3.* cum aliis adductis per Jas. in l. *Si Filiam suam n. 5. C. de inoff. testam.* Nam ut inquit Cardin. Cajetan. *tom. 1. opuscul. tract. 4. quæst. 1.* velleitas non est idem actus cum voluntate deliberata, & similiter displicentia proportionalis velleitate non est idem actus cum displicentia proportionali volun-
20 tati deliberatæ. Quibus accedit quod etiam ab expressa protestatione, ac formali animi declaratione intelligitur recessum per posteriorem perseverantiam in Religione, & actus subsequentes, quibus ratihabitio inducitur, ut est text. in c. *Cum virum, supra eodem,* ibi; Præsertim si ratihabitione secuta [etsi eum quandoque contradixisse constiterit] quod ante gestum fuerat roboratur: intelligendo textum etiam de tacita ratihabitione juxta glos. in cap. *Significatum, in ver. Ratam, supra eod.* & in matrimonio carnali probat text. clarus in cap. *Ad id quod, de sponsal.*

21 Et generaliter protestationem ita demum prodesse si fiat immediatè ante actum contrarium, secus si ex intervallo in matrimonio carnali post Vincen. concludit Præpos. in cap. *Quod interrogasti, num. 11. & seq. 27. dist.* licet secundum Vin-
22 cent. quem *hic* recitat Joan. Andr. *num. 3.* Si quis intra annum probationis protestetur se nolle in Religione remanere, quamvis aliquo tempore post annum remaneat, adhuc potest exire, c. *Pastoralis de offic. ordinar.* & si voluerit remanere, adhuc habebit añum, nisi cedat in hoc juri suo. De quo Jo. Andr. remittit ad Speculat. *de stat. Monach. in ultima quæst.*

23 Ac demum quamvis protestatio facta super dependentibus à potestate protestantis valeat, & actum vitiet, l. *Per servum, §. 1. ff. de usu, & hab.* Bart. in l. *Quod aliena, §. Celsus de acquir. hæred.* tamen secus est in iis, quæ pendent à consensu duorum, quia protestatio non valet absque consensu
24 alterius partis, cap. *Cumana,* & in cap. *Genesi, de elect.* l. *fin. §. Item si præfixerit, ff. nau. caus. sta.* Bart. per illum textum in l. *Pro herede, §. Papinianus, num. 6 vers. ultimo. ff. de acquir. hæred.* & in l. *Non solum, §. Morte, col. 5. de nov. oper. nunc.* ubi rationem adducit, quia sicut propositum in mente retentum nihil operatur, l. *Si repetendi, C. de cond. ob cau.* ita hæc protestatio facta eo ignorante, cum quo postea contrahitur, nihil debet operari in illius præjudicium. Quam rationem reddit etiam Anch. in cap. *Tua nos, num. 8. de sponf.* & sequitur Dec. in d. cap. *Cum M. num. 64. de Const.* & propterea glos. in d. cap. *Tua nos, in ver. Mulier,* quærit, si aliquis protestetur coram pluribus, quod omnia quæ dicet, vel faciet, non faciet animo contrahendi matrimonium, & postea publicè dicat, consentio in te, an sit matrimonium, necne: & resolvit esse matrimonium, & benè, secundum Jo. And. nam ex contrario daretur materia omnibus matrimonium contrahentibus sic protestanci, ut postea diverterent à conjugibus, si displicerent. Quod etiam docuit Innoc. in cap. *Veniens, il secondo de sponf.* & sequuntur in d. cap. *Tua nos,* Butr. *n. 16.* Anch. *d. num. 8.* Abb. *num. 9.* Alex. de Nævo *nu. 15.* Præpos. *num. 2. in fin.* Felin. in d. c. *Cum M. de Constit. num. 78.* ubi etiam Ripa, *num. 86.* Covarr. *in 4. Decret. 2. par. num. 3.* Quam opinionem absolutè veram dicit. Host. in d. c. *Tua nos,* quando protestatio sit sine justo metu, vel alia causa, quæ protestationem corroboret. Sed si sequatur copula, affirmat indistinctè intelligi recessum à protestatione etiam facta ex justa causa, & sequitur ibi Anchar. *num. 8.* subdens non obstare text. in l. *Qui in aliena. §. Celsus. ff. de acquir. hered.* ubi protestatio præcedens actui sequenti contraria facit præcisè, ut subsequens actus non valeat. Quia ille text. procedit in aditione hæreditatis, quæ pendet ex potestate protestantis dumtaxat: at secus esse si protestatio pendeat ex voluntate duorum, quia non
25 valet nisi innotescat parti, ut ibi per eum. Imò non sufficit, ut pars sciat, & non contradicat, sed requiritur ut expresse consentiat protestationi, idque tam in matrimonio, ne Sacramentum tam sanctum illusione, & levitate contrahentium tractetur, ut ait Covarr. *loco citato.* Sed etiam in aliis actibus secundum Bart. Alex. & alios communiter ibi relatos à Covarr.

26 At professio non pendet ex voluntate solius profitentis, sed etiam religionis recipientis, cum sit contractus ultrò, citroque obligatorius, c. *Porrectum.* & cap. *Ad Apostolicam,* & utrobique notant DD. *supra eodem* Gemin. & Franch. in c. *unic. de voto lib. 6.* Et ita in terminis tacitè professionis tradit Butr. in c. *1. n. 15. in 4. notab. supra, Quod met. caus.* ubi ait: Protestatio contra susceptionem veli de animo non profitendi non juvat protestantem non subsistente justo metu, & sic protestatio totalem detrahens sensum facti in actibus non pendentibus à facto tantum protestantis non juvat protestantem, ubi protestationi non consentit is, cum quo vinculum principaliter initur. Ergo verba Decii, quatenus etiam importarẽt formalem protestationem, tamen cum non modo fuerint prolata non consentientibus Superioribus religionis, sed nec ipsis præsentibus, & nõ contradicentibus, imò seorsum ab ipsis: nihil debent operari, & per subsequentes actus contrarios intelligitur ab illis recessum per supradicta: facit tex. in c. *Sollicitudinem, de appell.* & in l. *Cum in plures, §. Locator,* & ibi Bart. *ff. Locati,* secundum Anchar. & alios citatos in d. c. *Tua nos.* Sed contra hoc valde viget quod determinat Host. in c. *Ad Apostolicam, n. 5. supra eod.* ubi quærit quid si ex parte Monasterii tantum fiat renunciatio, puta quia Novitius protestatur quod nõ intendit se obligare religioni per lapsum temporis, sed Abbas, ac Monachi huic protestationi non consentiant, quin potius renunciant huic juri, & similibus; numquid valeat talis protestatio? Et arguit primò quod non valeat: absurdum enim esset ut ingrediens posset renunciare huic beneficio, & recipiens nõ posset renunciare, quia nec li-

cet actori quod non licet reo, vel è contra, ut notatur in cap. 2. §. *Nos verò in princip. de mut. pet.* nec debet arbitrium claudicare, cap. *fin. de arbitr.* Sed contrarium dicit esse verum, quia sicut ex causa tempus probationis arctari potest, ita & prorogari, ut notatur in cap. *Statuimus, infr. eod.* saltem usque ad triennium, cap. *Si quis incognitus*, 17. *q.* 2. Et assignat rationem diversitatis inter Novitium, & monasterium, quia potiùs in tali casu pendet obligatio ex parte ingredientis, quàm recipientium, cum & ipse ingrediens per se ad religionem servandam in genere possit se obligare etiam manens in propria domo, ut not. in d. c. *Porrectum, supra eod.* Et quia gravius periculum imminet ingredienti, quàm recipienti, ut patet in eo quod not. supra in cap. *Ad nostram*, §. *Quocirca, in princip. in ver. Solutio.* Et ideo ei magis est providendum, c. *Quaestamus*, 43. *distinction.* l. 1. §. 3. *ff. de Carbon. edict.* ibi; Nam, vel magis consulendum est his, quibus majus periculum intenditur. Et ita testatur se vidisse observari in Fratre Raymundo de Medullione Ordinis Praedicatorum, & in Petro Bermundi de Andusia, qui & de dicto ordine post multos annos exivit, & deinde etiam uxorem duxit. Concludit ergo Hostiens. protestationem novitii quod per lapsum anni non intendat se obligare religioni, valere, etiamsi Abbas, & Conventus protestationi expressè contradicant. Et cum eo transeunt ibi Jo. Andr. & Anchar, uterque *n.* 6. & Card. *n.* 8. licèt Codex Hostiensis sit mendosus, & mendosè etiam à praedictis referatur; legitur enim, Numquid valeat talis renunciatio? Et secundum hoc littera non habet sensum, & sibi contradicit. Unde legendum videtur ut dixi supra. Numquid valeat talis protestatio?

Porrò quicquid sit in matrimonio carnali, & in aliis actibus, opinio Hostiensis in professione fortè praevaleret in practica propter illius authoritatem, & rationes: arbitror tamen requiri formalem protestationem, ac praeterea ut protestatio saltem innotescat religioni per supradicta, quorum utrumque deficit in casu praesenti.

DE REGVLARIBVS.

Cap. Statuimus.

SVMMARIVM.

1 N*Ovitius infra annum probationis liberè redit ad saeculum, nisi professionem fecerit, vel appareat cum vitam voluisse mutare.*
Et quid post Concil. Trident. n. 21. & 26.

2 *Vestes professionis tempore debent benedici ut à novitiorum habitu distinguantur.*

3 *Dictio, liberè, quid importet.*

4 *Novitius recedens à monasterio absque licentia Abbatis non potest dici fugitivus.*

5 *Novitius quibus casibus prohibeatur de iure communi à monasterio exire.*

6 *Novitij qui dicantur.*

7 *Habitus religionis quotuplex sit.*

8 *Habitus professorum habet votum professionis annexum, quod impedit matrimonium contrahendum, & dirimit post contractum.*

9 *Habitus probationis, vel professionis extra monasterium sumptus non facit Monachum.*

10 *Habitus novitiorum aut patenter, aut latenter distinguitur ab habitu professorum, & num. 12. vers. Quod autem.*

11 *Benedictio habitus probationis facit ut sit censendus habitus professionis.*

12 *Habitum recipiens benedictum, vel aliàs latenter distinctum ab habitu novitiorum sciens qualitatem illam censetur tacitè profiteri.*
Declaratur num. 14.

13 *Adultus, qui per annum defert habitum latenter distinctum ab habitu professorum, censetur tacitè professus.*

15 *Beneficium ingredientis religionem an sit alteri conferendum infra annum probationis, & num. seqq. usq. ad num. 22.*

16 *Quid de iure communi.*
Et quid ex Concilio Tridentino, num. 18.

17 *Renunciatio tacita inducitur si quis consentiat ut suum beneficium alteri conferatur.*

18 *Beneficium ingredientis religionem etiam eo consentiente, aut resignante alicui conferri non potest, nisi intra duos menses ante professionem, nec resignatio effectum sortitur nisi professione sequuta, & num. 22.*

19 *Resignatio beneficij facta à novitio in undecimo mense à susceptione habitus valida est, etiamsi professio ultra annum differatur.*

20 *Beneficium ingredientis religionem non vacat ante professionem, & ideo alteri conferri non potest, & num. seqq.*

21 *Professio tacita, quae de iure communi inducebatur ex susceptione habitus professorum, vel aliàs infra annum probationis, sublata est à Concilio Trident. & num. 26.*

22 *Novitius ad saeculum rediens an recuperet bona, quae monasterio, vel alijs donavit, & num. seqq. usq. in finem.*

23 *Quid si fuerit protestatus quod monasterium intrabat animo probandi regulam.*
Et quid si nullam fecerit protestationem, n. 25.
Et quid si donaverit expressa causa propter professionem, num. 31.
Et quid si nullam causam expresserit, n. 32.
Et quid post Concilium Tridentinum numer. 34. & seqq.

24 *Professio regularis est quaedam mors quoad mundum.*

25 *Monasterium ingrediens sine protestatione, & disponens de bonis suis censetur absolutè voluisse vitam mutare, & exire non potest.*

26 *Secus post Concilium Trident.*

27 *Professus ante annum probationis elapsum, & ad saeculum rediens recuperat bona donata, quasi causa non sequuta.*
Declaratur num. 31. & 34.

28 *Professionem nullatenus emisisse, aut nulliter, paria sunt.*

29 *Donans bona sua in ingressu monasterij illa recuperat si exeat ante professionem.*

30 *Oblationi bonorum inest tacita conditio si ingrediens in religione perseveret.*

31 *Donans ex causa ingressus in monasterium si non intret, recuperat bona donata non obstante iuramento.*

32 *Donatio facta monasterio in ipsa die ingressus, licet non sit nulla ipso iure, tamen revocari debet si professio non teneat.*

Do-

33 *Donatio facta monasterio simpliciter, & absque ulla causa revocari non potest.*

34 *Donatio, seu renunciatio bonorum facta à novitio etiam cum iuramento post Concilium Trid. non valet nisi fiat cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij, & intra duos menses ante professionem.*

35 *Nec aliàs effectum sortitur nisi professione sequuta, & in hoc sublata sunt veteres Doctorum distinctiones.*

36 *Bona monasterio donata retineri non possunt novitio exeunte, aut decedente ante professionem.*

37 *Dos ante Trid. Conc. monasterio soluta post Conc. restitui debet, si puella ante professionem decesserit, deductis tamen impensis alimentorum.*

38 *Dos novitiae decedentis ante professionem debet haeredibus restitui unà cum fructibus, deductis tamen illius victu, & vestitu.*
Non obstante pacto, ut si puella post annum decesserit, facta, vel non facta professione, dos monasterio acquiritur, ibidem, vers. Quintimo.

39 *Iesuitae non comprehenduntur in decreto Concilij Trid. de Renunciationibus novitiorum.*

40 *Donationes, seu renunciationes factae ante susceptum habitum probationis an comprehendantur in decreto Concilij Trident.* cap. 16. sess. 25. de Regular. *& num. seqq. usque ad num. 47.*

41 *Lex etiam exorbitans, & poenalis extenditur ad casus similes, quando aliàs redderetur elusoria.*

42 *Novitius non dicitur nisi post susceptum habitum probationis.*

43 *Legis dispositio non adaptatur ad casum, ad quem verba legis non adaptantur.*

44 *Extensio non fit in his, quae exorbitant à iure communi etiam ex identitate rationis.*

45 *Novitij quamvis cum effectu non sint religiosi, sunt tamen personae Ecclesiasticae, & gaudent privilegio fori, & Canonis.*
Et in eorum renunciationibus non est necesse adhiberi solemnitatem à statuto laicorum requisitam, ibid. vers. Hinc S. Congregatio.

46 *Votum ingrediendi religionem non efficit voventem de foro Ecclesiae.*

47 *Monasterio an liceat durante anno probationis apprehendere possessionem bonorum sibi à novitio donatorum infra duos menses ante professionem, & cum licentia Episcopi, & num. seqq. usque in finem.*

48 *Dominium rei donatae transit in Ecclesiam, vel monasterium, etiam sine actuali traditione.*

49 *Monasterio nihil tribuendum est, vel accipiendum ante professionem ex bonis novitij, vel parentum, aut consanguineorum sub poena anathematis, & num. 55.*

50 *Novitio ante professionem abeunti omnia sunt restituenda, quae sua erant.*

51 *Monialibus prohibitum est dotes accipere ante professionem, etiam sub nomine depositi seu praestita cautione de illis restituendis, professione non sequuta.*
Etiamsi detur cautio bancaria, num. 54.

52 *Non tamen prohibitum est quin dotes realiter deponantur penes tertium, qui eas dare debeat monasterio post professionem.*

53 *Sed improbatur cautela ut depositarius totum, quod in depositum recepit, ipsum mandatario ante professionem consignet.*

54 *Indulgetur tamen Monialibus monasterii Mediolanen. ut pro solutione aeris alieni ante professionem accipiant dotes praestita per Archiepiscopum fideiussione de illis restituendis si recesserint ante professionem.*

56 *Novitius non potest ingressu aliquid donare monasterio, etiam si sit sui iuris, & non habeat parentes.*

57 *Novitia non prohibetur dare pecuniam monasterio in rationem census super monasterij bona per Moniales convertendam in dotem illius post professionem emissam.*
Pacta super convivijs exhibendis dum puella habitum suscipit, vel profitetur an sint toleranda, ibidem, vers. Insuper.

58 *Excommunicatio in dantes, & accipientes aliquid ex bonis novitij ante professionem non incurritur ipso iure, nec est Sedi Apostolicae reservata.*

59 *Moniales quae dotes acceperunt à Virginibus nondum professis, absolvuntur per Papam à peccato ne excommunicari possint ab Ordinario.*

60 *Convertitae, seu monasterio Domus Piae an liceat exigere dotes in susceptione habitus, non obstante Concilio Tridentino in* cap. 16. vers. Sed neque sess. 25. de Regular.

1 STATUIMUS. Intra probationis annum liberè quis redit ad saeculum, nisi professionem fecerit tacitam, vel expressam, vel appareat cum voluisse vitam mutare. Hoc
2 dicit primò. Secundò praecipit vestes professionis tempore benedici, ut à Novitiorum habitu distinguantur. Secunda ibi, *Nihilominus.* Et prima pars tria facit; Primò ponit dictum. Secundò excipit, ibi, *Nisi.* Tertiò exceptionis rationem subjicit, ibi, *Cum quilibet.* Vel secundum Hostiens. *in princ.* Joan. Andr. *num.* 4. & Card. *in* 4. *notab.* A contrario sensu primò ponit regulam; deinde
3 excipit quatuor casus. Regula est, Ingrediens religionem exire potest liberè, & dic, Liberè, idest Superioris licentia nullatenus requisita: nam de significatu hujus dictionis est ut non requiratur alicujus licentia, ut notatur in cap. *Licet Episcopus, de praeben. lib.* 6. & in cap. *De multa, eodem tit.* tex. in c. *fin.* §. *fin. de consuetud. lib.* 6. & in c. *Cum plures,*
4 & ibi glos. *in verb. Liberè, de offic. deleg. eod. lib.* Unde fit ut novitius non possit dici fugitivus si recesserit à monasterio absque licentia Abbatis, ut *hic* per Abbatem *in primo not. num.* 2.
5 Primus casus exceptus est, si habitum professorum suscepit. Secundus, si professionem expressam fecit. Tertius, si per annum in religione perseveravit. Quartus, si omninò vitam mutare voluit. Quos quatuor casus enumerat etiam idem Host. in cap. *Super eo num.* 5. *supra eod.* & duos alios addit. Primus est, si ingrediens juravit nunquam exire, ut cap. *penult. supra, quod met. caus.* cap. *Si verò,* & cap. *Cum contingat, de iureiur.* Secundus, si eo pacto fuit manumissus ut non exiret, cap. *Eò libentius, supra, de serv. non ordinat.* & cap. 2. *insr. de condition. appos.* Sed hodie suprascriptos casus tempera, ut dicam infra in 1. *not.* & fusius *in* 1. *quaest. num.* 20. excepto tamen tertio, scilicet de eo, qui per annum in religione moram traxit, in quo hodie servandum erit quod praescribitur in cap. 1. *insr. eod. lib.* 6. & in Clem. *Eas, eodem tit.*
6 Nota primò illud verbum, *Novitius*; nam tales dicuntur de novo recepti, & vestimentis probatio-

tionis induti nullo voto emisso, secundum Innocen. Abb. Antiq. Host. & Joan. Andr. omnes *in princip.* & Jo. de Anania *in 1. not.* Alibi verò Novitii dicuntur Scholastici non instructi, qui sub disciplina degunt, dato etiam quod sint professi, ut inquit glos. in Clem. *Ne in agro*, §. *Sane*, *in ver. Novitius de stat. Monachor.* Et de significatione hujus verbi vide Bart. in l. *fin.* §. *Quoties*, *num. 1. & 2. ff. de publican.*

7 Secundò nota duplicem habitum Religionis, videlicet novitiorum, & professorum. De multiplici autem habitu vide textum in cap. 1. *infr. eod. lib. 6.* & in Clem. *fin. eod. tit.* & ibi plenè per Abbatem, & plenius *hic* per Henrich. Boich. *col. 1. vers. Tu verò distingue.*

8 Tertiò nota, ibi, *Qui datur profitentibus.* Habitum professorum habere votum professionis annexum, adeo ut eo ipso, quod quis in religione hujusmodi habitum suscipit monachus efficiatur, & ejus votum intelligatur solemnizatum, nec amplius sit ei facultas ad seculum redeundi, & de tali habitu loquitur hæc decretalis, de quo etiam potest intelligi cap. *Vidua*, *supra eod.* cap. *Quod interrogasti*, *27. distin.* cap. *Vidua*, *27. quæst. 1.* & cap. *Quem progenitores*, *20. quæst. 1.* & hujusmodi habitus impedit matrimonium contrahendum, & dirimit post contractum, cap. 1. *27. quæst. 1.* & hic notat glos. 1. Abb. Antiq. *in ver. Novitios*; Host. *num. 1. in ver. Religiosus*, & Butr. *num. 6.* Archid. in cap. *Beneficium*, *num. 1. infra eod. lib. 6.*

9 Unde illud tritum, quod habitus non facit Monachum, verum est in habitu probationis, vel in habitu professionis extra monasterium sumpto; sed receptus in ingressu Religionis utique Monachum facit, ut hic probatur, & notabiliter declarat Hostien. *num. 2. in ver. consuevit*, & Archid. *ubi supra.* Sed an hæc limitatio vera sit, præsertim post Concilium Tridentinum plenè examinavi in c. *Porrectum*, *in 5. notab. supra eod.*

10 Quartò nota distinctionem habitus professorum ab habitu novitiorum duplicem esse. Quædam enim est patens, idest colore, scissura, vel forma, ut in Clem. *Eos*, *de regular.* Quædam est latens, quæ scilicet fit per benedictionem, & de hac lo-

11 quitur hæc Decretalis in fine: nam talis benedictio efficit ut sit censendus habitus professorum secundum Innocen. *in fin.* & Abb. Antiq. *itidem in fin.* Host. *num. 2.* Jo. Andr. *num. 5.* & Collectar.

12 *eod. n.* Unde suscipiens hujusmodi habitum benedictum sciens qualitatem illam videtur tacitè profiteri, cum suscipiat habitum professorum, ut inquit Butr. *n. 5.* Quod autem hic dicitur de benedictione, intelligas per modum exempli: nam alia quoque sunt signa distinctionis latentis, videlicet si habitus professorum detur in Capitulo, habitus verò novitiorum in Choro, vel è contra: aut si habitus novitiorum detur ab una persona, professorum ab alia; aut si unus detur certis diebus, alius aliis, aut si cum certa solemnitate detur unus, & non alius, ut *hic* declarat Henr. Boich. *col. 2. vers. in secundo verò casu*, & ante eum glos. in d. Clem. *Eos*, *in verb. Deinceps*, *vers. Hodie verò*, quæ dicit [habitum distingui latenter per benedictionem vestium, personam dantem, locum, vel formam dationis; ex duabus enim capis, quarum altera benedicta, vel data per Provincialem vel in Capitulo, altera non, primam à secunda discernere nescis.] Hæc glos. Quapropter quisquis scienter recipit habitum aliquo ex prædictis modis latenter distinctum ab habitu novitiorum eo

13 ipso intelligitur tacitè profiteri. Observa tamen accurate, quia in casu speciali per dictam Clem. *Eos*, *de regular.* sublata est differentia habitus latenter distincti, videlicet quoad inducendam professionem tacitam in adulto per delationem habitus ultra annum: nam ante prædictam Clem. deferens per annum habitum novitiorum distinctum ab habitu professorum qualiscunque foret distinctio nō intelligebatur tacitè profiteri etiamsi multos años in religione perseveraret, ut notat Abb. Antiq. in c. *Consuluit. supra eod.* & post eum glos. in d. Clem. *Eos*, *in ver. Deinceps*, *in fin.* Sed ad hoc in adulto requirebatur ut habitus esset indistinctus, vel indistinctissimus, ut hic, & in cap. *Ex parte*, *supra eod.* & apertius in cap. 1. *vers. Qui verò*, *eodem tit. lib. 6.* Sed hoc hodie corrigitur in adulto si distinctio sit latens: nam major años quatuordecim si per annum deferat habitum novitiorum latenter distinctum ab habitu, qui profitentibus datur, eo ipso intelligitur tacitè professus, non secus ac si deferret habitum indistinctum, vel indistinctissimum; quia per d. Clem. major, qui per añum defert habitum novitiorum non intelligitur esse professus si habitus hujusmodi in colore, scissura, vel forma sit distinctus ab habitu professorum. Ergo à contrario si non ita sit distinctus, sed latenter duntaxat, intelligitur tacitè profiteri; & distinctio latens quoad hunc specialem effectum nihil operatur, sed perinde est ac si habitus esset prorsus indistinctus, vel indistinctissimus, & ita declarat ibi glos. præalleg. in ver. *Deinceps*, quæ à Doctoribus communiter approbatur. Sed extra hunc casum remanent jura antiqua ut sufficiat

14 qualiscunque distinctio. Ideoq; major recipiens habitum professorum latenter distinctum ab habitu novitiorum hodie, sicut olim censetur tacitè profiteri, ut ibi per glossam, & habent locum quæ superius dicta sunt *num. 11. & 12.* dummodo tamen excesserit añum decimumsextum ætatis, & non minori tempore quàm per añum in probatione steterit; aliàs secus: nam expressa professio antea facta est nulla, ut in Decreto Concilii Tridentini *cap. 15. sess. 25. de regular.* & consequenter sublata est etiam professio tacita, quæ olim inducebatur in majore annis quatuordecim per susceptionem habitus professorum infra añum probationis, ut declaravit Sacr. Congregatio ejusdem Concilii Interpres.

15 In glossa prima QUÆRO, Si clericus beneficiatus religionem ingrediatur, numquid Episcopus teneatur expectare quousq; años probationis labatur priusquam ejus beneficium conferat.

16 Glossa ponit tres opiniones, & solvit, concludens æquius esse ut teneatur expectare. Idem firmat Vincentius, & post eum Hostien. in c. *Consulti*, *supra eod. num. 10.* & idem Hostien. *hic num. 1. vers. Quid si Clericus*, Butr. *num. 7.* & Card. *num. 4. in 2. quæst.* Innoc. in cap. *Postulasti*, *supra eod.* & plerique alii.

Tu teneas hanc ultimam opinionem glossæ, quæ non solum est æquior, ut glossa dicit, sed etiam verior, & hodie approbata per determinationem Papæ in c. *Beneficium*, *infr. eod. lib. 6.* deciditur

17 beneficium ingredientis religionem non esse alicui conferendum infra añum probationis, nisi in quatuor casibus. Primus est si ejus ad id accedat assensus; tunc enim beneficio renunciat, & ideo licitè alteri confertur, cap. *Ex transmissa de renunciat.* & notat glos. in d. cap. *Beneficium in ver. Assensus*, Petr. de Anchar. *in 2. notab.* & Franc. *num. 4. in glos. in ver. Assensus.* Secundus, si constet eum absolutè vitam mutare voluisse. Tertius, si professionem expressam fecerit. Quartus, si scienter habitum receperit professorum. Interim tamen debebit per substitutum beneficio deserviri, assignata ei congrua portione ex proventibus beneficii.] Hæc ibi.

18 Sed hodie hi quatuor casus modificati, & correcti sunt jure novissimo Concilii Tridentini in *c. 15. & 16. sess. 25. de regular.* Nam quoad primum casum, quicquid scripserit Nicola. Garzia *in tract. de benefic. part. 11. cap. 3. n. 12. & 13.* & Moderni Collectores *hic*, durante año probationis beneficium ingredientis religionem alteri conferri nō potest, etiamsi illius ad hoc expressus accedat assensus, vel renunciatio, nisi infra duos menses proximos ante professionem, nec renunciatio effectum sortitur nisi professione sequuta; quia forma à Concilio præscripta in *d. cap. 16.* in renunciationibus faciendis servari etiam debet in renunciatione beneficii, ut S. Congregatio declaravit. Nam consulta, An d. cap. 16. loquens de renunciationibus comprehendat etiam resignationem beneficii:

19 Respondit comprehendere. Et aliàs proposito dubio, An si resignatio alicujus beneficii fiat incœpto undecimo novitiatus mense postquam novitius fuit in monasterio decem continuis mensibus, valida intelligatur, etiamsi professio differatur per aliquod tempus ultra añum, ita ut inter resignationem, & professionem plusquam duo menses intercedant: Congreg. parva inclinavit duos menses intelligi non ante añum, sed ante professionem. Tamen quia casus est exemplari rejectus ad Congregationem Generalem, consultus Doctor Navarrus respondit resignationem esse validam, & sufficere ut renunciatio fiat intra duos menses proximos tempori constituto ad emittendam professionem à Concilio; illud enim tempus respexisse videtur. Habita Congregatione Generali, ex septem Cardinalibus tres senserunt cum Navarro, Alii verò quatuor senserunt contra Navarrum, videlicet, resignationem non valere, tamen referendum ad Sanctissimum; Sanctitas sua audita Congregationis sententia primò dixit se credere, d. cap. 16. non procedere in resignatione beneficii, & licet aliàs Congregatio ita censuerit, tamen cogitandum super hoc, item procedere tantum in Monialibus, licet verba generalia sint, & Congregatio generaliter intellexerit. Item etiamsi in beneficiis procederet, tamen resignationem esse validam, licet facta per plures menses ante professionem prorogatam, & ut omnem casum posse novam provisionem resignationis peti, cum de ejus validitate dubitetur. Licet Sanctitas sua declaraverit verba Concilii, intra duos menses proximos ante professionem, intelligi etiamsi professio ultra plures menses anni probationis sit facta; & sic resignationem, de qua in illo casu, valuisse. Sacr. Congregatio auditis his, primò dixit, licet Sanctissimus protulerit illa verba quod cap. 16. habeat locum tantummodo in Monialibus, tamen non se firmasse in hoc; & ideo de eo nullam habendam rationem, sed cap. 16. intelligendum etiam in viris, prout Congregatio hactenus intellexit in pluribus casibus. Secundò dixit, quamvis Sanctitas Sua dixerit se non putare dict. cap. 16. procedere in resignatione beneficii, attamen quia Congregatio alias contrarium tenuit, & ita in casu Spoletan. supplicatio fuit expedita à Pio V. ideo si casus contingat imposterum de resignatione beneficiorum, loquendum iterum cum Sanctitate Sua, & dicendum quid aliàs Congregatio censuerit, & quid Pius V. fecerit, ut meliùs Sanctitas Sua possit postea deliberare. Hæc quoad primum casum exceptum in d. cap. *Beneficium*, *infr. eod. lib. 6.* Quo verò ad reliquos tres, cum hodie ex decreto *d. cap. 15. sess. 25. de regular.* professio fieri non possit infra annum probationis, sive ingrediens religionem professionem expressam fecerit, sive absolutè voluerit vitam mutare, sive habitum susceperit professorum; ante añum probationis elapsum, ejus beneficium alicui conferri non potest, cum eo de-

21 creto ex sententia S. Congregationis sublata sit etiam professio tacita, quæ de jure communi ex susceptione habitus professorum, vel aliàs inducebatur infra tempus probationis, ut hic, & in cap. *Super eo*, ubi Innoc. & omnes notant *supra eod.* & in cap. *1. in 1. resp. infra eod. lib. 6.* Unde cum nulla sit professio, beneficium non vacat, & consequenter conferri non potest, cap. *1. de concess. præben.* & notat Anchar. in d. cap. *Beneficium*, *nu. 1.* & Franc. *in 3. not.*

22 Secundò QUÆRO, An sicut novitius ad seculum rediens recuperat beneficium, idest de facto, cum illud ante professionem non perdiderit, ut per Cardinal. *in 2. not.* ita etiam recuperet alia bona, quæ monasterio, vel aliis donavit.

23 In hac quæstione Host. *hic num. 4. vers. Quid de his quæ legaverat*, utitur hac distinctione, videlicet, aut talis protestatus est, quod conditionaliter intrarat intendens regulam probare, & omnia recuperat; quia intelligitur mortis causa donasse; unde causa non sequuta est locus recuperationi, nisi aliud in donatione expresserit, arg. l. *Mortis*

24 *caus. ff. de donat. caus. mort.* Professio enim est quædam mors quoad mundum, ut in Auth. *de Monach. in princ.* & l. *Deo nobis*, *C. de Episc. & cleric.* & notat Bald. *cons. 240.* incip. *Quia dicta oblatio*, *circa finem*, *vers. Constat autem*, *lib. 5.*

25 Aut nullam fecit protestationem, & nihil recuperat; quia censetur absolutè voluisse vitam mutare, ex quo de bonis suis ante ingressum disposuit, & exire non potest, ut Auth. *Ingressi*, *C. de Sacr. sanct. Eccles.* & notat idem Host. in c. *Consulti*, §. *1. in ver. Mutare*, *supra eod.* & cum eo transeunt hic Jo. Andr. *in 2. vers. Quid de his quæ legaverat*, Card. *in 2. notab. & in 4. quæst.* Abb. *n. 3. vers. Sed quæris hic Host.* & alii communiter.

26 Verum hodie ego non puto hoc secundum membrum amplius procedere: nam Doctores fundant se in eo, quod qui ingreditur absque protestatione, & de bonis suis disponit, cum videatur velle absolutè vitam mutare, & hoc censetur tacitam professionem emittere, ut hic, ex in c. *Consulti*, *supra eod.* & in c. *Beneficium*, *hoc tit. lib. 6.* Unde non mirum si bona non recuperat; quia per professionem jam fuerunt monasterio irrevocabiliter acquisita, cap. *Quia ingredientibus*, *16. q. 1.* & d. Auth. *Ingressi*, *cum suis concordantibus.* Petr. de Perus. inter consilia Felin. *cons. 49. Viso puncto prædicto*,

prædictis, col. 2. Sed hodie etiamsi ingrediens voluerit anteactam vitam mutare, quinimmo etiamsi professionem expressam fecerit; non tamen propterea est professus validè, nec religioni alligatus ante annum probationis elapsum. Obstat enim jus novissimum Concilii Tridentini in d. *cap. 15. sess. 25. de Regular.* ut fusius dictum est supra n. 21.

27 Quamobrem cum nulla sit professio, & novitius quandocumque exire possit infra tempus probationis, consequens est ut recuperet bona donata quasi causa non sequuta, ut in primo membro distinctionis Host. l. *Cum veterum, C. de donat. ante nupt.* & l. *Si à sponso, C. eod.* & in hac specie tradiderunt Bald. *d. cons. 240. lib. 5.* Calder. *cons. 412. Donatas ingrediens, num. 27. de Regul.*

28 Parta enim sunt professionem nullatenus emisisse, aut emisisse, sed nulliter, idest infra annum probationis, ut patet in d. *cap. 15. vers. Professio*
29 *autem.* Sed ingrediens religionem, & donans, vel offerens bona sua in ingressu, utique illa recuperat si è monasterio exeat ante emissam professionem; quia oblatio hujusmodi sequitur personam, licet juramentum intercesserit: ita Feder. de Sen. *cons. 257. Casus talis est. Quidam nomine Thomas,*
30 *num. 2. vers. Nunc quæritur.* Item tali oblationi inest tacita conditio, si ingrediens religionem perseveret, cap. *Quod à te, §. Sane,* & ibi notatur in glos. *final. vers. Propter hoc dicunt quidam, infra de cler. conjugat.* Petr. de Perus. *d. cons. 47. n. 8.* Ergo idem dicendum si professionem fecerit. Sed nulliter, argum. cap. *Inter corporalia, de translat. Episcop.*

31 Cæterum prædicta intellige si donatio facta fuerit monasterio expressa causa propter professionem; tunc enim si professio non tenuit, competit repetitio; quia datum ob causam, & causa non fuit sequuta, ut l. *Non omnis, ff. Si certum petat.* & l. *Si pecuniam, ff. de condict. ob caus.* & ita, relatis aliorum opinionibus, firmat Calder. *d. cons. 27. vers. Ex opinionibus supradictis concludo;* & idem est si donet ex causa ingressus; nam si non intret, recuperat bona donata, Curt. Jun. *cons. 441. Habita diligenti, num. 13.* etiamsi donatio sit vallata juramento, Soc. *cons. 183. Eleganter, num. 3. & 4. lib. 2.*
32 Dec. *cons. 86. Pro tenui. col. 4.* Quòd si in donatione non fuerit expressa causa, tunc refert; nam si aliunde appareat donationem factam fuisse intuitu, seu contemplatione ingressus, puta quia facta fuerit in ipso ingressu, vel eadem die, hoc casu quamvis donatio non sit nulla ipso jure, sicut est quando causa est expressa, tamen competit jus revocandi, secundum opinionem Bartholom. Brixien. & sequacium, propter conditionem subintellectam, juxta notata per Jo. Andr. *in Addit. ad Specul. in tit. de donat.* & declarat Calder. *dicto cons. 27. ad fin.* dicens talem donationem, quamvis teneat mero jure; tamen esse revocandam per judicem, non obstante juramento, maximè si idcirco non teneat professio, quia Superiores non poterant intra annum recipere ad professionem
33 contra cap. *Non solum, de Regular. lib. 6.* Sin autem non appareat an donatio fuerit facta contemplatione ingressus, nec ne, sed facta fuerit simpliciter, & absque ulla causa; tunc revocari non potest, cap. *Nemo enim, 32. q. 1.* l. 2. & 3. & l. *Generaliter, C. de revoc. donat.* l. *Perfecta, C. de donat. quæ sub mod.* glos. *ult. in d. cap. Quod à te, de cler. conjugat.* nam res semel ecclesiæ, vel monasterio donatæ sunt Sanctum Sanctorum Domino, & in profano usus amplius non sunt transferendæ, cap. *Nulli liceat, 12. q. 1.* cap. *Quæsti, 13. q. 4.* Innoc. in cap. *Verum, num. 2. vers. sed nos contrarium credimus, de for. compet.* De hoc tamen articulo vide latissimè cumulata per Tiraquell. *in tract. de retractu conventionali, rubr. ad fin. tit. num. 10. & seq. maximè num. 15.*

34 Verum hodie in his servari debet dispositio Concilii Tridentini in *cap. 16. sess. 25. de Regular.* quo statutum est, ut nulla renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri nisi sequuta
35 professione. Quo decreto sublata est prædicta distinctio Calderini inter donationem factam expressa causa propter professionem, & factam sine causæ expressione. Item sublata est alia distinctio Doctorum, præsertim Abbatis in cap. *Verum, infra de condit. appos.* videlicet an donatio facta fuerit sub conditione, an sub modo. Item sublatæ sunt aliorum opiniones, maximè Bart. & Bald. in d. Auth. *Ingressi,* distinguentium inter scientes professionem non tenere, & ignorantes, ut in primo casu non competat repetitio, l. *Campanus, ff. de oper. libert.* & l. *Cum per errorem, ff. de reg. jur.* in secundo autem competat arg. l. *Si pater,* & l. *Nec apud, C. de hered. instituend.* nam hodie indistinctè donatio non sortitur effectum non sequuta professione.
36 Hinc cum duo novitii religionem ingressi bona sua monasterio servata forma Concilii donaverint, posteaque uterque decesserit, sed alter revocata, alter verò non revocata donatione: Fuit dubitatum, An monasterium possit retinere bona saltem illius, qui donationem non revocavit. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit neutrius bona posse retineri per monasterium, cum non sequuta professione, nulla fuerit renunciatio.

37 Præterea cum puella ante Concilium monasterium ingressa post dotem traditam non emissa professione decessisset, & post Concilium dos repeteretur: dubitatum fuit an jure repeti posset. In Congregatione fuit paulisper dubitatum; quia Concilium *cap. 16. sess. 25. de Regular.* videtur loqui quoad futura tantum, nec de morientibus mentionem facit, sed simpliciter de abeuntibus; tamen quia verba illa Concilii, abeuntibus indistinctè prolata, videntur etiam ad præterita referri. & esto quod non referrentur, dos videtur restituenda ex quo non est sequutum matrimonium spirituale nulla facta professione: Ideò Sac. Congregatio censuit; seu jus commune spectemus, seu Concilium, non facta professione, dotem esse restituendam, restitutis tamen monasterio impensis, quas in alimenta fecit.

38 Amplius cum dubitatum fuerit, An si mulier ingressa monasterium intra tempus probationis decedat, dos soluta ejus hæredibus unà cum fructibus, si quos monasterium percepisset, restitui debeat: S. Congregatio censuit ita debere, deducto tamen victu, & vestitu Novitiæ.

Ad hæc: Puella monasterium ingressa est cum pacto, ut si infra annum moreretur, dos restitueretur dotantibus; si verò post annum facta, vel non facta professione, acquireretur monasterio; stetit

ibi per annum, & menses tres cum velo albo, in quo incedunt novitiæ, cum tamen professæ incedant cum nigro, nulla facta expressa professione; postea decessit. S. Congregatio censuit secundum ea quæ proponuntur, dotem esse restituendam hæredibus defunctæ.

39 Ab hoc tamen Trident. Concilii decreto formam præscribente in renunciationibus faciendis excipiuntur primo Clerici Societatis Jesu: nam olim proposito dubio, An Jesuitæ comprehendantur in prima parte, c. 16. sess. 25. de Regular. ubi agitur de renunciationibus: Aliàs S. Congregationi in casu particulari consultæ visum fuit comprehendi, & solum excipi in secunda parte, ubi agitur de novitiatu; tum quia exceptio referenda videbatur ad proxima; tum quia ratio exceptionis non ita videbatur militare in prima parte, sed postea accuratiùs rem ratam perpendendo censuit Jesuitas etiam in prima parte d. c. 16. excipi, tamen quia Pius V. dixerat amplius deliberãdum, S. Congregatio iterum fuit alloquuta Sanctitatem suam, quæ demum contenta fuit concedere declarationem, tanquam conformem menti, & verbis Concilii d. c. 16. Quamobrem ab eo tempore responsum est Clericos Societatis Jesu decreto c. 16. sess. 25. de Regular. non solum exceptos esse quoad emittendam professionem, sed etiam quoad obligationes, & renunciationes; adeo ut etiam ab eorum novitiis quandocumque & sine cujusque licentia factæ nullitati d. decreti minimè subjaceant. Deinde ab hoc decreto videntur excipiendæ mulieres Pœnitentes, seu Convertitæ ex his, quæ dicentur infra *num. 60.*

40 Sed non levis est difficultas, An decretum Concilii in d. c. 16. vendicet sibi locum in donationibus, seu renunciationibus factis ante ingressum in monasterium, seu ante susceptum habitum probationis. Et quidem Navarrus *cons. 81. incipien. Nobilis,* hoc titulo consuluit in casu puellæ tredecim annorum, quæ monasterium ingressura donavit patruo bonam partem bonorum suorum antequam fieret novitia, quia decreverat monasterium intrare, & *cons. 82.* immediatè sequenti, quod incipit, *An donatio.* Itidem consuluit in casu donationis, seu renunciationis bonorum factæ occasione futuri ingressus in religionem ab eo, qui nondum religionem intraverat, nec habitum susceperat, cum pacto ut si donator ante professionem è monasterio exiret, prædicta donatio esset nullius momenti. Et utroque casu respondit donationem esse nullam ob non servatam formam à
41 Concilio præscriptam in d. c. 16. Motus eo præcipuo fundamento, Quod lex etiam exorbitans, & pœnalis extenditur ad casum similem, ad quem si non extenderetur, esset frustratoria, ut cap. *Si civitas, de sent. excomm. lib. 6. cap. 2.* & ibi glos. *in ver. Aliter facta, de usur. eod. lib.* cum aliis per eum allegatis. At si Concilium non extenderetur ad hunc casum, facilè frustraretur secundum eum. Præsertim verò, quia parentes, vel cognati ad bona pueri, vel puellæ aspirantes facilius id consequi possunt ante ingressum, suadendo illis ut donent bona sua, cum sint juniores, & minus sapiant, magisque subjiciantur imperio parentum, vel tutorum, & plus habeant timoris reverentialis: ad hoc cap. *Illud puellæ, 20. quæst. 1.* & cap. *Cum virum, supra eodem.*

42 Sed his minimè obstantibus absolutè tenendum est Concilium non vendicare sibi locum in donationibus, quæ fiunt ante ingressum monasterii, seu susceptum habitum probationis: nam decretum d. cap. 16. loquitur de novitiis, ut patet ex integra serie illius contextus: tales autem dici non possunt antequam re ipsa habitum probationis susceperint, ut colligitur ex verbis *cap. 15.* immediatè præcedentis, ibi, Post susceptum habitum in probatione steterit, & fusiùs deduxi in c. *Quia ingredientibus, num. 7. supra de testamen.* Idque ipsemet Navarr. fatetur *in præcitato cons. 81. in princ.*

43 Unde cum renunciationibus factis ante susceptum habitum verba Concilii non adaptentur, consequens est, ut nec adaptetur dispositio, l. 4. *§. Toties,* & ibi Bart. *ff. de damn. infect.* l. *Gallus, §. Et bene verba se habent, ff. de liber. & posthum.* Alex. *cons. 199. Perspectis, num. 1. in fin. vers. Item quia dispositio, lib. 6.*

44 Neque obstat quod in utroque casu vigeat eadem ratio: nam respondetur primo cum Concilium præscribat novam formam, & imponat pœnam nullitatis actus, tanquam exorbitans à jure communi, & pœnale extendi non debere ad alios casus etiam ex identitate, vel majoritate rationis, cap. *Quæ à iure,* & ibi glos. Notabilis, *de regul. iur. lib. 6.* glos. in cap. *Constitutionem, in ver. Prorogamus, de Regular. eodem lib.* Feder. de Sen. *consil. 25. Casus talis est,* cui consilio se subscripsit Jo. Andr. Bart. *cons. 2. Domino Ioanni, num. 2. vers. Nunc sic arguo, lib. 1.* Jo. de Anania *cons. 27. Viso casu, num. 7. & seq. vers. Non obstat,* & Angel. *con-*
45 *sil. 302. Visis, in princ.* Deinde respondetur non deesse sufficientem rationem diversitatis cur Concilium voluerit comprehendere tantummodo renunciationes factas à novitiis, non autem ab aliis, qui nondum habitum susceperunt; si quidem novitii, quamvis religiosi censeri cum affectu non possint, ut dicitur in cap. *Religioso, §. Quamvis autem, de sent. excomm. lib. 6.* sunt tamen personæ ecclesiasticæ, ut ibi notat glos. *in ver. Non possit,* & negari non potest quin sint religiosi quoad jurisdictionem, & tuitionem Ecclesiæ; nec diceremus tales esse conveniendos coram judice sæculari, sed ecclesiastico tãtum, ut formaliter inquit Host. *hic num. 4. vers. Nec obstat,* & dum ille tex. asserit eos non esse religiosos cum effectu, admittit eos esse religiosos, sed revocabiliter, ut declarat glos. in c. *Beneficium, in verb. Conferendum, post medium, vers. In contrarium, infr. eod. lib. 6.* & Hostien. *ubi supra.* Unde & canonis privilegio gaudent, ut est casus in d. §. *Quamvis.*

Hinc S. Congregatio declaravit in renunciationibus, quæ à puellis post regularem habitum animo profitendi assumptum intra probationis añum in favorem consanguineorum fiunt opus non esse adhiberi solemnitatem à laicorum statuto requisitam. Quippe forum sortiri, & statutis ligari à pari procedunt. Innoc. *in Rubr. de consuetud.* & post eum Butr. *ibidem num. 7. vers. Unam regulam habetis.* Decius in cap. *Quæ in Ecclesiarum num. 15.*
46 *de constit.* At verò qui nondum habitum susceperunt, non sunt personæ Ecclesiasticæ, nec propositum ingrediendi, aut professionem emittendi facit eos de foro Ecclesiæ, arg. l. *Fugitivus, ff. de verb. signif.* alioquin esset in facultate cujuscumque se eximere à judicio sæculari asserendo se habere animum assumendi monachatum, & frustra jurisdictiones essent distinctæ, ut c. *Cum ad verum,* & c. *Si*

Imperator, 96. *dist.* & cap. *Solitæ*, *sup. de maior. & obed.* Quinimmo hoc vendicat sibi locum etiamsi tales emiserint votum ingrediendi religionem, ut notat Innoc. in cap. *Porrectum*, *num.* 3. *vers. Nec sunt istæ personæ de foro Ecclesiæ*, *supra eod.* Unde non mirum si Concilium noluit legem dicere illorum renunciationibus, sed novitiorum dumtaxat, alioquin præbuisset ansam Principibus, & Magistratibus sæcularibus conquerendi, quod posuisset falcem in messem alienam, contra d. c. *Cum ad verum*, & notata per Innoc. in cap. *Per venerabilem*, *num.* 3. *infr. qui filii sint legitimi*, quodque Episcopis potestatem dedisset interponendi licentiam, & authoritatem in contractibus merè profanis personarum sæcularium, quæ in his jurisdictioni Ecclesiasticæ non sunt subjectæ, cap. *Si clericus laicum*, *supr. de foro compet.* & docet idem Innoc. in cap. *Inquisitioni*, *vers. Item si præcipiat laicos*, *num.* 4. *infr. de sent. excomm.* Rursus non obstat quod lex etiam exorbitans, & pœnalis extendatur ad casus similes, & habentes eamdem rationem, quoties nisi fieret extensio redderetur elusoria, juxta Theoricam Navarri: nam respondetur negando hanc similitudinem, & identitatem rationis inter novitios, & alios, qui nondum susceperunt habitum: imò valde differunt, ut supra proximè ostensum est. Et cum in decreto Concilii, sive spectemus verba, sive mentem, non includantur nisi novitii, utique qui nondum est novitius, renunciando, seu donando servata forma juris communis Concilium non frustrat, cum faciat actum sibi à jure permissum, arg. cap. *Qui peccat*. 23. *q.* 4. *l. Quod Reip.* l. *Injuriam*, & l. *Injuriarum actio*, §. *Is qui inter*, *ff. de injuriis*, nec renunciationes puerorum, vel puellarum factæ ante habitus receptioné propterea remanent sine sua provisione; quandoquidem hic casus tanquam omissus à Concilio remanet in dispositione juris communis, l. *Commodissime*, *ff. de liber. & posthum.* à quo satis cautum est ut donationes hujusmodi causa non sequuta non sortiantur effectum, ut abundè ostensum est supra *n.* 29. *& seqq.*

Tandem hanc sententiam contra Navar. sæpius procedit S. Congreg. Concilii. Aliquando enim cons. d. c. 16. sess. 25. de regular. sibi locum non vendicare in donationibus factis ante susceptum habitum probationis; sicuti etiam reperitur adnotatum in calce prædictorum *cons.* Navarri 81. & 82. & alias consulta, An illud c. comprehendat renunciationes factas ante ingressum, illius tamen contemplatione, respondit non comprehendere renunciationes factas ante ingressum, hoc est ante habitus susceptionem. Quinimmo præsuppositis duabus Congregationis declarationibus super d. c. 16. Altera quod ibi minimè infringantur renunciationes factæ ante ingressum religionis: Altera quod ex eo decreto renunciationes factæ in ipso ingressu non valeant: Quæsitum est, An cum Claræ Buccapadulia renunciaverit bonis tam paternis, quàm maternis ead. die, qua ingressa fuit monasterium, prædicta ejus renunciatio sufficiat, an nova requiratur ante professionem, juxta formam à Concilio præscriptam. Die 22. Junii 1613. [...] Congregatio censuit decretum d. cap. 16. non [...]icare sibi locum in renunciationibus factis [...]um, seu momentum susceptionis habitus; [...]a ex eo decreto suprascriptam renun[...] esse nullam.

[...] quæstio, cùm valida sit donatio facta à Novitio in favorem monasterii cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii infra duos menses proximos ante professionem; numquid monasterio statim liceat apprehendere actualem possessionem bonorum sibi, ut præfertur, donatorum.

48 Breviter respondeo non licere, nam etsi dominium rerum donatarum transeat in Ecclesiam, vel monasterium etiam sine traditione possessionis, l. *Ut inter divinum*, *C. de Sacrosanct. Eccles.* & notat Calder. *cons.* 27 *post med. vers. Si vero causa*, *de regu-*
49 *lar.* Tamen decreto Concilii Tridentini *in præcitato c.* 16. *sess.* 25. *de regular. in vers. Sed neque disertis verbis interdicitur* ne ante professionem excepto victu, & vestitu Novitii, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut Curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facilè si discesserit, id recuperare
50 possit; immo præcipitur sub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant.

51 Quo decreto cum prohibitum sit Monialibus accipere dotes puellarum ante earum professionem; idemque ex decisione S. Congregationis procedat etiam si accipiant sub nomine depositi, seu præstita cautione de illis restituendis, profes-
52 sione non sequuta: Quæsitum est, An etiam prohibitum intelligatur ne hujusmodi dotes realiter deponantur penes tertium, qui eas monasterio debeat dare post professionem emissa, S. Congregatio censuit non intelligi prohibitum, & ita satis cautum esse monasterio.

53 Hinc orta dubitatione, An cautela adinventa à Monialibus Civitatis Alexandrinæ, ut quando aliqua puella monasterium ingreditur depositum dotis prius fiat, & deinde omne id, quod in depositum recipitur, totum depositarius ipsi monasterio ante professionem consignet, sit contra dispositionem Concil. Tridentini *cap.* 16. *sess.* 25. *de reg. vers. Neque ante professionem*: S. Congregatio censuit decretum Concilii d. cap. 16. non prohibuisse quidem hujusmodi depositum; sed quod pecuniæ sic depositæ dentur monasterio directè, vel indirectè, & in spem modo hic descripto, videri omnino prohibuisse. Et licet aliàs S. Congregatio in casu Neapolitano visa fuisset sentire posse dari, præstita idonea cautione bancaria: tamen nunc censuit non scribendum amplius in futurum secundum illam sententiam, sed secundum istam posteriorem, ut nullo modo detur Monasterio, nec cum deposito, nec sine.

54 Quinimmo cum moniales quædam Mediolanen. pauperes ære alieno contracto, quotidie ad solutionem etiam per censuras urgerentur, supplicarunt Sanctissimo ut eis liceret accipere tres dotes ab ingredientibus mulieribus, etiam ante professionem, ut æs alienum dissolvere possent: Sacr. Congr. censuit obstare Concilium, etsi detur cautio bancaria, ideoque agendum cum Sanctissimo. Sanctitas sua jussit scribi litteras Card. S. Praxedis, quod si verum est istud debitum contractum esse pro necessitate alimentorum, & quod non possint aliunde satisfacere, & ob id molestentur censuris: permittat eas accipere dotes ante professionem præstita per eum idonea fidejussione de restituen-

do

do si recesserint ante professionem.

55 Quamquam autem Concilii verba videantur restricta ad bona ipsius Novitii; tamen proposito dubio, An quod disponitur *c.* 16. *sess.* 25. *de regular.* ne de bonis puellæ aliquid monasterio ante professionem tribuatur sub pœna anathematis, habeat locum etiamsi aliquid tribuatur non ex puellæ propriis bonis, sed parentum, vel consanguineorum: S. Congreg. cens. habere locum.

56 Et iterum suborto dubio, An si Novitius sit sui juris, & non habeat parentes, possit in ingressu religionis, præter victum aliquid donare religioni amore Dei. Censuit, non posse ex verbis expressis d. cap. 16.

57 Sed cum Livia monasterium Monialium ingressa in anno probationis dare vellet scuta centum monasterio in rationem census super monasterii bonis nomine ipsius Liviæ per Moniales postea convertanda in dotem illius postquam emisisset professionem, & dubitasset an hic casus esset comprehensus decreto d. *cap.* 16. *vers. Sed neque ante professionem*: Responsum est, non esse comprehensum, aut prohibitum, *d. decreto c.* 16.

Insuper quærentibus, An pacta, seu conventiones, quibus Moniales aliquam pecuniæ summam petunt à parentibus novitiæ convivii causa dum Novitia habitum suscipit, vel profitetur, sint sublata, *cap.* 16. *vers. Sed neque*, *sess.* 25. *de regul.* Sac. Congregatio cens. Decretum, cap. 16. ad hunc casum non pertinere. Sed id prohiberi Constitutione Urbani IV. quæ incipit Sanè. Cæterum quia ex consuetudine Mediolanensi recepta, & à bon. mem. Cardinali S. Praxedis tolerata passim hujusmodi convivia exhibentur, consultius patuit nihil responderi. Constitutio Urbani habetur in
58 Extravag. *Sanè*, *de Simon.* Cæterum sententiam excommunicationis de qua in d. *cap.* 16. *sess.* 25. *de reg.* S. Congregatio declaravit non incurri ipso facto, nec esse reservatam Papæ. Quamobrem cum
59 quædam Moniales dotes accepissent à virginibus nondum professis, & Episcopus consuluisset quid sibi esset agendum: S. Congreg. censuit eas non incidisse in excommunicationem ipso jure; quando enim à jure præcipitur aliquid sub pœna excommunicationis, contrafaciens non incidit ipso jure in excommunicationem. Sum. Ang. *in ver. Excommunicatio*, 1. *num.* 8. tamen quia possent excommunicari, poterit eas Ordinarius absolvere, quia non reservatur Sedi Apostolicæ. Agendum tamen cum Sanctissimo. Sanctitas absolvit à peccato ne possint excommunicari, & dixit scribendum Episcopo ut prohibeat istos abusus.

60 Quid de mulieribus Convertitis? Cum Congregatio Domus Piæ vellet recipere aliquas mulieres in monasterio, dubitatum fuit An possint exigere dotes in susceptione habitus non obstante prohibitione, *cap.* 16. *sess.* 25. *de reg. vers. Sed neque ante professionem*, quæ non videtur extendi ad d. Domum, cum ea potius sit comprehensa sub exceptione *c.* 18. *ejusd. sess. in fine*, dum excipit Pœnitentes, & Convertitas: S. Congregatio visa est inclinare in hanc sententiam, ut limitatio c. 18. non extendatur ad disposita in c. 16. tamen propter verba generalia d. c. 18. referendum ad Generalem. In Congregatione Generali est dubitatum ne nō generalia verba d. cap. 18. comprehendant etiam cap. 16. Ideo dictum pro tutiori via supplicandum Sanctissimo, ut dispenset, & dicendum an velit tollere annum probationis: Sanctitas sua visa inclinare in illam sententiam ut ista Domus Pia non comprehendatur verbis c. 18. præsertim cum habeat annum probationis, ideo comprehendi sub dispositione c. 16. tamen gratiam facit pro istis, ut ante professionem accipere possint, non obstante d. c. 16. nec vult auferre annum probationis, cum illum habeant in fundatione de hac materia vide quod scripsi in cap. *Ad Apostolicam*, *num.* 30. *supra eodem.*

DE REGULARIBUS.

Cap. Ne Religiosi.

SUMMARIUM.

1 *Religiosi fugitivi, & eiecti annuatim sunt requirendi, & cogendi ut ad monasterium redeant.*

2 *Prælati Regulares non revocantes ad ordinem quotannis suos eiectos, & fugitivos, mortaliter peccant.*

3 *Dissimulatio peccatorum in Prælato, est mortale.*

4 *Opinio quorumdam recentiorum, qui dixerunt hoc capitulum fuisse consuetudine abrogatum, refellitur.*

5 *Curam animarum habentes tenentur iure divino oves suas agnoscere, & illarum custodiæ incumbere, & num. seqq.*

6 *Religiosi ab ordine eiecti etiam iustè, remanent subditi Prælatorum Regularium, & votis ligati.*

7 *Consuetudo secundum quam Prælati Regulares non revocant ad monasterium suos eiectos, & fugitivos, est nutritiva peccati.*

8 *Abbas debet colligere Monachum suum ne damnabiliter evagetur, & pereat.*

9 *Religiosi eiecti quamdiu ad cor non redeunt, sunt in malo statu, & tenentur suam reductionem procurare, licet non requirantur.*

10 *Papa non dispensat cum religiosis iustè eiectis ab ordine, ut Missam celebrent in sæculo.*

11 *Papa non facit de Monacho non Monachum, nisi ex gravissima causa.*

12 *Consuetudo nutritiva peccati est corruptela.*

13 *Religiosus fugitivus quis dicatur, & quis eiectus, & num. seq.*

14 *Apostata dicitur religiosus eo ipso, quod recedit à monasterio, & non est sub obedientia Prælati.*

15 *Præsidentes Capitulis possunt excommunicari, & facere excommunicatos denunciari ab Ecclesiarum Prælatis.*

16 *Prælati regulares etiam immediatè, ut Abbates, & Priores locales tenentur quotannis reducere ad monasterium suos fugitivos, & eiectos.*

17 *Religiosi etiam iustè, & diffinitivè eiecti sunt annuatim requirendi, & cogendi ad monasterium redire, & latè refellitur contraria opinio usque ad num. 36.*

18 *Prælati qui religiosos ab ordine iniustè eiiciunt sunt spoliatores, & in mora restituendi, sicut fur, & num. seq.*

19 *Spoliatus iniustè seu iuris ordine non servato illicò est restituendus.*

20 *Religiosis indebitè eiectis impiè à Prælatis regulari-*

bus

Imperator.96.dist.& cap.*Solitæ,sup.de maior.& obed.* Quinimmo hoc vendicat sibi locum etiamsi tales emiserint votum ingrediendi religionem, ut notat Inoc. in cap. *Porrectum,num.3.vers.Nec sunt istæ personæ de foro Ecclesiæ, supra eod.* Unde non mirum si Concilium noluit legem dicere illorum renunciationibus, sed novitiorum dumtaxat, alioquin præbuisset ansam Principibus,& Magistratibus sæcularibus conquerendi, quod posuisset falcem in messem alienam, contra d.c.*Cum ad verum,* & notata per Innoc.in cap. *Per venerabilem, num.3. infr. qui filij sint legitimi,* quodque Episcopis potestatem dedisset interponendi licentiam,& authoritatem in contractibus merè profanis personarum sæcularium, quæ in his jurisdictioni Ecclesiasticæ non sunt subjectæ, cap. *Si clericus laicum, supr. de foro compet.* & docet idem Innoc.in cap. *Inquisitioni, vers. Item si præcipiat laicos, num.4. infra de sent. excomm.* Rursus non obstat quod lex etiam exorbitans, & pœnalis extendatur ad casus similes, & habentes eandem rationem, quoties nisi fieret extensio redderetur elusoria, juxta Theoricam Navarri: nam respondetur negando hanc similitudinem,& identitatem rationis inter novitios,& alios, qui nondum susceperunt habitum: imò valde differunt, ut supra proximè ostensum est. Et cum in decreto Concilii, sive spectemus verba, sive mentem, non includantur nisi novitii, utique qui nondum est novitius, renunciando, seu donando servata forma juris communis Concilium non frustrat, cum faciat actum sibi à jure permissum, arg. cap. *Qui peccat. 23.q.4.l.Quod Reip. l. Injuriam,*& l. *Injuriarum actio,§.Is qui inter, ff.de injuriis,* nec renunciationes puerorum, vel puellarum factæ ante habitus receptionẽ propterea remanent sine sua provisione; quandoquidem hic casus tanquam omissus à Concilio remanet in dispositione juris communis, l. *Commodissime, ff. de liber. & posthum.* à quo satis cautum est ut donationes hujusmodi causa non sequuta non sortiantur effectum, ut abundè ostensum est supra *n.29.& seqq.*

Tandem hanc sententiam contra Navar. sæpius procedit S.Congreg.Concilii. Aliquando enim cons. d.c.16.sess.25.de regular. sibi locum non vendicare in donationibus factis ante susceptum habitum probationis; sicuti etiam reperitur adnotatum in calce prædictorum *cons.* Navarri 81.& 82. & alias consulta, An illud c. comprehendat renunciationes factas ante ingressum, illius tamen contemplatione, respondit non comprehendere renunciationes factas ante ingressum, hoc est ante habitus susceptionem. Quinimmo præsuppositis duabus Congregationis declarationibus super d. c.16. Altera quod ibi minimè infringantur renunciationes factæ ante ingressum religionis: Altera quod ex eo decreto renunciationes factæ in ipso ingressu non valeant: Quæsitum est, An cum Claræ Buccapadulia renunciaverit bonis tam paternis, quàm maternis ead. die, qua ingressa fuit monasterium, prædicta ejus renunciatio sufficiat, an nova requiratur ante professionem, juxta formam à Concilio præscriptam. Die 22. Junii 1613. [...] Congregatio censuit decretum d.cap.16. non [...]icare sibi locum in renunciationibus factis [...]um, seu momentum susceptionis habitus; [...]a ex eo decreto suprascriptam renun[...] esse nullam.

[...] quæstio, cùm valida sit donatio

[...] ven[...] ante act[...] ac propter[...] ciationem nul[...]

facta à Novitio in favorem monasterii cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii infra duos menses proximos ante professionem; numquid monasterio statim liceat apprehendere actualem possessionem bonorum sibi, ut præfertur, donatorum.

48 Breviter respondeo non licere, nam etsi dominium rerum donatarum transeat in Ecclesiam, vel monasterium etiam sine traditione possessionis, l. *Ut inter divinum, C. de Sacrosanct. Eccles.* & notat Calder. *cons.27.post med. vers. Si vero causa, de regu-*
49 *lar.* Tamen decreto Concilii Tridentini *in præcitato c.16.sess.25.de regular. in vers. Sed neque discretè verbum interdicitur* ne ante professionem excepto victu,& vestitu Novitii, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut Curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facilè si discesserit, id recuperare
50 possit; immo præcipitur sub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant.

51 Quo decreto cum prohibitum sit Monialibus accipere dotes puellarum ante earum professionem; idemque ex decisione S.Congregationis procedat etiam si accipiant sub nomine depositi, seu præstita cautione de illis restituendis, profes-
52 sione non sequuta: Quæsitum est, An etiam prohibitum intelligatur ne hujusmodi dotes realiter deponantur penes tertium, qui eas monasterio debeat dare post professionem emissam, S.Congregatio censuit non intelligi prohibitum,& ita satis cautum esse monasterio.

53 Hinc orta dubitatione, An cautela adinventa à Monialibus Civitatis Alexandrinæ, ut quando aliqua puella monasterium ingreditur depositum dotis prius fiat, & deinde omne id, quod in depositum recipitur, totum depositarius ipsi monasterio ante professionem consignet, sit contra dispositionem Concil. Tridentini *cap.16.sess.25.de reg. vers. Neque ante professionem:* S. Congregatio censuit decretum Concilii d.cap.16.non prohibuisse quidem hujusmodi depositum; sed quod pecuniæ sic depositæ dentur monasterio directè, vel indirectè, & in spem modo hic descripto, videri omnino prohibuisse. Et licet alias S.Congregatio in casu Neapolitano visa fuisset sentire posse dari, præstita idonea cautione bancaria: tamen nunc censuit non scribendum amplius in futurum secundum illam sententiam, sed secundum istam posteriorem, ut nullo modo detur Monasterio, nec cum deposito, nec sine.

54 Quinimmo cum moniales quædam Mediolanen. pauperes ære alieno contracto, quotidie ad solutionem etiam per censuras urgerentur, supplicarunt Sanctissimo ut eis liceret accipere tres dotes ab ingredientibus mulieribus, etiam ante professionem, ut æs alienum dissolvere possent: Sacr. Congr. censuit obstare Concilium, etsi detur cautio bancaria, ideoque agendum cum Sanctissimo Sanctitas sua jussit scribi litteras Card. S.Praxedis, quod si verum est istud debitum contractum esse pro necessitate alimentorum,& quod non possint aliunde satisfacere,& ob id molestentur censuris: permittat eas accipere dotes ante professionem præstita per eum idonea fidejussione de restituendo

do si recesserint ante professionem.

55 Quamquam autem Concilii verba videantur restricta ad bona ipsius Novitii; tamen proposito dubio, An quod disponitur *c.16.sess.25.de regular.* ne de bonis puellæ aliquid monasterio ante professionem tribuatur sub pœna anathematis, habeat locum etiamsi aliquid tribuatur non ex puellæ propriis bonis, sed parentum, vel consanguineorum: S.Congreg. cens. habere locum.

56 Et iterum suborto dubio, An si Novitius sit sui juris,& non habeat parentes, possit in ingressu religionis, præter victum aliquid donare religioni amore Dei. Censuit, non posse ex verbis expressis d. cap.16.

57 Sed cum Livia monasterium Monialium ingressa in anno probationis dare vellet scuta centum monasterio in rationem census super monasterii bonis nomine ipsius Liviæ per Moniales postea convertanda in dotem illius postquam emisisset professionem, & dubitasset an hic casus esset comprehensus decreto d.*cap.16.vers.Sed neque ante professionem:* Responsum est, non esse comprehensum, aut prohibitum, *d.decreto c.16.*

Insuper quærentibus, An pacta, seu conventiones, quibus Moniales aliquam pecuniæ summam petunt à parentibus novitiæ convivii causa dum Novitia habitum suscipit, vel profitetur, sint sublata, *cap.16. vers. Sed neque, sess.25. de regul.* Sac. Congregatio cens. Decretum, cap.16. ad hunc casum non pertinere. Sed id prohiberi Constitutione Urbani IV. quæ incipit Sanè. Cæterum quia ex consuetudine Mediolanensi recepta, & à bon. mem. Cardinali S. Praxedis tolerata passim hujusmodi convivia exhibentur, consultius patuit nihil responderi. Constitutio Urbani habetur in
58 Extravag. *Sanè, de Simon.* Cæterum sententiam excommunicationis de qua in d.*cap.16.sess.25.de reg.* S.Congregatio declaravit non incurri ipso facto, nec esse reservatam Papæ. Quamobrem cum
59 quædam Moniales dotes accepissent à virginibus nondum professis,& Episcopus consuluisset quid sibi esset agendum: S. Congreg. censuit eas non incidisse in excommunicationem ipso jure; quando enim à jure præcipitur aliquid sub pœna excommunicationis, contrafaciens non incidit ipso jure in excommunicationem, Sum. Ang. *in ver. Excommunicatio, 1. num.8.* tamen quia possent excommunicari, poterit eas Ordinarius absolvere, quia non reservatur Sedi Apostolicæ. Agendum tamen cum Sanctissimo. Sanctitas absolvit à peccato ne possint excommunicari,& dixit scribendum Episcopo ut prohibeat istos abusus.

60 Quid de mulieribus Convertitis? Cum Congregatio Domus Piæ vellet recipere aliquas mulieres in monasterio, dubitatum fuit An possint exigere dotes in susceptione habitus non obstante prohibitione, *cap.16.sess.25.de reg.vers. Sed neque ante professionem,* quæ non videtur extendi ad d. Domum, cum ea potius sit comprehensa sub exceptione *c.18.ejusd.sess. in fine,* dum excipit Pœnitentes,& Convertitas: S. Congregatio visa est inclinare in hanc sententiam, ut limitatio c.18. non extendatur ad disposita in c.16. tamen propter verba generalia d. c.18. referendum ad Generalem. In Congregatione Generali est dubitatum ne nõ generalia verba d. cap.18. comprehendant etiam cap.16. Ideo dictum pro tutiori via supplicandum Sanctissimo, ut dispenset, & dicendum an velit tollere annum probationis: Sanctitas sua visa inclinare in illam sententiam ut ista Domus Pia non comprehendatur verbis c.18. præsertim cum habeat annum probationis, ideo comprehendi sub dispositione c.16. tamen gratiam facit pro istis, ut ante professionem accipere possint, non obstante d. c.16. nec vult auferre annum probationis, cum illum habeant in fundatione de hac materia vide quod scripsi in cap. *Ad Apostolicam, num.30. supra eodem.*

DE REGVLARIBVS.

Cap. Ne Religiosi.

SVMMARIVM.

1 R*Eligiosi fugitivi, & ejecti annuatim sunt requirendi, & cogendi ut ad monasterium redeant.*

2 *Prælati Regulares non revocantes ad ordinem quotannis suos ejectos, & fugitivos, mortaliter peccant.*

3 *Dissimulatio peccatorum in Prælato, est mortale.*

4 *Opinio quorundam recentiorum, qui dixerunt hoc capitulum fuisse consuetudine abrogatum, refellitur.*

5 *Curam animarum habentes tenentur iure divino oves suas agnoscere, & illarum custodiæ incumbere, & num. seqq.*

6 *Religiosi ab ordine ejecti etiam justè, remanent subditi Prælatorum Regularium, & votis ligati.*

7 *Consuetudo secundum quam Prælati Regulares non revocant ad monasterium suos ejectos,& fugitivos, est nutritiva peccati.*

8 *Abbas debet colligere Monachum suum ne damnabiliter evagetur,& pereat.*

9 *Religiosi ejecti quamdiu ad cor non redeunt, sunt in malo statu,& tenentur suam reductionem procurare, licet non requirantur.*

10 *Papa non dispensat cum religiosis justè ejectis ab ordine, ut Missam celebrent in sæculo.*

11 *Papa non facit de Monacho non Monachum, nisi ex gravissima causa.*

12 *Consuetudo nutritiva peccati est corruptela.*

13 *Religiosus fugitivus quis dicatur, & quis ejectus, & num. seq.*

14 *Apostata dicitur religiosus eo ipso, quod recedit à monasterio, & non est sub obedientia Prælati.*

15 *Præsidentes Capitulis possunt excommunicari, & facere excommunicatos denunciari ab Ecclesiarum Prælatis.*

16 *Prælati regulares etiam immediatè, ut Abbates, & Priores locales tenentur quotannis reducere ad monasterium suos fugitivos,& ejectos.*

17 *Religiosi etiam justè, & diffinitivè ejecti sunt annuatim requirendi, & cogendi ad monasterium redire, & latè refellitur contraria opinio usque ad num.36.*

18 *Prælati qui religiosos ab ordine injustè ejiciunt sunt spoliatores, & in mora restituendi, sicut fur,& num. seq.*

19 *Spoliatus injustè seu iuris ordine non servato illicò est restituendus.*

20 *Religiosis indebitè ejectis impiè à Prælatis regulari-*

bus

bus denegantur alimenta.

21 *Religiosi ejecti, & fugitivi quomodo sint ad ordinem recipiendi si regulæ contradicat.*

22 *Disciplina Monachi delinquentis in quibus gradibus consistat secundum regulam S. Benedicti.*

23 *Monachus expellus secundum regulam Sancti Benedicti ultra tertiam vicem non recipitur tamquam incorrigibilis.*

24 *Verba, salva ordinis disciplina, quid importent.*

25 *Damnum non debet quis inde sustinere unde meruit gratiam reportare.*

26 *Scandalum in recipiendis religiosis ejectis qualiter consideretur.*

27 *Iustitia propter scandalum non est deserenda.*

28 *Religiosi fugitivi, & ejecti, ubi ex regula recipi non debent eodem loco sint ponendi.*

29 *Regularibus indebite ejectis, & spoliatis nullum crimen objici potest, sed ante omnia sunt restituendi.*

30 *Ergastulorum pœna regularibus quando imponatur.*

31 *Referuntur authores qui dixerunt hoc cap. esse intelligendum de ejectu iniuste.*

32 *Eorum opinio reprobatur in decretis de Apostat. & ejectis.*

33 *Regularibus perpetuò ejectis ab ordine res iudicata non suffragatur.*

34 *Inferiores à Papa non possunt facere de Monacho non Monachum.*

35 *Depositione salvitur spirituale conjugium inter Prælatum, & Ecclesiam.*

36 *Regulares etiam incorrigibiles ex decreto Congregationis Concilij edito sub Pio V. prohibentur ejici è monasterio, Discutitur an expediat huiusmodi decretum confirmare ibidem, & num. seq. usque in fin.*

37 *Regularium incorrigibilium ejectio de iure eorum permissa est à societate, & consortio non autem ab ordine, & num. seq.*

38 *Regularis proprietarius an possit ejici à monasterio.*

39 *Regularium incorrigibilium ejectio quibus rationibus probetur esse necessaria, & num. 44.*

40 *Regula S. Augustini de ejectione incorrigibilium qualiter sit intelligenda, & num. 46.*

41 *Regulares incorrigibiles cur malint à monasterio ejici quàm apostatare, & num. 48.*

42 *Regularium exactiones damna ecclesiæ, & religionibus afferat, & num. 49.*

43 *Regula Sancti Benedicti, & Sancti Basilij de Monachis incorrigibilibus ab ordine ejiciendis, & num. 46.*

44 *Regulares incorrigibiles diuturno carcere intra claustra punire quàm graviter sit religionibus.*

45 *Expulsionis causa gravissima est, & quibus committenda.*

46 *De expulsione regularium ac ordine quid senserint S. Thom. & S. Bonaventura.*

52 *Regulares incorrigibiles an expediat intra claustra cohercere, an verò è monasterio expellere.*

53 *Congregationis Episcoporum, & Regularium, & Congregationis Concilij decreta de regularibus ab ordine non ejiciendis.*

54 *Ostracismus laudatur à Xenophonte.*

55 *Ergastulorum remedium ad coercendos Monachos incorrigibiles periculosum.*

56 *Expulsio non præbeat regularibus ansam faciendi se inobedientes, ut ad seculum revertantur.*

57 *Decreta Clementis VIII. ad regularium reformationem an sint innovanda.*

58 *Novitij an de cætero sint examinandi ab ordinarijs locorum ad præscriptum Decreti Clementis VIII.*

59 *Incorrigibilis quando quis censeatur ad hoc ut expelli possit à religione.*

60 *Generalis an & quibus adhibita sit tribunenda facultas ejiciendi incorrigibiles.*

61 *Contradictes in causa expulsionis à quo sint deputandi.*

62 *Regularibus ejectis an & qualis ratio præscribenda sit vivendi in seculo, & num. 66.*

63 *Regulares incorrigibiles quandiu in carcere sint detinendi priusquam ejiciantur ab ordine.*

64 *Litteræ testimoniales ejectis non concedenda à superioribus regularibus.*

65 *Ejecti sunt perpetuò suspensi ab executione ordinum.*

66 *Dispensatio cum religiosis ejectis an sit locorum ordinarijs prohibenda.*

67 *Regulares delinquentes an sint puniendi pœna triremium ad tempus.*

68 *Carcer privatus instituendus à religionibus in qualibet saltem provincia.*

69 *Regulares iuste per sententiam definitivam ejecti an sint per superiores quatenus requirendi ut redeant ad religionem.*

70 *Transitus ad artiorem religionem qualiter sit permittendus.*

71 *Apostatis infra certum tempus ad religionem redeuntibus an sit concedenda impunitas.*

1 NE RELIGIOSI. Religiosi fugitivi, & ejecti annuatim sunt requirendi, & cogendi ut ad monasterium revertantur. Hoc dicit. Sunt duæ partes. In prima ponitur Constitutionis causa. In secunda Constitutio, ibi, *Statuimus*, ubi duo facit. Primò providet circa fugitivos, & ejectos obedire paratos. Secundò circa inobedientes, ibi, *Si verò.*

2 Nota primò, & signa textum notabilem contra Prælatos regulares, qui quotannis non revocant ad religionem suos ejectos, & fugitivos, peccant enim mortaliter, & satis clarè probat littera ibi; *ne sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur.* His enim verbis uti non consueverunt sacri Canones, nisi in materia quæ in suo genere obligat ad culpam lethalem, ut in cap. *Irrefragabili, supra de offic. ordin.* ubi glos. *in verb. Sanguis eorum.* Dicit durum verbum est istud, pro Prælatis negligentibus subditos suos corrigere. Et
3 idem dicit hic Butr. *in 2. not ab.* Dissimulatio enim peccatorum in Prælato est mortale, cap. *Novit*, & ibi notat Butr. *num. 27. vers. Nota dissimulationem peccatorum*, & Anchar. *num. 12. supra de indic.* Iisdem verbis utitur Concilium Tridentinum in c. 1. *sess. 6.* circa residentiam Pastorum, quæ obligat sub reatu mortalis peccati, ut in *cap. 1. sess. 23.*
4 Atque hinc patet quàm malè nonnulli ex recentioribus dixerint totum hoc capitulum cum sit juris humani consuetudine abrogatum fuisse, cum religionum Præfecti religiosos ejectos ætiuatim nullatenus perquirant nec reducant. Et propterea non teneri Prælatos quærere, nec revocare ejectos, nec fugitivos, sed servanda esse quoad hoc
5 statuta Religionum. Quibus adhæsit Thom. Sanchez, *in Decal. tom. 2. lib. 6. cap. 9. num. 18.* post Azor.

Azor. quem citat *tom. 1. Instit. Mor. al. lib. 12. c. 17. q. 5.* Imo enim hæc obligatio in Prælatis surgit ex jure divino, quo tenentur omnes, quibus animarum cura commissa est oves suas agnoscere, & earum custodiæ incumbere, ut Ezechiel. 3. *Alter. 20. cap. Ephesij, 43. dist. cap. 1. 13. q. 1.* Concil. Trid.
6 *loco citato.* Neque enim ejecti ab ordine etiam justè, & definitivè desinunt esse subditi Prælatorum Regularium. Imò manent ejusdem veri Ordinis Religiosi, & veris ligati, sicut vice versa Superiores Regulares remanent illorum Prælati, & Pastores, ut patet ex tota serie hujus Decretalis; præsertim ponderando illam rationem, *Ne sanguis eorum*, &c. Et illud verbum *Religiosi.* Item verbum *Prælatorum.* Item verba illa *in monasteriis suis*, nec non illa, *Abbates, seu Priores eorum*, & tradunt Navarr. *comment. 2. de Regular. num. 34. 35. & 36. & comment. 3. num. 46.* C. *in Reg. Sancti Franc. cap. 2. quæst. 21. sect. 3.* Molin. *disp. 140. vers. Quando verò*, & *vers. Quod autem.* Vasquez *in t. 2. quæst. 96. art. 4. disp. 165. num. 87.* & Suarez *tom. 5. disp. 21. sect. 3.* Nihil tamen magis exaggerent sacræ litteræ, canones, & concilia, quàm ut Prælati subditos suos corrigant, & more mercenariorum non deserant; Ita ut propterea Superioribus Regularibus negligentibus suos subditos ejectos ad monasterium reducere optimè congruant in specie verba Concilii Trident. *in cap. 1. in fin. sess. 24.* Videlicet: (Illorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Pastorum peribunt, Dominus noster Jesus Christus de manibus eorum est requisiturus.) Et de Prælatis regularibus est textus hic, & in cap. *Cum ad monasterium. §. Penult. infr. de stat. Monach.* Unde benè Hostien. *hic in princ.* adnotavit Abbatem teneri de sanguine Monachi vagabundi, sicut & alii Prælati subditorum correctionem negligentes, ut in cap. 1. *de offic. Archid.* cum concordant.
7 Quamobrem consuetudo secundum quam Prælati negligunt revocare ad monasterium suos subditos fugitivos, & ejectos est nutritiva peccati tam ex parte ipsorum Prælatorum, ut ostensum est supra, quàm ex parte subditorum, ut patet ex littera textus ibi: Vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant. Per quam litteram dicit glossa in cap. *un. in ver. Languida, infr. de infantib. expos.* Abbatem debere recolligere Monachum suum, ne damnabiliter evagetur,
8 & pereat. Ejecti enim utpotè incorrigibiles, quandiu stat per eos quin se corrigant, & redeant ad cor, sunt in malo statu; & ideò tenentur se habiles reddere, & procurare suam reductionem ad monasterium, etiamsi ab eorum Prælatis non requirantur. Ita Sot. *de iust. & iur. lib. 7. qu. 2. art. 5. in sol. ad 3. in fin.* Card. *in Reg. S. Franc. c. 2. qu. 21. pun. 3.* & latè deducit Sanch. *in Decal. tom. 2. lib. 6. c. 9. num. 25. 27. & 30.*
10 Ac propterea sæpiùs diximus in Congregationibus tum Concilii, tum Episcoporum, & Regular. Ecclesiam non posse dispensare cum Religiosis justè ejectis ab ordine, ut Missam celebrent in sæculo, quia repugnat jus divinum ut sic impœnitentes accedant ad Sacram Eucharistiam, ut 1. *ad Corinth. 2. cap. Timorem, & c. Sicut Iudas, de Consecr. dist. 2.* & diffinitum est à Concil. Trid. *in Decr. de Sacram. Euchar. cap. 7. & can. ult.* Et
11 quamvis Papa secundum plenitudinem suæ potestatis possit de Monacho efficere non Monachum
12 spoliatores: injustè autem spoliatus, aut juris or-

dine non servato, non annuatim, sed illicò est restituendus, cap. *Conquerente*, *de restit. spoliat.* cap. *Venerabili, de off. deleg.* glos. 1. *in sum.* 3. q. 1. & Quandiu Prælati spolium non purgant, & indebitè expulsos non redintegrant, sunt semper in mora restituendi sicut fur, l. *Si pro fure*, §. *penult. ff. de condict. fur.* glos. 1. *in reg. Mora, de regul. iur. in 6.* Et sic semper peccant, arg. cap. *Si res aliena*, 14. q. 6. glos. in cap. *Nisi cum pridem*, §. *Propter conscientiam*,
20 *in ver. Sed dumtaxat, supra de renunc.* Impiè enim religiosis indebitè expulsis denegant alimenta, ut inquit glos. in cap. *unic. in verb. Languidus, infr. de Infant. expos.* Et post Archid. Sylvest. *in ver. Apostasia in 6. quæst.*

21 Secundò hic statuitur, ut sic ejecti in monasteriis suis recipi possint secundum ordinem regularem, Abbates, seu Priores eorum compellantur eos recipere. Quòd si hoc regularis ordo non patitur, apud eadem monasteria ponantur in locis competentibus, vel in aliis religiosis domibus. Quæro quid importent illa verba *secundum ordinem regularem*; & illa, *quod si hoc regularis ordo non patitur?* Abb. Antiq. n. 2. *in verb. Secundum ordinem* dicit, quia si ordo haberet ex sua Constitutione, ut quicumque ter exiverit amplius non admittatur, ut est in Ordine S. Benedicti, amplius non ad-
22 mitteretur. Et hoc idem innuit in similibus: quod fusiùs explicat Hostien. *num. 5. in ver. Disciplina*, dicens: secundum regulam S. Benedicti disciplinam Monachi delinquentis consistere in septem gradibus Primus est secreta admonitio. Secundus est publica correctio. Tertius est simplex, seu minor excomunicatio. Quartus jejunii afflictio. Quintus, si dignus sit, flagellorum vapulatio. Sextus ad Deum pro ipso oratio. Septimus de monasterio expulsio. Et eliciuntur hi gradus ex duobus capitulis regulæ, scilicet ex 23. *de excommunicatione culparum*, & ex 28. *de his qui sæpius cor-*
23 *recti emendare noluerint.* Si verò sic expulsus veniat ad portam pœnitens, iterum recipiendus est, & reconciliandus usq; ad tertiam vicem tantum: nam secundum eandem regulam ter recipitur, & non ultrà, ut in *regula* 29. cap. *Si debeant iterum recipi fratres exeuntes de monasterio*; præsumitur enim postea incorrigibilis. Unde sicut clericus sæcularis quando incorrigibilis est omni privilegio denudatur, & potestati traditur sæculari, cap. *Cum non ab homine, de iudic.* sic & Monachus ex quo ter reconciliatus non corrigitur est de monasterio perpetuò ejiciendus. Dum ergo hic dicitur, ut ejecti ponantur in locis competentibus, vel in aliis religiosis domibus, si regularis ordo non patitur ut recipiantur apud eadem monasteria. Hostien. *num.* 8. exemplificat, puta, quia ter exivit, & ter reconciliatus fuit, ut in reg. supradicta. Prima enim vice recipitur ultimus in choro, sic secundò, sic tertiò. Ultra verò sciat sibi postea omnem reversionis aditum denegari, ut ibidem dicitur, & not. in cap. *Cum in Ecclesiis*, §. 1. *in ver. Præcipientes, supra de maior. & obed.* & sequuntur *hic* Jo. Andr. *num.* 4. Butr. *num.* 9. Cardin. *num.* 1. *in* 3. *notab.* Anchar. *num.* 5. & 8. Henrich. Boich. *in fin.* idem tenet Archid. in cap. *Abbates, num.* 6. 18. q. 2. post eum Bellam. *ibidem num.* 4. & Sylvest. *in ver. Apostasia, in 7. quæst.* Et consequenter loquitur hæc decretalis de religiosis ejectis, non tantùm justè, sed etiam perpetuò & diffinitivè. Hos enim tantummodo regularis ordo non patitur recipi ad eadem monasteria. Et propterea cum mysterio dicit text. [Authoritate nostra provideant Abbates, seu Priores ut sic ejecti ponantur in locis competentibus, &c.) Prælati enim regulares contra præscriptum regulæ nullatenus poterant authoritate propria eos admittere post trinam reconciliationem; & ideò jubentur hoc facere authoritate Apostolica: Indebitè autem expulsos nullus ordo regularis vetat recipi; Quin imò Superiores qui indebitè religiosos habitu, & loco spoliarunt tenentur ex justitia illos redintegrare, ut dictum est supra in prima consideratione n. 18. Expulsos autem justè, & non perpetuò regula ipsa S. Benedicti jubet recipi usque ad tertiam vicem, nec in talibus recipiendis est opus authoritate Apostolica. Superest igitur ut text. loquatur tantummodo de expulsis justè, & diffinitivè. Quæ consideratio ni fallor valdè urget.

24 Tertiò Abbates, seu Priores tenentur recipere ejectos salva ordinis disciplina, idest imposita illis pœnitentia, secundum quod regula illius ordinis requirit, & præcipit, ut exponit glos. *in ver. Ordinis disciplina.* At nulla regula præcipit ut impo-
25 natur pœnitentia indebitè ejectis; Imò tales sunt gratiosè excipiendi & bene tractandi in compensationem damni, & injuriæ eis illatæ: non enim damnum debet quis inde sustinere unde meruit gratiam reportare, c. *Pervenit, de fideiussor.* c. *Sane, de renunc.* glos. 2. in c. *Veniens eod. tit.*

26 Quartò hic præcipitur, ut ejecti qui secundum ordinem regularem recipi nõ possunt in suis monasteriis ponantur in locis competentibus apud eadem monasteria absque gravi scandalo fieri possit. Hoc autem scandalum Host. intelligit *num.* 9. fortè quia ejectus tot, & tanta commisit, ut fratres dicant cõmuniter se de monasterio exituros si ille revertatur. Subdens quandoque se ita vidisse de facto. Cujus dictum referunt, & sequuntur Jo. Andr. *num. 4. in ver. Gravi scandalo.* Butr. *nu.* 10. Anchar. *num.* 6. & alij communiter. Et sic Doctores intelligunt hanc litteram in ejectis justè, & culpa eorum ita exigente, ut dicit Abb. *num.* 2. Aliàs enim quale scandalum esse posset, ut indebitè ejectus reduceretur ad suum monasterium? Quin potiùs scandalum esset si non reduceretur.

27 Præterea injuste ejecto & spoliato salva justitia denegari non potest restitutio, & reductio ad suum monasterium, ut prædiximus *num.* 18. Licet alii ex tali reductione scandalizarentur, quia utilius est scandalum nasci; quam ut veritas relinquatur, c. *Qui scandalizaverit, infr. de reg. iur.* Veritas namque justitiæ propter scandalum numquam deserenda est, ut in cap. *Nisi cum pridem, de renunciat.* not. glos. *in ver. Distinguendum*, Innoc. *in eodem ver. num.* 6. Jo. Andr. *num.* 19. Butr. *num.* 22. & Anchar. *num.* 7. Hoc enim est scandalum Pharisæorum à quo non est cavendum, ut *Matth.* 15. S. Thom. in 2. 2. q. 43. art. 2. *penult. & ult.* Navarr. *cons. 9. num. 11. de his quæ vi.* Quod ergo hic dicitur de scandalo, verificari non potest nisi in religiosis expulsis, justitia exigente.

28 Quintò, & ultimò aliis omissis statuitur hic, ut religiosis ejectis vitæ necessaria ministrentur in locis competentibus ejusdem, vel alterius ordinis ad agendam ibi pœnitentiam. Innocen. explicat verba illa, in locis competentibus, idest non cum aliis Monachis, sed forte ad serviendum, vel alio modo, Host. verò *num.* 9. exponit, competentibus puta

puta aliquibus ergastulis, seu camerulis, fortioribus tamen ne inde exire valeant. Simile in c. *Tua, insf. de pœn.* c. *Viduas, il primo*, c. *Impudicas*, & c. *Pervenit*, 27. q. 1. Et cum Host. transeunt Jo. Andr. n. 4. Butr. n. 10. Card. n. 2. q. 8. Anch. n. 6. Henric. Boich. n. 7. & Abb. *n. 1. in fin.* Idem dixit Archid. in d. c. *Abbates, num.* 3. & ibi etiam Bellam. *num. 1. in fin.* D. Antonin. *in 3. part. tit. 16. cap. 5.* §. 2. Sylvest. *in verb. Apostasia*, q. 7. *num* 10. Manifestum est autem hanc pœnam reclusionis in ergastulis, & arctis locis convenire tantummodo religiosis ex justa causa ejectis, non autem ejectis indebitè, aut nulliter. Quod non obscurè sentit Abb. *hic num.* 2. dum dicit ejectum esse, qui à suo Superiore fuit expulsus à monasterio culpa sua fortè exigente. Sed apertius hoc tenẽt Host. & alii prælleg. *num* 23. dum intelligunt litteram de his qui ultra tertiam vicem non sunt recipi-
29 endi. Nec obstat si dicatur quamvis ejecti non tam graviter deliquerint, ut meruerint expelli ab ordine, fortè tamen alia crimina commiserunt, propter quæ veniant recludendi in ergastulis. Quoniam respondetur religiosis indebitè ejectis, & sic spoliatis nullum crimen objici posse à spoliatore, vel generaliter à quovis alio, cum ante omnia sint restituendi, sicut quilibet spoliatus, cap. *Episcopis*, & ibi gloss. *penult.* 3. *quæst.* 1. cap. *Venerabilis, de offic. deleg.* cap. *Frequens, de restitut. spoliat. lib.* 6. cum multis similibus. Sive igitur injustè ejecti sint aliàs criminosi, sive non, numquam in eis verificari potest hæc littera ut recipiantur in ergastulis ad agendam pœnitentiam, cum priùs debeat præcedere restitutio, & purgatio spolii.

30 Præterquam quod hæc pœna reclusionis in ergastulis propriè imponitur Religiosis à sacris Canonibus quando merentur ejici a monasterio, seu ab aliorum Religiosorum consortio, ut in d. c. *Viduas, il primo*, & cap. *Impudicas*, 27. q. 1.

31 Ad quas considerationes Nauarr. non advertens in *Comment. 2. de Regular. num.* 36. incautè scripsit hoc capitulum esse intelligendum de ejectis injustè, vel inordinatè, aut per collusionem, vel saltem non definitivè per sententias ritè, & rectè sine collusione latas, & *cons.* 78. *de Regular.* ubi similiter respondit hanc decretalem loqui fugitivis, & ejectis injustè, vel inordinatè per sententias interloquutorias, vel sine causæ cognitione latas, vel etiam de justè, & ordinatè ejectis, sed volentibus ad monasteria redire. Ejectos verò justè, & per sententiam diffinitivam, mordicus tenet non posse compelli ad illud redire per Superiores illius ordinis; ejusque authoritatem sequuti idem postea tradiderunt Sayr. *in Clavi Regia to. 2. lib. 6. cap. 9. num.* 26. Eman. Rodrig. *quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 30. num.* 71. Azor. *Instit. Moral. par. 1. lib. 12. cap. 16. quæst. 2. in fin.* Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. num. 110. vers. Respondet*, & a-
32 lii recentiores. Verum Nauarri opinio ut ex dictis patet apertè pugnat cum tota hac decretali. Unde meritò eam reprobavit Sacra Congregatio Concilii sequuta sententiam Archid. in cap. *Pervenit*, 27. q. 1. ut dicam infra *num.* 37. & *seqq.* Et patet ex decretis *de Regular. apostatis, & ejectis in* §. *Ac postremò*, ubi innovatur hæc Constitutio, & declaratur habere locum, & servari debere in ijs quoque regularibus, qui juste, diffinitiveque, ac juris ordine servato expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarij.

Non obstat res judicata, in qua præcipuè Na-
33 uarr. se fundat, quia Prælati regulares judicant tantummodo super expulsione, non autem super liberatione à nexu monasticæ professionis, nec ab obligatione se corrigendi, & ad monasterium redeundi. Nec in reductione ejecti imponunt ei novam pœnam pro delictis cõmissis, sed tantummodo cogunt eum implere obligationẽ suæ professionis, quod justissimum est, cùm ab ea per sententiam expulsionis non fuerit absolutus, nec po-
34 tuerit absolvi. Quoniam hæc potestas faciendi de Monacho non Monachum nullatenus competit inferioribus à Papa, c. *Cum ad monasterium, vers. Nec æstimet* Abb. cum ibi not. per gloss. *in ver. Abdicatio.* per Innoc. & omnes. *infr. de stat. Monach.*

Præterea quatenus obstaret res judicata; tamẽ cum Papa hic mandet ut expulsi reducãtur, & inobedientes excommunicentur, etiamsi regularis ordo repugnet, & sic deroget regulæ secundum Hostien. & alios supracit. *n.* 21. 22. & 23. Consequens est, ut sublata regula tanquam principali, censeatur etiam sublatus effectus sententiarum, quæ in vim regulæ sunt prolatæ; ex his quæ notat Vitalin. in Clemen. *Dudum*, §. *Nos etenim*, *n.* 10. *vers. Contra nunc puto, de sepultur.* ubi pluribus concludit in revocatione pactorum, de quibus in d. Clement. includi etiam sententias latas super ijsdem pactis. Et pro hac parte Jo. Andr. dicit pronunciasse Joañem XXII. ut refert ibi Cardin. *num. 1. in septima quæstione.* Et eo magis quia hoc casu non agitur de duplici vinculo, sicut agitur quoad pactum est confirmatum. In quibus terminis procedit contraria opinio gloss. in dicta Clemen. *Dudum, in ver Pacta*, & Joan. Monach. *ibidem.* Sed agitur de ipsa executione regulæ, quæ perpetuò excludit ab ordine expulsos per trinam reconciliationem. Unde sublata in hoc dispositione regulæ proculdubio censetur sublata ipsius regulæ exequutio. Demum cessat difficultas, quia hæc Decretalis mandat reduci ad monasterium etiam ejectos perpetuò, per sententiam diffinitivam, ut abundè ostensum est supra; ergo apertè sustulit rem judicatam quatenus obstaret.

Item non obstat quod servus ejectus à domino, aut pro derelicto habitus desinat esse sub domini potestate, ut l. 2. *ff. de his, qui sine manumission. ad liberat. pervener.* quoniam servus potest à domino libere manumitti, *toto tit. de Manumission.* & pluribus titulis sequentibus, & pro derelicto haberi, ut l. *Quod servus, ff. de stipulat. servor.* At professus non potest à Superioribus regularibus absolvi à jugo monasticæ servitutis, ut sæpius repetitum est.

Postremò non obstat quod clericus depositus
35 secundum Nauarr. non possit cogi redire ad dignitatem, & locum, quem tenebat antequam deponeretur. Siquidem hoc ideo est, quia per depositionem solvitur vinculum spiritualis conjugii inter Prælatum, & Ecclesiam, ut est text. in c. *Inter corporalia, sup. de translat. Episcop. vers. Non enim humana.* At per expulsionem ab Ordine Religionis non absolvitur à vinculo suæ professionis, ut constat ex dictis præsertim *num.* 6. & *n.* 33.

36 QUÆRO posito decreto Sacræ Congrega-

tionis Concilij edito, sub Pio IV. & Procuratoribus Ordinum intimato, quo prohibetur ne quis Regularium imposterum ejiciatur à monasterio, etiamsi sit incorrigibilis, sed peccantes à Superioribus ignominia, & carcere castigentur, & acriùs etiam si opus fuerit pro modo delictorum puniantur, an persistendũ sit in decretis, non obstantibus Regularium oppositionibus.

37 Videntur maximi ponderis quæ à Regularibus objiciuntur, sed facilè diluuntur omnia, si hæc materia ejectionis, seu expulsionis religiosorum intelligatur juxta mentem Sacrorum Canonum, non autem eo modo, quo eam accipiunt Regulares. Nam ex juris dispositione quotiescunque permittitur, ut Regulares ejiciantur, hoc est intelligendum de illa ejectione, quæ fit à societate, & consortio, aliorum Regularium, non autem de expulsione à monasterio, seu à Religione, quemadmodum Regulares intelligunt.

Quæ conclusio satis colligitur ex Constitutione Greg. IX. hic relata, quæ dum mandat hujusmodi ejectos annuatim perquiri: necessariò supponit de cætero illos non posse ejici, ita ut extra loca ipsorum vagentur, sed tantùm ne stent cum aliis; alioquin inutilis esset circuitus, ut cogendi essent Superiores Regulares ad recipiendos ejectos incorrigibiles, si statim possent eos iterum è monasterio ejicere: quod considerat Archid. in c. *Pervenit*, 27. q. 1. Et absurdum esset cogere Superiores ad illos recipiendos, qui etiam si essent in Monasterio, essent tamen expellendi. Præcipit ergo Gregorius, ut expulsi de cætero ita recipiantur, ut amplius ab ordine expelli non possint, sed in locis competentibus intra idem, vel aliud monasterium detineantur ad agendam pœnitentiam, ut patet in vers. *Quod si hoc*. Quod clariùs probatur communi intelligentia ad c. *Cum in Ecclesiis*, *de maior. & obed.* in illis verbis; alioquin de fratrum consortio penitus excludatur; non enim dixit incorrigibiles excludi debere à monasterio, sed à consortio, ita ut non stent cum aliis, sed recludantur in locis competentibus, ut hic præcipitur ad agendam pœnitentiam. Atque ita, ut dicunt ibi Petr. de Sampson. & Abb. Antiq. *sub n.* 4. non est sensus, ut ipsi à monasterio excludantur, alias volenti vagari facile esset se facere inobedientem, quod esset prorsus absurdum, sed tantum ut excludantur à consortio aliorum, ut cum aliis non comedant in refectorio, vel in dormitorio non jaceant, sed in eodem monasterio detrudantur in carcerem. Et sequitur ibidem Jo. Andr. *n.* 9. Henric. Boych. *n.* 15. Bellam. *post princ. in verb. Consortio & n.* 4. Butr. *n.* 19. *&* 20. Cardin. *n.* 5. *in* 7. *oppositione* Anchar. *n.* 6. Imol. *n.* 8. Joan. de Anan. *n.* 4. Abb. *in ult. notab.* ubi ait eos non debere excludi à monasterio, quia aliàs daretur materia vagandi, & volens excludi à monasterio faceret se inobedientem; & sic daretur occasio ma-
38 li, & idem dixit in c. *Cum ad monasterium de stat. Monach. n.* 13. *in fin.* his verbis: (Credo quod hodie non habet locum hæc expulsio à monasterio (præcipiebatur enim ab Innoc. III. ut proprietarius è monasterio ejiceretur) sed sit procedendũ prout dicitur in d. c. *fin. de Regul.* nam illud c. fuit posterius cum sit Gregorii IX. & providet circa ejectos, & fugitivos ut saltem casu quo licita est expulsio deptentur tales in ergastulo intra septa monasterij, ne detur occasio vagandi.

Eandem sententiam secutus est Henr. ex mente Guiliel. in c. *Dilectus, de simon.* quem refert in hæc verba (Religiosi graviter delinquentes, non de facto è monasterio debent ejici, sed in carceres recludi, & sic è consortio aliorum fratrum detrudi 27. *q.* 1. c. *Impudicas*, & c. *Si custos*, & c. *Si quis sacro.*] Et *infr. eod.* c. *Quoniam.* [Et sic intelliguntur jura dicentia Monachum fore de ovili, & de Monasterio ejiciendum, scilicet à consortio, & communione aliorum, *supra de maior. & obed.* c. *Cum in Ecclesiis, de statu monach.* c. *Eam quæ* Nec obstat 45. *distinctio.* c. *Sed illud*; quia de sæculari debet hoc intelligi.] Hæc Guiliel.

Sed & Archid. in cap. *Pervenit*, 27. *q.* 1. asserit hanc sententiam esse veriorem, & tutiorem, quam illam, quæ vult ut auctoritate judiciali benè possit excludi monachus in totum à monasterio.

Ex quibus patet jura loquentia de expulsione Regularium non esse accipienda de expulsione à monasterio, seu ab ordine, ita ut in sæculo vivant sed à communione, & commercio aliorum regularium tantum.

Et hoc modo intelligendo sacros Canones minimè videntur obstare, quæ in contrarium afferuntur à regularibus: dicunt enim expulsionem
39 esse maximè necessariam in religionibus, quia sicut ex vi naturæ corpora naturalia humores noxios expellunt, ut benè valeant; ita & mystico religionis corpori licere debet se expurgare rebellium Monachorum expulsione, ut reipublicæ salus conservetur; quemadmodum Ecclesia aliquos è Clero per degradationem dejicit, ne cæteris gravius noceant; malum enim dicunt auferẽdum, ne modicum fermentum totã massam corrumpat: quã rationem cõsiderat contra Monachos contumaces. D. Tho. *Quolib.* 12. *q. ultima.*

At respondetur has omnes; & consimiles rationes de quibus infra *n.* 8. *& seq.* eò solum respicere, ut regulares segregentur ab aliorum commercio, ne cæteros inficiant, quod nos utiq; admittimus: non autem ut ejiciantur ab Ordine, & ad sæculum revertantur.

40 Et hoc indicant verba Regulæ S. Augustini: sic enim se habent. (Convictus verò secundũ Præpositi, vel etiam Presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam, quã si ferre recusaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur; non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.) Notanda enim sunt illa verba *de vestra Societate projiciatur*, quæ satis ostendunt incorrigibilem nõ esse ejiciendum è Monasterio, sed à commercio, & societate dumtaxat.

Et de hac separatione à societate etiam loquitur text in cap. *Ecce*, 24. *q.* 3. in hæc verba (Crimina, si ipsis criminosis confiteri nolentibus, undecunq; claruerint, quæcunq; non fuerint patientiæ leni medicamento sanata, veluti igne quodã piæ increpationis urenda sunt, & curanda. Quod si nec sic quidem æquanimiter sustinentis, ac piè increpãtis medela processerit, in eis, quin diù portati, & salubiter objurgati corrigi noluerint, tanquã putres corporis partes debẽt ferro excõmunicatiõis abscindi, ne sicut caro morbis emortua, si abscissa nõ fuerit salutẽ reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit; ita isti qui emendari despiciũt, & in suo morbo persistũt, si moribus

bus depravatis in Sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficiant.) Hæc ibi. Quod ipsum apertius docuit Archid. in d. c. *Pervenit*, 27. *q.* 1. his verbis: [Est enim ejiciẽda ab ovili ovis morbida ne inficiat sanas oves 45. *dist.* c. *Sed illud*, *extra de statu Monach.* c. *Ea quæ*, §. 1. secundum Host. Tu dic vim faciendũ in eo, quod ibi dicit, De fratrum consortio penitus excludatis; sic sup. ead. impudicas, nõ enim dicit de monasterio ejiciendos, quia etiam ejecti essent revocandi *extr. de reg.* c. *ult.* sed excluduntur à consortio, idest nõ stent cum aliis fratribus in Capitulo, Refectorio, & similibus, sed in aliquo arcto loco ponantur ad pœnitentiam peragendam: Nec ergo intelligas quod à monasterio excludantur omnino, ita quod evagari possint: Et quod dixi credo tutius, & verius ut hic colligitur manifestè.] Hactenus verba Archidiaconi, quæ ad litteram transtulit ibi Card. Bellam. in glos. *in ver. Compellendus*, adjiciens, eamdem sententiam tenere Joa. & Petrum in decretal. *Cum in Ecclesiis, de maior. & obed.*

Inconvenientia verò, quæ sequuntur ex crebra Regularium expulsione extra monasterium notoria sunt. Nam quotiescunque aliquis Religiosus vult excutere jugum Religionis, delinquit studiosè, & facit se inobedientem, & incorrigibilem, ut hoc modo ad sæculum revertatur; atque ita loco pœnæ ex sua iniquitate consequitur præmium, quod optat, liberationis à Religione.

41 Et quamvis improbis regularibus pateat etiam via fugiendi à Religione, & apostatandi, tamen hanc viam non ita libenter arripiunt, quia apostatæ non sunt tuti in sæculo, neque à superioribus Regularibus, neque ab Episcopis. Unde qui volunt se eximere à religione, potius eligunt viam expulsionis, ut ita securè in sæculo degere possint. Superiores verò sunt adeò faciles ad expulsionem quasi hoc modo expurgent ordinem, & se eximant à molestiis, ut jam religiones ferè omnes videantur redactæ ad instar religionis Societatis Jesu, quæ hoc habet ex peculiari instituto, in quos propterea meritò invehit Navarr. *comment.* 3. *de regular. numer.* 46. *vers. Quæ omnia sunt quotidiana.*

42 Incredibile est autem dictu quàm scandalosè vivant expulsi, & quanta cum ignominia ecclesiastici ordinis, & quantum detrahant famæ religionis à qua ejecti sunt, adeò ut propterea etiamsi de jure res dubia videretur: abs re tamen non esset, ut Sanctissim. decerneret, ne de cætero quisquam ejiceretur, etiamsi esset incorrigibilis, sed tantùm puniretur intra claustra ignominia, & carcere, aut etiam graviori pœna pro modo culpæ juxta antiquam declarationem S. Congregationis.

Reverà tamen negari non potest, quin sit valdè grave religionibus perpetuò detinere intra claustra Monachos incorrigibiles. Præterea de
43 expulsione ab Ordine satis clarè loquitur Regula S. Benedicti, licet Constitutio Gregorii IX. de qua hic tanquam posterior, sustulerit dispositionem regulæ ut patet ex dictis supra, *num.* 21. *& seq.* Nam in rubrica de his qui sæpius correcti non emendaverint *c.* 28. sic se habet. (Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus, non emendaverit acrior ei accedat correctio, idest, ut verberum vindicta in eum præcedat. Quòd si nec ita se correxerit, aut fortè (quod absit) in superbiam elatus etiam defendere voluerit opera sua; tunc Abb. faciat quod sapiens Medicus; Si exhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, si medicamina scripturarum divinarum, si ad ultimum ustionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & jam si viderit nihil suam prævalere industriam: adhibeat etiam, quod majus est ecclesiæ, & omnium fratrum pro eo orationem, ut Dominus qui omnia potest operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit; tunc jam utatur Abbas ferro abscissionis, ut ait Apostolus, *auferte malum ex vobis*. Et iterum: *infidelis si discedit, discedat, ne una ovis morbida omnem gregem contaminet.*

Rursus in rubrica si debeant fratres iterum recipi de monasterio exeuntes, *cap.* 29. Frater qui proprio vitio egreditur, aut projicitur de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egressus est, & hic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur. Quod si denuò exierit, usque tertiò recipiatur. Jam verò postea sciat omnem sibi reversionis aditum denegari.] Hactenus verba Regulæ S. Benedicti. Cum quibus consentiunt etiam verba Regulæ S. Basilij in rubrica Quomodo sit procedendum contra eos, qui post trinam emendationem non sunt emendati, *c.* 5. Et de ejectione à religione similiter apertè loquuntur Divus Thom. *d. quodlib.* 12. *art. ult.* & D. Bonaventura *in Regula S. Francisci, quæst.* 14. Constitutio autem Gregorij IX. de qua hic, nunquam potuit usu recipi à Religionibus.

Itaque si permittenda sit regularium incorrigibilium ejectio ab ordine, juxta dispositionem antiquorum canonum, deliberandum erit de præscribenda ratione in ejusmodi expulsionibus observanda.

44 Porrò rationes, quibus Ordines regulares probant expulsionem esse necessariam, sunt ferè infrascriptæ.

Ratio prima; Juxta ipsam naturæ legem animantium corpora expellunt humores noxios, ut benè valeant; cui naturæ legi medicina famulatur, dum purgativa medicamenta porrigit. Quod autem natura, & ars in corporibus naturalibus efficiunt, hoc recta gubernatio in hominum cœtibus qui ut corpora quædam communia sunt, præstare solet, dum quadam Reipublicæ purgatione sceleratos aliquot in exilium pellit, ut juxta naturalis luminis ductum, eique adjunctam positivi juris quasi artem, protervorum relegatione, Reipublicæ salus conservetur. Est ergo naturali rationi consonum, ut Monasticorum Ordinum corpora rebellium expulsione purgentur.

Ratio secunda, Mysticum Ecclesiæ corpus non ratione dumtaxat naturali, sed supernaturali quoque lumine ductum, aliquos è Clero per degradationem expellit, ne statu amplius abutantur, & gravius noceant. Ergo proportione servata nobilis Ecclesiæ pars, hoc est status Monasticus naturali, ac supernaturali ratione motus poterit, ac debebit sibi consulere iis expulsis, qui jam graviter nocere cœperunt.

Ratio tertia, Experientia constat eos qui in claustris delinquunt pejores evadere solere sæcularibus reis, quod S. Augustinus observavit. Si ergo pejores evadunt, minusque proinde spei de resipiscentia superest, cum interim gravius noceant: profectò communi status monastici bono per

per expulsionis remedium opem ferre oportebit.

Ratio quarta; Crimina tam fœda, & contagiosa interdum à depravatis jam Monachis committuntur, ut nisi per expulsionis remedium quis extingueretur, brevi sana membra depasceret, & illustrium ordinum candorem deflorarent: quæ in re expertis fides habenda est. Si ergo periculum tantum sanctorum etiam Monachorum claustris imminet: omninò asserendum videtur depravatos illos expelli debere.

45 Ratio quinta; Multis experimentis deprehensum est carcerem, qui præter expulsionem unicum ingruentium malorum remedium esse videtur, si diuturnus sit, qualem depravati illi merentur, monastici status corpori vehementer nocere. Primò quia non deest confœderatus aliquis, cujus adjutorio noxij evadunt. Secundò, quia intolerabile videtur bonis Monachis se carceris custodes ad prolixum præsertim tempus fieri, cum à sæculo ad claustrum divinis rebus vacaturi confugerint. Tertiò, quia res celari nequit, & intra dies paucos unius Monachi in carcerem detrusi occasione, omnes scandalum patiuntur: novitij avertuntur, professi terrentur. Quartò, quia imago gravium peccatorum, quæ ab inclusis perpetrata esse certò supponitur, simplices ac mites omnes Monachos malè vexat, cum talia in claustris accidere ne suspicarentur quidem, nisi diuturnus carcer id persuaderet.

Ratio sexta; Nemo ab Ordinibus monasticis benè institutis, ab iis præsertim, in quibus custodia legum & spiritus vigent, expellitur, nisi prius adhibito omnis charitatis officio, scilicet multiplici admonitione, blanditiis, terroribus, minis, verberibus, carceris inclusione, prorogatione temporis ad emendationis experimentum, aliisque remediis sæpè repetitis. Cum ergo hæc omnia præmittantur, nec supersit aliud remedium, quàm expulsio; profectò illa ut extremo remedio, in extremo morbo utendum est.

Ratio septima; Quo monasticus ordo austerior, & observantior est, eo quoque certius est aliquos à perfectione tanta degeneraturos, & bonorum communitati perniciem machinaturos, quod in ordinibus jam laxis, & inclinatis non æquè contingit, cum ibi licentiùs vivatur. Si ergo res ita se habet, & in Sanctorum Collegiis unus, vel alter Judas disciplinam Monasticam protervè rejicit, aliisque innoxiis absque correctionis spe, scandalum præbet: quid superest, nisi ut expellatur?

46 Ratio octava; Religionum Patriarchæ, qui spiritu divino afflati creduntur, expulsionem probarunt, ut patet ex regulis S. Augustini, & S. Benedicti. Quod auctoritate gravissimorum scriptorum qui regulas exposuerunt confirmari potest. Huc etiam accedit aliorum scriptorum gravis auctoritas. Si ergo Monasticæ disciplinæ institutoribus, & tot viris sapientissimis expulsio probata fuit; benè erit ea uti, quandoquidem suppetunt eædem rationes, quæ viros tantos in hanc sententiam impulerunt.

47 Ratio nona; S. Thomas *quolib. 12. artic. ultim.* quærens utrum aliquis Religiosus expelli debeat propter peccatum de Religione, concludit debere expelli, si sit contumax, & corrigi nolit; quoniam secundum Apostolum, auferendum est malum, ne modicum fermentum, &c. sin minus, debere sequæstrari in carcere, vel alio modo. Ex sententia ergo D. Thomæ expulsio Monachorum incorrigibilium commendanda est.

Ratio decima, Ex jure ipso contumacium, Monachorum expulsio deducitur, cum in cap. ult. de regul. tanquam certum supponatur, aliquos à Monasticis Ordinibus ejici absque distinctione ulla, quod de justè ejectis, sive expulsis tantùm juxta germanum sensum accipi debet. Nimirum expulsio ut naturæ ipsi, ita juri, quod naturali lumini repugnare nequit, consentanea est.

Nec videntur obstare, ut regulares asserunt, nonnulla, quæ adversus tradita objiciuntur.

48 Objicitur enim primò. Si ordinibus Monasticis expulsio permittatur, multos licentiæ cupidos ausuros illa, ob quæ brevi expellantur. Verum res hæc non usque adeo timenda videtur, cum antequam flagitiosi expellantur, multa satis acria pati cogantur, & infamiæ notam contrahant: Experientiaque ipsa docuit, illos ita depravatos moræ impatientes esse; malleque per certam apostasiam quantocyus recedere, quam expulsionis incertæ tempus expectare.

49 Objicitur secundò. expulsos in sæculo liberius peccaturos, & ecclesiam gravi scandalo offensuros. Verum quanto gravius damnum infertur ecclesiæ, si una è nobilioribus ejus partibus, hoc est ordo Monasticus multo sudore reformatus, brevi deformetur, ut rationes allatæ persuadere videntur, quàm si per expulsos aliquot, qui eo ipso quod expulsi sunt, inscriptum infame gestant, scandala nonnulla præbeantur, quibus Episcopi, aut judices sæculares ab Episcopis invocati occurrere possunt? Quanto est gravius Ecclesiæ scandalum, vel unus ordo defloratus, quàm pauci protervi veste Monastica exuti, & per provincias varias dispersi? Quàm autem brevi perfectio Monastica collabatur, nisi accuratissimè occasiones ruinæ præcidantur, nemo nisi expertus crederet.

Objicitur tertiò facilitas expulsionis. Cæterum non est reprehendenda, ut facilis expulsio, quam tot prudentiæ, & charitatis officia in ratione sexta superius enumerata, & serpentis mali experimenta sine spe correctionis antecedunt. Nec facilitatem expulsionis arguit numerus expulsorum auctior uno tempore, quàm alio, si revera prædicta charitatis officia, & experimenta præcedunt; præsertim cum Dei gratia ordines multi reformati nunc floreant, quorum mores apostolicos multi degeneres ferre detractant.

Objicitur quartò, annua requisitio expulsorum in cap. *ult. de regul. injuncta*. Sed antiqua jam consuetudo contraria prævaluit. Nec mirum cum lupos ab ovili depulsos iterum admittere periculosissimum sit, præsertim cum experientia constet expulsos aut nunquam, aut rarissimè ita resipiscere, ut non potiùs officiant, quàm proficiant: præterquam quod vix reperitur expulsus, qui eò redire velit, ubi eum omnes tanquam proditorem intuentur, quod patienter, ac perseveranter ferre, paucorum, & sanè fortium virorum est, quales expulsos non esse prudenter creditur.

50 Objicitur quintò, expulsionis causam esse gravissimam, & accuratiùs quàm fortè consuevit, discutiendam esse; ac propterea ad Tribunal altius avocari debere. Verum res hæc multa circumspectione indiget. Primò, quia remedium differtur, & contagiosa peccata, ob quæ fertur expulsionis sen-

tentia, serpunt. Secundò, quia si causa à monasticis ordinibus ad curiam avocatur occasione recognoscendi processus factos, & multas circumstantias perquirendi; lites orientur in annos prorogandæ. Tertiò, quia ordines monastici sanctiores, paucorum delinquentium occasione obscurabuntur, publicatis criminibus, quæ secretius puniri possent. Quartò, quia cum causæ cognitio aliquibus tandem committenda sit, vix reperiri posse videntur, qui res monasticas æquè habeant exploratas, ac Generalis, & quatuor Definitores pij, ac docti, qui legalia suarum regularum, sive constitutionum remedia priùs adhibent. Et tandem officio coacti, ad expulsionis remedium communis salutis causa recurrunt.

51 Ad expulsionis utilitatem dignè æstimandam mirificè conducunt verba S. Bonaventuræ *q. 14. in regula S. Francisci*, ubi sic ait (Si excessus graves fuerint, & notorii, quod alij ejus exemplo possint infici, si retineatur in ordine, & extranei scandalizentur, quod talis in ordine sustineretur; tum propter auferendum scandalũ, tum propter corruptionem ordinis præcavendam, debet ejici prævaricator voti, & pacti sui.] Et paulò post in eodem c. [Si autem allegatur quod misero est miseratio adhibenda, ut iterum recipiatur in ordinem; dici potest. Crudelis est miseratio, unde plures, & meliores graviter offenduntur. Et paulò post in eod. c. (Sedes Apost. quæ jus suum unicuique servat, & vult ordinem in sua puritate persistere, non cogit ordinem tenere illos, quorum conversatio nociva esset in ordine, quia tunc puniret innocentes, & reos foveret, & occasionem daret ordinis corruptioni per tales pestiferos, si eos recipi oporteret.) Hæc S. Bonav. Licet ergo expulsi multi vagentur, & in statu monastico prius sacris Ordinibus initiati post expulsionem sordidam vitam inopiæ causa ducant; grassanti malo non ita succurrendum est, ut quod sanum, & purum in statu monastico persistat, contagio vitietur, multoq; plura, & pejora in posterum scandala oriantur, dum quod in Ecclesia floret, cito marcescat.

52 Cum *die 13. Ianuarij 1624.* in S. Cong. Concil. cui interfuerunt S. R. E. Cardinales A Monte, Millinus, S. Susannæ, de Zollero, Roma, Cajetanus, de Torres, & Boncompagnus, S. D. N. jussu actum esset de Regularibus ejectis, & fugitivis, & in specie an persistendum esset in decreto hac de re edito à S. Congregatione Concilii sub Pio IV. & Procuratoribus Ordinum intimato: Cajetanus ostendit multis rationibus, & authoritatibus decretum illud esse sacris Canonibus consentaneum, & sententiam dixit ut in voto superiùs relato, *num. 36.* cui est initium, Posito decreto, &c.

Millinus similiter ait S. Congregationis decretum, & remedium castigationis incorrigibilium intra claustra esse juridicum; nam si ex Cõstitutione Gregorii IX. in c. *fin. de Regul.* Superiores regulares tenentur suos ejectos incorrigibiles requirere, & ad monasterium reducere: ergo longè minus debent illos è monasterio ejicere, satius enim esset illos nõ admittere, quam admissos postea expellere: & Canonistæ intelligunt ejectionem in casibus permissis faciendam esse à societate, & commercio, ne reliqui inficiantur, non autem à monasterio seu ab ordine.

Sed in contrarium extat regula S. Benedicti, quæ satis clarè permittit omnimodam expulsionem incorrigibilium extra religionem, & Regula S. Augustini, quamvis utatur illis verbis, *de vestra Societate projiciatur*, tamen de absoluta expulsione, & projectione à monasterio illam intelligũt Cardinalis, & alii interpretes; quo etiam modo accipit expulsionem S. Bonaventura. Et quamvis Gregorius IX. in *d. c. fin.* contrarium statuerit, & correxerit Constitutiones præcedentes, ut advertunt DD. & in specie Panorm. in c. *Cum ad monasterium n. 13. de stat. Monach.* tamen decretum illud Gregorii numquam fuit usu receptum, & re vera in practica est difficillimum observatu. Quippe cum hoc dubium fuisset in S. Congregatione propositum sub Pio IV. Cardinalis Vitellius allegavit Bullam Clementis V. & Alciatus postea dixit se nescire an illud decretum fuisset intimatum Procuratoribus Ordinum, licet intimatum fuisse multo
53 post testatus fuerit Cardinalis Carafa. A S. Congregatione quoque Episcoporum, & Regularium emanavit simile decretum; & tamen nec Constitutio Gregorii, nec utriusque Congregationis decreta practicari potuerunt; Et religiosi S. Jesu se in sua puritate conservarunt ferè non alio potiori remedio, quàm potestate dimittendi quoslibet non professos, quam rem magni momenti ad Societatis puritatem, & conservationem retinendam dixit Greg. XIV. in *Constit. 10.* incipien. *Ecclesiæ Catholicæ*, §. 19. in Bullar. *tom. 2. pag. 698.* Itaq; hoc religionem commune bonum aliis privatis respectibus præferri debet; nam & Xenophon laudat
54 ostracismum, quo civitates antiquæ, quæ populari statu regebantur, ad tempus relegare solebant eos qui superexcellere videbantur, non ad criminis improbitatem castigandam, sed ad potentiam moderandam, de quo per Arist. *3. Polit. cap. 9.* Quanto igitur facilius adjiciendi sunt mali, ne perdant, atque inficiant bonos? Præsertim verò quia mali, & incorrigibiles regulares dum diu inviti detinentur, in desperationem adducuntur, seq; ipsos damnant, & religionis undequaque perturbant tran-
55 quillitatem. Remedium ergastulorũ bonum quidem est, sed tamen experientia docuit regulares dum diu carceribus mancipati detinentur, religionem inquietare, & multos avocare à Choro, ac divinis officiis recitandis, ita ut Superiores aut nimio dispendio, aut custodiæ difficultate, aut tædio tandem diuturnæ carcerationis affecti, vel illos dimittant, vel sinant aufugere. Unde ex carcere non modo illi meliores non efficiuntur, sed sæpè etiam labuntur in apostasiam.

56 Dices, Si ejectio permittatur, hinc aperitur via, qua exibunt quamplurimi; mali enim regulares studiosè delinquent, ut ad sæculum revertantur: at non est ita; rarò enim id accidit, quia sic delinquentibus multa accidunt mala, carceres, ignominiæ, & alia plura antequam expellantur: multa etiam mala illis subsequuntur post ejectionem, nimirum perpetua infamia, suspensio ab ordinum ministerio, difficultas quærendi victum, & alia id genus, ac præterea etiamsi hæc via aperiretur, tamen hoc minus malum esset, quàm humores noxios intra septa nutriendo, bonos subjicere periculo contagionis, & statum religionum perturbare.

Quam sententiam Patres unanimiter sequuti, censuerunt ad alia remedia confugiendum esse, ut deli-

deliberandum quibus modis sit comprimenda Superiorum facilitas in expulsionibus faciendis, & minuendus numerus ejectorum.

57 Et primò omissis capitibus quoad apostatas, & fugitivos, de quibus agi poterit in alia Cong. fuit stabilitum, ut innovarentur decreta Clem. VIII. ad regularium reformationem spectantia.

De qua tamen innovatione multi regulares conquesti sunt, eo quod d. decreta multa contineant quæ hacttenus usu recipi non potuerunt. Tamen S. Congregatio semper perstitit in sententia, ut ea decreta innovarentur.

58 Tantum fuit dubitatum, an ex dictis decretis esset excipiendum caput illud, quo novitii jubentur prius approbari ab Ordinariis locorum. Regulares enim de hoc graviter, & meritò conqueruntur, & nonnulli asserunt se ab illius observantia fuisse oretenus liberatos à Paulo V. Et de hoc capite.

59 Secundò, stabilitum est, ut in posterum è Religionibus nullus ex regularibus ejici possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi præter ea, quæ à sacris Canonibus, & Religionum statutis hac in re præscripta sunt, unius etiam anni spatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus, quo elapso si
60 nihilominus non resipuerit; ejici tandem possit, sed à Generali tantùm, adhibitis aliquibus Patribus gravioribus in generali Capitulo eligendis; tumque nonnisi instituto secundum eorum sty-
61 lum, & constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis. Hoc caput placuit S. Congregationi, quia Patres non putarunt expedire, ut Conjudices à Generali deputentur, ne alioquin causa gravissima expulsionis unius Generalis voto terminari videretur. Valde tamen dubitatum est qua ratione fieri possit, ut sex deputati à Capitulo, qui fortè eligentur ex diversis provinciis, cũ Generali convenire possint adeò frequenter ut expulsionum causas, prout necessitas exegerit, expedire valeant: aliquibus propterea existimantibus electionem fieri debere à Generali una cum Diffinitoribus: Aliis verò una cum Assistentibus, & aliis diversa opinantibus. Unde in eam sententiam tandem ob omnibus itum est, ut de his conjudicibus Generali assignandis audirentur Superiores Religionum, & res iterum proponeretur.

Superiores auditi mediante persona Procuratoris Barnabitarum, cui munus tractandi hoc negocium ab aliis Procuratoribus Religionum injunctum est, dicunt quatenus non placeat, S. Cong. ut conjudices eligantur à Generali, difficilè posse reperiri formulam eligendi illos in Capitulo generali, quæ congruat omnibus Religionibus: nam aliqui Ordines non habent Diffinitores, alii non habent Assistentes; ideoque tutius existimant ut simpliciter statuatur ejectionem fieri debere à Generali unà cum sex, vel quatuor Patribus à Capitulo eligendis. Unumquodque enim Capitulum cogitabit de eligendis ijs, qui cum generali commodè convenire possint quoties opus fuerit: & tutius esset, ut id relinquatur generali Capitulo cujusque Ordinis, quã ut à S. Cong. præscribatur.

Huic decreto posset addi, ut donec celebretur generale Capitulum, si quempiam ex justis, & necessariis causis expellere oportebit, hac prima vice, & usque ad proximum generale Capitulum dumtaxat, ejectio fieri possit à Generali de consilio, & assensu sex Patrum ab eodem Generali eligendorum.

62 Sic verò ejecti in habitu clericali incedant, atq; Ordinariorum jurisdictioni, & obedientiæ subsint juxta decretum Concil. Meldensis *c. 59.* quod habetur *tom. 6. Conciliorum, pag.* 410. in hæc verba. (Ut Monachus de monasterio sine consultu, vel præsentia Episcopi, aut Vicarij eius ad hoc regulariter deductus, non eijciatur, cuius dispositione, & authoritate de cætero vita, & conversatio ejecti ne perditus perpetuò fiat, si aliquo modo salvari potest, ordinari debet, atque decerni.)

63 Antequam hoc caput fuisset stabilitum, Cong. censuerat statuendum, ut incorrigibiles ante expulsionem detinerentur in carcere per biennium. Sed reclamantibus regularibus, hoc tempus redactum fuit ad spatium unius anni.

64 Tertiò, stabilitum est, ut Superiores religionũ nemini ex regularibus expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reijcientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

Hoc caput fuit appositũ, quia Superiores absque legitimis causis sæpè eijciunt regulares, & ad justificandam sententiam expulsionis, solent concedere dictas litteras testimoniales.

65 Quartò, ut ejecti extra religionem sint perpetuò suspensi ab exercitio ordinum.

66 Quoad hoc caput videtur deliberandum, an legitimè expulsis sit præscribenda aliqua ratio se sustentandi cum celebrandi facultas illis adimatur, ne alioquin adducantur in desperationem.

Tutius fortè videtur nullam eis rationem præscribere, quia in hanc necessitatem incidunt ex proprio delicto, exemplo clericorum, qui post irregularitatem ex homicidio voluntario contractam, absque dispensatione faciunt se ad sacros Ordines promoveri; quamvis enim egestate laborent, & sint in angustia: tamen Sedes Apostolica cum illis dispensare non consuevit. Ad hoc c. 1. & ibi gl. *fin. de ætat. & qual.* & l. *Bona fides, ff. Depositi*, & quod notat gl. in Extrau. *Iniunctæ, in verb. Suspensi. de elect.* Deinde quia vivendi in sæculo difficultate deterriti, regulares non delinquent ad hunc finem ut expellantur.

Ac demum quia expulsi ob angustias, quas patiuntur in sæculo, fortè resipiscent, & emendati curabunt ad suam religionem redire. Felix autem est necessitas, quæ ad meliora compellit, ut ait Augustinus relatus à gl. in Clem. 1. *in ver. Seipsum, de reliq. & venerat. Sanctorum.* Quod si in angustiis quoque obstinatiores perseverent in sæculo, jam non sunt digni, cum quibus à Sede Apostolica misericorditer agatur, quia impœnitentes sunt. Ideoque abs re non esset addere huic capiti, ut adimeretur Ordinariis locorum facultas dictam suspensionem relaxandi; licet verè eam non habeant, ut patet ex dictis supra *n.* 1^. Hac enim ratione dabitur expulsis occasio adeundi Sedem Apostolicam, quæ semper paternè conabitur illos ad religionem reducere.

67 Quintò, conclusum est in superioribus Cong. ut Regulares delinquentes triremium pœna nõ afficiantur, nisi eiusmodi sint crimina, quæ hoc supplicio in perpetuum sint vindicanda: tuncque ad triremes ne relegentur, nisi in perpetuum. Quod si delicti qualitas leviorem pœnam exigat, tunc intra claustra condignè coerceantur,
68 proindeque unaquæque Religio privatos habeat carceres in qualibet saltem provincia S. Congregatio sic statuendum censuit, quia regulares transmissi ad triremes ad tempus; eo lapso redeunt ad religionem multo nequiores quàm antea, & alios suis corruptis moribus contaminant, & omnes afficiunt gravissimo scandalo.

Verumtamen hoc caput valdè ægrè ferunt Regulares: & quamvis Congreg. semel atque iterum ita censuerit; nihilominus Paulus V. dixit de hoc maturè deliberandum.

Habet hoc decretum in practica duas difficultates.

Prima, quia pœna triremium etiam ad tempus est formidabilis Regularibus; & hac sublata, Religiosi multo facilius perpetrabunt ea crimina, pro quibus nõ venit irroganda pœna triremium, nisi ad tempus; & tamen ea crimina gravissima sunt, quia pœna ordinaria triremium ad vitam non infligitur Regularibus, nisi in casibus, in quibus laici afficiuntur ultimo supplicio.

Secunda difficultas est quia pro crimine, pro quo v. g. esset irroganda Regulari pœna triremiũ ad quinque anos Regularis intra claustra non esset puniendus minori pœna, quam carceris per totidem annos, aut multo plures. At experientia docuit pœnam carceris annis longũ nõ esse conservabilem in Religionibus, quia Superiores, aut nimio dispendio aut custodiæ difficultate, aut divinorum officiorum perturbatione, aut tædio diuturnæ carcerationis affecti, tandem illos dimittunt, vel sinunt aufugere, & qui sic fugerunt, in Apostasiam, ac sæpè etiam in hæresim desperationis causa labuntur. Itaque hoc caput triremiũ videtur valdè periculosum, licet fortè præponderare videantur damna, quæ Religionibus inferuntur à Regularibus, cum redeunt à triremibus ad Monasterium.

69 Sextò, & ultimò, determinatum est ut innovetur Constitutio Greg. IX. relata in c. *fin. de Regul.* qua statuitur, ut Superiores teneantur quotannis requirere suos ejectos, & fugitivos, eosq; ad Religionem reducere: & præterea, ut declaretur d. c. *fin.* habere locum etiam in his, qui justè, ac diffinitivè expulsi fuerint contra Navarr. sententiam.

Hæc Constitutio re vera nunquam fuit usu recepta.

Regulares petunt, ut hoc caput, vel expungatur, vel declaretur habere locum, dummodo in expulso adsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii. Quod ultimum videtur illis concedendum. Nam si Superioribus permittatur servatis servandis incorrigibiles ejicere, multo magis est eis permittendũ eosdem incorrigibiles non admittere; turpius enim eijciuntur, quã non admittuntur; & alioquin ad quid permittendi essent eijcere incorrigibiles, si paulo post tenerentur illos cursus recipere, imò etiam requirere, & ad monasterium reducere?

Videntur ergò ita demum cogendi ad reductionem huiusmodi, si appareat expulsos emendatos fuisse, aut sit spes evidens emendationis. Hæc quoad Regulares ejectos, & incorrigibiles.

70 Quo verò ad apostatas, & fugitivos, inter decreta, quæ hac de re fuerunt in præteritis Congregationibus firmata unum est tenoris infrascripti videlicet,

Ut apostatandi opportunitas Regularibus præcipitatis, statuit, ut de cætero licentia ad religionem arctiorem transeundi nulli concedatur, nisi concedenti legitimè constet eam religionem paratam esse illum recipere, qui licentiã petit, tuncque Regularis rectà se transferat ad arctiorem.

Hoc caput supponit necessarium esse ut concedatur licentia transeundi ad arctiorem; & tamẽ hoc minimè verum est, quia sufficit licentia petita licet non obtenta, *c. Licet, de Regul.* Abb. *cons. 91. per totum lib.* 1. Unde hoc caput aut videtur delendum, aut statuendum, ut deinceps nemini liceat etiam ad arctiorem transire, nisi de Superioris licentia petita, atque obtenta.

Quod fortè esset valdè utile Religionibus; sæpius enim Angelus Satanæ transformat se in Angelum lucis, & Religiosi temeritate, vel levitate animi, nõ zelo sanctioris vitæ moventur ad transeundum, ut legitur in eod. c. *Licet*; & experientia docuit transeuntes ad arctiorem, etiã ad Carthusianos, aut raro, aut nunquã proficere in Regulari disciplina. Sed quia obstat dispositio d. c. *Licet*, cui derogandum non videtur ob rationes in eo expressas; Hoc caput ita aptandum esset. Nullus de cætero permittatur ad strictiorem transire, nisi prius Superiori legitimè constiterit eam religionẽ paratã esse illũ recipere, qui licentiã petit.

71 Deinde omissis aliis stabilitum est, ut si Apostatæ citra montes intra quatuor, ultra montes verò intra octo menses à præsentis decreti publicatione inchoandos sua sponte ad suam quisq; religionẽ redierint, tum pœnarum omniũ ipsis propterea infligendarum remissionem, atq; impunitatem assequantur, superioresq; benignè illos teneantur recipere, & paterna charitate complecti.

Hoc etiam caput ægrè fertur à Regularibus; qui propterea petunt ut restringatur ad pœnas tantum, quas positivas appellant, & ut ita redeuntes saltem debeant in Capitulo, vel coram Superiore culpam fateri, atque emendationem polliceri. Quod satis videtur rationabile, & minus per hoc derogabitur decretali Gregorii IX. in d. c. *fin. de Reg.* quo disponitur, ut tam ejecti, quam apostatæ seu fugitivi recipiantur in monasterium salva ordinis disciplina, hoc est (ut ibi explicat gl. & DD.) imposita illis pœnitentia secundũ quod Regula illius ordinis requirit, & præcipit. Libuit hic subnectere decreta ipsa de Regularibus apostatis & ejectis me Secretario compilata in S. Cong. Concil. ut ex illorum inspectione intelligi possit quid in præmissis senserit Sedes Apost.

DECERTA S. CONGREgationis Concilii.

De Regularibus Apostatis & Eiectis.

Sacra Cong. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, Regularium ejectorum, & fugitivorum statui consulere, illorumque scandala submovere, & succrescentem numeru frangere operæ pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentissimè perpensa, communicato etiam consilio cũ S. D. N. Urbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis suæ facultate infrascripta decetra edidit.

Ac primò, ut infecta femina, quibus pravi ejusmodi

ejusmodi fructus potissimùm, prodeant, & ne ceptæ ferantur in vinea Domini, censuit esse innovandas, & Sanctissimi authoritate innovat Constitutiones, & decreta generalia fan. me. Clemen. VIII. ad Regularium reformationem, ac Novitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia, districtèque præcipit Generalibus, atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exactè observent, atque ut observentur efficiant, sub pœnis statutis in ijsdem Constitutionibus. A quibus tamen excipiendum constitit, caput illud, quo decernitur, ne in conventibus, seu monasteriis ad Novitios recipiendos hactenus designatis, & approbatis seu impositorum designandis, & approbandis Novitij ad habitum illatenus recipi possint, nisi prius à Congregatione reformationis Apostolicæ, vel à proprijs locorum Ordinariis expressè, & nominatim approbati fuerint. A cujus quidem decreti observatione S. Cong. justis de causis consuit Regulares esse absolvendos, prout authoritate Sanctissimi Domini Nostri absolvit, atque eximit.

Deinde, ut apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit, ut de cætero nullis permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque regularis rectà se transferat ad arctiorem. Quod ut re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia invigilet.

Rursus statuit, ut fugitivi, & Apostatæ, sive habitum regularem deferant, sive non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, ubi morantur trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus confignari, secundum regularia instituta puniendi, utque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad religionem reducere, atque efficere ut apprehendantur; salva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa decreto Conc. c. 3. *sess. 6.* Quod si Apostatæ hujusmodi citra mensem infra quatuor, ultra menses vero infra octo menses à præfentis Decreti publicatione inchoandos, sua sponte ad suam quisq; Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipsis propter apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur. Ita tamen ut debeant à Superiore absolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab hujusmodi pœnis absolvere, paterna charitate complecti.

Ad hæc, ut in posterum è Religionibus nullus legitimè professus ejici possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis, & Constitutionibus cujusque religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis, verum etiam unius anni spatio in lejunio, & pœnitentia probatur in carceribus; proindeque religio privatos habeat exteros in qualibet saltè provincia. Elapso autem anno si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pervicacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pectus morbida, ac membrum putre ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de consilio & assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Cong. generalibus; tumque nonnisi instructo secundum eorum stylu, & Constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad S. Canonum præscriptum. Interea tamen usque ad primum generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex justis, & necessariis causis expellere oportebit, ejectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, ut supra, quos idemet Generalis eligere debeat infra quatuor menses à præsentis Decreti publicatione; servata tamen in reliquis forma superiùs præscripta. Sic verò ejecti, quandiu non redierint ad religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterum S. Congr. religionum Superiores serio admonet, ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas fratrum suorum ferè in profundum malorum delapsos, antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officii immemorum Prælatorum regimine pereunt, Dominus noster Jesus Christus in supremo Dei judicio de eorum dem Prælatorum manibus si requisiturus.

Præterea statuit, ut idem Superiores nemini ex religiosis expulsis litteras testimoniales concedant illos ad Sedem Apostolicam repetentes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

Item, ut ejecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

Ac postremo censuit, esse innovandam, & suæ Beatitudinis authoritate innovat Constitutionem fel. rec. Gregorij IX. relatam in cap. fin. extra de regul. ac propterea declarat, eam Constitutionem in ijs quoque vendicare sibi locum, servandamque esse, qui juste, distinctèque, ac juris ordine servato expulsi fuerint; dummodò tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarij, cujus conscientiæ in his litteris concedendis Sacra Congregatio serio oneravit.

Ne qua verò difficultas in suprascriptis decretis & ordinationibus exequendis suboriatur, S. Cong. Sanctissimo Domino Nostro annuente, atque approbante, universis Generalibus, Provincialibus, Commissaris, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis Vicarijs, & quibuscunq; aliis Superioribus quorũcunque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium ubicunq; locorum existentium injungit, seriòq; mandat, ut illa diligenter observent, atq; observari procurent in omnibus Cœnobijs, ac Monasterijs, Collegijs, ac Domibus quorumcunq; Monachorum, ac Regularium ubiq; locorum existentibus, efficiantq; ut tam Decreta supradicta fel. rec. Clemen. VIII. quã præsentes Ordinationes in singulis ejusmodi locis his saltè in anno legantur in publica mensa.

Si quis verò ipsorum adversus ea, quæ superius præ-

præscripta sunt, vel eorum aliquid, quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisq; activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, pœnaq; hujusmodi sit Sanctitati suæ, ac Sedi Apostolicæ reservata, ijsdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta; & nihilominus sit irritum, & inane quicquid secus, à quoquam actum extiterit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunq; nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus, quoque, indultis, & privilegijs, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, nõ autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ infradictis quomodolibet adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè, Sanctitatis suæ authoritate derogat, cæterisque contrariis quibuscunque. Dat. Romæ die 21. Septembris 1624.

C. Card. de Torres.

Locus † Sigilli.

Prosp. Fagnanus S. Cong. Secr.

Decreta generalia fel. rec. Clem. Papæ VIII.

De Novitijs ad habitum Regularem, & professionem non admittendis, nisi in Conventibus designandis.

CLEMENS PAPA VIII.

Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimum juxta nostri muneris debitum laborare non desistimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano usu compertum est, quod in omnibus Conventibus, ijs præsertim, qui majori reformatione indigent, singuli ad Religionem venientes, passim recipiuntur. Unde fit ut quo magis Nos varijs Constitutionibus malè affectas radices amputare studemus: eò magis in dies in depravata, instructuosaque ejusmodi noviter professionum germina succrescant. Cui quidem malo occurrere volentes, præsenti Decreto statuimus, directeq; præcipimus omnibus Generalibus, Provincialibus, Commissarijs, Ministris, cæterisque Superioribus Conventuum intra Italiæ, & Insularum adjacentium fines existentium quibuscunq;, & quorumcunq; Ordinum Mendicantium, ut de cætero neminem sub quovis prætextu, aut colore ad habitum Regularem admittant, nisi in Conventibus auctoritate nostra perpetim in unaquaque provincia designandis. Insuper sancimus, ut quoad ejusmodi Conventus, ut præfertur, per Nos deputati non fuerint; omnes prætextorum Ordinum Superiores à receptione quorumcunque Novitiorum, sive ad habitum, sive ad professionem omninò abstineant. Superior, qui hujus Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisq; activæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, se noverit incurrisse, ac aliis etiam pœnis arbitrio nostro subjaceat. Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra hujusmodi Decretum nostrũ admissi fuerint nullas, & irritas esse nunc decernimus & declaramus. Privilegijs, Statutis, & consuetudinibus quibuscunq; in contrarũ minimè obstantibus. Dat. Romæ die 12. Martij 1596.

Renovatio & ampliatio ejusdem Decreti.

De Novitijs ad habitum regularem non recipiendis, nisi in Monasterijs, & locis designandis.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dñus noster D. Clem. Divina providentia Papa VIII. cum jam dudum animadverteret collapsæ Regularis disciplinæ institutioni, pro qua potissimum, juxta sui muneris debitum, vigilare, ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quod in omnibus Monasterijs, & Conventibus, ijsque præsertim qui majori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur, ac inde fieri, ut quo magis varijs Cõstitutionibus male affectas radices evellere studet eò magis instructuosa noviter profitentium germina quotidie succrescant: cumque ob zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas Sua omnes Regulares ad vetus suæ cujusque religionis institutũ redigendi, districtè prohibuerit, ne quis in certis Monachorum, & Mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitum religionis admitteretur, profiteretur ve, quousq; monasteria, & Cõventus aliquot destinarentur, in quibus posset comodius regularis observantia, secundum reformationem à Sanctitate Sua institutam introduci: Quia tamen non obstante tali prohibitione, cognovit nõnullos fuisse, vel sub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate Sua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non pervenerit, receptos, & admissos, præter mentis suæ sensum; Ideireò huic malo prospicere volens, ne licentiarum, ac facultatum hujusmodi subreptione, ac prætextu, Decretum Sanctitatis Suæ irritum reddatur; Nunc denuò districtè præcipit, ac mandat omnibus Ge-

neralibus, Provincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis, quibuscunque, cæterisque Superioribus Conventuum, Monasteriorum, ac Domorum quocunq; nomine appellentur, intra Italiã, & Insularum adjacentium fines existentiũ, quorumcunq; Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium [exceptis tamen Carthusianorum, Fratrum Minorum de strictiori observantia, necnon Capuccinorum S. Francisci, Reformatorum S. Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Fulliensis, Cisterciensis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulensis, & Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Jesu, Sancti Pauli Decollati, & aliorum de Somascha, Ministrorum infirmorum, respectivè Ordinibus, Societatibus, seu Congregationibus, nuncupatis, quæ etiam antea exceperat, & nunc iterum excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi.] Ne sub cujusvis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, nisi per literas in forma Brevis dumtaxat, & non aliàs, quemquam ad habitum regularem suscipiendum, nec etiam conversos nisi in Conventibus, Monasteriis, & Domibus, authoritate ejusdem S.D.N. propediem in unaquaq; provincia designandis, recipere, aut receptos ad professionẽ admittere ullo modo audeant. Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitatis suæ receptos, etiamsi imperfectum habitum, aut sine caputio gerant post præsentis Decreti in Romana Curia publicationem, omninò ejicere debeant.

Superiorem autẽ, qui hujus Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis activæ & passivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit, ac decrevit, & aliis etiam pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ imponendis subjacere.

Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra hujusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcunque effectum, ex nunc decernit, & declarat.

Hoc autem decretum noluit Sanctitas sua eos Ordines comprehendere, qui Conventus, Domos, & Monasteria à se probata pro Novitiorũ receptione, & educatione, hactenus permissione sua constituerint.

Cæteras verò licentias, sive particulares, quæ in hanc diem effectum non sunt sortitæ, revocat, & annullat.

Vult autem Decretum suum in solitis locis Urbis publicatum ita prædictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum, privilegiis, statutis, & constitutionibus quibuscumque in contrarium minimè obstantibus.

Dat. Romæ apud S. Marcum, die 20. Mensis Junij 1599.

Decreta pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quam Mendicantium cujuscumque Ordinis, & Instituti.

CLEMENS PAPA VIII.

3 Nullus omninò prætextu cujuscumq; privilegij, vel superioritatis, etiam Generalatus, à servitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores ijs tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint; Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia Superiores animadvertant ad præscriptum Regulæ, & Constitutionũ, alimenti etiã, si opus fuerit, subtractione

Lectio Sacræ Scripturæ, vel Casuum conscientiæ bis in hebdomada præscriptis diebus in singulis Monasteriis, & Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinã sese utiliter exerceant.

Quod Trid. Concilij Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, Præcipitur, ut nullus ex fratribus, etiam si Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut promissis, tam in propria Ecclesia, quam ubicunq; celebrandis, aliovè ipsorum justo labore, & causa & quocunq; nomine acquisita, etiam si subsidia consanguineorũ, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit: sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atq; cũ cæteris illius bonis, redditibus, pecunijs, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

4 Neque Superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commodam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.

5 Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat, ut proprium, neque ut proprio utatur.

6 Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas, nedum à Concilio Tridentino præscriptas: sed alias quoque multo graviores, superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

7 Nulla quorumcumque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia fratres excusare possit, quo minus culpæ, & pœnæ ab ejsdem Concilij Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxij sint, etiamsi superiores assueverunt hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

8 Fratrum vestitus, & suppellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino uniformis sit fratrum, & quorumcumque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat: ita ut nihil superflui admittatur; nihil etiam, quod sit necessarium alicui denegetur.

9 Quæcumque fratrum vestes, sive laneæ, sive lineæ, omnisque alia suppellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno, vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, ut inde superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.

10 Omnes etiam superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemq; obsonio, sive eadem

eadem

eadem (ut ajunt) pitantia, in communi mensa prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neq; singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit, si quis in ea peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, & aquam.

11 Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præstationes peculiares rationes officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter annotari curent, neque in alios usus, quam ratione officij sui necessarios, quicquam expendant. Cum verò contigerit ipsos in aliquo conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferãt, ex qua sibi, & ijs, qui secum erunt, victus ad præscriptũ Regulæ, & Constitutionũ suppeditetur.

12 Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemq; pecuniarum, & redditium in conventus, etiam nomine conventus per seipsum habere, sive exercere possit; sed universum id omnis tribus fratribus ejusdem conventus à Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, redditiumq; colligendorum, ac exigendorum curam habeat: alter tanquam depositarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asservet: alius de pecunijs, & rebus à Depositario acceptis Priori, & Fratribus, ac Conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso Priore, nõ secundum proprium affectum, sed juxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator provideat, officiorũ hujusmodi confusione penitus interdicta.

13 Cæterum hi tres tam impensi, quàm accepti singulis mensibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus fratribus ejusdem conventus probatioribus, rerumq; usu peritis, rationem reddant: Deinde ipsimet rursus, præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, cum advenerint: denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali saltem corã tribus judicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, universamq; suæ administrationis tam publicæ, quam privatæ rationem reddere teneatur, cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc, ut ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

14 In unoquoque conventu, fratrum is tantum deinceps constituatur, & imposterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius proprijs, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, quibuscumque obventionibus in commune [ut præfertur] conferendis commodè possit sustentari: redditus verò, & supradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter asserventur.

15 Superioribus autem, ne Concilii Tridentini, aut hæc nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo possint, omnino interdicimus, & prohibemus, decernentes irritum, &c. Si quis autem contra præsumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuò inhabilis existat.

16 Nullus nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui gradus privilegio gaudeat.

17 Si alicui ex necessaria causa, Generalis judicio probanda, socius ex eodem Ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is nisi vigesimumquintũ agat annum, & qui communi servitio sit deputatus, non concedatur, & si commodè fieri possit, sit laicus conversus.

18 Ut omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conventus clausura perpetuò, ac diligẽter servetur, ac propterea à Superiore janitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur: is januæ custodiendæ semper assistat, eamque nemini fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.

19 Nullus à Conventu egredi audeat, nisi ex causa & cum socio, licentiaq; singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius. Licentiæ verò generalis exeundi, nulli omninò concedantur.

20 Contravenientes autem pœna gravi, etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur, eandem etiam janitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

21 Cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.

22 Nullos fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint.

23 Si quis autem sine hujusmodi facultate Romã venire præsumpserit, voce activa, vel passiva biennio privatus existat, subiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine ulla exceptione locum habeãt.

24 Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut cum sibi videbitur cellas omnes relevare possit, & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri.

25 In medio Dormitorij totam noctem lampas colluceat.

26 Nullus etiam Superior cellas sive in claustro, sive alibi separatas à communi dormitorio habeat unusquisq; unica cella, eandẽ cũ cæteris aliorum fratrũ conjuncta, nudis omninò parietibus, ac lecto, & mensa humilibus, uniformiq; suppellectili (ut præfertur) quemadmodum religiosos decet, contentus sit: possit tamen generalis alicui ex Superioribus conventuum, si eorum muneris, & officij necessitatem id exigere cognoverit; alteram etiam cellam concedere.

27 Cellæ sive ædiculæ quæ extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut aliàs ad communẽ usum, & commoditatem conventus redigantur:

28 Sigillatim suo quisque lecto cubet, neq; ullibi duo in eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

29 In privatis cellis nulli camini permittantur: sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam è parietibus convulsis, ut res illa non ad tempus facta, sed perpetuò duratura videatur, cellis tamen Generalis aut alterius Superioris ac Prædicatoris exceptis.

30 Conventus fenestræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes perspiciunt, muro ita obstruantur, ut omnino ijs prospectus impediatur.

32 Valetudinarium in singulis conventibus certo, ac salubriori loco cõstituatur, quod pro loci situ,

 ac

ac fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde nisi recuperata sanitate abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac charitate operam suam præstabunt, ac curabunt ne quid ægrotis omnino desit quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

32 Ineatur ratio, qua, sublatis licentijs, ac facultatibus hactenus quibuscunque concessis, degentes extra Conventus claustra, ad ea quamprimum revocentur, nec de cætero, nisi ex gravissima causa à Sede Apostolica probanda, hujusmodi facultates concedi possint.

33 Nulli imposterum ad habitum, aut professionem admittantur, nisi in Conventibus per Sedem Apostolicam in quolibet provincia deputandis.

34 Curent Superiores, ut constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter observetur.

35 Ut omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caveant omnes à directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicunque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra hujusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à Nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non revelantes extendimus.

36 In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Conc. Trid. & Ordinis constitutionibus inviolabiliter servetur, jurentque Electores secundum veritatem cujusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deveniatur, in primis & ante omnia prælegantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueverint regulas Ordinis, & Constitutiones observare, præsertim quæ pertinent ad servitium Chori, ac vestitum, ac victum communem.

37 Eligantur in Capitulo Generali, vel Provinciali aliquot graves, & periti ex fratribus cujuslibet provinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad hujusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores, promovendos ad quoscunque Ordines, in quo servetur decretum Congregationis interpretum sacri Concilij Tridentini, hac de causa nuper editum, & promulgatum.

38 Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso; ac propterea omni studio invigilent, ut quæ in eorundem Ordinum Regulis, & Constitutionibus de oratione mentali, silentio, jejunijs, capitulo culparum, alijsque spiritualibus exercitijs prudenter, ac piè sancita sunt, ea omnia, & singula ad unguem observentur, intelligantque super his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia construenda, & amplianda esse, quæ ut faciliorem exitum sortiantur, & fructus uberiores in animis fratrum producant, valdè opportunum erit, si in quolibet Conventu, singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina, regularique observantia.

39 Quo verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo uniuscujusque Conventus, in qua distinctè adnotetur quid singulis horis cujusque diei quilibet frater præstare debeat, ut certo quoque signo præmonitus, majore animi præparatione suo muneri satisfacere possit. Quæ Ordinis Constitutiones, his Decretis non adversantur, inviolatè custodiendæ erunt.

40 Quibus horum Decretorum Capitibus certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Ut autem hæc Decreta (donec alia, quæ pleniorem reformationem facient, edantur) ab omnibus observari possint, districtè præcipimus Generalibus, ac omnibus alijs quibuscunque Superioribus ad quos hoc spectat, ut curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorundem Ordinum Constitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omnino eorum singulis facultate illas declarandi, & adversus eas unquam dispensandi; alioquin sciant se in pœnam Generalatus, & officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuè ad alia quoque munera ipso facto, & sine ulla exceptione respectivè incidisse.

41 Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum observatio, quoquomodo differri possit, aut impediri, volumus, ut post illorum publicationē in Conventu, vel Monasterio cujuslibet Ordinis de Urbe factam, Generalem, aliosque Ordinum Superiores, cæterosque quoscunque fratres præsentes, statim: reliquos verò absentes citra montes, unius mensis, ultra montes, trium mensium spatio ita arctent, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent.

42 Insuper mandamus, quod Generalis in singulis Conventibus citra montes, unius mensis, ultra verò montes, trium mensium curia Decreta supradicta publicari faciant, sub pœna privationis Generalatus, alijsque arbitrio nostro imponendis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 25. mensis Junij 1599.

DEcretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia duntaxat permissum est, Sanctitas Sua extendi ad Provincialem decrevit, ita ut Provincialis ipse ex causa communi totius provinciæ duntaxat facultatem hujusmodi facere valeat, declaravitque pœnam privationis vocis activæ, & passivæ contrafacientibus inflictam Sanctitati Suæ reservatam esse, interdicta omnino eorum Superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ die 20. Martij 1601.

Decretum fel. rec. Clementis Papæ VIII. super casuum reservatione ab omnibus Regularium Superioribus observandum.

SAnctissimus D. nr noster, qui jampridem accuratè perpendit, ac re ipsa comperit quòd reservatio facultatis absolvendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam gravioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem; ideo, ut huic malo Sanctitas Sua opportunè prospiceret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutionem sibi reservet, exceptis ijs, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint.

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa Monasterij, seu Conventus fiat egressio. Nocturna ac furtiva è Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo.

Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non sequuto.

Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij, aut Conventus. Furtum de rebus Monasterij, seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

Lapsus carnis voluntarius opere consumatus.

Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujusque personæ.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in provincia, matura discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id ab iis petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero majori, vel minori, iique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius judicaverit.

Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ea notitia, quàm de aliorum peccatis in confessione habuerunt ad exteriorem gubernationem utantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis, etiam nō reservatis, à Confessarijs imponendas, quæ subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicunque illi sint, observari mandavit. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cujusvis Concilij, etiam generalis Decretis, necnon consuetudinibus, etiam immemorabili tempore observatis, aut regulis in generalibus, seu provincialibus Capitulis editis, statutis, & Constitutionibus etiam Apostolica auctoritate confirmatis, privilegiis, indultis, & concessionibus quorumcumque, quorum tenores his pro expressis haberi voluit, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum die 26. mensis Maij, anno Domini 1593.

Sanctitas Sua deinceps declaravit & declarat, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absolvere.

Formula concedendi facultatem pro Novitijs ad regularem habitum recipiendis in Monasterijs, & locis designatis.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Clemens Divina providentia Papa VIII. cum regularem disciplinam restituere, atque in pristinum statum revocare maximè cuperet, regularesque omnes, vitam moresque suos ad rationem ejus instituti, quod quisque professus esset, ita componere, ut quæ ad votorum vim, habitum, victumque communem pertinent, ea potissimum singuli religiosissimè observarent, generali Decreto, quod de mense Junij editū, tertia Julij anni 1599. promulgatum fuit, Ordinum religiosorum Superioribus, (nonnullis exceptis) prohibuit, ne aut Novitios reciperent, aut quenquam ad professionem ante admitterent, quàm à Sanctitate Sua monasteria aliquot ad eam rem præscripta essent, in quibus observantia regularis vigeret. Nunc verò eadem Sanctitas Sua à locorum etiam Ordinarijs, quibus id muneris demandaverat, certior facta, in infrascriptis monasterijs, & Conventibus Ordinis N. præfinitum esse numerum duntaxat eorum, qui vel ipsius monasterij censibus, vel consuetis eleemosynis sustentari ibi cōmodè possunt, atque in ijs omnia fideliter observari, quæ sunt cum illorum professionis perfectione conjuncta, nempè castitatis, paupertatis, & obedientiæ vota, unà cum cæteris decretis particularibus, vel instituti ipsius, vel Pontificijs etiam ad victum, vestitumque cōmunem spectantibus (ipso Decreto, ut supra, edito, & promulgato, nequaquam obstante) potestatem facit Superiori ejusdem Ordinis Novitiatus in infrascriptis monasterijs, & Conventibus erigendi, novitios recipiendi, educandi, atque ad professionem admittendi, modo tamen id ad præscriptum instructionis jussu Suæ Sanctitatis editum, neque alio modo fiat. Quoniam verò ea est Suæ Sanctitatis mens, & voluntas, ut in monasterijs, & Conventibus, ad alendos novitios præfinitis, regularis observantia perpetuò retineatur, mandat, & præcipit, ut in ipsis præscriptus jam personarum numerus in posterum servetur, nullusq; omnino superior cujusvis conditionis, personarum, & novitiorum numerum augere præsumat, ea pœna proposita, ut in omnibus privatus officijs, vocis activæ, & passi-

væ jus omne amittat. Vult denique Sanctitas Sua hujusmodi facultatem per Congregationem reformationis Apostolicæ hoc Decreto Secretarij manu subscripto concedi, non obstante Decreto, ut supra promulgato. Dat. Romæ, die, &c. Præscribitur verò numerus Sacerdotum.....Clericorum.....Conversorum autem.

N. Visitationis, & Reformationis Apostolicæ Secr.

Decretum super forma recipiendi Novitios Regularium ad habitum, & professionem.

SAnctissimus in Christo Pater, & D.N.D. Clemens Divina providentia Papa VIII. qui aliàs pro regularis disciplinæ restitutione, singulis regularium Ordinibus (quibusdam exceptis) prohibuit, ne ad regularem habitum novitios in posterum reciperent, receptolve ad professionem admitterent, quousque in aliquibus cujusvis Ordinis monasteriis, seu Conventibus (in quibus novitiatus pro recipiendis, & educandis novitijs deligarentur, & approbarentur) ad ejus, quam professi sunt, regulæ præscriptum, vitam, moresque restituerent, & componerent; certior deinde factus quòdam omnium ferè Ordinum Conventus, seu monasteria ad pristinam illam regularem vivendi formam, & disciplinam, quam diutius desideraverat, fuisse redacta in eisdem monasterijs, & Conventibus, ut Novitiatus erigi, novitiique recipi possent (sub certis tamen legibus, ac ea præsertim, ut licentia à Congregatione reformationis Apostolicæ prius obtenta esset) concessit, & ad illa deligenda, & approbavit. Nunc volens ut ea, quæ pro novitiorum receptione, & institutione, de mandato Sanctitatis Suæ præscripta fuerunt, in posterum accuratius, & exactius observentur, ultra formam traditam in Constitutionibus fel. rec. Sixti Papæ V. & etiam Sanctitatis Suæ super receptione novitiorum, decrevit, ac præsentis Decreti virtute mandavit, ne in Conventibus, seu monasterijs ad novitios recipiendos, de Sanctitatis suæ, seu dictæ Congregationis reformationis licentia hactenus designatis, & approbatis, seu in posterum designandis & approbandis, novitij ad habitum recipi ullatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa Congregatione, vel à propriis locorum Ordinarijs, aut ab illis, in quorum diœcesi novitiatus exiliunt, in quibus novitij recipiendi fuerint, expresè, & nominatim novitij ipsi recipiendi approbati fuerint, & ut recipi, & admitti possint, licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus, etiam quoad scripturam concedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas Sua eosdem Ordinarios omnem curam, & diligentiam adhibere, ut circa ætatem, conditionem, educationem, scientiam, vitam, & mores, cæteraque qualitates in ipsis novitijs requisitas, observentur institutiones pro illis recipiendis ab eadem Congregatione reformationis factæ, & publicatæ, neque aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant: Ordinariorum ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbaverint, vel admitti permiserint, qui non sit idoneus, & juxta constitutiones, & institutiones prædictas, approbandus, & admittendus. Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcunque Ordinum, qui, in admittendis ad habitum, & professionem novitijs formam constitutionum, & institutionum prædictarum non servaverint, aut novitium aliquem quantumvis idoneum, & approbatum, in quovis alio Conventu & loco, seu monasterio, præterquam in hactenus à Sua Sanctitate, vel à dicta Congregatione designatis, & approbandis, vel ultra numerum in eorum singulis præscriptum, seu præscribendum recepterint, vel admiserint, seu aliàs præmissis quovis modo contrafecerint. Irritum ex nunc, & inane decernens quicquid secus, vel aliàs, quavis auctoritate à quovis gestum, vel attentatum fuerit. Non obstantibus quibuscunque, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, die 17. Maji 1602. Pontificatus ejusdem S. D. N. Anno undecimo.

Institutiones super receptione, & educatione Novitiorum Religiosorum monasterij, & conventuum designatis, vel designandis Clementis eiusdem iussu edita.

CUm ad regularem disciplinam in singulis Religiosorum monasterijs propagandam, Novitiorum institutio maximè utilis sit, ac necessaria, & nihil ad gravem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum vivendi rationem relaxandam majorem vim habuisse compertum sit, quàm, vel nimiam in recipiendis novitijs facilitatem supra numerum, quem capere, atque alere monasteria ipsa possent, vel negligentiã in probando, & examinando eorum spiritu, an verè esset ex Deo, atque ex præcipuo desiderio illi inserviendi, vel denique in curiam in eis educandis, atque instituendis. Idcircò, ut hujusmodi incommodo deinceps occuratur, præcipitur omnibus, & singulis, ad quos spectat, ut in recipiendis novitijs, & in eorum institutione, atque educatione, necnon in magistri, & aliorum ministrorum electione, præter alia, quæ in sacris Canonibus, ac Decretis, præsertim Concil. Trident. Pontificijs, & cujuscunque Ordinis, aut instituti constitutionibus continentur, tam in alias designatis, quàm nunc, & imposterum ad hoc designandis monasterijs, & conventibus, hæc quæ sequuntur, inviolatè observari, & exequi perpetuò curent.

Primum, quòd attinet ad novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquisitionem quæ habenda erit de uniuscujusque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteactâ, ac præcipuè eorum, qui sextumdecimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxij sint, juxta formam constitutionis fel. rec. Sixti V. & moderationum subsecutarum: illud etiam Superiores ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in monasterijs, & conventibus, ex Apostolica facultate novitiatus fuerint instituti, in iis ad Religionem nullus imposterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones sacris Canonibus, Summorumque Pontificum constitutionibus præscriptas non habeat, juxta Decretum super forma recipiendi novitios, die 19. Maji 1602. editum.

Quisque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea sit ætate constitutus, quam ejus Ordinis, in quo recipietur regularis institutã, & ordinationes requirunt; eam verò litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præseferat, ut minores, & suis temporibus, majores Ordines, juxta Decreta Sacri Concilij Tridentini suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimumquintum excedens ad habitum regularem admitti postulaverit, & talis eruditionis expers inventus fuerit, in Conversorũ tantum, quibus litterarum scientia non est necessaria, numerum referatur: ipsi autem Conversi non recipiuntur ante vigesimum ætatis suæ annum & nisi saltem præcipua Doctrinæ Christianæ capita noverint.

Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem propositurus, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberiùs famulari possit, an potiùs levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur.

Provideant quoque, ut omnes, etiam conversi recipiendi priusquam ad habitum regularem admittantur, ab ijs quibus munus hoc incumbit, de regulis, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque regulari, & aliis cujusque Ordinis peculiaribus institutis, & constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarundam Religionum moris est, nedum Conversos ad professionẽ admittendos verum & Oblatos, ut vocant, recipere, circa ipsorum Oblatorum receptionem unaquæque religio suas peculiares Constitutiones, specialiaque instituta observare teneatur.

Statim atque Novitij ad habitum recepti, & in locum Novitiatus intro ducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactæ vitæ conscientiam discutiant, & expurgent.

Quod verò ad loci qualitatem uniuscujusque Novitiatus spectat, locus hujusmodi propria clausura ab ea parte Conventus, & Monasterij, in qua degunt Professi, segregatus sit, atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Novitij, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commodè sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magistro, ejusque socio reperiatur.

In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, institutionesque Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum fe igne communi recipiant.

Oratorium insuper, seu Cappella, si commodè fieri poterit, ad Novitios in spiritu aliosve præsertim in ceremonijs, Ecclesiasticisque functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem benè consitus, atque munitus adsit, in minus, horum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsis verò Novitijs ibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris auctoritate (si opus fuerit) ne in eundem quisquam alius ingrediatur.

Ad hujusmodi locum Novitiatus nemini ejusdem, vel alterius Ordinis regulari etiam Conventus & Monasterij Officiali, ullo unquam tempore sub quovis prætextu aditus pateat, præterquam Magistro, ejusque socio, ac etiam Monasterij, aut Conventus Superiori, si quandocunque ingrediendum sibi necessariò existimaverit, quotamen casu aliquem semper ex senioribus cõventus, vel Monasterij Patribus socium assumat.

Hujus loci clausuræ clavis apud Magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere, si quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsente, & non aliter alloquatur.

Novitiorum Magistro socius, si per Novitiorum institruendorum multitudinẽ necessarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his, quæ ad Novitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediatè subjectus existat, eligunturque tam Magister, quàm socius per Provinciale Capitulum, per triennium ad minus onus hujusmodi subditur. Quòd si aliquo casu extra tempus capitulare nova loca Novitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Novitiorum, & socij hujusmodi in his novis locis per Generalem, vel Provincialem, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur: idemque servetur, si intra triennium, alterum, vel utrunque urgenti aliqua de causa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cujus, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.

Tam Novitiorum Magister, quàm socius ab ijs omnibus officijs, oneribusque vacationem habeant, quæ Novitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipse Magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum ætatis suæ anno constitutus, & per decennium à professione emissa in religione perstiterit: Socius verò trigesimum annum excedat, sintque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vites fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præstantes, orationi præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine præseferentes: ab omni cordis, ac animi perturbatione, iræ præsertim, & indignationis, quæ in se, & erga alios charitatem impedire consueverint, quam longissimè alieni & tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum præbeant, ut ij, qui eorum curæ subsunt, illos non tam metuant, quàm reverentur, nec illis unquam detrahere quicquam possint.

Habere etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Novitiorum institutionem, ac Novitiatus reginen, ita ut in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus majoribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, ut Novitij omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque præcipuè divinæ, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam, & excellentiam, quæ vera sit atque perfecta votorum solemnium, & quàm necessaria cujusque Ordinis Constitutionum observantia, modum in oratione, tam vocali, tum mentali fructuosè perstiendi, illicitas passiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata

omni

omni tempore prona est, atque proclivis) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.

Quilibet Novitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam unusquisque examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorundem Novitiorum confessiones audire.

Quotidie Missæ sacrificio intersint, & statutis horis in Choro, nocturnis, diurnisque divinis Officijs assistant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quæ in solitario loco, & commodo extra Novitiatum semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadibus longior statuatur, fiatque semper Magistro præsente, vel socio, qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disjuncti, atque eo tempore, cujusque, in quam natura feratur, propensionem scrutentur.

Non liceat eis, durante Novitiatus, & probationis tempore, unà cum Professis, nisi in Choro, in ecclesia tempore officiorum, in processionibus, aut in cœnaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis Professos domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & propriis cujusque necessitatibus, quæ accidere possunt, unus ex Novitiis ipsis, ætate, moribusque provectior deputetur, qui absente socio, Magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam januæ custodia, & rerum levioris momenti provisio intra Novitiatum committi poterit.

Cum autem, licèt Clericorum bene instituendorum cura debeat esse præcipua, Conversorum tamen religiosa instructio nõ sit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cum regulam profiteantur eandem, perfectam educationem, tum religioni decorem, & ornamentum, tum aliis Christi fidelibus ædificationem, exemplum, atque utilitatem afferre. Conversis ipsis à Clericorum Novitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen hac separatione non obstante Magistro Novitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conventuum juxta cujusque Ordinis Statuta, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantum circa corporalia obsequia probandi, & exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate, & commoditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod ut commodiùs fiat, ad Capitula, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Novitijs fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesiis statutis horis conveniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint.

Tempore verò probationis elapso, ij tantùm, qui non solum religiosæ perfectionis capaces; sed ad laborem corporalem apti novo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis suæ añum, quo ad Clericos decimumsextum, quo verò ad Conversos, vigesimumprimum excesserint) ad professionem admittantur. Sed qui ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

Superior cujuslibet Conventus, in quo Novitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo uniuscujusq; Novitij professio registretur, illamq; Novitius professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant.

Conversus verò literarum ignarus, professus, in eorundem testium, qui se subscripserint, præsentia propria manu signum Crucis apponat, asserveturque liber, & custodiatur in Archivio, ubi scripturæ ad Monasterium, seu Conventum pertinentes reponi consueverunt.

Quia verò in quibusdam Ordinibus filiationis usus est receptus, declaratur, quod licet decretum sit, ut Novitiis educandis certa Monasteria, aut Conventus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum, & Conventuum hujusmodi Ordinum, in quibus filiationis usus receptus est, eos quos prænarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios juxta cujusque Ordinis constitutiones adscribere, sicque adscriptos, cùm juxta præsentes institutiones, & alias servatis servandis ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Novitiatuum cum testimonialibus literis transmittere, ubi tanquam dictorum Conventuum, seu Monasteriorum filij, eorundem nomine, & instantia recipi, ac in Novitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monasteria, seu Conventus filiationis hujusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, ut permissum est, exerceri debebunt.

Porrò, ne loca unius Monasterij, seu Conventus ab alio præoccupentur, Capituli generalis, aut provincialis partes erunt, numerum præscribere pro omnibus, & eam similiter rationem circa alimentorum contributionem, si opus fuerit, inire, ac singulis Conventibus, & Monasteriis præscribere, quæ magis expedire videbitur.

Ut autem Novitii jam in Professorum numerum, sicut præmittitur, recepti melius in bono spiritu regularisque disciplinæ observantia stabiliantur, & confirmentur, mandatur, ut statim post professionem emissam, si in Conventibus, aut Monasteriis pro Novitiatibus assignatis locus aderit secundi Novitiatus, sive Professorij ab ea, quæ Novitiorum est, atque antiquorum Professorum habitatione distinctus, & segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conventus eos alere queat, sin minùs, in alium commodiorem Conventum, aut Monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad Novitiatum supranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo construatur.

Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ suarum

suarum constitutionum, seu institutorum vigore majoris temporis cursu novos professos intra novitiatum detinere consuescunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, ut, prædictis earum constitutionibus non obstantibus, idipsum facere possint, si id rationi, ac religioni magis expedire dijudicaverint, quibus in locis degant sub regulis, & modo vivendi adhuc arctiori, quàm servent antiquiores professi, ita quòd in negotiis monasteriorum, aut conventuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicujus exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad ætatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem devenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimo & debebunt litterarum studiis operam navare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quib* novitiorum Magistrum præditum esse oportere dictum est.

Declaratur tamen, quòd propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi novitios, nisi in locis pro novitiatu designatis, aut imposterum designandis, & pro numero duntaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

Denique si illi qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alij, ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, privationem, gravioresque pro modo admissæ culpæ pœnas, se subituros certò sciant. Datum Romæ apud S. Petrum die 19. Martij 1603.

Ant. Seneca, Refor. Apost. Secr.

Anno millesimo sexcentesimo vigesimoquarto, Indictione septima, Pontificatus autem Sanctissimi Domini N. D. Vrbani divina providentia Papæ VIII. anno eius secundo, die vero vigesimasexta mensis Octobris, supradicta Decreta tam Sacræ Congregationis Concilij, quàm san. mem. Clemen. VIII. affixa, & publicata fuerunt ad Valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum; necnon in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Camillum Fundatum, & Iulium Marzatellum Cursores Sanctissimi.

Brandimartes Latinus Pro magistro DD. Curs.

DE CONVERSIONE Conjugatorum.

Cap. Præterea.

SVMMARIVM.

1 *Professus de uxoris licentia potest, & debet à monasterio revocari, si uxor sit suspecta, & continentiam non promiserit.*

2 *Secus si promiserit continentiam, sive sit suspecta, sive non.*

3 *Vxor iuvenis, quæ dedit viro licentiam profitendi, & castitatem vovit, an cogenda sit non solum ingredi monasterium, sed etiam professionem emittere.*

4 *Profiteri an, & quando aliquis præcisè cogi possit.*

5 *Vxor quæ dedit viro licentiam ingrediendi religionem sed castitatem non vovit, an possit directè virum repetere, & ille propria authoritate exire, & num. seqq.*

Et quid si sit iuris conscia, num. 7. vers. Prædictam conclusionem.

6 *Iudex in materia peccati ex officio providere potest ubi clauditur ei agenti.*

7 *Maritus, cuius professio non tenet, peccat si se ab uxore alienet, aut ei causam adulterandi præbeat.*

8 *Votum religionis emissum à coniuge de licentia alterius non solemnizatur, nisi votum remanentis in sæculo sit perpetuum; secus si temporale durante vita ingressi.*

9 *Vxor senex & non suspecta ut possit in sæculo remanere cum simplici voto castitatis, & vir ad religionem transire, an requiratur licentia Episcopi, & num. seq. usque ad num. 17.*

10 *Dissimulatio aliquando accipitur pro approbatione.*

11 *Matrimonij separatio non potest fieri sine authoritate ecclesiæ, & num. 13. & seqq.*

12 *Professio facta à coniuge de licentia alterius castitatem voventis, tenet, etiam sine Episcopi licentia.*

13 *Coniux transire non debet ad religionem altero in sæculo remanente cum voto castitatis sine licentia Episcopi.*

14 *Vxor quando dicatur senex, & sterilis adhoc ut possit in sæculo remanere cum voto castitatis, relinquitur arbitrio Episcopi, & num. seq.*

15 *Intellectus cap. Si vir & uxor, 27. q. 2.*

16 *Actus contra iuris prohibitionem valet, si idem vel alia iura dicant factum valere.*

17 *Episcopus non potest concedere licentiam uxori, cuius vir ad religionem transivit ingrediendi monasterium Monialium, & ibi degendi cum simplici voto castitatis, & num. seq. usque in finem.*

18 *Episcopus ita demum potest concedere licentiam ingrediendi septa monasterij Monialium, si causa sit necessaria, & respiciat monasterium ipsum non autem personam ingredientem.*

19 *Monasteria Monialium ingredientes de Episcopi licentia ex causis litium matrimonialium, adulteriorum, & aliis huiusmodi incidunt in excommunicationem.*

20 *Licentia ingrediendi monasteria Monialium pro mulieribus coniugatis an & quomodo à Sede Apostolica concedatur.*

1 PRÆTEREA. Si vir de uxoris licentia profitetur, & ipsa uxor suspecta nec continentiam vovet, nec religionem ingreditur, Episcopus virum uxori restituet. Hoc dicit secundum Jo. Andr. cum quo consentiunt Butr. Cardinal. Anchar. & Abb. Sed secundũ Jo. de Anan. hoc intendit juxta verum intellectum, Si vir sine licentia Diœcesani profitetur, & ipsa uxor sit juvenis, & suspecta, non continentiam vovet, nec religionem ingreditur, Episcopus virum uxori restituet. Et sic Jo. de Anan. videtur fundare restitutionem viri in omissione licentiæ Diœcesani: tamen non est recedendum ab intellectu Jo. Andr. & communi, quia Episcopi licentia non requiritur de necessitate, & ad validandum ingressum, sed de honestate tantum, ut ingressus sit licitus, ut dicam infra in ult. notab. Communis divisio. Secunda ibi, *dicimus*.

2 Nota primò ex illis verbis, *nec perpetuam castitatem vovente*, quod si uxor de cujus licentia maritus

teros professionem emisit continentiam vovit, vir ejus non potest de Monasterio revocari. Quod habet locum sive uxor sit senex, & non suspecta de incontinentia; sive sit juvenis, & suspecta: utroque enim casu tenet irrevocabiliter ingressus viri. Sed in hoc est differentia secundum Hostien. *hic in fin.* quod si uxor senex sit, & non suspecta, potest in sæculo remanere, ut est textus in c. *Cum sis*, & ibi dixi *infra eod.* Sed si sit juvenis, & sic suspe-
3 cta, cogenda est monasterium ingredi. In hoc tamen discrepant Innoc. & Hostien. quod Innocen. censet hoc secundo casu uxorem esse cogendam intrare monasterium, non quidem ut fiat Monacha, & monialiter vivat, sed ut custodiatur à vagatione, & restringatur ne luxuriari possit. Ad hoc cap. *Exoratus, in fin. infr. eod.* & idem notat ipsemet Innoc. infra in cap. *Significavit*, sed Hostien. tenet uxorem suspectam postquam licentiam dedit, & continentiam vovit, cogendam esse ad solemnem professionem; idque probat duplici ratione. Prima est, quia jura non admittunt hujusmodi commixtionem non professorum cum professis, cap. *Clerici*, & cap. *Vidua, supra tit. proxim.* Secunda est, quia uxor, quæ licentiam dedit, non peccavit, ut debeat poni in ergastulo, sicut dicitur in cap. *De lapsis*, 16. q. 6. in cap. *Si quis rapuerit*, 27. q. 1. & in c. *Gaudemus, infr. eod.*

4 Nec obstat si dicatur. Sicut nemo præcisè cogitur ordinari, cap. *Quem, de ætat. & qual.* ita nec præcisè cogitur profiteri, arg. cap. *Integritas*, 32. qu. 1. Quia respondet Hostien. hoc procedere in eo, cui non est quod imputetur; alioquin cogitur non solum monasterium ingredi, sed & professionem emittere, cap. *Fraternitatis*, 32. *dist.* & d. cap. *Gaudemus.* Præterea uxor ab initio non cogitur professionem emittere, nisi causativè, videlicet ut viri ingressus sit validus. In ipsa ergo est ab initio utrum ad hoc velit se adstringere. Censetur autem se tacitè adstrinxisse ex quo marito licentiam dedit, & vovit; & propter hoc recepta est illius professio. Unde mutando servet, ad quod tacitè se obligavit, peccat; & ideo est cogenda, arg. l. *Sicut*, C. *de act. & obligat.* nec ejus professio dicetur absolutè involuntaria, cum habeat fundamentum in radice taciti consensus præexistentis. Cum opinione Hostien. quæ ante eum fuit Tancredi, transeunt *hic* Butr. *n.* 13. Anchar. *n.* 3. & in c. *Significavit, infr. eod.* Jo. Andr. *num.* 4. Butr. *eod. num.* Cardin. *num.* 2. & alii communiter, & pro ea sunt textus aperti non cavillando in d. cap. *Cum sis*, §. 1. & in d. cap. *Significavit*, 3. *fin.* eamque pluribus rationibus confirmat glos. in eodem c. *Significavit.* Et quamvis glos. ipsa postmodum videatur inclinare, ut talis juvenis suspecta, quæ vovit, non sit cogenda ad religionem transire, sed vir debeat illi restitui officio judicis: hoc tamen est verum quando mulier dedit licentiam viro, sed non vovit continentiam, cum enim vovit, est vera prima pars illius glossæ, quod sit præcisè cogenda, ut hic declarat Petr. de Anchar. *n.* 3. Sed Jo. Calder. conciliat opiniones fœdere distinctionis, videlicet aut uxor, quæ dedit viro licentiam profitendi, & simpliciter vovit continentiam, erat juris conscia, & compellitur profiteri, c. *Qui uxorem*, 33. q. 5. Aut erat juris inscia, & tunc compellitur esse in monasterio, sed non profiteri, arg. l. *Cum de indebito*, ff. *de probat.* Et hæc Calder. distinctio placet *hic* Abb. Panorm. *num.* 8. *vers.* Io. *Calder. dicit*: & novissimè Basilio Pontio *de impedi. matr. cap.* 9. §. 1 *vers. Sed quid.*

5 Secundò nota ad petitionem conjugis non voventis, de cujus licentia alter conjux ingressus est religionem non revocari ingressum, sed solo judicis officio, ut concludunt *hic* Butr. *num.* 4. & Abb.
6 *num.* 8. & sic nota quod in materia peccati ubi clauditur os agenti, judex ex officio providere potest. Ad hoc cap. *Ad nostram, de emptor.* & c. *Novit, de iudic.* Sed in hoc oppositum tenet. Innocen. in cap. *Quidam num.* 3. *infra eod.* ubi tandem residet in hac opinione quod non solum remanens in sæculo possit repetere conjugem ingredientem monasterium, sed etiam ipse ingrediens possit petere conjugem in sæculo remanentem: & movetur duabus rationibus. Prima est, quia unus conjugum vovere non potest sine altero, ac si vovcat, promissum solvere non potest, c. *Una sola*, 33. *qu.* 5.
7 Secunda est, quia cum ejus ingressus non teneat, peccat sive ab uxore alienet, vel si ei causam adulterandi præbeat, c. *Si tu*, 27. q. 2. c. *Veniens, supra tit. proximo.* Idque intelligit Innocent. procedere etiamsi de voluntate conjugis, non tamen voventis intrasset, cum prædictæ rationes æquè vigeant, cum transit ea invita, vel non vovente. Licet subdat tutius esse ut reductio ad conjugem fiat officio judicis, quàm ad petitionem conjugis. Eamdem opinionem tenet Vincent. infra in c. *Significavit*, & sequuntur *hic* Jo. Andr. & Anchar. ambo *num.* 3. Similiter refert Abb. Antiq. *hic nu.* 2. Petrum Magistrum suum tenuisse quod ingressus religionem de voluntate conjugis poterat exire etiam authoritate propria, nisi qui remansit in sæculo vellet se ad continentiam obligare. Nam cum hic dicatur, ut ingressus possit, & debeat de monasterio revocari, si ipse voluerit coactionem prævenire, & facere de necessitate virtutem, non videtur non possit. Non tamen egressus poterit debitum exigere, d. cap. *Quidam, infra eodem.* Ita Abb. Antiq. cum quo transeunt Joann. Andr. & Anchar. proximè citati.

Prædictam conclusionẽ quod maritus revocari possit ex monasterio, non obstante quod professus fuerit de licentia uxoris non voventis, limitant aliqui, & præsertim Abb. *hic num.* 4. *vers. Ego putarem*, ut non procedat si uxor fuisset certificata, seu fuisset juris conscia, quia tunc dando licentiam videretur tacitè continentiam vovere; & sic non revocaretur ingressus mariti. Ratio est quia qui vult unum, censetur velle omne id, per quod pervenitur ad illud, cap. *Prudentiam, de offic. deleg.* l. *Ad rem mobilem*, & l. *Adlegatum*, ff. *de Procur.* facit cap. *Vidua, supra tit. prox.* Sed ingressus mariti non potest irrevocabiliter fieri, nisi uxor voveat continentiam, cap. *Cum sis, infra eod.* Ergo dando licentiam marito ingrediendi, videtur tacitè vovere. Ad hoc allegatur, c. *Qui uxorem* 33. *quæst.* 5. d. cap. *Veniens*, glos. in cap. *Seriatim, in verb. Post mortem*, 32. *dist.* & glos. in cap. *Ex parte*, il primo, *in ver. Consentientem*, & ibi Abb. *num.* 4. & 8. *infr. eod.* Item glos. in cap. *Agatho sa, in verb. Vel ipsa, in fin.* 27. *qu.* 7. Rosell. *in verb. Impedimentum* 2. *in princ.* Tabien. *in ver. Matrimonium*, 1. *quæst.* 3. *num.* 4. Sylvest. *Matrimonium*, 8. *q.* 12. *vers. Quantum*, Sot. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 4. *col. penult.* & ex modernis Henriq. *in summ. lib.* 11. *cap.* 8. §. 9. & Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 33. *num.* 14. & videtur hæc opinio satis rationabilis, sed tamen multum re-

stringit hanc litteram, quæ generaliter loquitur, & non fundat se in ignorantia uxoris, sed in eo quod castitatem non promisit.

Præterea si uxor juris conscia dando licentiam marito profitendi censeretur tacitè vovere, hinc sequeretur, ut si esset juvenis, teneretur etiam monasterium ingredi, vel ut compesceretur à vagatione secundum opinionem Innocentij, vel ut solemnem professionem emitteret, secundum opinionem Hostien. de qua sup. *in primo notab.* cum uxor juvenis viro ad religionem migrante non possit in sæculo remanere propter periculum fornicationis, ut in d. cap. *Cum sis*, & in cap. *Exoratus, infr. eodem.* Quod tamen esset satis durum; & vix Doctores ad perpetuam clausuram arctant mulierem, quæ expresso castitatis voto se obstrinxit. In hoc tamen videntur convenire, ut mulier in dubio præsumatur juris ignara, nisi probetur certificata. Ad quod induco litteram d. cap. *Cum sis, infra eod.* [Cum sis, inquit, prædictus scientia litterarum, ignorare non debes Sanctorum Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxore sua, aut uxor viro suo non assumente religionis habitum debeat ad religionem transire. Atque ita improbatur ibi ignorantia propter scientiam litterarum: ergo rudibus, & imperitis sicuti sunt mulieres, milites, agricultores, & alij de quibus in d. l. *Cum de indebito*, permissum est illam constitutionem ignorare. Unde regulariter secus esset in masculo d. c. *Qui uxorem*, 33. *quæst.* 5. & declarat *hic* Abb. *in fin.*

8 Tertiò nota, votum professionis emissum à conjuge de licentia alterius conjugis non solemnizari, nisi altero religionem ingrediente, aut perpetuæ castitatis votum emittente: & sic videtur non sufficere votum temporale quamdiu vixerit ingressus secundum Anton. de Butr. *hic n.* 3.

9 Ultimò nota ibi, *ignorante Episcopo*, conjugatum non debere ingredi religionem, & profiteri sine licentia Diœcesani, de quo tamen dic ut in sequenti quæstione.

Lucius proposuerat ingredi Religionem Cappuccinorum, & uxor consentiebat, & monasterium Monialium S. Claræ intrare parata erat, & in eo quoad viveret perseverare cum simplici voto Castitatis: sed cum esset quinquagenaria solemniter profiteri non intendebat. Quæsitum est an Episcopus posset impertiri licentiam Lucio transeundi ad Religionem, & uxori monasterium intrandi cum simplici promissione continentiæ.

Hæc quæstio duas habet inspectiones. Prima est, An uxor in quinquagesimo ætatis anno dicenda sit senex, & non suspecta de incontinentia, adeò ut cum voto castitatis remanere possit in sæculo, & hanc partem plenissimè examino infra in d. c. *Cum sis.* Secunda inspectio est quatenus sit senex, & non suspecta, & continentiam voveat, an Episcopus prædictis conjugibus possit concedere licentiam petitam.

Et hæc inspectio similiter habet duas partes. Altera est, An ad hoc ut maritus transire possit ad religionem, & uxor non suspecta in sæculo remanere cum simplici castitatis promissione, requiratur licentia Diœcesani. Altera est, An Episcopus dare possit licentiam uxori monasterium ingrediendi, non ut ibi sit monialis, nec Regularem vitam ducat; sed perpetuò degat in habitu sæculari voto Castitatis obstricta.

Quoad primam partem putant nonnulli ad hoc ut uxor senex, & non suspecta possit in sæculo remanere, & vir ejus ad religionem migrare, præter votum castitatis desiderari etiam licentiam Episcopi, per tex. in cap. *Si vir & uxor*, 27. q. 2. ubi disponitur, ut si vir, & uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat, & pro hac parte fa-
10 cit text. in d. cap. *Cum sis*, dum dicit Episcopum posse dissimulare ut si uxor sit senex, & sterilis, ea in sæculo remanente & castitatem promittente, ad religionem transeat vir ejusdem. Verba enim illa, *dissimulare poteris*, intelliguntur ibi à glos. & DD. de dissimulatione approbationis. Ad idem videtur textus hic dum ponderat professionem fuisse emissam ab altero ex conjugibus Episcopo ignorante.

11 Quæ ponderatio inepta esset si Episcopi scientia aut consensus non requireretur. Atque ita hunc textum ad hoc expendunt Butr. *n.* 2. & 5. & Abb. *n.* 3. addentes rationem, quia cum agatur de dissolutione matrimonij quoad thorum, non debet hoc fieri sine licentia Episcopi, c. 1. *De consang. & affinit.* c. *Significavit*, ibi, *vices Archiepiscopi, &c. inf. eod.* Et huic opinioni videtur adhærere gl. *hic in ver. Revocari*, dum ait; Si talis est uxor, quæ non possit esse in sæculo sine suspicione fornicationis, non sufficit sola licentia uxoris ad hoc ut vir transire possit ad religionem, nisi & ipsa convertatur. Si verò senex est, sufficit sola licentia, interveniente Episcopi authoritate, & ipsa vovcat. Idem tenet Host. in d. c. *Cum sis*, *n.* 3. *in ver. Permittas*, dicens: nam sine te, qui es Episcopus, non possunt talia expediri, ut notatur in c. *Significavit, infr. eod.* in c. 2. & c. *Continebatur de desponsf. impub.*

12 Tu distingue. Aut quæritur an licentia Episcopi requiratur ad validitatem professionis, & quidquid dixerit Majolus *de irregular. lib.* 1. *c.* 4. *num.* 5. tenendum est ingressum valere, licet Episcopali licentia non præcesserit: nam nec Clerici requirunt assensum Episcopi, ut necessarium, c. *Duæ*, 19. *q.* 2. & ibi notat Vincent. & Jo. Andr. *hic in princ.* Et probatur efficaciter in hoc textu ubi professio facta fuit à marito de licentia uxoris ignorante Episcopo; & tamen in fine disponitur ut maritus ita demum possit, ac debeat è monasterio revocari, si uxor non promiserit castitatem. Ergo si castitatem promiserit, maritus revocari non poterit, & ingressus valebit non obstante Episcopi ignorantia. Idem deducitur ex c. *Exoratus, infr. eod.* ubi nulla fit mentio de licentia Episcopi; imò inscriptio directa est Prioribus, & Fratribus S. Joannis. Et hanc partem post Hugonem, & Laurentium tenent in d. c. *Si vir, & uxor*, 27. *q.* 2. glo. *in ver. Conscientia*, Archid. & Bellam. & tradunt *hic* Jo. Andr. *n.* 1. Butr. *n.* 5. Card. *q.* 2. Feder. de Sen. *cons.* 37. *Casus talis est, n.* 2. ubi ait, quod hic dicitur de authoritate Episcopi, vel Vicarij non esse de substantia; nam sine ipsa valebit professio alio remanente in sæculo, & vovente, quem refert, & sequitur *hic* Anchar. *num.* 3. *vers. Et hoc videtur tenere*; & Abb. *n.* 3. *vers. Sequitur etiam.* Idem notat Præpos. in c. *Seriatim*, *n.* 4. 32. *dist.* ubi etiam allegat Abbatem in c. *Exoratus, infra eod.* Et de consuetudine non observari ut petatur ejusmodi licentia testantur Vincent. Jo. Andr. & Card. supracitati. Quod etiam innuit glos. in d. c. *Si vir & uxor, in ver. Conscientia*, dum ait; (Hoc generaliter obtinet, ut semper

semper authoritate Ecclesiæ fiat separatio ; si tamen sine authoritate Episcopi istud fiat, tenet, ut generaliter interpretatur consuetudo.

13 Aut quæritur an licentia Episcopi requiratur de honestate ; & tenendum est requiri secundum Vincen. in d. c. *Duæ sunt*. Innoc. *hic in princ.* Host. *n.1. in ver. Ignorante.* qui supplet verbum *maxime*, & sequuntur Jo. Andr. Butr. Cardin. Abb. & alij proximè citati. Ratio est, ut inquit Abb. *num. 3.* quia cùm per ingressum religionis alterius conjugis contingat matrimonij consummati quoad thorum separatio, non debet hoc fieri, cum sit Sacramentum in Ecclesia Dei, sine licentia Episcopi. Quam rationem perpendit etiam glos. præalleg. in d. c. *Si vir, & uxor*, dum dicit, hoc generaliter obtinere ut semper authoritate Ecclesiæ fiat separatio.

14 Præterea ad hoc ut valeat professio mariti, requiritur, ut uxor remanens in sæculo sit ita senex, & sterilis, ut non sit suspecta de incontinentia, juxta text. in c. *Cum sis, inf. eod.* Quando autem mulier ad hunc effectum dicatur senex, jura non præscripserunt. Et sterilitas quamvis ut plurimum contingat mulieribus in quinquagesimo anno, l. *Si major quinquagenaria, C. de legit. hered.* l. *Si sterilis*, & ibi glos. *in ver. Quinquagesimo, ff. de act. empti.* Raphael Fulgos. *cons. 212. Quædam mulier, col. 3. vers. In primo videtur*; tamen aliquando concipiunt etiam post quinquagesimum, ut de mulieribus Perusinis testantur Bald. *cons. 437. Titius habebat Seiam, n. 9. lib. 5.* & Angel in d. l. *Si major.* Tota igitur hæc materia relinquitur arbitrio Episcopi perspecta ætate, complexione, fœcunditate ac temperantia uxoris remanentis in sæculo, ut post multa conclusimus in d. c. *Cum sis, in fin.* Et consequenter priusquam Diœcesanus singulas circumstantias examinaverit, & arbitratus fuerit mulierem posse in sæculo morari sine periculo fornicationis, licere non debet viro religionem transire ; quod apertè tenet *hic* Butr. *n. 5.* dicens. [Quia agitur de dissolutione matrimonij, quod spectat ad Episcopum , & examinare causam an scilicet alter remanens in sæculo dicatur tradisse dies suos an non , & an possit honestè sine altero remanere in sæculo sine suspicione turpitudinis ; ideò requiritur præsentia Episcopi, quia arbitrari spectat ad ipsum ; & ideò satis necessaria videtur mihi hæc solemnitas in conjugato, cum agatur de dissolvendo matrimonio, quod debet fieri authoritate Episcopi, ne cótingat ut oppositum declaret, & sic jam servare feci, sed ne hoc postea revocaretur in dubium, tutius foret ex officio aliquid super hoc interloqui.] Hæc Butr. Qui tamē subdit, si daretur ingressus religionis sine Episcopi licentia, & constaret notoriè personam remanentem nō esse suspectam, teneret ingressus, quia impossibile est ut Episcopus aliter declaret.

15 Et inhærendo supradictæ distinctioni non obstant, quæ potius favent jura in contrarium adducta : nam quod dicitur in d. cap. *Si vir, & uxor, 27. q. 2.* procedit de consilio, non autem de præcepto secundum glos. *ibi, in ver. Conscientia.* Archid. & Bellam. Præterea subdit glos. illum textum posse intelligi in eo casu, cum conjuges volunt construere monasterium, in quo se convertant : id enim fieri non debet sine authoritate Episcopi, c. *Nemo, de consecr. dist. 1.* & hodie statutum est, seu potius innovatum decreto Concilij Tridentini , in *cap. 5. sess. 25. de Regul.* cui intellectui valdè consonat littera : nam post illa verba, *nullatenus sine Episcopi conscientia fiat*, immediatè subnectitur, *ut ab eo singulariter provisæ constituantur loca.*

Similiter ponderatio, quæ fit in hac decretali, quod professio facta fuerit ignorante Episcopo, intelligitur de honestate , & congruentia secundum Jo. Andr. & alios præallegatos *num. 12.* Nam eodem contextu ponuntur verba illa, *præsentibus Sacerdotibus , & Monachis , & Episcopo ignorante*; & sic potius ibi narratur factum, ut advertit Abb. *num. 2.* & hæ solemnitates, vel exhibitæ, vel omissæ modicum faciunt , ex quo constat de professione secundum Innocent. *hic in princ.* cujus dictum sequuntur Jo. Andr. Card. & alij. De honestate itidem habet locum approbatio Episcopi, quæ elicitur ex d. cap. *Venatus* , *infr. eod.* ibi, Dissimulare poteris.

16 Accedit quod etsi canones expressè prohiberent transitum conjugis ad religionem sine authoritate Episcopi, tamen cum non procedant ulterius irritando professionem , & ex alio canone professio facta etiam Episcopo ignorante declaretur valida, ut hic deciditur in fine , sequitur ut actus factus contra legis prohibitionem non sit nullus. Hæc est theorica Jo. Andr. in cap. *Ad Apostolicam, num. 3. supra tit. prox.* quam ibi approbant Butr. *num. 8.* Cardin. *item num. 8. in 7. opposit.* Henric. Boich. *circa med.* & alij communiter , habet enim locum eo casu regula illius textus : Multa fieri prohibentur, quæ tamen si fiant , obtinent roboris firmitatem.

17 Quoad secundam partem dicendum est Episcopum nullatenus posse impertiri licentiam uxori monasterium Monialium ingrediendi, atque ibi perpetuo degendi absque solemni professione ; quia Sacri Canones improbant hujusmodi commixtionem non professorum cum professis, cap. *Pervenit , il secondo, 18. q. 2.* cap. *Ut Clerici*, & cap. *Vidua , supra , tit. prox. cap. 16. vers. Finito, sess. 25. de Regul.* Concil. Trident. & notat Host. *hic num. 5.* & Anchar. *num. 3.* & in c. *Significavit, inf. eod.* Jo. Andr. *num. 4.* & Butr. *eod. num.* & Cardin. *num. 2.* item decreto *cap. 5. ejusdem sessionis* statutum est, ut ingredi intra septa monasterij nemini liceat cujuscumque conditionis, sexus, vel ætatis fuerit sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.

18 Et quamvis in Constitutione Bonifacij VIII. quæ incipit, *Periculoso, de stat. Regul. lib. 6.* permittatur sæcularibus , ut ingredi possint clausuram monasteriorum Monialium de illius , ad quem pertinuerit, speciali licentia, idemque permittatur in d. *cap. 5. sess. 25. de Regul.* ibi, Sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta : tamen in d. cap. *Periculoso*, adjicitur conditio si rationabilis, & manifesta causa existat. Et in d. *cap. 5.* immediatè subjungitur ; Dare autem tantum Episcopus , vel Superior licentiam debet in casibus necessariis. Hæc autem necessitas ex sententia Sacræ Congregationis Concilij debet respicere monasterium ipsum , non personam ingredientis. Neque enim Sanctimonialium monasteria instituta sunt ut sæcularium commoditatibus, seu indigentijs subserviant, d. cap. *Pervenit, il secondo, 18. quæst. 2.*

19 Ac propterea cum in diœcesi Salamantina cō-suevissent Episcopi concedere licentiam mulieribus

bus ingrediendi monasteria , in eisque commorandi tum gratia cōmoditatis , tum ob causas urgentes , ut puta litium matrimonialium, adulteriorum ac dissensionum inter viros, & uxores, ac his similium cum alia loca non extarent , in quibus majori cum securitate morari possent , & quæsivisset Episcopus an ejusmodi licentias sibi concedere liceret. Die 19. Febr. 1604. S. Cong. respondit non licere ullo modo Episcopis vel permittere, vel licentiam concedere mulieribus, ut ex causis supranarratis Monialium monasteria ingrediantur ; uno ingredientes incidere in excōmunicationem decreto Concilij, atque Summorum Pontificum Cōstitutionibus impositam; quod si aliquis casus acciderit , propter quem expedire videatur concedere talem licentiam, eam obtinendam esse à Sede Apostolica.

20 Porrò pro monasterijs Italiæ, & Insularum adjacentium, ejusmodi licentiæ conceduntur à Sac. Congregatione Regularium ; ultra montes verò per litteras Sanctissimi in forma Brevis, sed nonnisi raro, & ex gravi causa, & cōmittitur Ordinario loci, ut si videbitur, ponat mulierem in aliquo monasterio, cujus tamen Constitutiones expressè non repugnent, de consensu Abbatissæ, & Monialium, & Ministri Provincialis , aut alterius Superioris earum. Sola autem ingrediatur sine ullis prorsus ancillis, & non exeat nisi cum videbitur ; Vitam, & clausuram observet eo modo, quo Moniales ipsæ, & tamdiu ibi maneat, quamdiu Ordinarius causam allegatam durare cognoverit.

DE CONVERSIONE Conjugatorum.

Cap. Verum.

SUMMARIUM.

1 *Conjux ante matrimonium consummatum potest altero invito Religionem ingredi ; sed remanens in sæculo potest ad secunda vota transire.*

2 *Matrimonium ratum non consummatum dirimitur per solemnem professionem alterius conjugum.*

3 *Non autem per susceptionem Sacri Ordinis.*

4 *Matrimonium ex carnali copula confirmatur.*

5 *Copula carnalis quamvis nihil addat substantiæ matrimonij, tamen addit quoad multa, ut hic.*

6 *Dispensatio an sit concedenda , ut matrimonium ratum dissolvatur per vota simplicia à viro emittenda in religione Societatis Iesu , & num. seqq. usq. in fin.*

7 *Matrimonium ratum non dissolvitur per vota simplicia.*

8 *Papa dispensat in matrimonio rato non consummato ex gravi causa.*

9 *Et an ingressus in religionem Societatis Iesu sit causa sufficiens, & num. seq.*

Et quid de promotione ad Episcopatum , & n. 12.

10 *Conjux religionem ingressurus cautionem præstare debet , quod vel religionem profiteri , vel ad conjugium redire debeat infra duos menses , & num. seqq.*

11 *Et quid post Concil. Tridentin.*

13 *Frigiditatis impedimentum perpetuum dirimit matrimonium.*

14 *Et si superveniat post matrimonium ratum, an sit justa causa dispensandi super eo.*

1 VERUM. Ante matrimonium consummatum potest alter conjugum , etiam altero invito religionem ingredi ; sed remanens in sæculo non potest ad secunda vota transire. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. Primò ponit dictum. Secundò ipsius rationem ibi, *Quia.*

2 Nota primò ex textu casum notabilem , in quo dissolvitur vinculum matrimonij contracti per verba de præsenti, scilicet per ingressum religionis, & solemnem professionem in ea emissam, dummodo carnali copula non sit consummatum, quia cum non fuerint una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in sæculo remanere, ut in littera concordat cap. *Desponsatam, 27. q. 2.* cap. *Ex publico*, & cap. *Ex parte , il secondo , infra eod.* & in auth. *de Sanctiss. Episcop. §. Sponsalibus quoque* , ibi , Si verò constante adhuc matrimonio, aut vir solus, aut uxor sola intraverit monasterium , solvatur matrimonium, *collat. 9.* & hic notant glos. *ultim.* Innocent. *in verb. Satis potest*, ibi : Et credimus primi matrimonij vinculum penitus frangi, & Abb. *num. 8.* dicens hanc opinionem à Doctoribus communiter teneri : licet antiqui super hoc variaverint , ut plenè notatur , ut in d. cap. *Desponsatam*, in glos. *un. 27. q. 2.* Hodie hoc est de fide, ut in Concilio Tridentino *sess. 24. de reformation. matrim. canon. 6.* Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.

3 An autem idem juris sit si vir ad sacros Ordines promoveatur, olim erat controversum, ut differit gl. in c. *unico, in verb. Sacri Ordinis, de vot. lib. 6.* Sed hodie hoc est expeditum in Extravag. Joan. XXII. *Altercationis antiquæ, eod. tit.* quæ declarat speciale esse in religionis ingressu, ut matrimonium ratum dissolvatur ; secus verò in susceptione sacri Ordinis , quia hoc non reperitur jure cautum , nec per aliquem Sanctorum fuit unquam attentatum ; unde si vir de facto ordinaretur, characterem quidem reciperet , sed tamen compelleretur instante conjuge matrimonium consummare, ut ibi deciditur, & firmat gloss. in d. cap. *unico*, & Abb. *hic num. 2.* de quo scripsi plenius in cap. *Conjugatus, infr. eod.*

4 Secundò nota ibi , *dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos.* Ex carnali copula matrimonium confirmari, secundum Abb. hic num. 3.

5 Quamvis enim quoad substantiam matrimonij coitus nihil addat, cap. *Sufficiat, 27. quæst. 2.* l. *Nuptias, ff. de reg. jur.* addit tamen quoad quædam, primò scilicet quoad bigamiam , cap. *Debitum, supra de bigam.* Secundò, quoad significatum, de quo ibi habetur. Tertiò, quoad impediendum religionis ingressum , ut hic secundum Goffred. Quartò, quoad bonum prolis, l. *Liberorum, ff. de verb. signific.* Quintò, quia multis modis per ipsum firmatur matrimonium, ut cap. *Tua, infra de sponsalib.* secundum Host. *hic n. 2. in fine*, & Joann. Andr. *num. 3.* Adde septimò, quia super matrimonio consummato non dispensat Ecclesia : nam quos Deus conjunxit, homo non separat, *Matth. 19.* cap. *Quos Deus*, & cap. *An quod, 33. qu. 2.* cap. *Ad limina, 30. q. 1.* cap. *Quantò, supr. de translat. Episcop.*

sup. Sed benè dispensat super matrimonio rato non consummato, ut notatur in cap. *Ex publico, in fi. eodem*, & dicam infra *num.* 8.

Ex facto quæritum est, an concedenda sit dispensatio, ut matrimonium ratum non consummatum diffolvatur per vota simplicia à vito emittenda in Religione Societatis Jesu.

Carolus Antonius Bononiensis die 13. Octob. anni 1621. cõtraxit matrimonium per verba de præsenti cum Ursula, & infra bimestre ante consummatum matrimonium recipit se in religionem Societatis Jesu, in qua animo suscipiendi habitum regularem in habitu seculari permansit de licentia Sanctissimi D. N. tunc Archiepiscopi Bononiensis, qui semel atque iterum bimestre tempus ad ingrediendum religionem, de quo in cap. Ex
7 *publico, infr. eod.* ad votum hunc mensem Aprilis exorogavit, cum tempus hujusmodi sit arbitrarium judici, secundum glossi. *ibi in verb. infra duorum.* Sed quia ex Constitutione Gregorij XIII. *Ascendente Dominno*, tria vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quæ post biennium in prædicta religione emittuntur, licèt substantialia sint, nõ tamen sunt solemnia, sed simplicia, per quæ non dirimitur matrimonium ratum, sicut dirimitur per solemnem professionem, ut hic, & in concordantibus superacitatis *in primo notab.* & in puncto tenent quatuor authores ex ipsa Societate, videlicet Vasquez *in 1. 2. q. 96. art. 4. disput. 165. cap. 10.* Henriq. *in Summa lib. 11. cap. 8. num. 7.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disput. 8. num. 6. & super Decalog. tom. 2. lib. 5. cap. 1. num. 29.* & Ribadeneira *in lib. de Societat. instit. cap. 19. §. Et primo est.* Propterea Orator supplicat, ut Sanctitas Sua ex gratia dignetur ejusmodi matrimonium dirimere, postquam expletis annis probationis, in dicta religione vota simplicia emiserit; præsertim quia ubiterrix deputata à Sanctissimo, facta inspectione earum matrona retulit, Ursulam esse nimis arctam, & virum de propria impotentia plurimum hæsitare.

8 Etsi dubitandum non sit quominus Summus Pontifex dispensare possit super matrimonio rato non consummato, juxta communem Canonistarum sententiam in cap. *Ex publico, infra eod.* & re ipsa Pontifices sæpe dispensaverint, ut referunt Navarr. *in Manual. cap. 22. n. 21.* & Cajetan. *in opusc. tom. 1. tract. 28. de matrim. quæst. unic.* & aliquando etiam ex sententia sacræ Congregationis Concilij: tamen illud etiam absolutum est, hujusmodi dispensationem absque justa, & gravi causa non esse concedendam: unde, ut refert Petr. de Sampsone in d.c. *Ex publico*, cum quidam Princeps petiisset ab Innocent. III. ut dissolveret matrimonium non consummatum, & Pontifex respondisset, se non posse; postea Principe allegante auctoritatem glossæ Vincentij in d.c. *Ex publico*, Innocentius respondit; Maledictus qui te docuit; & quamvis Petrus non explicet cur maledixerit docenti; tamen Abb. *ibidem sub num. 24.* asserit id forte factum fuisse, quia sine maxima causa non debet Papa hoc facere, & in cap. *Ex parte, si secundo, infra eodem*, idem Abb. *num. 3.* ait Papam non posse matrimonium ratum dissolvere, nisi ex
9 causa in jure expressa, vel omnino simili. Cæterum causa ingressus in religionem Societatis Jesu est voluntaria, nec gravis, seu maxima appellari potest. Item non est expressa in jure, nec omnino similis, cum longè aliud sit vota simplicia emittere, ut notatur in cap. *unico, de voto, lib. 6.* & Orator potest aliam eligere ex religionibus approbatis,
10 Præsertim verò quia jura à religionem ingredi volente jubent recipi sufficientem cautionem, quod vel religionem profiteri, vel ad conjugium redire debeat infra spatium duorum mensium, juxta practicam d.c. *Ex publico*, ut prudenter hoc casu fuit observatum. Hoc autem duorum mensium spatium, quod hodie extenditur ad afium propter decretum Tridentini Concilij *cap. 15. sess. 25. de Regul.* præfixum est à sacris Canonibus, ne fiat injuria remanenti in seculo, ne tandiu necesse habeat expectare, & à copula abstinere, ut ait Jo. de Anan. in eodem cap. *Ex publico num. 6.* Quod cum ita sit, justum non videtur ut concedatur dispensatio oratori ad ingrediendam religionem Societatis Jesu, in qua vota simplicia nonisi post biennium emitti solent; neque enim justum est, vel tutum uxorem tandiu juvitam continere, & in periculum incontinentiæ adduci. Propterea enim de jure communi Episcopus non debebat ingredienti religionem dare tempus probationis, nisi maritus consentiret, ut notat ibi glossi. *in verb. infra duorum*, Innoc. *prope fin.* & Jo. Andr. *in glos. Numquid, fol. 1.* ubi ait Principem tempus probationis restringere ex causa, quia carnis stimulis non potest conjux resistere.

12 Adhæc Thomas Sanchez è Societate Jesu *de matrimonio disput. 16. lib. 2. num. 8.* censet non esse justam causam dispensandi super matrimonio rato non consummato, ut vir transeat ad Episcopatum, nisi valde necessarium esset ad bonum commune illum in Episcopum promoveri; & tamen votum solemnizatur per sacri Ordinis susceptionem, licèt per professionem regularem, d.c. unico, de voto, lib. 6. ergo longè minus licebit dispensare, ut matrimonium dissolvatur per transitum ad religionem, in qua finito probationis biennio vota non solemnizantur.

13 Potrò si mulier, aut vir habuissent impedimentum perpetuum frigiditatis, matrimonium ab initio fuisset nullum, cap. *Fraternitatis, de frigid. &*
14 *maleficc.* Sed si tale impedimentum post matrimonium, & ante copulam superveniret; forte justa esset causa concedendi dispensationem super matrimonio rato, secundum Alciat. *resp. 21. num. 7. & 8.* quem refert & sequitur Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 10. num. 44.* Sed sterilitas, seu impotentia, cujus meminit Orator in supplici libello, esset prius concludenter probanda ad sacrorum Canonum præscriptum.

DE CONVERSIONE Conjugatorum.

Cap. Cum sis.

SUMMARIUM.

1 *Maritus ad Religionem transire non potest nisi & uxor transeat, vel ejus suspecta castitate promittat.*

2 *Ignorantia juris non est probabilis in jurisperito.*

3 *Professio unius conjugum non valet nisi uterque profiteatur, aut remanens in seculo castitatem vovet, & curet de periculo incontinentiæ.*

Conjux

4 *Conjux non adulter potest religionem profiteri, licet remanens in seculo sit juvenis, & castitatem non promittat.*

5 *Matrimonium consummatum per adulterium, vel professionem alterius conjugis non solvitur quo ad vinculum.*

6 *Mors civilis an, & quando æquipararetur naturali.*

7 *Vxor in qua ætate dicatur senex ad hoc ut cum simplici castitatis voto possit in seculo remanere, & maritus ad religionem transire, usque in fin.*

8 *Vxor ut possit in seculo remanere viro ad religionem migrante debet esse ita senex ut non sit suspecta de incontinentia.*

9 *Libidinis labes quæ in juventute contrahitur in senectute frequentius expiatur, sed non semper.*

10 *Incontinentiæ periculum oritur ex hoc solo quod conjux sit juvenis.*

11 *Senectus quid sit.*

12 *Senectutis initium aliter constituendum est quoad universam hominis speciem, & aliter quoad singulos homines, de quorum senectute agitur.*

13 *Senectus in universum quando incipiat, varia referuntur sententia.*

14 *Ætates hominum quot sint, & qualiter distinguantur.*

15 *Ætas virilitatis, & senectutis non determinatur à jure generaliter quoad omnes; atas augumenti secus, & cur.*

16 *Senilis ætas pro materia diversitate vario modo à jure præscribitur.*

17 *Senectus quo ad singulares homines an, & quomodo probetur ex affectu corporis.*

18 *Canities quale indicium sit senectutis.*

19 *Puer septem annorum capite admodum cano apud Cardinalem Paleottum.*

20 *Senis centum annorum mirabile exemplum à Hieronymo recenseatur.*

21 *Senes qui dicantur, arbitrio judicis relinquitur in casibus, in quibus nulla ætas præfinita est.*
Senior quandoque est aliquis in quinquagesimo anno, quam alius in sexagesimo, ibid.

22 *Arbitrium in senectute dijudicanda qualiter sit regulandum.*

23 *Senex ante quinquagesimum annum ut quis dicatur non reperitur jure exutum.*

24 *Septuagenarij indistincte dicuntur senes, nec quoad eos est locus arbitrio judicis.*

25 *Senes ultra quinquagenarij non excusantur à personaliter comparendo si sint robusti.*

26 *Ætates hominum secundum subiectam materiam diversimodè limitantur, & terminantur.*

27 *Vxor in qua ætate judicanda sit senex, ut possit in seculo remanere cum voto simplici castitatis, jura non præscripserunt.*

28 *Dicitur senex, & non suspecta si sit sexagenaria juxta opinionem Soti.*
Contrarium, num. 45. usque ad num. 82. & præsertim, num. 65.

29 *Iuvenis dicitur quis ante sexagesimum annum quoad hoc ut possit cum eo super incestu dispensari, & n. 73. vers.* Ex ex his patet.

30 *Abbatissa in qua ætat. sit eligenda, & num. 74.*

31 *Vidua an possit eligi in Abbatissam, & num. 76.*

32 *Senes sexagenarij an excusentur à jejunio, & num. 78. & seq.*

33 *Senium corporis status ex levi momento in morbum decidit.*

34 *Senes sexagenarij non includuntur in exceptione Bullæ Cruciatæ ab indulto vescendi lacticinijs, & n. 95.*

35 *Vita in calore sita est.*

36 *Mulieres sunt viris frigidiores.*

37 *Vxor quinquagenaria potest in seculo remanere cum voto simplici castitatis secundum opinionem Sanchez.*
Contrarium, num. 82.

38 *Lex Iulia Poppeia prohibens viris post sexagesimum annum, & mulieribus post quinquagesimum nuptias contrahere à quibus, & cur fuerit abrogata, & n. 65. vers.* Et hæc fuit ratio.

39 *Matrimonium post pubertatem in quacumque ætate contrahi potest.*

40 *Potentia generandi in masculis, & fœminis in quam usque ætatem protendatur, & num. 85.*

41 *Mulier non dicitur studere procreationi liberorum à quinquaginta annis supra.*

42 *Liberta quinquagenaria non tenetur ad operas.*

43 *Testes an dicantur senes in quinquagesimo anno quoad hoc ut examinari possint ad æternam rei memoriam, & num. 88.*

44 *Mulieres quinquagenariæ etiam robustæ non tenentur ad jejunia ecclesiæ.*
Contrarium, num. 89.

45 *Senectus, & sterilitas copulativè requiruntur ad hoc ut uxor possit remanere in seculo cum voto simplici castitatis.*

46 *Sterilitas ratione naturæ non infert incontinentiæ suspicionem, & num. seqq.*

47 *Mulieres naturâ steriles sunt præ cæteris libidinosæ.*

48 *Mulieres natura produxit ad generandum, & infixit eis concupiscentiam, & desiderium matrimonij.*

49 *Pudor est mulieribus nuptiarum præmia non habere.*

50 *Mulieres in qua ætate incipiant esse steriles.*

51 *Cornelia è Scipionum familia post sexagesimum secundum annum Volusium Saturnum peperit.*

52 *Mulierum exempla, quæ post quinquagesimum annum conceperunt, & num. seqq.*

53 *Partus quinquagenarius mirabilis est quia rarus, sed non miraculosus, num. seq. & num. 63. & 64.*

54 *Federici Imperatoris mater quinquagenaria publicè voluit parere, & cur.*

55 *Sterilis à natura, & major quinquagenaria æquiparantur.*

56 *Jura constituuntur ex ijs quæ frequentiùs accidunt.*
Declaratur, num. 60. & seqq.

57 *Argumentum à communiter accidentibus valet.*

58 *Lex de miraculosis non fertur.*
Declaratur, num. 54.

59 *Vivere præsumitur qui non probatur mortuus, nisi post annum centesimum.*

60 *Intellectus l. Jura, cum tribus seqq. ff. de legibus, & num. seqq.*

61 *Legislatores non contemnunt ea, quæ præter naturam contingunt, licet rarò.*
Filij tergemini in utero esse à jure præsumuntur, ibidem.

62 *Filius natus octavo mense an succedat, & hæreditatem transmittat.*

63 *Leges non aptantur ad ea quæ semel tantum, aut bis possunt contingere, vers. Respondet secundò.*

64 *Miraculum propriè quid sit & quæ requirantur de ratione miraculi.*

65 *Viri jure præsumptione usque ad sexagesimum annum possunt progenerare, videque ante eam ætatem non*
carere

sup. Sed benè dispensat super matrimonio rato non consummato, ut notatur in cap. *Ex publico, in fi. eodem*, & dicam infra *num.* 8.

Ex facto quæritum est, an concedenda sit dispensatio, ut matrimonium ratum non consummatum diffolvatur per vota simplicia à vito emittenda in Religione Societatis Jesu.

Carolus Antonius Bononiensis die 13. Octob. anni 1621. cõtraxit matrimonium per verba de præsenti cum Ursula, & infra bimestre ante consummatum matrimonium recipit se in religionem Societatis Jesu, in qua animo suscipiendi habitum regularem in habitu seculari permansit de licentia Sanctissimi D. N. tunc Archiepiscopi Bononiensis, qui semel atque iterum bimestre tempus ad ingrediendum religionem, de quo in cap. Ex
7 *publico, infr. eod.* ad votum hunc mensem Aprilis exorogavit, cum tempus hujusmodi sit arbitrarium judici, secundum glossi. *ibi in verb. infra duorum.* Sed quia ex Constitutione Gregorij XIII. *Ascendente Dominno*, tria vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quæ post biennium in prædicta religione emittuntur, licèt substantialia sint, nõ tamen sunt solemnia, sed simplicia, per quæ non dirimitur matrimonium ratum, sicut dirimitur per solemnem professionem, ut hic, & in concordantibus superacitatis *in primo notab.* & in puncto tenent quatuor authores ex ipsa Societate, videlicet Vasquez *in 1. 2. q. 96. art. 4. disput. 165. cap. 10.* Henriq. *in Summa lib. 11. cap. 8. num. 7.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disput. 8. num. 6. & super Decalog. tom. 2. lib. 5. cap. 1. num. 29.* & Ribadeneira *in lib. de Societat. instit. cap. 19. §. Et primo est.* Propterea Orator supplicat, ut Sanctitas Sua ex gratia dignetur ejusmodi matrimonium dirimere, postquam expletis annis probationis, in dicta religione vota simplicia emiserit; præsertim quia ubiterrix deputata à Sanctissimo, facta inspectione earum matrona retulit, Ursulam esse nimis arctam, & virum de propria impotentia plurimum hæsitare.

8 Etsi dubitandum non sit quominus Summus Pontifex dispensare possit super matrimonio rato non consummato, juxta communem Canonistarum sententiam in cap. *Ex publico, infra eod.* & re ipsa Pontifices sæpe dispensaverint, ut referunt Navarr. *in Manual. cap. 22. n. 21.* & Cajetan. *in opusc. tom. 1. tract. 28. de matrim. quæst. unic.* & aliquando etiam ex sententia sacræ Congregationis Concilij: tamen illud etiam absolutum est, hujusmodi dispensationem absque justa, & gravi causa non esse concedendam: unde, ut refert Petr. de Sampsone in d.c. *Ex publico*, cum quidam Princeps petiisset ab Innocent. III. ut dissolveret matrimonium non consummatum, & Pontifex respondisset, se non posse; postea Principe allegante auctoritatem glossæ Vincentij in d.c. *Ex publico*, Innocentius respondit; Maledictus qui te docuit; & quamvis Petrus non explicet cur maledixerit docenti; tamen Abb. *ibidem sub num. 24.* asserit id forte factum fuisse, quia sine maxima causa non debet Papa hoc facere, & in cap. *Ex parte, si secundo, infra eodem*, idem Abb. *num. 3.* ait Papam non posse matrimonium ratum dissolvere, nisi ex
9 causa in jure expressa, vel omnino simili. Cæterum causa ingressus in religionem Societatis Jesu est voluntaria, nec gravis, seu maxima appellari potest. Item non est expressa in jure, nec omnino similis, cum longè aliud sit vota simplicia emittere, ut notatur in cap. *unico, de voto, lib. 6.* & Orator potest aliam eligere ex religionibus approbatis,
10 Præsertim verò quia jura à religionem ingredi volente jubent recipi sufficientem cautionem, quod vel religionem profiteri, vel ad conjugium redire debeat infra spatium duorum mensium, juxta practicam d.c. *Ex publico*, ut prudenter hoc casu fuit observatum. Hoc autem duorum mensium spatium, quod hodie extenditur ad afium propter decretum Tridentini Concilij *cap. 15. sess. 25. de Regul.* præfixum est à sacris Canonibus, ne fiat injuria remanenti in seculo, ne tandiu necesse habeat expectare, & à copula abstinere, ut ait Jo. de Anan. in eodem cap. *Ex publico num. 6.* Quod cum ita sit, justum non videtur ut concedatur dispensatio oratori ad ingrediendam religionem Societatis Jesu, in qua vota simplicia nonisi post biennium emitti solent; neque enim justum est, vel tutum uxorem tandiu juvitam continere, & in periculum incontinentiæ adduci. Propterea enim de jure communi Episcopus non debebat ingredienti religionem dare tempus probationis, nisi maritus consentiret, ut notat ibi glossi. *in verb. infra duorum*, Innoc. *prope fin.* & Jo. Andr. *in glos. Numquid, fol. 1.* ubi ait Principem tempus probationis restringere ex causa, quia carnis stimulis non potest conjux resistere.

12 Adhæc Thomas Sanchez è Societate Jesu *de matrimonio disput. 16. lib. 2. num. 8.* censet non esse justam causam dispensandi super matrimonio rato non consummato, ut vir transeat ad Episcopatum, nisi valde necessarium esset ad bonum commune illum in Episcopum promoveri; & tamen votum solemnizatur per sacri Ordinis susceptionem, licèt per professionem regularem, d.c. unico, de voto, lib. 6. ergo longè minus licebit dispensare, ut matrimonium dissolvatur per transitum ad religionem, in qua finito probationis biennio vota non solemnizantur.

13 Potrò si mulier, aut vir habuissent impedimentum perpetuum frigiditatis, matrimonium ab initio fuisset nullum, cap. *Fraternitatis, de frigid. &*
14 *maleficc.* Sed si tale impedimentum post matrimonium, & ante copulam superveniret; forte justa esset causa concedendi dispensationem super matrimonio rato, secundum Alciat. *resp. 21. num. 7. & 8.* quem refert & sequitur Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 10. num. 44.* Sed sterilitas, seu impotentia, cujus meminit Orator in supplici libello, esset prius concludenter probanda ad sacrorum Canonum præscriptum.

DE CONVERSIONE Conjugatorum.

Cap. Cum sis.

SUMMARIUM.

1 *Maritus ad Religionem transire non potest nisi & uxor transeat, vel ejus suspecta castitate promittat.*

2 *Ignorantia juris non est probabilis in jurisperito.*

3 *Professio unius conjugum non valet nisi uterque profiteatur, aut remanens in seculo castitatem vovet, & curet de periculo incontinentiæ.*

Conjux

4 *Conjux non adulter potest religionem profiteri, licet remanens in seculo sit juvenis, & castitatem non promittat.*

5 *Matrimonium consummatum per adulterium, vel professionem alterius conjugis non solvitur quo ad vinculum.*

6 *Mors civilis an, & quando æquipararetur naturali.*

7 *Vxor in qua ætate dicatur senex ad hoc ut cum simplici castitatis voto possit in seculo remanere, & maritus ad religionem transire, usque in fin.*

8 *Vxor ut possit in seculo remanere viro ad religionem migrante debet esse ita senex ut non sit suspecta de incontinentia.*

9 *Libidinis labes quæ in juventute contrahitur in senectute frequentius expiatur, sed non semper.*

10 *Incontinentiæ periculum oritur ex hoc solo quod conjux sit juvenis.*

11 *Senectus quid sit.*

12 *Senectutis initium aliter constituendum est quoad universam hominis speciem, & aliter quoad singulos homines, de quorum senectute agitur.*

13 *Senectus in universum quando incipiat, varia referuntur sententia.*

14 *Ætates hominum quot sint, & qualiter distinguantur.*

15 *Ætas virilitatis, & senectutis non determinatur à jure generaliter quoad omnes; atas augumenti secus, & cur.*

16 *Senilis ætas pro materia diversitate vario modo à jure præscribitur.*

17 *Senectus quo ad singulares homines an, & quomodo probetur ex affectu corporis.*

18 *Canities quale indicium sit senectutis.*

19 *Puer septem annorum capite admodum cano apud Cardinalem Paleottum.*

20 *Senis centum annorum mirabile exemplum à Hieronymo recenseatur.*

21 *Senes qui dicantur, arbitrio judicis relinquitur in casibus, in quibus nulla ætas præfinita est.*
Senior quandoque est aliquis in quinquagesimo anno, quam alius in sexagesimo, ibid.

22 *Arbitrium in senectute dijudicanda qualiter sit regulandum.*

23 *Senex ante quinquagesimum annum ut quis dicatur non reperitur jure exutum.*

24 *Septuagenarij indistincte dicuntur senes, nec quoad eos est locus arbitrio judicis.*

25 *Senes ultra quinquagenarij non excusantur à personaliter comparendo si sint robusti.*

26 *Ætates hominum secundum subiectam materiam diversimodè limitantur, & terminantur.*

27 *Vxor in qua ætate judicanda sit senex, ut possit in seculo remanere cum voto simplici castitatis, jura non præscripserunt.*

28 *Dicitur senex, & non suspecta si sit sexagenaria juxta opinionem Soti.*
Contrarium, num. 45. usque ad num. 82. & præsertim, num. 65.

29 *Iuvenis dicitur quis ante sexagesimum annum quoad hoc ut possit cum eo super incestu dispensari, & n. 73. vers.* Ex ex his patet.

30 *Abbatissa in qua ætat. sit eligenda, & num. 74.*

31 *Vidua an possit eligi in Abbatissam, & num. 76.*

32 *Senes sexagenarij an excusentur à jejunio, & num. 78. & seq.*

33 *Senium corporis status ex levi momento in morbum decidit.*

34 *Senes sexagenarij non includuntur in exceptione Bullæ Cruciatæ ab indulto vescendi lacticinijs, & n. 95.*

35 *Vita in calore sita est.*

36 *Mulieres sunt viris frigidiores.*

37 *Vxor quinquagenaria potest in seculo remanere cum voto simplici castitatis secundum opinionem Sanchez.*
Contrarium, num. 82.

38 *Lex Iulia Poppeia prohibens viris post sexagesimum annum, & mulieribus post quinquagesimum nuptias contrahere à quibus, & cur fuerit abrogata, & n. 65. vers.* Et hæc fuit ratio.

39 *Matrimonium post pubertatem in quacumque ætate contrahi potest.*

40 *Potentia generandi in masculis, & fœminis in quam usque ætatem protendatur, & num. 85.*

41 *Mulier non dicitur studere procreationi liberorum à quinquaginta annis supra.*

42 *Liberta quinquagenaria non tenetur ad operas.*

43 *Testes an dicantur senes in quinquagesimo anno quoad hoc ut examinari possint ad æternam rei memoriam, & num. 88.*

44 *Mulieres quinquagenariæ etiam robustæ non tenentur ad jejunia ecclesiæ.*
Contrarium, num. 89.

45 *Senectus, & sterilitas copulativè requiruntur ad hoc ut uxor possit remanere in seculo cum voto simplici castitatis.*

46 *Sterilitas ratione naturæ non infert incontinentiæ suspicionem, & num. seqq.*

47 *Mulieres naturâ steriles sunt præ cæteris libidinosæ.*

48 *Mulieres natura produxit ad generandum, & infixit eis concupiscentiam, & desiderium matrimonij.*

49 *Pudor est mulieribus nuptiarum præmia non habere.*

50 *Mulieres in qua ætate incipiant esse steriles.*

51 *Cornelia è Scipionum familia post sexagesimum secundum annum Volusium Saturnum peperit.*

52 *Mulierum exempla, quæ post quinquagesimum annum conceperunt, & num. seqq.*

53 *Partus quinquagenarius mirabilis est quia rarus, sed non miraculosus, num. seq. & num. 63. & 64.*

54 *Federici Imperatoris mater quinquagenaria publicè voluit parere, & cur.*

55 *Sterilis à natura, & major quinquagenaria æquiparantur.*

56 *Jura constituuntur ex ijs quæ frequentiùs accidunt.*
Declaratur, num. 60. & seqq.

57 *Argumentum à communiter accidentibus valet.*

58 *Lex de miraculosis non fertur.*
Declaratur, num. 54.

59 *Vivere præsumitur qui non probatur mortuus, nisi post annum centesimum.*

60 *Intellectus l. Jura, cum tribus seqq. ff. de legibus, & num. seqq.*

61 *Legislatores non contemnunt ea, quæ præter naturam contingunt, licet rarò.*
Filij tergemini in utero esse à jure præsumuntur, ibidem.

62 *Filius natus octavo mense an succedat, & hæreditatem transmittat.*

63 *Leges non aptantur ad ea quæ semel tantum, aut bis possunt contingere, vers. Respondet secundò.*

64 *Miraculum propriè quid sit & quæ requirantur de ratione miraculi.*

65 *Viri jure præsumptione usque ad sexagesimum annum possunt progenerare, videque ante eam ætatem non*
carere

ætatem non carent suspicione incontinentiæ.

66 *Nisi contrarium appareat, in quo iudicis arbitrium versabitur.*

67 *Virorum exempla, qui post octuagesimum annum liberos procrearunt.*

68 *Maior annis septuaginta an possit masculos procreare.*

69 *Filius an potius præsumatur natus ex parte septuagenarij, quam ex adulterio.*

70 *Sterilitas mulierum præcurrit iuris præsumptione sterilitatem virorum annis decem, & secundum Philosophos annis viginti.*

71 *Aetas congrua nubendi quæ sit ex sententia Aristotelis.*

72 *Elisabeth conceptio miraculosa.*

73 *Christi conceptio ex Spiritu Sancto fuit miraculum miraculorum.*

74 *Intellectus*, cap. Juvenculas. 20. q. 1.

75 *Senes viridi gubernationi sunt aptissimi.*

76 *Intellectus*, cap. Quomodo. 31. q. 1.

Mulieres sexagenariæ Apostolorum tempore eligebantur propter prædicationis officium, ut eis pannos lavarent, & inservirent, ibidem.

77 *Corrupta indecorum est ut præsit virginibus.*

78 *Senes in qua ætate à ieiunio excusentur, non est à iure determinatum.*

79 *Senectus sola non excusat à ieiunio ecclesiæ, nisi adsit aliqua senilis infirmitas.*

80 *Opinio Caietani, & Navarri circa ieiunium senum expenditur.*

81 *Minores tertio septennio non tenentur ieiunia ecclesiæ observare.*

82 *Senectutis initium, ut minimum constituitur in quinquagesimo anno.*

83 *Senectus sola non sufficit, ut absit incontinentiæ periculum, sed desideratur aliquis senectutis progressus.*

84 *Præsumitur quis continentiam servaturus ratione antiquæ ætatis, etiamsi tempore iuventutis castitatem non servaverit.*

85 *Maior quinquagenaria, quæ concepit in quinquagesimo anno non vacat à periculo incontinentiæ.*

86 *Senectus & sterilitas non sufficiunt ad hoc ut uxor remanere possit in sæculo, si aliunde appareat de illius intemperantia.*

87 *Uxor de cuius licentia maritus professionem emisit si sit suspecta de incontinentia, & castitatem promiserit an sit cogenda ingredi monasterium, ut custodiatur à vagatione, an verò ut solemniter profiteatur.*

88 *Testes in dominio Mediolanensi dicuntur senes in sexagesimo anno, quoad examen ad æternam rei memoriam.*

89 *Opinio Sanchez, quæ excusat mulieres quinquagenarias à ieiunio ecclesiæ refellitur.*

90 *Opinio si speculativè sit verè probabilis, est etiam tuta practicè.*

91 *Senes diu ieiunium ferre non possunt, sed egent cibo crebro, & modico ex sententia Hippocratis.*

Procedit in decrepitis, & senio confectis tantum, ibidem.

92 *Mori in extrema senectute sine dolore.*

93 *Senes non decrepiti facillime ieiunium ferunt.*

94 *Senes septuagenarios, non sexagenarios excusat à ieiunio Ecclesiæ communis opinio.*

95 *Aetas quæ in viris est sexagenaria incongruè dicitur quinquagenaria in mulieribus quoad effectum ieiunij.*

96 *Mulieres facilius ieiunium tolerant quàm viri, & cur.*

97 *Mulierum exempla, quæ sine ullo cibo diu vixerunt.*

98 *Ieiunantes sine corporis detrimento, imò & cum utilitate utuntur modica refectione loco cœnæ.*

99 *Uxori ante quinquagesimum annum licentia remanendi in sæculo non est concedenda; post annum verò quinquagesimum concedi potest arbitrio Episcopi, & quomodo eius arbitrium regulari debeat.*

1 CUM SIS. Uxoratus ad religionem transire nō potest, nisi & uxor transeat, vel nisi de incontinentia non sit suspecta, & castitatem promittat. Hoc dicit. Primò ponitur ratio. Secundò decisio, ibi, *Inde est.* Ex principio litteræ. Cum sis præditus scientia litterarum.

2 Nota primò, juris ignorantiam non esse probabilem in juris perito: turpe enim est nobili, & Patritio ignorare iura, in quibus versatur, l. 2. §. *Servius ff. de orig. iur.* sed turpius est Episcopo canones ignorare, cap. *Vel non est compos. de temp. ordin.* cap. *Omnes, 38. dist.* de quo scripsi in c. 1. *supra de Summ. Trinit. & fid. Cathol.*

3 Secundò nota non valere religionis ingressum alterius conjugis, nisi aut uterque religionem ingrediatur, aut remanens in sæculo castitatem vo-
4 veat, & careat periculo incontinentiæ. Quod tamen fallit secundum Innoc. & alios *hic*, si propter adulterium lata sit sententia divortij; quia tunc conjux innocens potest religionem solemniter profiteri, licet remanens in sæculo sit juvenis, & continentiam non promiserit. Et in his terminis
5 loquitur tex. in c. *Agathosa. 27. q. 2.* Ratio est quia eo casu conjux propter adulterium est solutus à servitute alterius, c. *Constitutus*, & c. *Gaudemus*, *infra eod.* Cæterum quamvis sic professus sit mortuus mundo, c. *Placuit, 16. q. 1.* non tamen durante vita naturali illius poterit alter conjux matrimonium contrahere, ut probatur in c. *Licite, 32. q. 7.* juncto tex. *hic*. Nam in d. c. Licitè patet matrimonium per adulterium conjugis non solvi quoad vinculum, quod hodie diffinitum est à Tridentino Synodo in *can. 7. sess. 24. de Sacram. Matrim.* Et ex hoc textu colligitur matrimonium non solvi per ingressum religionis, ex quo fuit consummatum,
6 & sic nota casum secundum Goffr. in quo mors civilis non æquiparatur naturali, contra id, quod habetur in l. *Deo nobis*, *C. de episc. & Cler.* de quo tamen dic, ut per Host. Jo. Andr. Butr. Anch. Card. & Abb. *hic*, per Dyn. in l. *Ex ea parte*, §. *In insulam, de verb. oblig.* Jo. Andr. in c. *Susceptum*, *de rescr. lib. 6.* Bart. Bald. & DD. in l. *Gallus*, §. *Et quid si tantum, ff. de liber. & posth.*

7 QUÆRO in qua ætate uxor dicatur senex ad hoc ut cum simplici castitatis voto possit in sæculo remanere, & maritus aliquam ex Religionibus approbatis solemniter profiteri valeat.

Dubitationi causam præbuit quidam Lucius, qui cupiebat ingredi Religionem Fratrum Cappuccinorum, uxorque assentiebatur, & in monasterio Monialium S. Francisci quamdiu viveret morari, & perpetuam castitatem vovere parata erat; sed profiteri ob ingravescentem ætatem añorum quinquaginta, & infirmam valetudinem non intendebat. Quæsitum est an esset añuendum prædictis

dictis conjugibus supplicantibus, ut uxor simplici castitatis voto adstricta monasterium ingredi, & vir Religionem Cappuccinorum solemniter profiteri posset.

8 In hac quæstione supponendum est pro constanti ex Sacrorum Canonum præscripto duo esse necessaria ad hoc ut uxor post matrimonium consummatum cum simplici castitatis voto possit in sæculo permanere viro ad religionem transeunte. Alterum ut sit senex, alterum ut non sit suspecta de incontinentia. Jura sunt clara hic in vers. *Verum si ita uxor senex est*, in c. *Significavit*, ibi, si est talis ætatis, de qua suspicio haberi non possit, & in c. *Ad Apostolicam, infra eadem*, ubi Innocentius III. primò constituit regulam dicens: Cum vir, & uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti possit ad Dominum, & altera remanere; profectò non est alter conjugum recipiendus ad observantiam regularem. Deinde subjicit limitationem: nisi reliquus forte sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere. Atque ita hæc duo debere copulativè concurrere sentit glos. in cap. *seq. in ver. Continentiam*, Hostien. *hic num. 4.* & expressius Cardin. *in 2. oppos.* & Butr.
9 in d. c. *Uxoratus, num. 1.* Ac propterea si uxor esset quidem senex, sed tamen appareret suspecta de incontinentia, non esset ei annuendum, ut remaneret in sæculo cum voto simplici castitatis, ut per Innoc. in d. cap. *Significavit*, Card. ubi supra, & Sylvest. *in ver. Divortium, q. 13. n. 16. vers. Tertio, ex consensu alterius.* Quamvis enim libidinis labes quæ nonnunquam in juventute contrahitur in senectute frequentius expietur, ut legitur in c. *Cum in iuventute*, *de præsumpt.* hoc tamen non est perpetuum, ut ibi notat glos. Frequentius inquit, non tamen semper. Nam difficile continentiam servat, qui illicito se concubitu maculare non metuit, §. *Quod verò, 34. dist.*

10 Idemque observandum esset in casu converso si mulier careret incontinentiæ suspicione inspectis honestis ejus moribus, sed tamen non esset senex; quia canones initio citati non requirunt simpliciter, ut absit timor fornicationis, sed ponderant ætatem senilem; atq; ita exigunt, ut cesset hujusmodi periculum ex causa senectutis, ut notant infra in c. *Proximo*, Host. Jo. Andr. & Butr. *in fin.* Card. *q. 4.* & Abb. *n. 4.* Esset enim valde periculosum, ut uxor juvenis viro assueta utcumq; honesta tamdiu moraretur in sæculo, cum juventus sit semper exposita variis incontinentiæ casibus; ideoque Butr. infra in c. *Proximo in fin.* Non video, inquit, si mulier est juvenis, qualiter non sit suspecta, quia mulieres sunt volubiles ut rota. Quapropter ex hoc solo, quod conjux remanens in sæculo sit juvenis, quoad hunc effectum oritur incontinentiæ suspicio, idque satis probatur in c. *Episcopus, 77. dist.* ubi sic statuitur: si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam eorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo religione promissa posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur. Qui text. licet variè à Doctoribus exponatur; tamen secundum Præpos. in c. *Si se, 28. dist.* non cavillando litteram efficaciter probat uxorem juvenem debere ad religionē transire, si maritus ad Sacros ordines promoveri velit, ut latius dicam infra in c. *Proximo n. 9.* Ergo idem dicendum si maritus velit profiteri religionem. Quo argumento utuntur Host. Jo. Andr. & alii proximè citati. Cum igitur Sac. Canones requirant ut uxor remanēs in sæculo sit ita senex, ut sit immunis à suspicione incontinētiæ, investigandum est in qua ætate ad hunc effectum dijudicanda sit senex. Ad cujus rei evidentiam abs re non erit aliqua præmittere de senectute in genere, ac de senectutis initio, & progressu.

11 Primum igitur, ut inquit Card. Paleott. *de bono senect. par. 1. col. 2. in fin.* receptum est apud omnes novissimum illud temporis intervallum, quod exactis cæteris vitæ superioris gradibus usque ad mortem superest, senectutem vocari tamquam extremum humanæ vitæ actum, quem Cicero appellat occasum vitæ, & S. Thom. ultimam ætatem hominis in *4. dist. 43. art. 3. q. 2.* Est autem senectus frigidum, & siccum corporis temperamentum añorum multitudinis ratione proveniens, ut diffiniunt. Medici quos suppresso nomine refert Card. Paleott. *loc. cit.* Diffinitio est Galeni *lib. 5. de sanit. tuen. c. 9. class. 2.* cui non absimilis est alia, quæ affertur in lib. diffinitionum Platoni ascripto, videlicet Senectus est imminutio animalis à tempore contingens. Necnon alia quæ habetur in lib. definitionum Medicarum, qui Galeno tribuitur in *lib. 6. Isagog.* Senectus est ætas, in qua diminuitur animal. Quod ipsum innuit Aristoteles *de iuventute, & senectute c. 14.* dum ait: Juventus est primæ refrigerativæ augmentatio; senectus autem hujus decrementum. Et quæ in plantis vocatur ariditas, in animalibus vocatur senectus.

12 Verum quo tempore homines incidant in hujusmodi temperamentum, Medici dixerunt non posse certa ratione præscribi, ob magnam varietatem, quam solent homines ex aliis, atque aliis causis contrahere. Sicut non præscribitur in c. 1. neque in cap. *Nisi cum pridem*, §. *Alia de renunc.* & propterea initium senectutis aliter docuerunt constituendum esse quoad universam hominis speciem, & aliter quoad singulos homines, de quorum senectute agitur.

13 Et quidem in universum quoad humanam speciem, ut refert Menoch. *de arbitr. iud. lib. 2. cent. 1. cas. 59. n. 1.* Hippocrates arbitratus est senem dici à quadragesimo ætatis año usque ad quinquagesimum sextum. Servius Tullius senes judicavit post exactum annum quadragesimum sextum. Varro post quadragesimumquintum, Galen. *lib. 5. de sanit. tuen. c. ult. class. 2.* relatus à Bracheo Turonensi in l. *Pueri, n. 9. de verb. signif.* ætatem senilem tripartito dividit. Primam appellat viridem, alias crudam senectutem, & hæc à Menochio potius quàm à Galeno concluditur ab anno quinquagesimo in sexagesimum. Secunda quam propriè senectutis nomen habere voluit, incipit in sexagesimo, & definit in septuagesimum. Tertia decrepita quæ conficit quod reliquum est ætatis. Licet Paleott. *loc. cit.* generaliter asserat Medicos à quinquagesimo anno usque ad sexagesimum senectutem protraxisse.

14 Isidorus *lib. 6. Etymol.* & post eum Archid. in c. *Unico, num. 2. de Cler. ægrot. lib. 6.* & Jo. Andr. *in proœmio eiusdem compilationis num. 22.* sic distinguunt septem ætates hominum. Prima est infantia, quæ durat usque ad septimum annum, ut l. 1. §. 1. *ff. de adminisitr. Tutor.* de qua in l. *Si infanti*, *C. de iur. deliber.* Secunda exinde usque ad annum decimumquartum est Pueritia, sic dicta, quia pura est

est, necdum ad gignendum apta, de qua habetur in c. *Pueri*, 1. q. 1. in c. *In veteri*, 77. *dist.* & in c. *Indecorum, de aetat. & qual.* Tertia aetas est adolescentia, seu pubertas, de qua in c. *Puberes, de despons. impub.* & haec protenditur usque ad vigesimumquintum añum l. 1. *in fin. ff. de minor.* Quarta est juventus, de qua in cap. *Iuvenis, in princ. de sponsal.* & haec secundum eos concluditur in quinquagesimo anno. Quinta est virilitas, id est gravitas, quae est declinatio à juventute in senectutem, quae initium sumit ab año quinquagesimo, & desinit in quinquagesimo nono, cujus fit mentio in cap. *Petijs*, 7. q. 1. Sexta est senectus, quae ullo determinato añorum numero finitur. Senium vero est ultima pars senectutis, & hanc appellat aetatem quiescentium Jo. Andr. *ubi supra*, de qua in l. *Senium, C. qui testam. fac. poss.*

Sed glos. *in proœm. Sexti, in ver. Perfectus*, sex tantum aetates assignans post infantiam, pueritiam, & adolescentiam, Quarta, inquit, est juventus, vel virilis aetas ab año vigesimo quinto usque ad quinquagesimum. Quinta senectus usque ad septuagesimum. Sexta abinde, & dicitur senium aliarum aetatem terminus.

Accursius in l. *Hereditatum in glos. à prima aetate, ff. de leg. Falcid.* quatuor tantum aetates constituit, videlicet impubertatem usque ad duodecimum, vel decimumquartum añum, l. *Penult. C. de impub.* & aliis substit. adolescentiam usque ad vigesimumquintum, l. *Non aliter, in fin. de legat. 3.* juventutem exinde usque ad quadragesimum, d. l. *Non aliter in fin.* abinde senectutem, vel senium, ut l. *Maiores, ff. de iur. immunit.* Receptior tamen videtur sententia glossae praellegatae *in proœm. Sexti*, quam ibi dicunt esse tenendam Jo. Andr. *num. 22.* & Gemin. *in glos. in ver. Perfectus*, & sequuntur Grammat. *decis. 34. in princ.* Jo. de Anan. *in rubr. de delict. puer. col. 1.* Afflict. *in Commentarijs ad Constitutiones Neapolitanas lib. 2. rubr. 37. in fin.* Abb. in cap. *Quoniam frequenter, num. 18. vers. Illud etiam considerandum, ut lit. non contest.* ubi per illam gloss. tenet senectutem incipere à quinquagesimo anno, eo quod juventus incipiat à vigesimoquinto, & duret usque ad quinquagesimum.

15 Verum etsi leges praescripserint quot anni requirantur ad infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, & Juventutem, ut in juribus praellegatis; tamen generaliter quoad omnes nullibi reperitur determinatum quot añi exigantur ad virilitatem, & multo minus ad senectutem, ut patet in ead. l. *Non aliter, §. fin. de legat. 3.* Rationem diversitatis assignat eleganter Cajet. *in 2. 2. q. 147. art. 4. vers. Ad primum.* (Senectus, inquit, non est evidenter omnibus una, sicut aetas augumenti; quoniam aetas augumenti determinatur ab ortu, qui certus est, aetas verò senectutis à naturali occasu, qui incertus est. Sunt enim quidam sexagenarij ita fortes, ut alii quadragenarii, & unus altero habet multoplures circulationes caelestes propter quod contingit forte aliquem esse senem in trigesimo, aliquem in quadragesimo, vel aliquo hujusmodi
16 año.) Itaque pro materiae diversitate jura aliter, atque aliter aetatem senilem praescripserunt, ut not. glos. in d. l. *Non aliter, in ver. Seniores*, & latius patebit infra *num. 26.*

17 Sed quoad singulares homines, de quorum senectute agitur, solent nonnulli aestimare senectutem ab exteriori corporis specie, videlicet à rugis, vultu, seu cutis ariditate, atque aliis hujusmodi
18 signis, & praecipue à canitie Tiraquel. l. 6. *Connub. n. 7.* Quorum opinioni suffragatur text. in c. *Magne, de vot.* ibi aetatis in te senescentis defectus, atque canities vix labores, & dolores suos tolerare possunt. Item tex. in *Auth. de quaest. §. Si vero vitae occasione*, ibi: Corporum eorum statum qualis quis est inspicere, & §. *Si vero aliqui*, ibi: laesos autem, aut laesas corpore, aut canitie graves hos sine molestia esse jubemus. Per quem textum Angelus ibi *circa fin.* & Bart. in l. 1. similiter per text. ibi *n. 6. C. de mendicant. valid. lib. 11.* dicunt senectutem probari per aspectum corporis ad instar minoris aetatis juxta l. *Minor vigintiquinque annorum ex aspectu, ff. de minor.* & sequuntur Grammat. *decis. 48. num. 19.* & Menoch. *de arbitrar. iud. lib. 2. cent. 2. cas. 117. num. 2. vers. Id quod non modo.*

Verum haec conjectura nec perpetua, nec prorsus certa est; cum multi aetate adhuc florentes festinam, ac praematuram gerant canitiem, qui praecani dicuntur, qualem se fuisse Horat. Poeta scribit, & de quibus Boet. *de consolat. in princ.*

Intempestivi funduntur vertice cani.

19 Unde refert Plinius in Albania gigni quosdam à pueritia statim canos, & Paleott. *in tract. de bon. senect. par. 1. col. 2. in fin.* narrat sibi ad Urbem redeunti apud Faliscum occurrisse puerum septem annorum Trajanum nomine vultu succi pleno, rubicundo, & hilari, sed capite admodum cano omnibus qui illic aderant admirantibus. Sed & Aristot. scribit *lib. 4. de histor. Animal. c. 11.* nonnullis pilos dum aegrotarent incanuisse, quibus in bonam valetudinem restitutis nigri enati fuerunt canis defluxis. Ratio autem cur canities non sit constans senectutis indicium ea esse potest, quia ut illic docet Aristot. canities non provenit ex ariditate, sicut senectus; sed cutis vitio, quod vitiliginem appellamus, pili omnes producuntur cani.

Etè converso sunt alii qui matura jam, & occidua aetate amoenam adhuc faciem retinent, & laevem cutem, capillumque nigrum, seu flavum, qualem Palladius scribit fuisse Abbatem Or in monte Nitriae qui cum esset nonaginta annorum erat
20 vultu nitido, & alacri: & ut alia exempla omittamus mirabile est quod ponit Hieron. ad Paul. Concord. de homine centesimum añum agente: ait enim: (Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum, & succi plenum, cani cum rubore discrepant, vires cum aetate dissentiunt, non memoriae tenacitatem, ut in plerisque cernimus, antiquior senecta dissolvit, non calidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundit, non contractam rugis faciem arata frons, non denique tremulae manus per curvos cerae tramites stylum ducit.)

Quamobrem cum haec conjectura quae in senectute dijudicanda sumitur ex aspectu corporis sit admodum fallax ad formandum judicium de senectutis initio videtur sic distinguendum cum
21 Menochio. Nam aut versamur in casibus in quibus certa aetas reperitur à jure praescripta; & tunc manifestum est singulos esse habendos pro senibus in ea aetate, quam leges praescripserunt, ut in l. 1. & l. *fin. C. qui aetat. se excus. lib. 10.* & in l. *Maiores, ff. de iur. immunit.* cum simil. Aut versamur in casibus, in quibus nulla certa aetas à jure praefinita est; & tunc communiter tenetur opinio Innocentii in c. *Quoniam frequenter, num. 3. ut lit. non contest.* videlicet an quis dicatur senex, necne, relinquendum esse arbitrio judicis, considerata cujusque complexione. Nam quandoque aliquis est senior in quinquagesimo anno, quam alius in sexagesimo. Ita Innoc. quem ibi sequuntur Host. Jo. Andr. Abb. Socin. Felin. & alii omnes. Barbat. *cons. 22. col. 3. lib. 3.* Florian. in l. *Aquilia si deletum, ff. ad l. Aquil.*

22 Caeterum cum adhuc incertum sit qua ratione ejusmodi arbitrium sit regulandum, ante omnia observandum est Doctores convenire in duabus
23 propositionibus. Prima est neminem posse appellari senem ad quemcumq; effectum ante quinquagesimum añum quia nullibi id reperitur jure cautum. Et quamvis ante illud tempus aliquis possit incidere in temperamentum frigidum, & siccum ex aliquo accidenti; non tamen propterea senex dicendus erit, quia ad senectutem inducendam requiritur ut temperamentum illud proveniat ratione aetatis, & non aliunde, ut dictum est supra *num. 11.*

Nec refert quod glos. in l. *Hareditatum, in ver. à prima aetate, ff. ad l. Falcid.* dicat juventutem protendi à vigesimoquinto usque ad quadragesimũ annum, & abinde senectutem, vel senium per tex. in l. *Non aliter, in fin. de legat.* Tertiò quia Accursius ibi quoad hoc videtur locutus ex capite suo; nam illa lex hoc non dicit. Tantum, cum quaerit à qua aetate juvenes legati, & in quam intelligi debeant; & respondet existimari posse eum juvenẽ qui adolescentis excessisset aetatem quoad inciperet inter seniores numerari. Caeterum in qua aetate quis numeretur inter seniores, lex non aperit. Unde ille text. communiter sic summatur. Quilibet juvenis dicitur qui inter seniores non numeratur.

24 Secunda conclusio est. Post añum septuagesimum quilibet dicitur senex, Abb. in c. *Quoniam frequenter, n. 18. ut lit. non contest.* ubi ait in septuagenarijs, & supra non esse locum arbitrio judicis an dicantur senes, necne, cum in tali aetate valdè propriè dicantur senes, & à septuagesimo año incipiat senium, quod est aliarum aetatũ terminus, & quantumcumq; quis sit bene complexionatus in ea aetate, timere debet mortem, & sequitur, Alber *in diction. in ver Senex.* Unde meritò Cardanus contradicentium Medicorum *lib. 2. contra 10. tract. 5.* dicebat supra añum septuagesimum in omnibus convenire, ut aetas pro deplorata habeatur. Itaque judicis arbitrium regulariter concluditur à quinquagesimo año usque in septuagesimum.

25 Nec refragatur quod senes octuagenarii esse debeant quoad hoc ut non teneantur personaliter comparere. Rota *decis. 9. de iudic. aliàs 222. incip. Senes videlicet octuagenarij. in nou.* Siquidem ad ejusmodi excusationem sola senectus non sufficit, sed copulativè requiritur, ut quis sit senex, & valetudinarius; alioquin senex cujuscumque sit aetatis si aliàs sit robustus, non excusatur ut ibi per Rotam.

26 Deinde in arbitrio regulando à quinquagesimo usque ad septuagesimum observanda est diligenter materia, de qua agitur non enim aequaliter omnes infra hoc spatiũ existimandi sunt senes: nam aetates hominum secundum subjectam materiã vario modo limitantur, & terminantur, ut tradit glos. praelleg. in d. l. *Hereditatum*, & ibi remissivè Bart. ff. ad l. *Falcid.* & in l. 1. §. *Pueritiam, ff. de postul.* Cyn. & Alber. in l. *Si infanti, C. de iur. delib.* Felin. in cap. *Cum vigesimum, col. fin. de off. deleg.* Paris. *cons. 19. num. 25. vol. 2.* Et de senectute tradunt in specie gloss. & Jo. de Platea in l. 2. *C. qui aetate lib. 10.* Paris. *loco cit.* & dictum est supra *num. 16.*

27 In casu autem de quo agitur, ut ad propositam quaestionem propius accedamus, jura non determinant praecisè in qua aetate uxor censenda sit senex ad effectum ut careat suspicione incontinentiae, & remanere possit in saeculo cum voto simplici castitatis, marito ad religionem migrante, nec quemquam reperi ex Classicis Canonistis id explicitè asserentem, tantum enim generaliter affirmant uxorem debere esse senem, & non suspectam.

28 Inter modernos verò Theologos duae sunt sententiae.

Prima est Soti *in 4. dist. 27. qu. 1. art. 4. col. 12. §. Praeterea*, existimantis ad hunc effectum mulierẽ dici senem quando est sexagenaria, & eum secutus est Corduba *in summ. qu. 178. vers. Empero si el matrimonio.* Et quidem alij ex recentioribus relati à Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 32. n. 15.*

29 Quorum sententiae suffragatur primò quod ante sexagesimum annum quis dicitur juvenis, quoad effectum ut cum eo possit super incestu dispensari propter periculum incontinentiae, ut censet Corduba *lib. 1. sui Quaestionarij. q. 12. art. 1. col. 5. §. Secundum dictum.*

30 Deinde pro eadem sententia facit text. in cap. *Iuvenculas 20. qu. 1.* ubi Gregor. ait; (Juvenculas fieri Abbatissas vehementissimè prohibemus. Nullã igitur fraternitas tua nisi sexagenaria virginem, cujus vita hoc, atque mores exegerint, velari permittat.) Quo textu patet virgines reputari juvenculas ad illum effectum ante sexagesimum añum, & Turrecrem. *ibi in princip.* In hac aetate extinctus est fomes libidinis.

31 Tertiò ad idem facit text. in cap. *Quemoda*, 31. q. 1. ubi refertur illud Apostoli *ad Timoth. 5.* Vidua eligitur non minor sexaginta annorum. Praefinitio enim hujus aetatis ibi non fundatur in prudentia, seu maturitate concilij, quia vidua cujuscumque sit aetatis non potest eligi ut praesit monasterio, seu ut pascatur ab Ecclesia, ut declarat ibi glos. *in verb. Eligatur*, cum qua transeunt Laur. & Archid. Videtur ergò requiri, ut sit sexagenaria, quia Vidua marito assueta ante illam aetatem non videtur ita esse à periculo incontinentiae immunis, et possit cum Clericis convivere.

32 Demum adduci potest pro hac sententia quod sexagenarij reputantur senes quoad hoc ut excusentur à jejunio, secundum Cajet. *in 2. 2. q. 147. art. 4. §. Ad primum* & Greg. de Valent. *in 2. 2. disp. 9. q. 2. punct. 5. col. 2.* Et hanc esse communẽ opinionem affirmat Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 32. nu. 15.* & Lessius *lib. 4. de iust. & iur. c. 2. de ieiun.* dicens in hoc omnes convenire ut sexagenarij ordinariè excusentur, hac enim aetate est media senectus juxta medicos, in qua natura facile inedia, & repletione graviter laeditur, & praecipitatur. Idque indistinctè nulla habita ratione an sint vegetes, & robusti necne, secundum Sanch. qui

qui ad hoc allegat Angles Floribus in c. *De ieiun. q. 6. diff. 6. fol.* 407. Emman. Sa *in summ. in ver. Ieiunium, n. 9.* quia in ea ætate vires jam deficiunt, & in proximo est interitus. Et quia sanitas senum
33 non est firma, sed fallax & incerta, secundum Galen. *lib. 5. de sanit. tuen. pag.* 7. ubi ait senilem corporis statum ex levi momento in morbum decidere, ac proinde curandam esse in victu eadem ratione, qua convalescentes.
34 Hinc Pius V. & Pontifices successores dum in Bulla Cruciatæ negant Clericis, & regularibus facultatem vescendi lacticinijs, excipiunt sexagenarios, per hoc insinuantes rationi consentaneũ esse, ut in ea ætate imbecillitati naturæ cõsulatur.
35 Quæ omnia longè magis vendicant sibi locum in mulieribus sexagenariis: nam vita in calore sita est, secundum Arist. *in problem. sect. 3. problem.* 22. eo quod anima tamdiu corpus informet, quãdiu in ea vitæ munia obire potest præcipnus vero vitalium functionum administer est calor. At fœ-
36 minæ sunt viris frigiores; ideoq; citius crescunt, ætate florent, & senectute macerantur, ut per Aristot. *loco cit.* Quod etiam docuit Albert Magnus *in lib. 12. de Animal, cap. ult.* relatus à Tiraq. l. 1. *Connubial. nu.* 57. dicens mulieres citius crescere, compleri, ac senescere, & notatur in c. *Puberes*, & c. *Continebatur, de despons. impuber.*
37 Secunda sententia est Thomæ Sanch. *de matrim. lib. 7. disput. 32. n.* 16. qui arbitratur ad hunc effectum non eamdem ætatem ad senectutem esse præscribendam in fœminis, atq; in masculis, cum fœminæ sint viris frigidiores; ideoq; virũ sexagenarium quoad hoc esse dijudicandum senem, & fœminam quinquagenariam, quia in ea ætate tam viris, quàm mulieribus accidit communiter sterilitas, & calor juvenilis ferè extinctus est, & propterea cessat incontinentiæ suspicio, & pro hac sententia adduci potest.
38 Primo, quod l. *Iulia Poppea* cautum fuerat ne vir major annis saxaginta, vel mulier annis quinquaginta nuptias contraherent tamquam ad generandum inhabiles. Et quamvis eam legem omnium primus abrogaverit Claudius Cæsar, ut refert Suetonius *in vita Claudij Cæsaris, cap.* 13. ac deinde Justinianus in l. *Sancimus, C. de nupt.* ta-
39 men hæc abrogatio non idcirco facta est, quod major quinquagenaria possit concipere, sed quia matrimonium contrahi potest propter seipsum etiamsi liberi procreari non possint, ut illic Bald. adnotavit, & Socin. Jun. *cons. 35. Visa, n. 34. lib. 2.* & fusius Paris. *cons. 29. Cato, n. 73. vol. 2.*
40 Secundò, pro eadem sententia adduci potest text. in l. *Si minor, C. de legit. hered.* & quod per illum text. not. glos. in l. *Si paterfamilias, §. fin. in*
41 *verb. Sexaginta, ff. de adopt.* ubi referens in qua ætate ad varios effectus quis dicatur senex, in fine dicit sic: Mulier non dicitur studere procreationi liberorum à quinquaginta annis supra. Et idẽ tradit Fulgos. *cons.* 222. *Quadam mulier, colum. 3. vers. In primo videtur*, ubi ait potentiam generandi in masculis durare usque ad annum sexagesimum; in fœminis verò usque ad annum quinquagesimum.
42 Tertiò adducitur pro eadem sententia quod liberta quinquagenaria non tenetur ad operas, l. *Liberta, ff. de oper. libert.* quam ad propositum nostrum allegat Albert. in d. l. *Si maior. C. de legit. hered.*

43 Quartò, facit pro eadem sententia quod notat Innoc. in c. *Quoniam frequenter, num. 3. ut lit. non contest.* ubi determinat senes dici post quinquagesimum annum quoad hoc ut ad æternam rei memoriam examinari possint, quia, inquit, recipiuntur timore mortis, ne cum eis pariter pereat probatio veritatis; & satis probabiliter potest timeri de morte cujusq; secundum naturam inferiorum causarum postquam pervenit ad annum quinquagesimum, & cum Innoc. transeunt ibi Hostien. Jo. Andr. & plerique alij
44 Denique pro hac sententia adduci potest quod notat idemmet Sanch. *de matrim. d. disp. 32. n. 17. vers. Sed superest*, ubi affirmat ex opinione, quam dicit esse speculativè probabilem, mulieres quinquagenarias etiam robustas indistinctè à jejunio excusari; motus quia ætas, quæ in viris est sexagenaria, in fœminis est quinquagenaria, cum citius senescant, & viribus deficiant, quam viri; & propterea in mulieribus sexagenarijs dicit vigere eandem rationem modici & frequentioris cibi, quæ viget in masculis sexagenarijs, ne toto cibo ad naturam necessario simul sumpto senilis ille calor suffocetur.
45 Verum his non obstantibus existimo neutri ex his opinionibus esse adhærendum: & pro veritate observanda sunt verba hujus Decretalis, quæ sic se habent: Si ita uxor senex est, & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, ut ea in sæculo remanente, & castitatem promittente ad religionem transeat vir ejusdem. Ubi pondera, ad hoc ut uxor possit esse in sæculo sine suspicione incontinentiæ duo copulativè desiderari. Alterum ut sit senex, alterum ut sit sterilis, quod clarè hic advertit Cardin. *num. 3. in 3. oppositione* dicens: In textu ponuntur duo conjũctivè quod sit senex, & sterilis, itaut possit esse in sæculo sine suspicione. Unde patet solam senectu-
46 tem sine sterilitate ad hoc non sufficere. Similiter sola sterilitas sine senectute non sufficit: non enim sequitur; sterilis: ergo continens, ut inquit Cardin. *eod. num.* 3. ubi post Jo. Andr. exemplifi-
47 cat in meretricibus. Quinimo juvenes steriles sunt præ cæteris mulieribus libidinosæ, ut per Tiraquel. *l. 9. Connub. nu.* 21. Unde Hippocr. *lib. 1. de mulier. morb.* scribit mulieres partus immemores benè coloratas, & viriles esse. Quamobrem sterilitas hic intelligitur ratione ætatis, nõ ratione naturæ, ut not. gl. *in ver. Sterilis*, & Host. *n.* 4. dicens; (Et sterilis, intelligas tu ratione senectutis, quasi dicat, si processerit in diebus suis, itaut sit matrona añosa, honesta, & matura; multæ enim naturaliter sunt steriles, sed juvenes magis appetunt, quàm etiam illæ quæ matres fiunt; imo & quandoque impeditur conceptus, ut dicunt Physici, propter nimium appetitum.) Hæc ille, & sequuntur *hic* Jo. Andr. *num.* 5. & Butr. *in fin.*
Quæ cum ita sint hanc determinationem non aliunde deducendam putarem quàm ex illa qualitate, quam ponderare videtur ipsemet Pontifex hic, videlicet, ut tunc mulier à se omnem per ætatis beneficium abjecerit incontinentiæ suspicionem, cũ pervenit ad eam ætatem in qua nõ potest amplius concipere: nec putet quis hanc determi-
48 nationem imaginariam, seu voluntariam fuisse: imo enim ex natura ipsa deducta est. Scimus enim fœminis à natura inditum esse maximum, ac vehemens desiderium sobolis, l. *Ambiguitates, C. de indict.*

indict. viduit. tollen. & ob id dedisse materiam generandi avidissimam, ut ex Medicorũ sententia tradit Tiraquell. *de leg. connub. l. 6. num.* 21. Ideoque Bald. in d. l. *Ambiguitates, num.* 2. (Natura, inquit, produxit mulieres ad generandum, & infixit eis concupiscentiam, & desiderium matrimonij.) Idem dicit Paul. de Castr. *cons.* 184.
49 *ex facto in princ. vers. Nec est opus. lib.* 2. Quare pudor est fœminis nuptiarum præmia non habere, cap. *Pudor*, 32. *qu.* 2. Et magnum præmium mulieribus est concipere, & conceptum meri, l. *Quæritur, §. Si mulier, ff. de ædilit. edict.* Unde sequitur, ut quamdiu mulier senex non caret potentia generandi, non possit dici ab appetentia coitus, & fornicationis periculo libera.
50 Itaque punctus difficultatis ad hoc restringitur in qua ætate mulier reddatur sterilis, seu ad concipiendum inhabilis. Hæc autem decisio à Philosophis petenda est, & præcipuè ab his, quæ artem medicam profitentur juxta text. in l. *Septimo mense*, ubi Bartol. Bald. & DD. *cot. ff. de stat. homin.* Socin. *d. cons. 35. num. 9. lib.* 2. Et quidem Arist. *lib. 5. de histor. animal. c.* 14. [Mulier, inquit, usque ad quinquagesimum (scilicet potest generare] verum id rarò; paucis enim proles in eo ætatis tempore procreata est, sed magna ex parte maribus quintus, & sexagesimus añus finis progenerandi est, fœminis quintus, & quadragesimus.] & *lib. 7. Politic. cap.* 16. ait, [Finis gignendi ut plurimum viris est septuagesimus añus, mulieribus autem quinquagesimus.) Cæterum aliter locutus videtur idem Aristot. *lib. 7. de histor. a-*
51 *nimal. c. 6. in princip.* ubi etiã septuagenarios generasse affirmat, & in mulieribus satis tritum est exemplum, adductum à Plinio *lib. 2. natural. historia. cap.* 14. de Cornelia è Scipionum familia, quæ post sexagesimum secundum añum Volusiũ
52 Saturnum peperit: & alia exempla recenset Codronchius Medicus Imol. *in lib. 6. de Methodo testificandi, c.* 16. Et multo plura Schenckius *Observationum Medicarum rararum lib. 4. tit. de conceptione.*
53 Et ex Jurisperitis Bald. in d. l. *Si maior, C. de legit. hered.* (Etiam quinquagenaria, inquit, potest parere legitimum partum, & ex legitimo matrimonio, nec est miraculum, sed rarò contingens.) Et idem Bald *cons.* 417. Titius habebat Seiam in uxorem, quæ cum esset ætatis añorum quinquaginta asseruit se esse gravidam *lib. 5. num.* 9. Sic ait. (Secundum cursum naturæ in ætate (idest quinquaginta annorum, ut supra in themate] mulieres non concipiunt, licet aliquando contrarium eveniat, ut in Domino Alberto de Guidalottis de Perusio, quem Domina nobilis Betta anno quinquagesimo completo concepit. Cujus exempli meminit etiam Paris. d. *cons. 29. num. 21. vol.* 2. Quinimo Angel. in ead. l. *Si maior*. [Ego, inquit, in Perusio vidi plures majores quinquaginta añis parere filios, & credo quod subtilitas aëris hoc operetur.) Idem sentit gl. in l. *Si sterilis, in ver. Quinquaginta, ff. de action. empt.* dum dixit esse præsumptionem juris, ut mulier post quinquagesimum añum non possit concipere, non dicit id non posse contingere, sed in dubio nõ præsumi. Et ita etiam per illam glossam scripsit Raphael. Fulgos. *d. cons.* 212. *in 3. col. vers. In primo videtur.*
54 Sed objicies; Etsi major quinquagenaria possit parere, hoc tamen rarum est, ut mirabile repute-

tur, d. l. *Si maior quinquagenaria. C. de legit. hered.* Quo loco scribit Angel. Federicum Imperatorem natum fuisse ex quinquagenaria Monacha professa, & ex dispensatione Summi Pontificis de monasterio extracta; eamque publicè, omnibusque videntibus parere voluisse, ut partus suppositi omnem suspicionem excluderet, testantur Paris. *d. cons. 29. num. 46. lib.* 2. Socin. sen.
55 *cons. 126. n. 2. lib.* 3. Menoch. *de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 1. casu 8 z. num.* 60. Et propterea mulier sterilis à natura, & major quinquagenaria æquiparantur, ut est text. in d. l. *Si sterilis*, ubi qui vendidit partum ex ancilla nasciturum, qui tamen nasci non poterat, vel quia ancilla erat sterilis, vel major añis quinquaginta, cum id emptor ignoraverit, tenetur illi ad interesse, ubi glos. *in ver. Quinquaginta*, dicit majorem quinquagenariã à jure sterilem præsumi, & si contra fiat, esse miraculum.
56 Idemque affirmat Tiraq. l. 6. *Connub. num.* 22. At jura ex ijs quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, non constituuntur, l. *Iura constitui*, & l. *Ex his de legib.* Nam ad ea potius debet aptari jus quæ & frequenter & facile quam quæ per rarò eveniunt, l. *Nam ad ea, ff. eod.* Quæ verò semel, aut bis accidunt contemnunt Legislatores, ut dicitur in l. *seq.* Ergo hic canon qui de sterilibus per ætatem loquitur est intelligendus de illis tantum mulieribus, quæ ut plurimum sunt steriles, quales sunt
57 quæ quinquagesimum annum excedunt; valet enim argumentum à solitis communiter accidentibus, l. *Certi conditio, §. Si nummos*, & ibi notant DD. *ff. si cert. pet.* & l. *Si prius, §. 1. ff. de aqua pluv. arcen.* cum concord. Ita enim præsumitur contigisse, sicut communiter, & frequenter solet accidere, glos. Bald. & DD. in l. *Neque natales, C. de probat.* Et in proposito tradit Bald. *cons. 74. Verba, colum. 2. in fin. vol.* 1. Socin. jun. *d. cons. 35. num. 23. & seq. lib.* 2. & in l. *Gallus, in princ. ff. de liber. & posthum.* Paris. *d. cons. 29. num. 5. vol.* 2.
58 Præterea in his quæ rarò fiunt miraculum dicitur, ut in Auth. *de Consul. in 2. col. circa med. collat.* 4. Et de miraculosis non solet esse lex, ut
59 inquit Bald. in d. l. *Iura constitui, ff. de leg.* Et propterea præsumptio illa quod quis præsumatur vivere nisi probetur mortuus, non procedit supra centum annos, quoniam rarò post illam ætatem quis reperitur vivus. Paul. de Castr. in d. l. *Iura*, Socin. *d. cons. 35. num.* 25.
60 Cæterum respondetur 1. d. l. *Iura*, cum tribus seqq. esse intelligendas de actibus humanis qui contingunt præter hominum opinionem, nõ autem de his qui accidunt præter naturam, ut optimè deducit Budæus, qui ad hoc ponderat verbum Græcum, quo utitur Theophrastus in d. l. *Iura*, & in d. l. *Quoniam*, & sequitur Bonav. *de partu octimestri lib. 9. cap.* 13. Etenim quæ præter naturam con-
61 tingunt, utique non contemnunt Legislatores. Ideoq; Paulus in l. *Antiqui, ff. Si pars hereditatis pet.* relatis exemplis mulierum, quarum aliæ ternos, aliæ quaternos, & nonũlla septenos filios uno partu ediderunt, tamdem concludit: Prudentissimè Juris authores medietatem quandam secuti sunt, ut quod fieri non rarò admodum posset intueretur, idest quia fieri poterat, ut tergemini nascerentur, quartam partem superstiti filio assignaverunt: ecce secundum naturalem cursum mulieres cõmuniter unicum pariunt, rarò geminos, rarius tergeminos; & nihilominus prudentes Le-
gum-

gumlatores ex hoc quod tam rarò præter naturam contingit, jus constituerunt, & concord. tex. in l. *Sed etsi restituatur*, §. *fin. ff. de iudic.*

62 Similiter quamvis octavo mense perfectus partus nasci non possit, ut not. in l. *Septimo mense, ff. de stat. homin.* tamen natus, licet illico decesserit, succedit, & hæreditatem transmittit, l. *pen. C. de post. hered. instit.* & consuluit Bald. *cons.* 128. *vol.* 1. Ratio est, quia nati in octavo mense aliquando possunt vivere, licet rarissimè, ut author est Auerroes *lib. 4. de gener. animal.* S. Thom. *in opusc. de fato, cap.* 28. Frater Ægid. Roman. *in lib. de form. corpor. humani, cap.* 16. & ideò Legislatores hanc prolem non negligunt. Et idem de nato in quinto, vel sexto mense scripsit Angel. in l. *Quod dicitur. ff. de liber. & posthum.* Licet Socin. sen. *d. cons. 126. per tot. lib.* 3. Multis relatis plenissimè consuluerit partum octimestrem naturaliter vivere non posse; & ideo nec succedere, nec hæreditatem transmittere.

63 Sed propius ad rem nostram in d. l. *Si maior, C. de legit. hered.* super partu majoris quinquagenaria jus constituitur his verbis: Sancimus, licet mirabilis partus inveniatur, & rarò contingat, nihil tamen eorum, quæ probabiliter à natura noscuntur esse producta, respui, sed omne jus, quod ex quacumque lege liberis præstitum est, hoc metum, atque immutilatum hujusmodi filiis, vel filiabus servari in omnibus successionibus sive ex testamento, sive ab intestato, & summatim non absimiles alijs fiant, quos similes natura efficit. Et ita ad l. *Iura constitui, cum seqq.* respondet Socin. jun. *d. cons. 35. num.* 27. *vol.* 2. & Parif. *cons.* 29. *nu.* 19. *vol.* 2. dicens possibile esse ut major quinquagenaria pariat; & ideo legem isto casu providere ad ea, quæ rarò accidunt ex eo, quia naturaliter possunt contingere.

Respondet secundò ad prædicta jura Alber. in d. l. *Si maior.* his verbis: (Partus mulieris majoris quinquaginta añorum mirabilis est, quia rarò contingit, & ea quæ rarò contingunt, dicuntur mirabilia; sed de istis rarò contingentibus non debent fieri jura, l. *Nam ad ea. ff. de legibus*, hoc verum si semel tantum, aut bis posset contingere.) Hæc Albericus.

64 Unde patet non obstare, quod de miraculosis jura non constituantur, quandoquidem hoc procedit vel in his, quæ bis, aut semel tantum contingunt secundum Alberic. proximè cit. aut in his quæ verè sunt miraculosa, ut in exemplo quod ponit glos. in l. *Ex ijs, ff. de legib.* de Lazaro resuscitato, an scilicet debuerit rumpere testamentum quod prius fecerat, & bona hæredibus auferre. At verò partus majoris quinquagenaria nec tam rarus est, ut ex dictis apparet, nec miraculosus, ut dixit Bald. supra cit. in d. l. *Si maior.* Et ideo glos. quæ in d. l. *Si sterilis. ff. de action. empt.* dicit esse miraculum, loquitur hyperbolicè, & impropriè, prout etiam loquitur textus in *auth. de Consul.* §. 2. ibi: (In ijs enim, quæ rarò fiunt, miraculum est.) Nam miracula propriè sunt supra naturam, S. Thom. *in* 2. 2. *q.* 178. *art.* 1. *ad* 3. ut in exemplis quæ ponuntur in c. *Revera, de consecr. dist.* 2. & de ratione miraculi tria requiruntur, scilicet esse arduum, idest supra virtutem naturæ creatæ agentis; præter spem naturæ, idest, ut non habeat ad illud naturalem ordinem, sed ordinem obedientialem; & ut sit insolitum, idest præter modum ejus consuetũ. Idem S. Thom. *in 1. par. q. 105. art. 7. ad 2.* & quatuor requisita ad esse miraculi ponit Archid. in c. *Tenemur*, n. 2. 1. q. 1. post Goffred. & Hostien. in cap. *Venerabili, de testib.* Quinimo partum majoris quinquagenariæ nedum non esse miraculosum, sed nec haberi pro monstruoso ostendit Codronchius Medicus in præalleg. *lib. de Methodo testificandi cap.* 16.

65 Ex his constat opinionem Soti quad ante annum sexagesimum nõ cesset suspicio incontinentiæ, posse procedere in viris tantum; ipsi enim juris præsumptione possunt progenerare usque ad sexagesimum añum, & non ultra. & probat text. in l. *Si Paterfamilias. §. fin. ff. de adopt.* inducendo eum ut per Parif. d. *cons. 29. n. 31. vol. 2.* & per illum text. tenet Alber. in d. l. *Si maior, C. de legit. hered.* Fulgos. *d. cons.* 212. & Socin. *d. cons. 35. vol.* 2. Et hæc fuit ratio quare olim vir major sexagenario non posset nuptias contrahere, l. *penult. C. de nupt.* ut observant Alber. & Fulgos. *ubi supra.* Et quamvis dicta prohibitio abrogata fuerit, non tamen fuit abrogata, seu correcta illius ratio, ut rectè deducit Parif. *d. cons. 29. num.* 73.

66 Itaque sexagenarij censentur immunes à periculo incontinentiæ, nisi contrarium appareat, in quo judicis arbitrium versabitur usque ad annum septuagesimum. Nam ex Philosophorum sententia finis gignendi ut plurimum viris est septuagesimus añus, ut dictum est supra *num.* 50. & usque ad septuagesimum generant qui sexagesimum excesserunt, idque tamquam communissimum tradit Arist. *lib. 7. de histor. Animal. c. 6. in princ.* dicens: Mares plurimi ad sexagesimum generant quem si excesserint, ad septuagesimum usque procedunt.

67 Quinimo etiam ultra septuagesimum annum deberet hoc casu protendi arbitrium judicis, si constaret de filiorum procreatione post illam ætatem. Referunt enim Æneas Pius *in Europa, c.* 25. & post eum Tiraquell. *l. 6. Connub. n.* 22. Exempla virorum, qui in octuagesimosexto, octuagesimooctavo, & nonagesimo año liberos procrearunt.

68 Et quod magis est, Avenzoar *sui Theisir. lib. 2. trat. 3. cap.* 1. narrat viros nonnullos centum annis majores nedum generasse, sed amplius etiam generasse masculos contra Aristotelem, qui, ut inquit Auenz. voluit nullum posse masculum generare post septuagesimum annum. Quam Aristotelis sententiam pluribus impugnat Joubertus lib. 2. Errorum popularium, cap. 2. probans senem septuaginta añis majorem posse etiam masculos
69 procreare, licet Fulgos. *d. cons.* 212. & Parif. *d. cons.* 29. *lib.* 2. latè consuluerint filium natum etiam in figura matrimonij non obstante tractatu, & nominatione parentum non censeri generatum ex patre septuagenario, utpotè ad coeundum inhabili, sed potius ex adulterio. Quod an verum sit judicent alij; nam hic non est casus noster.

70 Atverò aliud dicendum est in mulieribus, nulla enim est ratio quare in hoc debeant pari passu cum viris ambulare, ut putat Soto, cum sterilitas, ex qua suspicionem incontinentiæ sacri Canones metiuntur, fœminis contingat in quinquagesimo año, & sic præcurrat añis decem ex sententia Jurisconsultorum, ut clarè constat ex l. *Sancimus, C. de nupt.* & ex d. l. *Si maior*, *juncta* l. *Si Paterfamilias*, §. *fin. ff. de adopt.* & annis viginti secundum
71 Aristot. superius cit. Qui propterea *lib. 7. Politic. cap.* 16.

cap. 16. docuit congruere puellas nuptui tradere circa ætatem annorum septem, & triginta, in hoc enim tempore, inquit, vigentibus corporibus cõjungentur, ac procedente tempore simul aptè desinent procreare posse, idest uxor in quinquagesimo anno, & vir in septuagesimo.

72 Nec refragatur quod Elisabeth mater S. Joannis Baptistæ conceperit post añum sexagesimum, ut sacra testatur pagina. Siquidem conceptio ejus miraculo tribuenda est, tum quia erat non sum senex, sed etiam sterilis natura, ut innuunt verba illa Lucæ 1. *Nam, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis*; tum propter rationem, quæ subnectitur,
73 *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum.* Quæ ratio non congrueret, nisi conceptio Elisabeth fuisset ex virtute divina: tum denique quia Gabriel ut suaderet Beatiss. Virgini Conceptionem Christi ex Spiritu sancto, quod est miraculum miraculorum, ut inquit D. Thom. *in 3. dist. 3. q. 2. art.* 2. non est putandus sumpsisse exemplum nisi à miraculo, quia à conceptione naturali incongruè summo miraculo fidem adstruere potuisset.

Et ex his patet responsio ad primum argumentum: nam doctrina Cordubæ quod ante sexagesimum añum quis dicatur juvenis, quoad hoc ut possit cum eo dispensari super incestu admitti ad summum potest in masculis, qui usque ad sexagesimum añum possunt liberos procreare; non autem in fœminis, quæ ut plurimum sunt steriles in quinquagesimo.

74 Non obstat text. in c. *Iuvenculas*, 20. *q.* 1. quia in Abbatissa non tantum præscribitur ætas sexaginta añorum, quia in ea ætate extinctus est fomes
75 libidinis, sed etiam quia tunc præcipuè viget prudentia, quæ ad regendas Sanctimoniales requiritur, arg. c. *Nisi cum pridem*, §. *Alia verò*, ibi; Moralis maturitas (quæ in senibus esse solet) ipsum in suo suadet officio permanere, supra de renunc. senes enim viridi gubernationi sunt aptissimi, ut Hieronymus docet *in epistola ad Nepotian.* & Archid. in c. *Tanta*, 86. *dist.* & etiam quia in ea ætate magis fervet spiritus devotionis, c. 1. *eod. tit. de renunc.* ibi: [vergente deorsum conditione corporea fervor spiritus in sublimiora cõscendit.] Præterea glos. in d. c. *Iuvenculas, in ver. Sexagenaria*, dicit hoc posse intelligi de sexagenaria, non ætate, sed perfectione continentiæ. Ergo perfectio cõtinentiæ secundum glos. potest contingere etiam ante sexagesimum añum.

Ac demum in c. *Indemnitatibus*, *de elect. lib.* 6. statutum est, ut in Abbatissam aut Priorissam, ubi per Priorissam monasterium gubernatur de cætero non eligatur aliqua, nisi triginta años compleverit. Et ex decreto Concilij Tridentini c. 7. *sess.* 25. *de regul.* non minor eligenda est, quàm annorum quadraginta, & quæ octo añis post expressam professionem laudabiliter vixerit. At si his qualitatibus ibi non reperiatur, quæ saltem trigesimum añum ætatis, & quintum professionis excesserit. Quod incongruè sancitum fuisset, si Abbatissa eligenda esset tantummodo in ea ætate, in qua timor incontinentiæ cessat.

76 Non obstat text. in cap. *Quomodo*, 31. *q.* 1. quia procedit in electione sexagenariæ ad ministeriũ ecclesiæ, & loquitur secundum tempora Apostolorum, qui propter prædicationem habebant vetulas sexagenarias, ut eis pannos lavarent, & inservirent, ut post Aug. & Laur. ibi explicat Archidiac. prope finem, & Turrecrem. n. 5. *in ver. Eligatur.* Itaque præfixio illa ætatis sexaginta añorum facta fuit, ne ex illarum comercio cum Clericis aliqua sinistra suspicio oriretur, ut ibi per Turrecrem. Accedit quod ille textus intelligitur etiam à Doctoribus de electione sexagenariæ in Prælationem, ut notat Turrecr. *in eod. ver. Eligatur*, & littera sonat. Non enim desunt qui putant viduam eligi posse in Abbatissam per text. in c. *Nemo Presbyter, in fin. 78 dist.* ut per Archid. & Bellam. in d. c. *Iuvenculas*, & secundum hunc intellectum præfixio ætatis in d. c. *Quomodo*, fundatur præcipuè in maturitate consilij, ut responsum est supra proximè ad d. c. *Iuvenculas.* Magis tamen placet primus intellectus glossæ, quia secundum veriorem opinionem pro qua est text. in eod. c. *Iuvenculas.* Non cavillando litteram, & quam etiam servat S. Congregatio, vidua eligi non potest in Abbatis-
77 sam. Indecorum enim esset ut corrupta præesset virginibus, ut dicunt ibi Archid. & Bellam. nec secundum eos obstat tex. in d. c. *Nemo Presbyter*, quia Palea est. Hanc quæstionem plenè examino in c. *Meminimus, inf. de accusation.*

78 Non obstat denique quod sexagenarij tam masculi, quam fœminæ indistinctè sint immunes à jejunio. Imo enim ex veriori, & frequentius recepta opinione in senibus nullum tempus determinatum est, in quo ab obligatione jejunij ab-
79 solvantur. Unde excusari possunt dumtaxat eo modo, quo infirmi & debiles, in quibus est eadem ratio secundum Innoc. *in rubr. de observ. ieiun. num.* 2. *vers. Et idem dicimus in senibus*, & Archid. in c. *Pronunciandum, num.* 6. *vers. Et idem dicit de senibus, de consecr. dist.* 3. & expressius tenent Richard. de Media Villa *in 4. dist. 15. art. 3. q.* 4. S. Anton. *in 2. par. tit. 6. c. 2. §.* 6. Rosella *in ver. Ieiunium, num.* 15. Tabien. *in eod. ver. num.* 18. Sylvest. *eodem num. 18. vers. Secundum in senibus*, ubi etiam allegat & Astensem. Et ex recentioribus Medina *in suo Instruct. in c. De ieiunio, quæst. de his qui ad ieiun. tenent.* Azor *instit. moral. par. 1. lib. 7. c. 17. alias 27.* de causis quibus aliqui à jejunii lege eximuntur, ubi affirmat ex communi omnium sententia, nihil esse de hac re à lege, & jure constitutum; ideoque senes dum firmo, ac valido corpore sunt, jejunium servare debere, eamque ætatem non præbere justam excusationem nisi adsit etiam aliqua senilis ætatis
80 infirmitas. Nec dissentit Cajetan. *in 2. 2. q. 147. art.* 4. *circa solutionem ad secundum vers. Quoad primum*, ait enim (non esse determinatum tempus quando homines excusentur à jejunio, quia quandoque sexagenarij sunt ita fortes, sicut alij quadragenarij.) Et formaliter loquendo quandocumque quis est verè senex, ad jejunium non tenetur, quia natura est adeo debilis in sene, ut non possit multum simul cibum digerere; & propterea egent frequenti alimento bono, & modico, sicut infirmi; licet postea Cajetan. subdat (communiter videri hoc accidere año sexagesimo ætatis, cum scriptum sit: dies annorum nostrorum septuaginta anni, & quod veterascit, & senescit prope interitum est, ut dicitur ad *Hebr.* 8. & ideo sexagenarij sunt communiter prope naturalem interitum, ac per hoc senes. Unde nisi evidenter constet quod possint alimentum pro jejunio opportunum digerere, & tolerare, nõ debent ad jejunium conari, sed debilitati quam sentiunt subve-

nire frequenti cibo bono, & modico, quoniam senectus morbus est incurabilis.) Hæc Cajetanus, quem refert, & sequuntur Gregor. de Valentia *in 2. 2. disp. 9. q. 2. punct. 5. col. 2. §. impotentia*, Leſſius *lib. 4. de iust. & iure, c. 2. dub. 6. num. 41.* & alii moderni. Sed & Navarr. *in Manual. cap. 21. num. 16.* quamvis affirmet senes sexagenarios eximi a lege jejunii secundum communem, subdit tamen sanctum Thomam de hoc nihil dixisse, & merito, quia, ut ait Cajetan. *in Summa, in ver. Ieiuniam, cap. 3.* alii aliis citius sunt ad id impotentes; & ideo arbitrio prudentis, aut Superioris id relinquendum est, arg. *l. 1. ff. de iur. deliber.* cap. *De constit. de off. deleg.* Ita Navarrus adjiciens septuagesimum annum agentem perinde posse jejunare, ac eum ageret sexagesimum, imò & quinquagesimum.

Quo loco omittendum non est quod ait Azor. ubi supra, vi lecisse Navarr. dum testatur ex communi sententia sexagenarios esse a jejunijs exemptos, fortasse volatile dicere septuagenarios, quia communis opinio septuagenarios, non sexagenarios excepit; & idem putat dicendum esse de authoritate Cajetani, quia dum dixit eos qui sunt sexaginta annorum plerumque senes esse, & id probat quia scriptum est. Dies annorum nostrorum septuaginta anni; utique videtur, sicut & Navarrus, septuagenarios potius, quam sexagenarios a jejunio eximere. Addo quod cum Cajetanus loquatur de senibus, quorum natura est adeo debilis, ut non possint multum simul cibum digerere, & ideò egent frequenti alimento bono, & modico, videtur respexisse ad Aphorism. 14. Hippocratis qui idem dicit. At locus hic Hippocratis non habet locum nisi in decrepitis, & constitutis in ultimo senio, ut dicetur infra *num. 91*

Accedit quod generaliter Basilius de jejun. 2. Nemo, inquit, jejunantium numero se subducat, in quo & generationes cunctæ, sexus, ætas, & ordo involuuntur. Sed & Turrecrem. in c. *Ieiunia, num. 10. de consecr. dist. 5.* Quamvis recenseat octo genera personarum, quæ ab observatione jejunii eximuntur; tamen inter hos non meminit senum sentiens propterea cum D. Thoma, & Innocentio senes non excusari, nisi quatenus sunt infirmi, & debiles, juxta text. in cap. *Quadragesima, eadem dist.* ibi: Nisi quem infirmitas impedierit, & in cap. *Ieiunia, de consecr. dist. 3.*

Quamobrem cum articulus exemptionis a jejunio in sexagenarijs nulla certa lege sit definitus, & inter Doctores admodum cõtroversus, ex hoc principio incerto, ac dubio nõ potest de duci, cõcluſio certa ad decisionem quæstionis nostræ.

Sed quidquid sit in jejunio, certè in casu præsenti, in quo non imbecillitas virium, sed impotentia coeundi spectanda est, ut hic in textu manifestum videtur non requiri in mulieribus annum sexagenarium cum multo ante illis contingat per
81 ætatem sterilitas, ut ex dictis constat. Præterea non valere illationem, Exemptus est quis a jejunio: ergo & a periculo incontinentiæ, inde apparet evidenter, quod ætas pubertatis absque dubio exposita est hujusmodi periculo, ut omnes notant infra in c. prox. Et tamen puberes quamdiu sunt in statu augmenti, quod ut in pluribus est usque ad finem tertij septenij, idest anni vigesimi primi, non tenentur ad ecclesiastica jejunia, ut docet Divus Thomas in 2. 2. q. 147. *art. 4. ad 2.* quem ibi Cajetan. & cæteri sequuntur, Petr. de Palude, *in 4. dist. 15.* Archid. in cap. *Pronunciandum num. 6. de consecr. dist. 3.* Abb. *in rubr. de observat. ieiun. num. 7.* Turrecrem. in d. cap. *Ieiunia, num. 10. de consecr. dist. 5.* Navarr. *in manual. c. 21. num. 16.* Et hæc est veritas, & communis opinio, ut inquit Sylvest. *in ver. Ieiunium, num. 18. vers. Sexto quæritur.*

82 Sed nec secunda opinio Sanchez quod mulieres careant incontinentiæ periculo, quando sunt quinquagenariæ, videtur ita generaliter admittenda: nam cum senectus nec in masculis, nec in fœminis jure nostro consideretur ante annum quinquagesimum, ut per DD. in cap. *fin. ut lit. non contest.* & patet ex dictis *num. 23.* Si sola ætas quinquaginta annorum, quæ ut minimum requiritur ad senectutis initium, excluderet omnem suspicionem incontinentiæ, frustra textus hic præter senectutem exigeret etiam sterilitatem, quia in expressione senectutis necessariò excluditur ætas quinquaginta annorum.

83 Præterea expendenda est illa dictio, *ita* non enim canon requirit tantummodo, ut uxor sit senex, sed addit, ita senex, &c. aperte innuens per hoc non sufficere initium senectutis, quod contingit in quinquagesimo anno, sed amplius desiderari aliquem senectutis progressum, ut absit in-
84 continentiæ periculum. Facit text. in cap. *Fraternitatis, 34. dist.* ibi: Et ætas illius futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur, ubi Præpol. *in 5. not ab.* dicit, Ratione antiquæ ætatis præsumi quem continentiam servaturum, licet tempore juventutis callitatem non servaverit.

85 Ad hæc quamvis in quinquagesimo anno mulieres præsumantur steriles, quia raro in ea ætate concipiunt, tamen aliquando contrarium accidit, ut ostensum est supra *num. 50.* Finge ergo uxorem peperisse in quinquagesimo anno, ut in matre Federici Imperatoris, aut concepisse post exactum annum quinquagesimum, ut in exemplo relato à Bald. *in d. cons. 437. lib. 5.* & in aliis, quæ Perusii acciderunt, teste Angelo in d. *Si mater, C. de legit. hared.* certè his casibus non esset concedenda licentia uxori morandi in sæculo in quinquagesimo primo, aut quinquagesimo secundo, quia ex prole paulo ante suscepta appareret eam adhuc posse concipere, ac proinde in ipsa extinctum non esse fomitem concupiscentiæ.

86 Demum finge uxorem aliquam esse quidem quinquagenariam, & sterilem, sed tamen inhonestam vitam ducere, quod non raro contingit: profectò neque huic danda esset licentia remanendi in sæculo, quia senectus, & sterilitas non sufficiunt si aliunde appareat de intemperantia uxoris, ut ostensum est supra *num. 8. & seq.* Facit
87 quod notat Innoc. in cap. 1. *sub num. 1. in ver. Servare, supra eod.* ubi ait uxorem, de cujus licentia maritus professionem emisit, si sit suspecta de incontinentia, & castitatem promiserit, cogendam esse monasterium intrare, non quidem ut profiteatur, sed ut compescatur à vagatione, & custodiatur ne luxuriari possit. Quinimo eam esse cogendam ad solemnem professionem, pluribus probat ibi Hostien. cum quo videntur alii transire, ut ibi plenius scripsi.

Et per hoc patet responsio ad primũ, & secundũ argumentũ contrarium quod mulieres quinquagenariæ censeantur inhabiles ad concipiendum.

Non

Non obstat tertium, quod liberta quinquagenaria non teneatur ad operas; quia in ea exemptione non consideratur periculum fornicationis, & ideo non est simile.

88 Et eodem modo respondetur ad quartum, quod testes dicantur fœces in quinquagesimo anno quoad examen ad æternã rei memoriam; quia nec eo casu consideratur hujusmodi periculum, sed timor mortis dumtaxat, ut ibi per Innoc. Præterquam quod Abb. in cod. c. *Quoniam frequenter num. 28.* dicit hunc verisimilem timorem vario modo contingere secundum diversitatem complexionum; & ideo relinqui judicis arbitrio, qui illum judicabit senem usque ad septuagesimum annum, ubi hunc verisimilem timorem concipiet. Adde quod in dominio Mediolanensi senex quoad prædictum effectum dicitur qui annum sexagesimum agit, ex Constitutione in tit. *de probat. cap. 1.* ut refert Menoch. *de arbitr. Iudic. lib. 2. cent. 1. cas. 59. in fin.*

89 Non obstat ultimum, quod mulieres quinquagenariæ etiam vegetes, & robustæ non teneantur ad jejunia ecclesiæ.

Primò enim respondetur non valere illationem ab exemptione a jejunio ad liberationem à periculo incontinentiæ, ut dixi supra, *num. 81.*

Deinde respondetur contrarium tenere unanimiter omnes Doctores: solus enim Thomas Sanchez primus hanc opinionem exemptionis quinquagenariæ à jejunio in medium attulit, ut ipsemet fatetur, qui propterea subdit illam esse quidam speculativè probabilem, sed non esse tu-
90 tam in praxi. Sed certè si esset probabilis speculativè, esset etiam tuta in practica; quia intellectus practicus nihil est aliud quam extensio intellectus speculativi, ut docet D. Thom. *in 1. 2æ. q. 79. art. 11.* & dixi *in tract. de opin. probabili*, quem posui in
91 cap. *Ne innitatur, num. 99. & seqq. supra de Constit.* veritas tamen est hujusmodi sententiam nec speculativè quidem esse probabilem, fatemur enim esse verum quod ait Hippocrates *Aphor. 14.* Senes diu jejunium ferre non possunt, eo quod si unica vice totum alimentum ad vitam necessarium assumerent, eorum calor, qui in extremo debilitatus est, ac perexiguus, suffocaretur; & ideo egent cibo crebro, & modico.

Verùm hæc Hippocratis authoritas nullatenus applicari potest mulieribus quinquagenarijs, præsertim validis, & robustis, de quibus loquitur Sanchez in sua opinione, sed procedit in decrepitis, & senio confectis tantum, quorum calor est pene extinctus. Et de his Galen. *ibi in Comment.* dicit: Tale patiuntur senes, quale lucernis penè extinctis accidit, quæ continuum exigunt olei suffectionem, multam autem, & subitam simul ne-
92 queunt sustinere. Et de his Aristotel. *in lib. de iuvent. & senectut. cap. 14.* (Propterea, inquit, quod paucum est calidum, velut plurimum evaporatum in multitudine vitæ, si qua utique intensio fiat particulæ, cito extinguitur, quemadmodum pauca, & momentanea in ipso flamma existente propter parvum motum extinguitur: Quapropter & sine dolore est, quæ in senibus mors nulla enim violenta ipsis passione cõtingente moriuntur, sed
93 insensibilis animæ absolutio fit omnino.) At verò in senibus non decrepitis locum habet præcedens Aphorismus Hippocratis 13. videlicet, Senes facillime jejunium ferunt, ut ibi in Comment. declarant Galen. & Philoth. asserentes posteriorẽ hanc Hippocratis sententiam non promiscue de quibuslibet senibus esse intelligendam, sed de illis tantum, qui extremam senectutem nõ attingunt. Idemque sentit Hollerius, qui Hippocratis verbum, *Gerontes* vertit senes non decrepitos.

94 Et in terminis excusationis a jejunio Ecclesiæ ita declarat Richard. de Media-Villa *in 4. dist. 15. art. 3. q. 4.* dicens ad jejunium non obligari nimium senem, idest decrepitos, quia propter debilitatem caloris indigent crebro refici, cujusmodi sunt regulariter qui septuagesimum annum complevernnt secundum Medicos. Et eum refert, & sequitur Sylvest. *in ver. Ieiunium, num. 18. vers. Richardus tamen.* Idemque tradunt S. Antonin. Rosell. & Tabiena relati supra *n. 79.* Et ex modernis Azor. ibidem citatus, qui de communi testatur, & Tolet. in *summ. lib. 6. cap. 4. num. 2.*

95 Præterea non est admittenda ea doctrina quod ætas, quæ in viris est sexagenaria, in fœminis sit quinquagenaria quoad jejunium, siquidem Doctores hanc differentiã non constituunt, nec probatur jure. Et contrarium colligitur ex Bulla Crucistæ, quæ ab exceptione ecclesiasticorum, & quarumlibet personarum regularium ab indulto vescendi lacticiniis, excludit personas sexagenarias nulla habita distinctione sexus. Nec valet responsio Sanchez, quod propterea in casu Bullæ à pari procedant mares, & fœminæ, quia Pontifices in eo casu certam ætatem tam viris, quàm mulieribus præfixerunt. Etenim ætatem illam summi Pontifices irrationabiliter omnibus præfixissent si naturaliter inter masculos, & fœminas in materia jejunii constituenda esset differentia decem annorum: atqui absurdum est Pontifices maximos id contra naturalem rationem sanxisse.

96 Nec refragatur quod mulieres fiant viris frigidiores; quoniam hinc potius infertur, ut sint magis obstrictæ ad jejunandum: nam ex caloris debilitate major pituita & crudorum humorum copia generatur; & propterea jejunium facilius ferunt; modico enim cibo diutius sustentantur, minusque sentiunt detrimenti ex media, quàm viri, quibus calor edax alimento deficiente humidum radicale depascit. Et hæc est ratio, ob quam multo plures fœminæ, quàm viri vitæ sunt, quæ naturaliter longum servaverunt jejunium. Nam ex
97 Alberto Magno plures sex, septem, & pluribus mensibus vixerunt sine ullo externo alimẽto. Inò relatum est à Dyno Medico, ut inquit Mercurial. *lib. 3. practic. c. 7.* mulierem quamdam suo tempore fuisse, quæ septem annis sine ullo appetitu, & cibis vixerat. Et quod est admirabilius, Conciliator *diff. 112. prope finem*, Certificatum inquit mihi per fidelem socium Joannem de Corceo Normandiæ cum alijs quam multis dicentem illic extare mulierem, quæ amodo per spatium triginta sex annorum nihil assumpsit.

98 Accedit quod cum in jejuniis jam ubique receptus sit usus refectionis loco cœnæ, certè alimẽto licet modico in refectione assumpto senes, & præsertim mulieres quinquagenariæ facilè possunt jejunium protrahere in sequentem diem absq; ullo corporali detrimento, quin potius cum utilitate. Hinc enim si qua superfluitas cumulata fuerit, per cœnæ omissionem vel à natura ipsa facilè accidere potest, ut rectificetur & in optimum alimentũ cõvertatur, prout in indigentijs natura ipsa face-

re consuevit, vel saltem evincatur, & per insensibilem transpirationem, vel aliàs ex corpore expellatur, ut dicunt Medici.

Nec obstat si dicatur: Si prædicta ratio attendenda esset, septuagenarii quoque tenerentur ad jejunia Ecclesiæ, cũ ipsi magis abundent flegmatibus, & humoribus crudis, & tamen communis sententia eos excusat. Etenim ut ex dictis cõstat in decrepitis, & constitutis in extremo senio diversa est ratio cum eorum calor ferè absumptus indigeat crebra alimenti suffectione.

99 Concludendo existimo licentiam morandi in sæculo cum voto simplici continentiæ, viro religionem profitente nullo modo esse concedendam uxori ante quinquagesimũ añum, quia in ea ætate deficit utraque qualitas requisita in hac decretali. Neque enim senex dici potest, cùm jure nostro ante quinquagesimum añum non incipiat senectus, ut patet ex dictis *num.* 23. & consequenter nec potest dici sterilis ea sterilitate quæ provenit ex senectute.

Sed nec post añum quinquagesimum puto ejusmodi licentiam concedendam esse indistinctè, ut habet secunda opinio; sed spectandum esse robur, & temperamentum corporis; item honestatem, & temperantiam vitæ; præterea qualitatem regionis, alicubi enim mulieres non raro concipiunt etiamsi post quinquagesimum añum, ut de Perusinis testes sunt Bald. & Angel. prælleg. *num.* 53. Præcipua autem ratio habenda erit quantum temporis intercesserit ab ultimo partu; non enim æque judicanda esset libera à fomite libidinis illa major quinquagenaria, quæ peperit in quinquagesimo año, atque illa quæ desiit parere in quadragesimo, secundum ea quæ dicta sunt supra n. 85. Quæ omnia cùm non omnibus mulieribus æqualiter contingant, arbitrio, & prudentia Episcopi singulis circumstantiis diligenter perspectis, dijudicandum erit an prædicta licentia sit concedenda, vel deneganda, ut tenet Anton. de Butr. in cap. 1. *num.* 5. *supra eod.*

DE CONVERSIONE Conjugatorum.

Cap. Conjugatus.

SUMMARIUM.

1 *Conjugatus non est ordinandus ad sacros ordines, nisi uxor continentiam promittat.*

2 *Quod si ordinari se fecerit, an uxor teneatur Religionem profiteri, an saltem cogi possit ad permanendum in clausura monasterij Monialium in habitu sæculari, ut vitentur scandala, & n. seq. usque in fin.*

3 *Professio tacita nunquam inducitur per declarationem habitus Novitiorum distincti ab habitu professorum distinctione patenti.*

4 *Novitius ante habitum Professorum susceptum potest liberè redire ad sæculum, nisi appareat eum voluisse vitam mutare, quod in dubio non præsumitur.*

5 *Novitius per delationem annalem habitus indistincti censetur tacitè professus præsumptione iuris, & de iure, nisi aliter fuerit protestatus.*

6 *Professio tacita de iure communi non inducitur quoad impuberes per annalem habitus delationem si habitus sit distinctus distinctione latenti, secus quoad puberes.*

7 *Idem si habitus sit indistinctissimus.*

8 *Uxor censetur se ad castitatem obligare, si vir de eius licentia sacros Ordines suscipiat.*

9 *Et quid si uxor ignoraverit quoad hoc iuris dispositionem.*

10 *Uxor, de cuius licentia vir ad sacros Ordines ascendit, si sit iuvenis, sive sit suspecta de incontinentia, sive non, tenetur Religionem solemniter profiteri, secus si sit senex, & non suspecta, quia sufficit votum castitatis in sæculo.*

11 *Intellectus cap.* Episcopus, 77. dist.

12 *Episcopi licentia an requiratur ad hoc, ut vir possit ad sacros Ordines promoveri, & uxor Religionem ingredi.*

13 *Coniugatus non potest ad sacros Ordines ascendere absque uxoris licentia, etiamsi matrimonium non fuerit consummatum; ac si ascendat, revocari potest ab uxore, & tenetur ei debitum reddere, sed exigere non potest, & num. seq.*

14 *Coniux invita uxore ordinatus, potest ab ea revocari etiam post sententiam divortij.*

15 *Uxor innocens, an post thori separationem habeat ius petendi ut sibi vir reconcilietur.*

16 *Uxor, quæ sciens viri ordinationem tacuit, & dissimulavit usque ad divortij sententiam, videtur ei licentiam dedisse, & iuri suo renunciasse.*

17 *Coniux non potest ad sacros Ordines ascendere uxore id ignorante, & non consentiente, etiamsi præcesserit sententia divortij.*

18 *Uxor, cuius vir sacris Ordinibus est initiatus ipsa ignorante, induci debet, sed cogi non potest ad professionem emittendã, aut ad perseverandum in clausura.*

---

1 CONJUGATUS. Conjugatus non est ordinandus ad sacros Ordines, nisi uxor continentiam promittat. Hoc dicit. Ex facto quæsitum est, Si conjugatus ad sacros Ordines promoveri se fecerit, An uxor teneatur Religionem solemniter profiteri, aut saltem cogi possit ad perseverandum in clausura alicujus Monasterii Monialium in habitu sæculari, ut vitentur scandala.

Catharina Cesia post divortium cum Marchione Julio de Ruuere ejus marito de licentia Gregorii XV. ingressa est monasterium Sancti Ægidii Urbis, ut ibi professionem emitteret, & habitum Novitiarum detulit per duos años. Interim Marchio in Presbyterum ordinatus est. Mox Catharina exivit è monasterio, ut iter in Germaniam pararet; donavit enim triginta millia scutorum pro monasteaio in illis partibus construendo, sed jussa à Sanctissimo in monasterium rediit. Intendit nunc iterum exire, ut creditur in Germaniam profectura. Princeps Sancti Angeli ejus frater petit ordinari, ut soror in clausura permaneat ejusdem, vel alterius monasterii.

2 Pro dubii solutione duo articuli videntur examinandi. Primus, An uxor sit cogenda ad clausuram tanquam professa. Secundus, an sit cogenda ad eam clausuram ob sacros Ordines à marito susceptos, & ad vitanda scandala.

3 Quoad primũ perquirendum esset, An in dicto monasterio habitus Novitiarum sit distinctus ab habitu Professarũ distinctione patenti in colore, scissura, vel forma, an non, si enim distinctus sit, & ipsa non assumpserit habitum, qui professis dari consuevit, non est locus tacitæ professioni, Clem. *Eos, de Regular.* quantocumque tempore steterit in Religione, Innoc. in c. *Ex parte, in princ. vers. Hic non erant distincti habitus, eodem titulo.* Unde Abb. Antiq. in c. *Consulti, num. 3. eod.* dicit se vidisse literas Papales absolutionis concessas cuidam monacho, qui talem habitum detulerat fere per decem annos, ut refertur per glos. in d. Clem. *Eos, in ver. Deinceps.*

4 Neque obstat text. in c. *Statuimus, de regular.* ubi Novitius ante habitum professiorum susceptum dicitur posse redire ad sæculum, nisi evidenter appareat, quod absolutè voluerit vitam mutare, & in Religione perpetuo Domino deservire. Nam aut sumus infra añum probationis; & ille textus non habet locum post Concilium Tridentinum, quo professio etiam expressa ante annum expletum non tenet, c. 15. *sess.* 25. *de Regular.* Aut sumus post annum; & tunc procedit quidem ille textus, quia quod non mutatur, &c. ita ut quamvis habitus sit patenter distinctus, & Novitius retineat habitum Novitiorum, adhuc tamen censeatur professus, si elapso anno evidenter appareat eum voluisse vitam mutare. Sed tamen hoc in dubio non præsumitur, ut deciditur in d. c. *Statuimus*, & tradunt ibi glos. & DD. communiter, signa autem evidentia mutationis recensentur per Jo. Andr. ibi: Hoc casu de his signis non videtur constare, quod enim ingressa fuerit monasterium, quod habitum Novitiorum susceperit, quod petierit, & obtinuerit licentiã profitendi, etiam invito viro, quod de bonis proprijs disposuerit, solum indicant propositum futurum profitendi, sed non demonstrant præsentem status mutationem, aliàs omnis Novitius elapso anno diceretur professus, quamvis habitum professorum non susciperet, quia unusquisque habitum Novitiorum suscipit animo profitendi Religionem, postquam eam probaverit; & tamen professio non inducitur habitu non mutato, nisi evidentia signa, &c. ut in d. Clem. *Eos*, & in c. *Statuimus.*

5 Sin autem habitus in dicto Monasterio sit indistinctus, idest communis tam Novitijs, quàm Professis, tunc uxor per delationem hujusmodi habitus ultra añum & tacitè professa præsumptione juris, & de jure, quæ non admittit probationem in contrarium, tex. est in c. 1. §. *fin.* ubi omnes notant, *de Regular. lib. 6.* & d. Clem. *Eos, eod. tit.* glos. in d. c. *Ex parte in ver. Per annum*, nisi fuerit protestata ante annum expletum, quia contra præsumptionem juris, & de jure admittitur hoc casu probatio per protestationem præcedentem, ut sentiunt in d. c. 1. Jo. Monachus *in ver. Præsumitur*, Prob. *in Addit.* Gemin. & Anchar. glos. in d. c. *Ex parte, in ver. Per annum*, & ibi communiter Canonistæ, & in d. Clem. *Eos.*

6 Sed & si habitus sit distinctus tantum distinctione latenti, ut benedictione, idem est ac si esset indistinctus quoad puberes. Nam cap. *Statuimus*, correctum est in hoc per Clem. *Eos*, ut ibi per

7 glos. *in ver. Deinceps*. Et Cardin. *n.* 2. & 3. Quod procedit etiamsi habitus sit indistinctissimus, idest communis Professis, Novitijs, & aliis ibi communem vitam ducentibus; quia quoad puberes inducitur tacita professio per delationem annalem, non secus ac si habitus indistinctus esset, licèt secus sit quoad impuberes, ut statuitur in d. c. 1. §. *final. de Regul. lib. 6.* Quandiu tamen non appareat de hujusmodi tacita professione sive ex delatione habitus, sive ex a[illegible]nis evidentibus, uxor ex hoc capite non videtur co[illegible] perpetuam clausuram, c. *Ad nostram*, c. *Super eo*, c. [illegible] *eam.* & c. *Consulti, de Regular.* c. *Non solum*, & c. *fin. eod. tit. lib. 6.*

8 Quoad secundum articulum [quæ est materia hujus Decretalis] tres casus videntur distinguendi: nam aut uxor expressè consensit, ut vir susciperet sacros Ordines, aut expressè contradixit, aut neutrum præstitit expresse, sed tacuit, & dissimulavit.

Primo casu ex hoc solo quod expresse consenserit, seu licentiam dederit viro sacros Ordines suscipiendi, censetur se voto Castitatis adstrinxisse, & caret usu conjugii, secundum Cardinalem *hic in fin.* per hunc tex. Gemin. in c. *Quia sunt, ad fin.* & ibi etiam Turrecr. *n.* 4. 28. *dist.* S. Antonin. *in 3. par. tit. 1. cap. 8. ad fin.* Sylvester *in ver. Matrimonium, 8. q. 12. vers. Tertium*, & docet S. Tho. *in 4. dist. 37. q. 1. art. 2. ad 2.* in quo consentiunt omnes tam

9 Theologi, quàm Canonistæ. Et quamvis glos. in cap. *Seriatim, in ver. Post mortem, 32. dist.* limitet hanc conclusionem ut procedat si uxor sciverit quoad hoc juris dispositionem, secus si ignoraverit, ejusque distinctioni adhæreat, Henr. Boich. in cap. *Uxoratus, n. 12. infra eod.* Angel. *in ver. Matrimonium. 4. n. 9.* & ex Recent. Sanch. *de matrim. lib. 7. disput. 39. num. 12.* Aliter tamen in hoc loquitur S. Bonav. *in 4. dist. 37. in expos. littera*, ubi ait. (Si uxor consentiat viro, ut Ordinem sacrum suscipiat, vel ut Religionem ingrediatur in conspectu personæ, per quam secundum formam Ecclesiæ posset fieri divortium; ipsa obligatur ad continẽtiam perpetuam cum viro, qui est ead. caro cum ipsa; nec excusatur per juris ignorantiam.) Hæc S. Bonaventura, quem refert, & sequitur Præpositus in d. c. *Seriatim. n. 5. dist. 32.* Et sanè cum corpus viri, ut ibi ponderat Præpositus, per sacrorum Ordinum susceptionem Deo fuerit perpetuò dedicatum de uxoris licentia, ejusque votum solemnizatum juxta c. *Unico, de voto lib. 6.* absurdum, & scandalosum esset, ut uxor vellet marito sacris initiato carnaliter commisceri hoc prætextu, quod ignoraverit se propterea ex juris dispositione voto continentiæ obstrictam esse.

10 Supposita autem hujusmodi licentia, & consensu, uxor non solum censetur se obligasse ad castitatem servandam in sæculo, verumetiam cum sit juvenis, cogi potest Religionem ingredi, & solemniter profiteri. Nam etiamsi magna sit altercatio inter Doctores An uxor, de cujus consensu vir ad sacras Ordines est promotus, teneatur solemnem professionem in monasterio emittere, ut hic in glos. 2. verior tamen, ac tutior sententia est, si mulier sit senex, & non suspecta de incontinentia sufficere votum simplex castitatis in sæculo: sin autem sit suspecta de incontinentia, aut si sit juvenis, ut hoc casu, sive sit suspecta, sive non, desiderari solemnem professionem; quod clarè constat ex Conc. Agathensi c. 16. & 17. relato in c. *Episcopus 77. dist.* cujus hæc sunt verba: (Sanè si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo Religione promissa, postea quam pariter conversi fuerint ordinentur.) Nec refert,

quod

quod glos. ibi in ver. *Religione*, & Turrecr. exponant ver. illud. Religione, idest castitate, & Hugo, Archid. & Præpos. pro Religiosa continentia, & ver. illud Conversi, exponatur ab Archidiacono, [illegible] hujusmodi expositio- idest ad pœnitentiam [illegible] litteræ. Unde Præpos. in c. *Si te*, nec in princ. vers. *Opinio Hostiensis*, 28. dist. dicit (pro hac opinione esse casum non cavillando litteram in d. c. *Episcopus*, ubi tex. vult, ut si sit juvenis debeat transire ad religionem, & expositio glos. Religionem, idest castitatem, ut dicit Præpos. est destructio textus, nec textus ibi distinguit an sit suspecta, vel non, sed ponderat tantum an sit juvenis; unde ex quo est juvenis, non debet remanere in sæculo.) Hæc Præpositus, qui cum hac sententia dicit transire Cardinalem, & Gemin. necnon Anton. de Butr. & Panorm. in hac Decretali; & fuit opinio Hostien. *hic ad finem*, ubi validissimam reddit rationem, quia sicut uxor profitentis, quæ est juvenis, compellitur transire ad religionem, ut est casus in cap. *Cum sis*, *supra eod.* & infra in cap. *Uxoratus*, & cap. *Ad Apostolicam*, ita & multò fortius uxor ordinandi, quia vir facilius poterit postea visitare illam si remaneat in sæculo, quàm potuisset si transisset ad religionem, & accedens ad uxorem fortè non habebit repulsam. Vix autem fieri potest, ut uxor juvenis viro assueta ex illius visitatione non adducatur in periculum incontinentiæ, cap. *Litteras, de fil. Presbyt. cap.* 1. & cap. *Clericos, de cohabit. cleric. & mulier.* Unde cum major sit ratio in uxore clerici sæcularis, quàm in uxore profitentis, ideò idem jus erit in utroque. Ita Hostien. cujus opinionem dicit propterea esse veriorem Præpositus in d. cap. *Si te, col. 2. vers. Opinio Hostiensis, 28. dist.* quam etiam sequitur Anton. de Butr. *hic in fin. vers. Sed mihi plus placet*, ubi reprobata dist. Jo. Andr. inter juvenem de incontinentia suspectam, & juvenem non suspectam; Non video, inquit, si mulier sit juvenis, qualiter non sit suspecta, quia mulieres sunt volubiles, ut Rota. Idem Jo. de Anan. *num. 1. circa finem vers. Ego nescio si posset inveniri mulier juvenis, & non suspecta.* Et hæc sententia secundum Præpos. ubi supra est etiam de mente S. Thom. *in 4. dist. 37. q. 1. art. 2. ad 2.* ubi ait, (Uxorem, de cujus licentia vir Ordinem sacrum suscepit, teneri perpetuam continentiam vovere; non tamen teneri religionem ingredi, si sibi non timeat de incontinentiæ periculo. Cujus doctrinam in hunc sensum intelligit, & receptam dicit Navarr. *in Manuali cap. 22. n. 52. in fin.*

12 Addunt quidam, ad hoc ut vir possit ad sacros Ordines ascendere, & uxor religionem ingredi, præter consensum conjugum desiderari etiam licentiam Episcopi per tex. in cap. *Si vir, & uxor*, divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat, 27. q. 2. Verum hoc non esse in præcepto, sed de honestate tantum, post Hugonem, & Laurentium tradit ibi Archid. *n. 1. super verb. Fiat*, Bellam. *num.* 1. Innoc. in cap. 1. *in glos. 1. supra eod.* & alii, quos ibi retuli *num.* 15. & de consuetudine observari, ut prædicta licentia non petatur, testantur ubi supra Jo. Andr. & Cardinal.

Itaque si hoc casu constaret maritum suscepisse Ordines sacros de consensu uxoris, etiam absq; licentia Episcopi, utique ipsa sive sciens, sive ignorans juris dispositionem, non solum obstricta esset ad servandum perpetuum continentiæ votum, sed etiam cum sit juvenis, cogenda esset ad religionem transire. Verum de hujusmodi consensu hactenus nihil apparuit; & quamdiu de eo non constat concludenter, non videtur cogenda ad jugum monasticæ servitutis, ut inferiùs dicetur in 3. *casu*. Et graviter corripiendus esset Episcopus, qui sibi non con constito de hujusmodi cõsensu, maritum ad sacros Ordines promovisset contra præscriptum sacrorum Canonum, & vir incidisset in pœnas Extrav. *Antiqua, de voto.*

13 Secundo casu explorati juris est uxorem cogi non posse ad professionem in monasterio emittendam, quia conjugatus non potest ad Ordines sacros promoveri absque uxoris licentia, ut hic patet, etiamsi matrimonium non fuisset consummatum, ut in d. Extravag. *Antiquæ, de Voto.* Ac si ordinatur ea contradicente, potest ab uxore revocari, & tenetur ei debitum reddere, licet exigere non possit, d. Extravag. *Antiq.* & ibi glos. *ult.* Item glos. in cap. *Agathosa, in ver. Deleas, 27. quæst.* 2. D. Thom. *in 4. dist. 37. qu. 1. art. 2. ad* 1. Petrus de Palude, *q. 1. art. 1. num.* 9. S. Anton. *3. p. tit. 1. cap. 8. ad fin.* Sylvest. *in verb. Matrimonium, 8. q.* 12. Navarr. *in Manuali c. 22. num.* 53. Quinimo idem juris esse in uxore, quæ cùm mortua crederetur, illius maritus fuit in Papam electus, & consecratus, tradit glos. in c. *Si quis pecunia, in verb. Non apostolicus, distinct.* 79. & ibi Archid. *ad fin.* Jo. Andr. Butr. Anchar. & Abb. *hic.* Ratio est, quia vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, secundum dicta ultimæ glos. in d. Extravag. *Antiquæ.* Et quia quod suum erat, scilicet debitum exigere, maritus vovere potuit, sed non alienum, scilicet non reddere, c. *Una, 33. q.* 5. quam rationem assignat glos. in d. c. *Agathosa, in ver. Deleas, 27. q. 2.*

14 Quæ conclusio procedit non obstante sententia divortij, quæ hoc casu proponitur lata inter virum, & uxorem: adhuc enim vir, qui uxore invita ascendit ad sacros Ordines, potest ab ea revocari, & tenetur ei debitum reddere, quamvis non possit exigere, ut post Laurentium tenet glos. in cap. *Ex litteris, in ver. Redire, de divort.* Goffredus *in summa tit. de Convers. conjugat. num.* 8. D. Antonin. *3. par. tit. 1. c. 21. §. 6. vers. Effectus accusationis*, Astens. *in summa 2. par. lib. 9. tit. 11. art. 5. in fin. & tit. 33. art. 3. casu 6.* Sylvester *in ver. Divortium, q.* 10. & *in ver.*
15 *Matrimonium, 9. qu.* 11. Ratio est, quia post thori separationem potest uxor innocens cogere maritum, ut sibi reconcilietur, secundum glos. in d. c. *Ex litteris*, quam communiter ibi DD. sequuntur. Et quamvis hæc ampliatio non transeat absque contradictione, & contrarium teneat Hugo relatus à glos. *ubi supra*, ac præterea multi eam limitent, ut non procedat quando post latam divortij sententiam uxor iñocens sæpius monita renuit conjugem sibi reconciliare, existimantes eo casu licere marito statum mutare, & ad sacros Ordines ascendere, vel profiteri etiam invita uxore, ut in c. *Gaudemus, infra eod.* tradunt Hostien. & Jo. And. *n. 3.* Butr. *ad fin.* Cardin. *q. 1.* & Anchar. *n.* 2. tamen in præsentia non est opus ejusmodi articulos discutere, quia non constat uxorem contradixisse ordinationi mariti: quinimo supponitur eam ignorasse, ut dicetur in 3. casu.

Tertio casu, idest quando uxor nec expresè consensit, nec contradixit ordinationi mariti, sed tacuit simpliciter, iterum subdistinguendum est; nam aut scivit maritum velle ascendere ad sacros Ordines

Ordines, & tamen tacuit, & dissimulavit, aut ig-
16 noravit. Si scivit, cum hoc casu supponatur præcessisse sententiam divortij inter virum, & uxorem, videtur licuisse marito statum mutare, & ad sacros Ordines ascendere absque uxoris licentia. Ratio est, quia cum uxor id sciverit, & non contradixerit, sed dissimulaverit usque ad divortij sententiam, videtur licentiam dedisse, ac juri suo renunciasse, arg. cap. *Agathosa, 27. qu.* 2. & tradunt S. Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 21. §. 6. vers. Effectus accusationis*, Jo. de Friburgo *in summa Confessor. lib. 4. tit. 22. q. 14.* Sylvest. *in ver. Matrimonium, 9. q.* 11. Tabien. *Matrimonium, 4. q. 5. n. 6.* Verum ex deductis non apparet de scientia uxoris; & quandiu illa nõ probetur, præsumitur ignorantia, ut in regula præsumitur, *de Regul. jur. lib. 6.* Unde ex hoc capite non videtur cogenda ad monasterium.

17 Sin autem ignoraverit viri promotionem, ut supponitur in facto, non obstante sententia divortii, ut proponitur lata, minime licuit marito ad sacros Ordines ascendere absque uxoris licentia. Ratio est, quia cum uxor iñocens habeat jus petendi, ut sibi maritus reconcilietur, non licet marito statum mutare absque beneplacito uxoris, ne juri illi acquisito inferat præjudicium. Sic docent S. Thom. *in 4. distinct. 35. quæst un. art. 6. ad 3.* S. Bonav. *ead. dist. art. unico, quæst. 5. ad 2.* Rosella *in ver. Divortium, num.* 11. Sylvest. *eod. ver. q. 10. & in ver. Matrimonium, 9. q.* 11.

18 Quæ cum ita sint, durum videtur uxorem, quatenus non sit tacitè professa, invitam compellere ad solemnem professionem in monasterio emittendam: nam etsi obtinuerint licentiam ingrediendi religionem, datus est tamen illi añus probationis in subsidium fragilitatis humanæ à SS. Patribus institutus, cap. *Ad Apostolicam, supra de Regular.* cap. *Non solum, eodem tit. lib. 6.* Unde quæ forte religionis austeritatem ferre non potuit, iniquum videtur, ut eidem perpetuò alligetur invita, ut per Oldrad. *cons.* 96. incip. *Numquid Monacham possit includere Papa contra suam voluntatem.* Satis enim inutile est, ut coacta servitia Deo præstentur, cap. *Illud, 20. q.* 1. Et quamvis in casibus à jure permissis possit quis cogi ad ingrediendum monasterium, ut innuit *cap. 18. sess. 25. de Regular.* Concil. Trid. puta propter delictum, juxta c. *Lapsis 16. q. 6.* vel si infantes à parentibus offerantur, ut 20. *q. 1. per tot.* tamen nemo invitus cogitur profiteri In regulæ enim observatione gravitas est, & labor, ut inquit glos. in c. *Ad nostram, in ver. Ante consummationem, de Regularib.* & servitus monachalis humana servitute districtior est, cap. *Multos, 54. dist.* Abb. *cons. 8. Videtur, in princip. versic. Censetur enim, lib.* 1. Imo Navarr. *cons. 39. num. 2. de Regular.* dicit non posse Summum Pontificem tam grandia præcipere, arg. cap. *Integritas, 32. q.* 1. & cap. *Gesta*, juncta glos. *in ver. Crescere, 74. dist.* Et est ratio, quia cum consensus in matrimonio tam carnali, quàm spirituali exigatur jure naturali, & divino, ab Ecclesia suppleri non potest, cap. *Præsens, 20. q. 3.* cap. *Licet, de Regular.* Abb. in c. *Venerabilem, num. 21. Qui filij sint legitimi.* Sylvest. *in ver. Religio, 3. num.* 12. Quare qui sine justa causa offensionis causa sunt intromissi, nisi volentes nõ teneantur, quia quod nõ petunt, nõ observant, ideoq; tales considerandi sunt magis peccata cõmittere, quàm plangere, ut legitur in Synodo Eugenij II. *c. 32.* relato in c. *Sicut, ead. caus. & quæst.*

Quod si dicas; Uxor cogatur esse in monasterio absque professione; ergo monasterium erit ei carcer, & pœna ubi non est culpa, contra cap. *Si Compromissarius, §. final. de elect.* & contra naturalem rationem. Præterea cùm se voto castitatis expresè, aut tacitè non adstrinxerit, & obedierit præcepto Apostoli *ad Corinth.* 7. (Propter fornicationem unusquisque suam uxorem, & unaquæque virum suum habeat, &, Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu, & ad tempus.) cap. *Sunt, §. His ita respondetur, 32. q.* 2. & melius ei fuerit nubere, quam uri, secundum Apostolum, ibid. Iniquum esset, ut absque facto, & culpa sua privaretur jure conjugii, quod ad concupiscentiæ remedium justo titulo acquisivit. Idcirco enim à sacris Canonibus statutum est, ut vir, qui sine uxoris consensu ad religionem transivit, aut sacris est initiatus, possit ab ea quandocumque revocari ad consortium conjugale, ut in c. 1. c. 2. & ferè per tot. hunc tit. ne scilicet illius conversio uxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, ut legitur in d. c. *Agathosa, 27. q. 2.* Ita ut propterea Abb. in c. *Quidam, in 1. not. ab. nu. 2. supra eod.* dixerit, uxorem posse vendicare maritum, adjecta etiam conditione de jure divino. Imo in d. Extravag. *Antiqua, de voto*, Vir, qui post sponsalia de præsenti absque licentiâ sponsæ aliquem ex sacris Ordinibus suscepit, jubetur sponsa ejus instante compelli per censuram ecclesiasticam ab Episcopo Diœcesano contractum matrimonium consummare.

Neque vero hac in re ulla habenda erit ratio scandali, si quod inde exoriretur, quia esset Pharisæorum, non pusillorum, & ideo non timendum *Matth.* 15. & tradit Navarr. *cons. 87. de Regular.* & D. Thom. *in 2. 2. q. 43. art. ult.*

Placeret ut uxor, etiam nomine Sanctissimi admoneretur, & induceretur ad religionem profitendam, vel saltem ad perseverandum in clausura alicujus monasterii in habitu sæculari juxta cons. glos. in d. c. *Si quis pecunia, in ver. Non Apostolicus, 79. dist.* Quod si nulla ratione induci queat, quamdiu non probetur aut tacitam professionem emisisse, secundum ea, quæ dicta sunt *num. 3. & seq.* aut licentiam dedisse viro ad sacros Ordines ascendendi, juxta dicta *num. 6. & seq.* aut saltem scivisse illius ascensum, & non contradixisse, juxta *n.* 15. nullatenus videtur cogenda, cum invitæ non sit continentia indicenda, cap. *Ante triennium*, ibi: Durum mihi, atque incompetens videtur, ut qui usum ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem ante promisit compellatur ab uxore sua separari, atque per hoc (quod absit) deterius cadat, 31. *dist.* nec monasterium debeat esse locus carceris ei, quæ nihil peccavit, & est potius digna commiseratione.

DE CONVERSIONE Conjugatorum.

Cap. Ex publico.

SVMMARIVM.

1 SPonsa de præsenti non cognita, quæ dicit religionem ingredi velle, compellitur infra certum tempus religionem profiteri, vel adhærere marito, & n. 10.

2 Causæ matrimoniales tractatus, & cognitio ad Episcopum pertinent.

3 Sponsa de præsenti potest compelli per censuras ecclesiasticas ad matrimonium consummandum, & mutuam cohabitationem.

4 Et cogi potest præcisè, & adduci ad domum viri.

5 Coitus primus inter conjuges non est gratuitus.

6 Sponsus etiamsi fieret Papa, nec alias religionem intraret, teneretur matrimonium consummare.

7 Vxor non cognita etiam invito viro potest ad religionem transire, licet inter eos discordia præcesserit.

8 Excommunicatus pro manifesta offensa non absolvitur cum cautione, sed satisfactione præmissa, nisi satisfactu concernat spiritualia, & n. seq.

9 Professio fieri non debet ab excommunicato, sed facta tenet.

10 Sponsa de præsenti volens ad religionem transire, præstare debet cautionem saltem juratoriam, quod infra duos menses transibit, vel adhærebit marito.

Et quæ sint rationes, num. 13.

11 Et an hoc tempus duorum mensium detur ad profitendum, an vero ad ingrediendum religionem, & n. seq. usque ad n. 27.

13 Matrimonium ratum non solvitur per ingressum religionis, nisi sequatur professio.

15 Copula carnalis complet translationem corporis unius conjugis in potestatem alterius, & uterque intrat in potestatem sibi traditæ potestatis, & num. 51.

16 Sponsa de præsenti ingrediens religionem sine licentia sponsi non habet nisi duos menses ad profitendum, sed si cum licentia, habet integrum annum, quo elapso intelligitur tacitè professa.

Et quid in Ordinibus Mendicantium, n. 19.

Et quid post Concilium Tridentinum num. 24. & num. 36.

17 Sponsa ingrediens religionem sine licentia viri an lapsis duobus mensibus tacitè professa intelligatur.

18 Matrimonium non consummatum, solvitur per professionem tacitam sicut per expressam, & num. 37.

20 Coniuges in multis casibus sine culpa, sed non sine causa continere coguntur.

21 Vxor tenetur maritum cruce signatum expectare quantiscunque annis absuerit, licet voto peregrinationis maritus non consenserit.

22 Sponsa ingrediens religionem non Mendicantem sine licentia viri de iure censetur anno probationis renunciare.

23 Matrimonium post lapsum est in remedium concupiscentiæ.

24 Anno probationis etiam in Ordinibus non Mendicantium post Concilium Tridentinum renunciari non potest.

25 Decretum irritans in aliqua dispositione appositum operatur, ut pars non possit illi renunciare.

26 Bimestre tempus, quod datur conjugi ad intrandam religionem, currit à die præfixionis facta à judice.

27 Sponsa de præsenti si fuerit violenter cognita à marito, an possit ipso invito ad religionem transire, latè discutitur, ut num. seqq. usque in fin.

28 Delinquent non debet esse melioris conditionis, quam non delinquens, & num. 43.

29 Corrupta violenter perdit virginitatem, non tamen eius beneficium quantum ad Deum, & n. 55.

31 Lex promulgationis requirit factum, non voluntatem, & num. 54.

32 Sponsus de præsenti an licitè possit sponsam rapere, & vi corrumpere.

Quid si sponsa non excipiat se velle ad religionem transire, num. 33.

Et quid si excipiat, sed lapsi sint duo menses, vel annus probationis, num. 35. & 36.

Et quid si tempus huiusmodi nondum sit elapsum num. 38.

33 Maritus peccat vim inferendo sponsæ, nisi prius adhibeat diligentias ad eam dissuadendam.

34 Exceptio regulariter non prodest nisi opponatur.

38 Sponsus, qui infra bimestre sponsam de præsenti violenter cognoscit, multiplicitèr delinquit, & num. seqq. usque ad num. 45.

39 Sponsa per vim defloratæ perditi privilegium virginitatis, & consequenter consecrationis, & aureolæ, & num. 55.

40 Religiosam licet non professam opprimens est sacrilegus, & excommunicatus.

41 Et impediendo religionis propositum est excommunicandus.

42 Maritus rapiens, & vi corrumpens uxorem non incidit in Constitutionem Si quis in tanta, sed aliter punitur.

44 Satisfactio vitiosè præstita non dicitur præstita.

45 Sponsa de præsenti cognita à marito per cautionem conditionalem non potest eo invito ad religionem transire.

46 Matrimonium consummatio requirit consensum saltem inclusum in cautionem conditionali, & num. 49.

47 Caro non potest dici corrupta, nisi mens prius corrupta fuerit.

48 Corpus mulierum non vitiat actus, sed voluntas.

49 Matrimonium consummatum repræsentat unionem Christi cum Ecclesia per carnem, & sortitur effectum à iure divino, & indissolubilitatem.

50 Sacrum annulum quod est vel alterius rei signum, illius debet esse simile.

51 Ad matrimonij consummationem requiruntur consensus animorum, & commixtio corporum.

52 Vis præcisa impedit consummationem matrimonij tam spiritualis, quam carnalis.

53 Vir, & mulier per copulam fornicariam non efficiuntur una caro.

55 Corrupta violenter inter virgines consecrari non potest.

1 EX PUBLICO. Sponsa de præsenti non cognita, quæ dicit religionem ingredi velle, compellitur infra certum tempus religionem profiteri, vel adhærere marito; hoc dicit Jo. And. Butr. Card. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. Prima pars narrat factum. Secunda, ibi, *Caterum*, mulieri petenti dat judicem. Tertia solvit obstaculum, ibi, *Sanè*.

2 Nota primò, ibi, *Cum Veronensis Episcopus*, tractatum, & cognitionem causæ matrimonialis ad Episcopum pertinere. Ad hoc Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 20. §. Adhæc*, de quo dic ut scripsi in cap. *Accedentibus, à num. 2. infra de excess. Prælat.*

3 Secundò nota, ibi, *Quod cum renueret, fuit vinculo excommunicationis astricta*. Sponsam de præsenti posse compelli per censuram ecclesiasticam ad matrimonium consummandum, & mutuam cohabitationem. Ad idem cap. *Litteras, §. Porrò, de restitut. spoliator.* & cap. *Inquisitioni de sentent. excommunic.* quinimo cogi potest præcisè, & adduci ad domum viri, ut concludit Abb. in dict. cap. *Litteras, num. 29.* dicens ita consuluisse Cardinalem, Et sic primus coitus non est gratuitus, quia statim post consensum mutuum de præsenti tenetur reddere debitum, ut notat glos. 2. in cap. *Coniuges, 27. q. 2.* Goffred. & Hostien. *hic num. 4.* Cardin. *in 2. not. ab.* & Abb. *num. 1.* Quinimo ut inquiunt Archid. & Bellam. in c. *Desponsatam, nu. 4. eadem caus. & q.* Si Papa fieret, nec alias intraret religionem, teneretur matrimonium consummare, quia ex quo matrimonium tenuit, consummari debet, & ad hoc est compellendus is, qui renuit, nisi intra tempus religionem intraverit, ut in hoc cap. nulla alia exceptione obstante, ut patet in cap. 2. *de coniug. leprosor.* Ad quod etiam facit cap. *Ex parte, vl secundo, §. Porrò, infra eodem*, ibi, nisi se voto adstrinxerit ad observantiam regularem, quem solum casum excipit illa littera secundum Archidiac. *ubi supra.*

4 Tertio nota, ibi, *Si prædictus vir eam carnaliter non cognoverit*. Ante matrimonium consummatum licere uxori etiam viro invito ad religionem transire, licet inter eos discordia præcesserit; & sic nō potest objici uxori, quod hoc faciat levitatis causa, sicut potest objici Monacho de una ad aliam religionem transire volenti, ut cap. *Licet. supra de Regular.* & bene *hic* per Abbat. *in 4. not.*

5 Quartò nota, ibi, *sufficienti cautione*, excommunicatum pro manifesta offensa in spiritualibus absolvi cum cautione. Et sic limita text. in c. *Ex parte, in fin. de verb. signif.* & in cap. *Venerabilis, de sentent. excomm. lib. 6.* ubi patet excommunicatum pro manifesta contumacia non debere absolvi, cum cautione, sed satisfactione præmissa. Hæc enim jura limitantur communiter à DD. ut non procedant quando implementum satisfactionis, & purgatio cōtumaciæ concernit spiritualia, prout contingit in casu hujus Decretalis, quia non erat honestum ut hæc mulier excommunicata pro manifesta contumacia intraret religionem, licet professio valeret, ut est textus notab. in cap. *Cum illorum, de sentent. excomm.* Collige igitur regulam, quod ubicunque excommunicatus debet exercere aliquid spirituale, potest absolvi ante satisfactionem, ne contingat eum excommunicationis vinculo ligato datum spiritualia attentare. Quæ declaratio fuit Abb. Antiq. *hic num. 1.* & eam postea sequuti sunt Jo. Andr. *n. 3. circa med. verf. Et notatur per hoc*, Butr. *num. 5.* Cardin. *num. 2.* Anchar. *num. 8.* & Abb. Siculus *num. 11. verf. Sed contra hoc*. Eandem declarationem posuit Innocen. in cap. *Pro illorum, num. 5. de proben.* cum quo concordant ibi, Abb. Antiq. *num. 3.* Host. *num. 8.* Jo. And. *num. 15.* & communiter DD.

6 Ultimo nota, ibi, *Ad virum suum redire infra duorum mensium spatium*, quod viro petente, ut sibi uxor exhibeat maritalem affectum, & reddat debitum conjugale, & uxore excipiente se velle ad religionem transire, debet uxor præstare sufficientem cautionem, quod infra duorum mensium spatium, vel ad religionem transibit, vel ad virum suum redibit, ut in littera. Et licet alias nomine sufficientis cautionis intelligatur datis pignoribus, vel fidejussoribus, l. *Si mandato. §. ultim. ff. Mandat.* tamen si uxor non posset præstare nisi juratoriam, judex deberet eam admittere, ut est text. in cap. *Per vestras, infra de donat. inter vir. & uxor.* & in auth. *Generaliter, C. de Episcop. & cler.* & in regula *Ad impossibile, de regul. iuris lib. 6.* & concludunt *hic* Hostien. *num. 3.* Abb. Antiq. *num. 1.* Abb. Siculus *num. 11.* & alii communiter, & sentit glos. *in ver. Sufficienti*, dicens in hoc casu id esse arbitrarium judici per cap. *Quantum am 24. dist.* & adde quod in proposito scripsi in cap. *Odoardus, num. 69. supra de solut.*

7 Sed hic incidit dubitatio, nunquid hic terminus duorum mensium assignetur conjugi ad profitendum, an verò ad ingrediendum religionem.

8 In hoc articulo tres sunt scribentium opiniones. Prima opinio est Innocentij *hic in verb. Duorum*, qui tenet hunc terminum non dari sponsæ ad deliberandum, an velit redire ad sponsum, vel transire ad religionem, sed ad religionem probandam, ita ut non habeat amplius tempus probationis, sed lapsis duobus mensibus statum profiteri cogatur, licet Episcopus ex causa possit hunc terminum prorogare, & restringere. Rationem reddit Anchar. *hic num. 4.* quia cùm hoc spatium duorum mensium hic detur ad transeundum ad religionem, hujusmodi transitus debet intelligi cum affectu, videlicet ut ingrediatur, & profiteatur: nam per simplicem ingressum non esset sponso plenè consultum, qui forsan juvenis est, nec potest diutius expectare, & continere: Et hæc causa forte movit Pontificem ad restringendum terminum unius anni, qui regulariter datur ad religionem probandam, ut in cap. *Ad Apostolicam. Supra de regular.* Similiter Abb. *hic num. 11.*

9 *circa finem verf. Et advertè*, dicit hunc terminum duorum mensium non dari solum ad intrandum religionem, sed etiam ad profitendum, quia text. debet intelligi de ingressu religionis cum effectu, alias non esset sufficienter provisum sponso, cùm non posset transire ad secundas nuptias, nisi sponsa profitente, quia ante illius professionem non dissolvitur matrimonium, ut notatur in cap. Sanè *supra eod.* & subdit hoc apertè sentire glossam hic, quam notant, & communiter tenent Doctores. Idem firmant Jo. Andr. in c. *Quæ contrariis num. 12. verf. Sed dices, de regul. iuris lib. 6.* & post eum Henric. Boich. in cap. *Vxoratus, num. 4. eodem verf. infra eod.* Gemin. in cap. *fin. num. 8.* & ibi etiam Præpositus. *num. 4. circa med. verf. Procedunt præmissa, 55. distinct.* Summa Tabiena *in verb. Matrimonium, tertiò, verf. Quod tempus*, & Navarr. dicens communem *in Manuali, c. 16. num. 27.*

14 Secunda opinio primæ opposita est Hostien. *hic num. 4. in verb. Infra duorum*, qui tenet tempus bimestre dari ad deliberandum de religionis ingressu, non autem ad profitendum, & dicit opinio-

nionem Innocentii esse contra hunc textum, qui non loquitur de professione, sed de transitu ad religionem; nec sibi placet ut uxor statim elapsis duobus mensibus profiteri cogatur; imo secundum eum habebit añum integrum ad probandum religionem, & profitendum, qui sine magna, & urgenti causa à judice arctari non potest. Et cum hac opinione, quam recitat ultimo loco, videtur transire Anton. de Butr. *hic n. 12.* & eam probant Sanct. Antonin. *3. par. tit. 1. cap. 21. §. 1.* Summa Armilla *in verb. Divortium, num. 5.* Petr. de Palud. *in 3. sent. distinct. 27. q. 3. art. 2. concl. 2. num. 14.* Sot. *eadem distinct. 27. quæst. 1. art. 4. vers. At verò si infra,* & veriorem dicit Thom. Sanchez *de matrim. lib. 2. q. 24. num. 4.* & communem Basilius Pontius *in tit. de dissolut. vincul. & divort. cap. 9.* Et videtur ex
15 mente D. Thomæ *in 4. sent. d. dist. 27. q. 1. art. 3. q. 2.* Ad secundum, ait enim: [Ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius, sed sub conditione, si interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet: sed per carnalem copulam completur d. translatio, quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem sibi traditæ potestatis; unde etiam ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post matrimonium contractum per verba de præsenti; sed datur ei tempus duorum mensium propter tria; Primò, ut interim possit deliberare de transeundo ad religionem. Secundò, ut præparentur quæ sunt necessaria ad solemnitatem nuptiarum. Tertiò ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit dilectam.) Hæc Sanctus Thom.

16 Tertia opinio media sic distinguit: Aut sponsa transit ad religionem sine licentia sponsi: Et non habebit tempus probationis nisi duorum mensium, & in hoc primo casu intelligitur hoc cap. Aut transit de illius voluntate: & sponsus tenetur expectare usquequò sit elapsus añus probationis, quia ex quo assensum præbuit ingressui, videtur consentaneum ut habeat tempus ordinarium. Ita distinxit glos. unica in c. *Desponsatam, 27. q. 2.* quam glos. approbant Goffred. & Philipp. in cap. *Consulti, de regular.* & post eos Archidiac. & Bellamer. in d. cap. *Desponsatam, in princip.* & sentit glos. *hic in verb. infra duorum,* dum ait: [Uxori transeunti ad religionem non dabit Episcopus tempus probationis, nisi maritus consentiat.) Et satis est, ut consentiat ingressui, ut dicunt quidam, quos tacito nomine recenset Joan. Andr. *hic num. 8. circa finem vers. Et ubi consentiat.* Et concordant *hic* Cardin. *in 6. q.* ubi concludit cessante consensu mariti, tempus duorum mensium dari uxori, non simpliciter ad deliberandum, sed ad ingrediendum cum effectu, ita ut elapsis duobus mensibus cogatur uxor non professa redire ad virum, & nō rediens excommunicabitur. Et Petr. de Anchar. *num. 10.* ubi advertit text. nostrum loqui in casu, in quo sponsus petebat sponsam, & contradicebat ingressui, quo casu annalis dilatio coarctatur ad duos menses, ut in littera. Si autem sponsus consensisset ingressui, tunc sponsa haberet probationis añum, quo elapso intelligeretur tacitè professa, cap. *Statuimus, supra de regular.* Ita Anchar. qui amplius putat etiam in primo casu, in quo sponsus contradicit ingressui elapsis duobus mensibus post ingressum induci professionem tacitam, quasi per assumptionem habitus cum perseverantia professio inducatur, sicut per lapsum anni, ut sic dilatio ex causa limitata eundem producat effectum, quem dilatio integra, arg. l. *Sive pari, C. de dilation.* quod est contra Innocen. Cardin. & alios supracitatos, *num. 12.* qui dicunt elapsis duobus mensibus sponsam esse compellendam per excommunicationem ut vel profiteatur, vel ad vi-
18 rum redeat. Et sic supponunt eam non esse tacitè professam, aliàs non posset cogi ad virum redire, quia matrimonium non consummatum solvitur per professionem tacitam, sicut per expressam ut est tex. clarus in Extrav. *Antiquæ Io. XXII. circa fin. de voto.* Eandem distinctionem sequitur Jo. Brunellus *de sponsalib. concl. 3. num. 2. inter Tractatus communes, vol 16. fol. 32.*

19 Sed nos credimus has opiniones omnes in terminis juris comunis esse conjungendas, & distinguendum inter Ordines Mendicantium, & non Mendicantium: Nam si alter conjugum velit ingredi religionem Mendicantium, habebit annum integrum ad profitendum, sive alter consentiat ingressui, sive non. Et in hoc casu putamus veram esse secundam opinionem Hostien. & sequacium, de qua supra *num.* 14. quia annus probationis in Ordinibus Mendicantium etiam de jure breviari, seu restringi non potest, ut est tex. in cap. *Non solum, de regular. lib. 6.* & ob hanc rationem Jo. de Anan. *hic num. 6.* dubitat de veritate opinionis Innocentij in Religionibus Mendicantium. Quare cum tex. noster det duos menses sponsæ, ut transeat ad religionem, intelligā hæc verba secundum propriam significationem de ipso ingressu, non autem de professione, ut vitetur juris correctio,
20 ad c. *Cum expediat, de elect. lib. 6.* Nec obstat quod per hanc annalem expectationem conjux qui remanet in sæculo, subsit periculo lapsus carnis. Quia tu responde ut notatur in cap. *Quoniam frequenter, §. Porrò, vers. Si autem, supra, ut lit. non contestat.* ibi: eo nequaquam obstante, quod de lapsu carnis posset opponi, quoniam in conjugio multi casus occurrunt, in quibus conjuges sine culpa, sed non sine causa continere coguntur, &
21 plures ibi enumerat glos. *in verb. Multi casus.* Et ultra illos maritum Cruce signatum tenetur mulier expectare quantiscunque annis abfuerit, licet voto peregrinationis mariti non præbuerit assensum, ut est text. in cap. *Ex multa, §. In tanta, infra de voto:* Ergo multò fortiùs tenetur per annum expectare ingredientem religionem, cùm hoc votum vincat illud peregrinationis, cap. *Scripturæ eod. tit.* quod considerat Jo. Brunell. *de sponsal. d. conclus. 30. n. 2. vers. Nec obstat quod per illam exceptio-*
22 *nem.* Sin autem sponsa transire velit ad ordinem non Mendicantium, tunc si remanens in sæculo non consentiat ingressui, cogetur illa infra duos menses profiteri, quia cùm voluerit religionem ingredi, & religio eam recipere, sponso contradicente, censetur uterque renunciasse año probationis, quod fieri poterat de jure in Ordinibus non Mendicantium, c. *Ad Apostolicam,* & cap. *Statuimus, de regular.* juncto d. cap. *Non solum, eod. tit.*
23 *lib. 6.* Et cum valde sit verisimile Summum Pontificem voluisse coarctare añum probationis ad duos menses favore sponsi, ut advertunt DD. durum esset eum, qui forte juvenis est, expectare debere per 14. menses, duos scilicet, qui dantur sponsæ ad ingrediendum, & duodecim qui dantur ad profitendum, & ex quo ad hoc nulla nos com-
pellit

pellit necessitas, cùm annus probationis ex causa restringi possit in Ordinibus Mendicantium, ut dictum est: inconveniens esset eum adducere in periculum incontinentiæ, cum matrimonium post lapsum sit in remedium concupiscentiæ, & in subsidium fragilitatis humanæ, cap. *Nuptiarum, 27. quæst. 1.* cap. *Quicquid, 32. quæst. 2.* glos. in Extravag. *Antiquæ, Io. XXII. in verb. Efficax, de voto:* nam secundum Apostolum, 1. ad Corinth. 7. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat;* & infra: *quod si non continent, nubant, melius est enim nubere, quàm uri,* cap. *Sicut, §. His ita respondetur, 32. quæst. 2.* Optimè facit text. in cap. 1. cum multis seqq. 32. q. 5. Si verò sponsus consenserit ingressui, tunc non est inconveniens, ut expectet donec labatur integer añus probationis: nam quilibet renunciare valet ei, quod pro se noscitur introductum, dicto cap. *Statuimus, supra de Regular.* ad hoc cap. *Nolle,* ibi, Nisi amborum consensu, 30. q. 1. & cap. *Quod Deo pari, 32. qu. 5.* cum similibus. Facit regula l. 1. §. *Usque adeò, ff. de iniur.* & l. *Nemo videtur, ff. de regul. iuris.*

Sed hodie cessant hujusmodi distinctiones, quia ex Concilio Tridentino *sess. 25. de Regular. c. 15.* juncto *cap. 22.* in quacumque religione tam Mendicantium, quàm non Mendicantium nulla est professio facta ante añum probationis expletum; ac proinde ex Sacræ Congregationis sententia año probationis amplius renunciari non
25 potest; ea enim est natura decreti irritantis in aliqua dispositione appositi, ut pars non possit tali dispositioni renunciare, cap. *Dilecta, circa finem, vers. Nisi fortè, de præben.* & ibi notat gloss. *in ver. Huiusmodi clausula,* Hostien. *num. 14. in eod. verb.* & apertius Abb. *d. num. 14.* gloss. in cap. *Dispendia in ver. Processus, de rescriptis, lib. 6.* & alii, quos copiosè cumulat Anton. Gabr. *commun. conclus. lib. 6. in tit. de clausul. concl. 3. num. 18.* Quare sive maritus consentiat ingressui, sive contradicat, uxor non cognita habebit añum integrum ad probandam religionem, nec antea poterit validè professionem emittere; Consilium enim censetur revocare voluisse quicquid jure antiquo de breviori tempore probationis constitutum erat; quod etiam advertit novissimè Basil. Pontius *de matrim. in tit. de dissolution. vincul. & divort. cap. 9. num. 2. vers. Idque hodie multò magis,* ubi etiam refert duas declarationes Sac. Congregationis.

26 Non tamen admittimus quod ibi ait D. Basilius duos menses esse computandos de jure à die contracti conjugii: imo enim ex communi Canonistarum sententia computari debent à die præfixionis factæ à judice, ut notat glos. *hic in verb. infra duorum,* Hostien. *num. 4. in eod. verb.* Card. *quæst. 7.* & reliqui omnes, & satis colligitur ex hoc textu dum mandat Episcopo, ut recipiat ab uxore sufficientem cautionem, quod infra duos menses vel ad religionem transibit, vel ad virum redibit: ex hoc enim patet ad hoc prærequiri ministerium hominis; ac proinde terminum non posse currere ipso jure à die celebrati matrimonii, sed à die præfixionis termini, arg. l. *Quamdiu, la seconda, ff. de acquir. heredit.* cum similibus, ut dixi in cap. *Cum sit ars, num. 45. & 46. de ætat. & qualitat.*

27 Ulteriùs dubitatur cùm hic textus dicat sponsam de præsenti posse ad religionem transire, si sponsus eam carnaliter cognoverit; quid si eam cognoverit violenter?

28 In hoc quoque articulo sunt variæ opiniones Doctorum, de quibus per Joan. Andr. *in reg. quæ contra ius, de reg. iur. lib. 6. in Mercurialib.* ubi post prolixam disputationem videtur sequi opinionem Bartholomæi Brixiensis *in quæstion. Dominical. 80.* incipien. *Aliquis per verba de præsenti, inter Tractatus communes vol. 17. fol. 48.* qui tenuit sponsam vi oppressam ingredi posse religionem invito sponso, ut delinquens sit melioris conditionis quàm non delinquens. cap. *Eum qui, de præben. lib. 6.* l. *Non fraudantur, §. Nemo, ff. de reg. iur.* l. *Servus, ff. Quod vi aut clam.* Idem voluit glos. in cap. *Si evangelica, 55. distinct.* & ibi Archidiac. *num. 6.* Gemin. *num. 7. & 8.* & Præpos. *num. 4.* Ant. de Butr. in cap. *Verum, num. 3.* & ibi etiam Abb. *num. 9.* & Jo. de Anan. *num. 4. supra eodem,* Felin. in cap. *Causam quæ, num. 4. in fin. de probationib.* Angel. *in verb. Matrimonium, 3. num. 7.*
29 Sylvester *in verb. Divortium, qu. 5.* Angel. de Perusio *in l. 1. §. Removet, num. 2. ff. de postulando,* ubi ait, corruptam violenter perdere virginitatem, licèt nō ejus beneficium quantum ad Deum, Hippolyt. de Marsil. in l. 1. §. *Præterea, num. 15. ff. de quæstionib.*

30 Contrarium voluit Hostien. *in summa hoc tit. §. Et utrum possit exire, vers. Quid si virgo,* ubi quærit quid si virgo erat, & dum properabat ad monasterium ingrediendi causa, maritus eam secutus est, & violenter defloravit? ipsa verò cum evasisset, nihilominus intravit: certè, ut ipse ait, reddenda est marito, qui jure suo usus est, argum. cap. *Cum Ecclesia Vulterana, in fin. supra de election.* Neque enim ideò quia coacta fuit mulier prima nocte, & invita cognita, matrimonium non consummatum judicabo, quia negari non potest quin una caro effecti sint Sacramento matrimonii præcedente, cap. *Ad Apostolicam, infra eod.* cap. *Si Paulus, 32. q. 5.* & ex quo cognoscitur, præsumitur consentire, cap. *Insuper qui matrim. accusar. poss.* Nec obstat quod perinde sit, ac si non fuisset cognita, cap. 1. *cum quatuor cap. seqq. 32. qu. 5.* quoniam illa sunt intelligenda quantum ad salvationem animæ; secundum Hostien. & concordant. Jo. de Ancona *in summa hoc tit. §. Quid si virgo,* & Henric. Boich. dicens hoc verius videri in cap. *Exoratus, num. 3. infra eod.* & Sylvester *in verb. Luxuria, q. 6. num. 6. vers. Adde ex Hostien.* Fr. Jacobus, & Guido in suis disputationib. relati à Jo. Andr. *in d. reg. Quæ contra in princip.* Jo. de Deo relatus à Butr. in cap. *Verum, num. 3. supra eodem.* Idem voluit Bald. in cap. *penult. num. 8. de probationib.* ubi ait: Si puella est cognita etiam per vim, non potest suum spoliare maritum contraria vi, & propria auctoritate, nec potest ingredi monasterium, quia gloria virginitatis non est in ipsa. Ad hoc facit secundum Barthol. Brixiensem, quia lex promotionis respicit factum, non voluntatem, cap. *Si quis non natum. 15. q. 1.*

31 Ideoque quantum ad legem promotionis nihil prodest ei, qui oculum invitus amisit, d. c. *Si evangelica, 55. distinct.* Unde à simili sola carnis commixtio videtur spectanda. Idem tenuerunt Petr. de Palude *in 4. sentent. dist. 28. quæst. 3. col. 4.* Durand. *ibidem, distinct. 27. quæst. 2.* S. Antonin. *in 3. par. tit. 6. cap. 21. §. 1.* & Ægid. de Eghindelbertis, *in q. 3.* post disputationes Pauli de Eleaza-
riis,

rijs , cum quibus videtur transire Covarr. in *Epitom. de sponsalib. 2. par. relect. cap. 7. §. 4. num. 10.* Sotus *in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 4. vers. Quid autem turo.*

In hoc opinionum conflictu tu considera: nam utriusque partis auctores vim constituunt in hoc, quod sponsus extorquendo copulam violenter delinquit, vel non delinquit: quandoquidem Barthol. Brixien. auctor primæ opinionis fundat eam in hoc , quod sponsus delinquat opprimendo sponsam volentem ingredi monasterium; & ideò liceat sponsæ vi defloratæ ad religionem transire, quemadmodum liceret si sponsus eam nō cognovisset , ne melioris sit conditionis delinquens, quàm non delinquens. Contra verò Hostiensis author opinionis contrariæ dicit sponsam properantem ad religionem , & vi corruptam esse red-
32 dendam marito, qui usus est jure suo. Itaque solutio quæstionis videtur pendere ab inspectione an sponsus de præsenti habeat jus extorquendi debitum à sponsa invita.

33 In qua dubitatione ego pro veritate existimo tres casus esse distinguendos. Primus est quando sponsa non dicit se velle ad religionem transire, aut de ingressu religionis deliberare, sed simpliciter renuit matrimonium consumare , vel aliam causam allegat, quàm transitus ad religionem, veluti quod non intendit virginitatem admittere: & hoc primo casu vir post adhibitas diligentias ad eam disponendam potest etiam sine peccato eam rapere, & vi corrumpere. Dixi post adhibitas diligentias, quia aliàs peccaret vim inferendo. Sanctus Thom. *in 2. 2. q. 154. art. 7. ad 4.* Quem ita intelligit , & declarat Sylvester *in ver. Luxuria, num. 6. vers. Dicit tamen S. Thomas.* Ratio hujus conclusionis est , quia ut supra diximus in secundo notabili , primus coitus est ex debito , & non gratuitus , & sponsa post consensum mutuum de præsenti tenetur statim reddere debitum petenti:
34 & quamvis habeat exceptionem usque ad duos menses ad deliberandum de religionis ingressu, juxta practicam hujus Decretalis, ut ait glos. in c. *Conjuges, in verb. Prima, 27. q. 2.* tamen cum hujusmodi exceptionem non alleget , vel ea uti nolit, perinde est, ac si eam non haberet; regulare enim est , ut exceptio non prosit nisi apponatur , ut institut. de exception. per tot. & notat Bart. in l. *Eum, qui, ita, §. Qui ita, num. 4. vers. Moveo tibi unum dubium, ff. de verb. obligat.* quem ibi alij sequuntur, & in hac specie firmat Bald. in l. *unica, num. 24. C. de raptu virginum* , ubi concludit maritum, qui rapit uxorem non cognitam carnaliter , ita demum posse puniri , si appareant signa, quod ipsa volebat monachari, aliàs secus. Et cum hac distinctione dicit debere intelligi opiniones Doctorum, & sequitur Salycet. in d. l. *unic. num. 9.* Jo. de Anan. in cap. *fin. num. 4. de raptor.* Covar. *in Epitom. de sponsalib. par. 2. cap. 7. §. 4. num. 11.* dicens non esse puniendum sponsum, qui sponsam de præsenti per vim cognovit, & rapuit, nisi ipsa præcogitaverit, & tractaverit de religionis ingressu , Sotus *in 4. sent. distinct. 27. quæst. 1. art. 4. vers. Quid autem iuru* : & supponunt omnes supra allegati in summario textus , dum loquuntur de sponsa, quæ dicit se velle religionem ingredi : quasi oppositum sentiant si id non dicat , quicquid contra scripserit Thom. Sanch. *de matrim. lib. 2. disput. 22. num. 16.* Quare si uxor post copulam vi extortam hoc casu ad religionem transiret, & profiteretur, esset reddenda marito, qui usus est jure suo, secundum opinionem Hostiensis, quia matrimonium verè, & legitimè fuit consummatum, juxta text. in c. *Quidam, supra eod.* & infra in cap. *Accedens.*

35 Secundus casus est, quando marito volenti copulam extorquere uxor opponit quidem exceptionem ingressus religionis, sed tamen lapsum est bimestre, vel aliud tempus arbitrarium, quod ex præscripto hujus Decretalis assignatur conjugi volenti ad religionem transire : & tunc maritus utique potest cogere uxorem ad matrimonium consumandum, eamque reluctantem vi deflorare quia utitur jure suo , & per copulam etiam vi extortam hoc casu matrimonium consumatur, adeo ut neutri conjugum liceat amodo altero invito ad religionem transire. Neque hoc casu intrat opinio Bartholom. Brixiensis, & sequacium, quia supponunt maritum delinquere vim inferendo, quod non contingit in hac specie, sed potius intrat contraria opinio Hostien. qui supponit maritum jure suo uti copulam extorquendo; unde jure optimo Jo. Andr. *in d. regul. Quæ contra n. 12. vers. Posset dici etiam, de regul. iur. lib. 6.* ait, quæstionem non dubiam dici posse quando post assignationem duorum mensium, vel temporis arbitrarij fieret talis oppressio ante omnem professionem, quasi tunc licitè potuerit sponsus copulam exigere ab invita; & cum Jo. Andr. consentiunt Butr. Abb. Jo. de Anan. & alij supra citati, *n. 28.* Henric. Boich. in c. *Uxoratus, n. 4. inf. eod.*

36 Cæterum adverte , quia quod dictum est de tempore duorum mensium vendicat sibi locum si sponsa nondum intraverit monasterium : tunc enim lapsis duobus mensibus ut supra assignatis, licebit sponso jure suo uti per prædicta. Verum si sponsa religionem intraverit, tunc non sufficit ut lapsi sint duo menses, sed sponsus expectare debet ut labatur integer annus requisitus ad professionem emittendam , per ea , quæ dicta sunt supra
37 *num. 24.* Eoque transacto poterit eam repetere, & è monasterio egressam vi deflorare, dummodo tamen expressè, vel tacitè professionem non emiserit: nam per eam solvitur vinculum matrimonij nondum consummati , ut est text. in Extravag. *Antiquæ, in fin. de voto,* & rapiens, & vi corrumpens sic professam puniendus est, ut cap. *Si quis rapuerit, 27. q. 1.* & cap. *Si quis non dicam, 36. q. 1.* & in proposito post Hostien. notat Joan. Andr. in d. reg. *Quæ contra, num. 11. vers. Fatetur,* quod secus si post tempus, & *num. 12.* ubi hunc casum similiter inter non dubios recenset.

38 Tertius casus est, quando sponsa excipit se velle religionem ingredi, & nondū elapsum est tempus duorum mensium, vel aliud arbitrarium, ut supra assignatum, aut si ipsa jam ingressa est religionem, adhuc tamen est infra annum probationis : & in hoc tertio casu vir absque dubio delinquit, quia sponsam contra jus, & vitiosè opprimit, nam si nō fuisset oppressa, suo jure poterat debitum denegare, sive dicamus primum coitum fuisse gratuitū, sive dicamus competere sponsæ exceptionē temporis ad transeundum ad religionem secundum
39 ea, quæ notantur in c. *Conjuges, 27. q. 1.* Deliquit ergo sponsus privando illam privilegio virginitatis, & per consequens consecrationis , & aureolæ, ut notatur in cap. *Re vera,* & cap. *Ille, 32. q. 5.* non enim habebit illum fulgorem in corpore , quem

quem specialiter habebunt solæ virgines , ut inquit Archid. *in summa eadem caus. & quæst. num. 2. circa fin. in verb. Aureola.* Item deliquit petendo plus causa, vel tempore , ut c. *unic. de plus petition.*
40 & fuit amator ardentior in uxorem, cap. *Origo, 32. q. 4.* Item sacrilegus, & excommunicatus opprimendo religiosam, licèt non professam, cap. *Religioso, de sentent excomm. lib. 6.* Item excommuni-
41 catus impediendo religionis , & castitatis propositum, cap. *fin. 32. q. 2.* ad hoc cap. *Multos , 54. dist.* Item quia jus sibi dixit in re propria, contra id quod habetur in c. *Placuit, 16. qu. 6.* & in l. *Nullus, C. de iudic.* Item quia jure beneficium mulieri, quæ non solum verbo , sed facto suam voluntatem ostenderat, auferre non debuit, cap. *Indultum,*
42 cum concordantibus *de regul. iur. lib. 6.* & quamvis non puniatur ut raptor , nec incidat in Constitutionem *Si quis in tanta,* ut notatur in cap. 2. 36. *quæst. 1.* puniri tamen debet ut transgressor legis prohibentis ne quis rapiat sponsam propriam, l. *Unica, C. de rapt. virgin.* Nam sic est in matrimonio spirituali, quia non debet sponsus suam sponsam , vel beneficium rapere violenter, cap. *Eum qui, de præbend. lib. 6.*

43 Itaque cum multipliciter deliquerit , intrat motivum Bartholomæi Brixiens. & sequacium quod non debeat esse melioris conditionis, quàm non delinquens, ut in juribus supracitatis, *n. 28.* nec pro pœna , quam meruit , consequatur privilegium, c. *Si verè, de sentent. excommunicat.* quin potius est propter sui odium repellendus : aliàs daretur occasio malignandi contra id , quod habetur in cap. *Legi, 16. q. 1.* & cap. *Quanto, in fin. de divort.* & consequeretur indirectè , quod directè non posset consequi contra id. quod notatur in cap. *Tua, de procurat.* & in cap. *Cum quid una, de reg. iur. lib. 6.* & audiretur suam turpitudinem allegans contra cap. *Cum super , de concess. præbend.* & in cap. *Inter dilectos , de donat.* Unde hoc casu non est locus opinioni Hostien. & sequacium, quia supponunt maritum uti jure suo , & non delinquere vim inferendo, cujus oppositum cōtingit quando sponsa violenter corrumpitur infra tempus eidem competens ad ingrediendum Religionem , vel profitendum, ut ex dictis constat ; & consequenter copula non legitimè extorta non erit sponsæ impedimento quamvis possit Religionem ingredi, & solemniter profiteri, quia cum contra jus , & vitiosè oppressa fuerit , quoad facientem id habetur pro nō facto, ut in dicta regula, *quæ contra ius.* cum
44 concordantib. de quibus ibi in glos. 1. & arg. l. *Quoties, ff. qui satisdat. cogantur.* ubi si satisdatio sit præstita vitiosè, non dicitur præstita.

45 Declara tamen conclusionem ut supra firmatam, ut locum sibi vendicet dummodo sponsa per coactionem non conditionalem , seu per metum, sed per coactionem præcisam, & absolutè oppres-
46 sa fuerit : nam consensus potissimè in matrimonio requiritur , sed matrimonium non est perfectum, nisi per copulam : ergo copula requirit cōsensum saltem inclusum in coactione conditionali, ut notatur in c. *Merita 15. q. 1.* patiens autem coactionem absolutam nihil agit, cap. *Sacris, quod met. caus.* & hæc ratio multum movit Jo. Andr. in
47 dict. regul. *quæ contra ius, in fin.* Ad hoc facit secundum Barthol. Brixien. *in d. q. 80. num. 1.* quia caro nō potest dici corrupta nisi mens prius corrupta
48 fuerit d. cap. *Revera. 32. q. 5.* Item corpus mulierum non vis maculat sed voluntas , cap. *Proposita* & cap. *De pudicitia, vers. Corpus, eadem causa, & quæstione.* Cum ergo hæc mulier jure, facto vel corrupta non debeat reputari, adhuc quasi incorrupta poterit Religionem profiteri. Item si ab alio quàm à marito vi oppressa fuisset, maritus hoc ei imputare non posset, ut l. *Vim passa, ff. de adulter.* Ergo multò minus imputare ei debet quod ipse
49 fecit. Demum matrimonium consummatum repræsentat unionem Christi cum Ecclesia per carnem; & sortitur effectum à jure divino, & indissolubilitatem, cap. *Deinde, 26. dist.* cap. *Cum societas, 27. qu. 2.* cap. *Debitum, de bigam.* & c. *Unico, de voto, lib. 6.* Ergo per eam solam copulam consummatur, quæ potest hanc unionem repræsentare, quia
50 omne quod est sacrum , vel alterius rei signum, illius debet esse simile, cap. *Signum est,* & cap. *Species, de consecrat. dist. 2.* sed talis est sola copula voluntaria, cum unio Christi voluntaria fuerit, S.
51 Thom. *in 3. par. q. 1. art. 2.* ergo per solam copulam voluntaria matrimonium consummatur; & sic duo requiruntur ad consirmationem matrimonii, consensus animorum, & commictio corporum, quæ firmat, & perficit, cap. *In omni, 27. q. 2.*
52 Item vis præcisa, & absoluta impedit consummationem matrimonii spiritualis, arg. cap. *De Iudæis, 45. distinct.* & cap. *Maiores, de Baptism.* & cap. *Gesta, 74. distinct.* ergo fortius impedire debet consummationem matrimonii carnalis, in quo cessare debet omnis coactio, cap. *Cum locum, de sponsal.* & probatur à contrario sensu in cap. *Insuper, Qui matrim. accusare poss.* nam si requiritur ut semel copulæ carnali consenserit, utique si non consensit , cessat matrimonium, cap. *Continebatur,* ibi, de suo assensu desponsata. vel cognita, *de despons. impub.* Non enim videtur communicasse corpus suum , ex quo per vim fuit cognita. Unde intrat ratio cap. *Verum, supra eodem,* ibi, (Quia cùm non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire , & alter in sæculo manere.)

53 Non obstat , quod ex copula violenta oriatur affinitas, ut c. *Discretionem , infra de eo qui cogn. consang. uxor. suæ.* Quoniam non propterea efficiuntur una caro, ut notat glos. in cap. *In eo fornicator, in ver. Erant, 32. q. 2.* quod patet, quia in illa Decretali copula fuit illicitè , & iniquè extorta, cùm mulier esset alteri viro matrimonialiter copulata; & sic per copulam non potuerant effici una caro, etiam si fuisset voluntaria, cum ibi non esset matrimonium, ut cap. *Verum , supra eodem* cap. *Lex Divinæ constitutionis , 27. q. 2.* & colligitur ex cap. *Agathosa, ead. caus. & quæst.* Ergo non est bona ratiocinatio : Copula violenta parit affinitatem: Ergo per eam vir & uxor efficiuntur una caro, & matrimonium consummatur.

54 Denique non obstant jura, quæ dicunt factum attendi; quoniam ponunt casus speciales propter defectum Sacramenti, ut cap. *Ille 32. q. 5.* vel propter prærogativam Ordinum, ut in cap. *ult. 55. dist.* nam lex promotionis considerat factum, non vo-
55 luntatem, cap. *fin. 15. q. 1.* Et ob hanc rationem per vim oppressa non poterit inter virgines consecrari, quia virginitas ablata est , & per coactionem præcisam inhabilitat eam quantum ad hoc, ut est text. in cap. *Accutius, 26. q. 5.* & in d. cap. *Ille, 32. q. 5.* & isto casu verificatur argumentum allegatum in contrarium per Archidiaconum in d. cap.

fin. 55. dist. ut ibi expresse declarant Gemin. num. 8. vers. Istam distinctionem. & Præpositus num. 4. circa finem, vers. Istam distinctionem. Sed hujusmodi causæ quæ vigent in confœratione, hic cessant; quia licèt oppressa non possit inter virgines consecrari, potest tamen profiteri; cum in professione potius attendatur voluntas, quàm factum, secundum Jo. Andr. in d. Regula Quæ contra num. 11. de regul. liber lib. 6.

DE CONVERSIONE Conjugatorum.

Cap. Ex parte.

SVMMARIVM.

1 Sponsalia de præsenti per Religionis professionem, non per propositum castitatis servanda in sæculo dissolvuntur.

2 Matrimonium non consummatum an solvi possit per Papam ex alia causa, quàm in jure expressa, vel omnino simili.

3 Statuta prædecessorum à successoribus custodiri debent.

4 Papæ potestas duplex.

5 Ecclesia potest constituere ut matrimonium ratum dissolvatur si alter coniugum labatur in hæresim.

Secus si matrimonium sit consummatum, num. 9.

6 Circa matrimonium ratum latissimè patet Papæ potestas.

7 Papa potest dissolvere matrimonium non consummatum tam per viam statuti, quàm dispensationis.

8 Matrimonium ratum quo jure dissolvatur per solemnem professionem alterius coniugu.

9 Matrimonium infidelium licèt sit verum matrimonium, tamen non est Sacramentum.

10 Matrimonium ratum solvitur ex constitutione ecclesiæ, coniuge ad fidem converso, si infidelis noluerit cohabitare, aut non sine contumelia Creatoris.

11 Matrimonium fidelium est Sacramentum, & post copulam ab Ecclesia solvi non potest.

12 Dispensandum an sit cum nobili coniugata ut in Domo Turris Speculorum Urbis emittat tria vota substantialia in manibus Delegati Apostolici, ità ut per hanc professionem solvatur matrimonium non consummatum, & num. seq. usque in finem.

13 Voti solemnitas est de iure positivo.

14 Matrimonium ratum non dissolvitur per susceptionem sacri Ordinis, sed per solemnem professionem.

15 Professio coniugis ut dirimat matrimonium ratum non consummatum tria requiruntur.

16 Monasterium Turris, Speculorum Urbis non est regulare, neque in eo emittuntur, nisi duo vota perseverantiæ, & obedientiæ.

17 Papa an possit statuere ut professio emissa in domo sæculari dirimat matrimonium ratum non consummatum, & num. seq. usque ad num. 20.

19 Professio regularis non dicitur nisi adsit consensus Religionis recipientis.

Papa an possit statuere ut matrimonium ratum dissolvatur per secundum consummatum, & num. seq.

20 Dispensatio super matrimonio rato quibus ex causis fit concedenda.

21 Frigiditas viri, & transitus ad cœlibatum an sint justa causa dispensandi super matrimonio rato.

22 Matrimonium ratum non dissolvitur ex voto, quod emittunt Tertiarii, & Ursulinæ.

Nec eremiticæ vitæ professione, aut votis, quæ in Societate Iesu emittuntur à coadiutoribus formatis, ibidem.

23 Matrimonium ratum nunquam dissolvatur per solemnem professionem, non aut cum per vota simplicia.

24 Et an dissolvatur per ingressum domus Leprosorum.

25 Odium inter coniuges exortum an sit justa causa dispensandi super rato.

26 Dispensationem super matrimonio rato non consummato quæ debeant præcedere.

27 Professio Regularis dicitur qua quis incorporatur alicui ex Religionibus approbatis, etiamsi fiat in domo sæculari.

1 EX PARTE. Il secondo. Per Religionis professionem, non per propositum castitatis servandæ in sæculo dissolvuntur sponsalia de præsenti. Hoc dicit. Communis divisio. Secunda ibi, *Nos autem*, quæ tria facit. Primò contra solutionem allegat. Secundò, soluit, ibi, *Nos autem*. Tertiò, solutionem determinat, ibi, *Porrò*.

2 Nota ex hac Decretali in vers. *Nos autem*, argumentum optimum secundum Abb. *num.* 3. quòd matrimonium contractum per verba de præsenti etiam carnali copula nondum consummatum, non potest dissolvi nisi in casibus à jure expressis; ponderando litteram ibi, *nullo casu*, junctò vers. *nolentes*. Unde infert Abb. ut Papa non possit matrimonium ratum dissolvere nisi ex causa expressa in jure, vel omnino simili. Sed certè hæc littera hoc non probat, quia Papa non dicit, *Nos non valentes* à prædecessorum nostrorum vestigiis declinare; sed *nolentes*; Et sic non fundat se in impotentia, sed in voluntate, quia nimirum decet Romanum Pontificem decessorum suorum voluntatem, & statuta custodire, cap. *Iustitiæ*, 25. *quæst.* 1. cap. *Decessorum*. & cap. *Si ea de restitut.* 25. *qu.* 2. non tamen ad id restringitur, c. *Innocuit*, §. *Quamvis autem*, de elect. cap. *ult. de vetet. lib.* 6. §. *Hæc ita*, 25. *q.* 1. l. *Digna vox*, C. *de legib.* S. Thom. in 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *ad* 3. Unde opinio Abbatis salva-4 ri potest tantummodo in potestate Papæ ordinaria, quæ scilicet sequitur ordinem juris positivi, & regulariter ad limites dispositionis illius, ut per Gemin. *cons.* 53. *Pro responsione*, *in princ. vers. Quædam est potestas ordinata*, non autem in potestate suprema, seu absoluta, secundum quam Papa est supra omne jus positivum. cap. *Proposuit. de constit. præben.* & d. §. *Hæc ita* S. Thomas *quodlib.* 4. *art.* 13. Gemin. *d. cons.* 53. *in princ. vers. Quædam est potestas suprema*.

5 Et propterea Hostien. *hic num.* 3. *in verb. Fieret hæreticus*, censet Ecclesiam posse constituere ut matrimonium dissolvatur, si alter conjugum labatur in hæresim, sicuti constituit ut dissolvatur matrimonium etiam consummatum, si unus ex duobus infidelibus convertatur ad fidem, ut in c. *Gaudemus*, *de divort.* maximè si in casu, de quo loquitur hæc Decretalis, matrimonium consummatum non esset: nam quare aliud censeatur in fidelibus, aliud in infidelibus, non est rationem diversitatis reddere, nisi ex causa ratificationis, quæ canonica, sive ecclesiastica constitutione confirmatur, ut in cap. *Quanto de divort.* supra quam tamen Papa positus est, 2. cap. *Proposuit*, *de concess. præb.* cap. *Significasti*. 5. 1. *de elect.* Ita Hostien. quem totidem ferè verbis sequitur *hic* Jo. Andr. 6 *in ver. Fieret hæreticus. num.* 3. Quorum quidem opinionem arbitror veram esse si matrimonium sit tantummodo ratum, quia circa illud latissimè patet Papæ potestas, ut post Alan. dixit glos. *fin.* in cap. *Ex publico*, *supra eod.* licet in assignanda ratione hujus Apostolicæ potestatis non conveniant inter se Canonistæ, de quo latè differit Tur-7 recrem. in cap. *Sunt qui dicunt*, *num.* 4. 27. *qu.* 2. Et propterea dissolvi potest à Papa non solum per viam statuti, ut notat glos. prælegata Henric. Boich. in c. *fin. num.* 4. *infra de sponsa duorum*. Anch. *cons.* 479. *Viso*, & *diligenter inspecto*, *num.* 3. & in c. 1. *n.* 2. *de voto in* 6. & ibi omnes; sed etiam per viam particularis dispensationis, secundum opinionem Canonistarum, quam servat Ecclesia Roma-8 na, ut dixi in d. cap. *Ex publico*. Ideoque matrimonium per solemnem professionem alterius coniugis solvitur, ut hic dicitur. Idque non jure divino, sed ecclesiastico, cùm solemnitas voti sit ex sola constitutione ecclesiæ inventa. dicit text. in cap. *unic. de voto lib.* 6. & tenet in dict. cap. *Ex publico*, Hostien. *in ver. Consummatum*. Jo. Andr. *n.* 9. & Butr. *n.* 16. Michael Medina *de sacror. hominum continentia*, *lib.* 5. *cap.* 87. *& seq.* Vasq. *in* 3. 2. *disp.* 165. *c.* 7. licet hoc casu matrimonium solvi jure divino positivo censeant Scot. Victor. Sot. Corduba, & alij apud Basilium Pontium *de impedim. matrim. c.* 19. §. 2. *vers. Sed mihi*. Quinimò mirabile verbum dicit Hostien. in d. c. *Ex publico*, videlicet [de consensu utriusque conjugum, scilicet spondi, & sponsæ, Papam posse ex potestate absoluta dissolvere matrimonium, nulla alia causa existente; sed ex potestate ordinata posse tantùm ex causa illud dissolvere.] ut *hic*. Et idem dicendum est secundum eumdem in simili casu. Sed cõtrarium tenendum est, si matrimonium sit carnali copula consum-9 tum. Et miror quod Hostiensis dixerit non esse rationem diversitatis inter matrimonium infidelium, & fidelium. Imò enim matrimonium infidelium quamvis sit verum matrimonium, cap. *De infidelium de consang. & affinit.* tamen non est Sacramentum, sed merus contractus deficiente Baptismo, qui est janua, & fundamentum omnium Sacramentorum. c. *fin. de Presb. non bapt.* cap. *Præterea*, 5. *Verum*, 23. *dist.* Unde non mirum si potuerit solvi ab ecclesia, etiamsi fuerit carnali copula consummatum, postea quam infidelis declaraverit se aut nullo modo, aut non sine contumelia Creatoris velle cum converso ad fidem cohabitare, cap. *Si infidelis*, 28. *qu.* 2. cap. *Quanto*, & cap. *Gaudemus*, *de divort.* & notat glos. *hic in ver. Ratum*

10 *contractum*. At verò inter fideles matrimonium fuit elevatum à Christo in Sacramentum, ut in d. c. *Quamvis*. Et propterea postea quam per conjugalem copulam effecti sunt una caro, ab Ecclesia amplius dissolvi non potest, quia *Quos Deus coniunxit homo non separet*, glos. *fin.* in d. cap. *Ex publico*, *supra eodem* Hent. Boich. in d. cap. *fin. nu.* 4. Turrecrem. in d. cap. *Sunt qui dicunt*, *num.* 4. 27. *q.* 2. Doctores in d. c. *ult.* ubi in specie Franc. *in* 3. *vot. ab. de voto in* 6. Et hæc est ratio cur separatio matrimonii non cedat sub dispensatione in novo testamento, sicut in veteri, ut docet S. Thom. *in* 4. *dist.* 33. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *ad tertium*.

12 QUÆRO. An sit dispensandum cum nobili muliere conjugata, ut in Domo Turris Speculorum Urbis emittat tria vota substantialia in manibus Abbatis à Sede Apostolica delegati: ità ut ex hujusmodi professione dissolvatur matrimonium ratum, non consummatum.

An ve timor frigiditatis viri, transitus ad cœlibatum, & odium inter conjuges sit justa causa matrimonium ratum dissolvendi.

Advocati hujus causæ fatentur per professionem, quæ consuevit emitti in domo, seu monasterio Turris Speculorum, de rigore canonico matrimonium ratum non dissolvi ipso jure, sed esse opus ut à Sede Apostolica dissolvatur, & supplicant pro gratia.

Dicunt autem dissolutionẽ hujus vinculi posse fieri duobus modis. Primò si Summus Pontifex indulgeat conjugi ut in manibus Delegati Apostolici emittat tria vota substantialia, & observantiam regulæ S. Benedicti, quæ modum observatur in d. monasterio, & declaret illa vota conferri solemnia ad effectum dirimendi matrimonium ratum. Deinde dicunt hoc fieri posse Pontificia dispensatione, pro qua plures causas affe-

13 runt. Quoad primum modum ejus solemnitas voti à sola constitutione ecclesiæ dependeat, c. *unde vir in* 6. tamen ad dissolvendum matrimonium ratum non sufficit ut votum sit solemne, aliquin dirimeretur matrimonium etiam per votum, quod

14 juxta d. c. Uti ex susceptione sacri Ordinis solemnizatur, cujus contrarium statuit in Extravag. Jo. XXII. *Antiquæ constitutionis*. Sed requiritur ut votum sit solemne per emissionem professionis regularis c. *Verum*. & c. *Ex publico. supra eod.* quia non per susceptionem castitatis servandæ in sæculo dissolvitur sponsalia de præsenti; sed per religionis professionem, ut hic dicitur. Unde ait glos. *per hunc* text. in §. *Ecce*, *in ver. Solitudinem*, *in fine* 27. *q.* 2. Si quis in propria domo vellet religiosam vitam ducere, talis Religio nõ dissolvit sponsalia. Et de solemni religionis professione loquitur Conc. Tridentin. *c. sess.* 24. *de doctr. matrim.* [Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius coniu-

15 gum non dirimi, anathema sit.) Ad hanc autem professionem tria substantialia requiruntur, de quibus in c. *Ad Apostolicam*, *de regular.* & in c. *Cum ad monasterium*, *de stat. Monach.* Primum ut emittantur tria vota Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ. Et hoc primum hoc casu poterit concurrere. Si Summus Pontifex indulgeat mulieri, ut præfata vota emittat, quamvis in d. monasterio ab aliis oblatis nõ emittatur nisi votum obedientiæ & perpetuæ stabilitatis in prædicto monasterio vivendi, ut per Navarr. *cons.* 6. *n.* 9. *de voto*. Secundum requisitum est ut hæc vota emittantur in manibus habentis potestatem incorporandi Religioni, juxta tex. in c. *Porrectum*, ubi Innoc. Abb. & cæteri notant *de regular.* cum concord. Et hoc requisitum similiter potest suppleri à S. Apostolica per specialem delegationem Abbatis Sancti Pauli, vel alterius, cui magis placuerit, ut notatur per Doctores in d. c. *Porrectum*, & in c. *Insinuante*. Qui elect. vel voven. & per Navarr *cons.* 89. *de regular.* Tertium requisitum est ut fiat hæc professio in aliqua religione à

16 Sede Apostolica approbata, c. 1. *de voto in* 6. Hoc

tertium requisitum deficit, quia dictum monasterium non est regulare, ut per Navarr. *d. cons. 6. de voto.* Nec videtur posse suppleri, quia dicta mulier non vult incorporari alicui religioni, sed vult esse sæcularis in prædicta domo. Non videtur autem jure nostro posse decerni ut professio emissa in domo sæculari absque incorporatione alicui de religionibus approbatis, censeatur regularis ad effectum dirimendi matrimonium, ex tribus fundamentis.

17 Primum est, quia videtur implicare contradictionem ut hæc mulier sit regularis, & non sit incorporata alicui ex religionibus approbatis. c. 1. *de relig. domib. lib. 6.* & cap. *fin. infra eodem tit.* Sed sit membrum regulare in corpore, & capite sæculari: esset enim veluti monstrum, & quædam perplexitas, quæ non potest in esse produci, ut eleganter scribit Oldrad. *cons.* 174. incip. *Quia omnes, à n. 5. usque in fin.* unde Lapus Abbas in Clem. 1. *de privil.* verbum illud, *Religiosi*, exponit, idest Religionis per Sedem Apostolicam approbatæ, aliàs non essent religiosi. Unde non videtur super hoc de jure posse concedi dispensatio, cum de substantia voti religionis ad effectum solvendi matrimonium ratum sit, ut solemnizetur per professionem emissam in aliqua ex religionibus approbatis ad præscriptum, d. c. *un. de voto in 6.* & propterea glos. in d. cap. *Cum ad monasterium, de stat. Monach. in ver. Abdicatio*, reddens rationem cur Papa non possit dispensare ut Monachus habeat proprium, dicit hoc ideo esse, quia abdicatio proprietatis est de substantia monachatus: quod indicant verba illa textus, *adeò annexa est regulæ monachali.* Quod & docuit D. Thom. in 2. 2. *quæst. 88. art. 11.*

18 Secundum fundamentum. Ad hoc ut quis efficiatur regularis, requiritur necessariò consensus non solum Novitij, sed etiam religionis, quia professio est contractus reciprocus, & ultro citroque obligatorius, cap. *Ad Apostolicam*, & cap. *Porrectum, de Regul.* Gemin. & Franc. in d. cap. *un.* Navarr. *cons. 26. in princip. de Regular.* Non videtur ergo statui posse, ut emittatur ab uxore professio regularis, nisi aliqua sit religio, quæ assensum præbeat, & illi obligetur. Hoc autem casu nulla religio obligabitur, sed solum mulieres oblatæ, & sæculares Turris Speculorum: cum præsertim ante professionem requiratur ut Novitius per annum probet austeritatem religionis, & religio mores Novitij tam ex præscripto Sacrorum Canonum, ut in d. c. *Ad Apostolicam*, cap. *Non solum*, & cap. *Constitutionem, de Regular. in 6.* quam ex decreto Tridentini Concilij *cap. 15. sess. 25. de Regular.* quod hoc casu non poterit verificari.

19 Tertium fundamentum, Professio quam emitteret dicta mulier re vera non esset professio religionis secundum Canones. Unde si Sed. Apostolica statueret ut per illam professionem dirimeretur matrimonium, daretur novus modus matrimonium dissolvendi, idest per professionem emissam in domo sæculari, absque ulla incorporatione alicui religioni à Sede Apostolica approbatæ.

20 Hoc autem maximè dubium est an jure fieri possit, sicuti multi censent Summum Pontificem non posse statuere, ut matrimonium ratum dissolvatur per consummatum, ut post Covarr. & alios, Sanch. *lib. 2. disput. 14. n. 4.* de quo tamen vide Turrecrem. in cap. *Sunt qui dicunt, num. 4. 27. quæst. 2.* Et quamvis non deesset potestas; hoc tamen indultum esset novum, & sine exemplo. In hac autem gravissima materia magnopere videtur cavendum à novitiatibus.

21 Recurrunt ergo Advocati ad secundum modum, idest ad dispensationem. De potestate jam non dubitatur; prævaluit enim opinio Canonistarum, ut in c. *Ex publico*, & ibi dixi supra eodem. Difficultas in casibus versatur, debent enim esse admodum graves.

Prima causa, quam adducunt Advocati, est timor fragilitatis viri; allegant Sanchez *de matrim. lib. 2. disput. 16. num. 6.* Sed hæc causa est omnino insufficiens. Et Sanch. & alij ab eo relati loquuntur de frigiditate post matrimonium contractum, non autem de timore frigiditatis; alioquin inventus esset modus statim dissolvendi matrimonium, & inutilis esset habitatio triennalis, & alia juris remedia, de quibus in cap. *Fraternitatis*, & c. *Laudabilem, de frigid. & malefic.*

22 Secunda ratio, transitus ad cœlibatum, & statum perfectiorem. Sed neque hæc sufficiens est; alioquin omnes Tertiariæ, seu Mantellatæ, vel Ursulinæ possent obtinere dispensationem, cum tamen earum votis matrimonium non dirimatur, secundum Abb. in d. cap. *Ex publico*, & *hic in ult. notab. num. 6. vers. Ex hoc infero*, quia etsi habeant certam regulam à Sede Apostolica approbatam, tamen ut hic patet, non sufficit recipere velum, & servare continentiam; sed oportet ut quis se adstringat ad certam religionem approbatam, ubi scilicet emittuntur tria substantialia religionis. Ad hoc quod habetur in Extrav. *Antiqua*, Joannis XXII. ubi clarius hoc est expressum. Hujusmodi autem Mantellatæ non sunt strictò modo religiosæ, cum non voveant tria substantialia, nec propriè dicuntur habere regulam, sed quemdam modum vivendi, ut in simili dicit glossa notab. in Clem. 1. *in ver. Obedientiam, de relig. domib.* Et latiùs idem Abb. *in rubr. supra de Regular.* Hinc fit ut professione vitæ eremiticæ matrimonium ratum non dissolvatur, Sot. *de just. & jur. lib. 7. q. 5. art. 3.* & notatur in §. *Ecce, 27. q. 2.* Hinc etiam fit ut non dirimatur per tria vota substantialia, quæ emittuntur à coadjutoribus formatis in Societate Jesu; Sunt enim simplicia, quamvis publicè emittantur, ut declaravit Gregor. XIII. in Constitutione, *Ascendente Domino, edita 8. Kalendas Junij* 1584. & censent quatuor ejusdem Societatis Patres, videlicet Vasq. *in 1. 2. q. 96. art. 4. disput. 165. cap. 10.* Henriq. *lib. 11. de matrim. cap. 8.* Petrus Ribadeneira *in lib. de Societ. Instit. cap. 19. §. 1.* & Sanch. *de matrim. lib. 2. disput. 18. num. 6.* Et quamvis Advocati dicant sufficere causam expressam in Canone, vel illi similem; tamen ad hoc requiritur omnimoda similitudo, Abb. *hic num. 4.* dum ait Papam non posse dissolvere matrimonium, nisi ex causa in jure expressa, vel omnino sibi simili. De quo tamen dixi supra in *primo notab. num. 2.* At professio in monasterio, de quo agitur, nullo modo habet hanc omnimodam similitudinem cum professione solemni, quia vota simplicia non æquiparantur solemnibus, ut in d. cap. *unico*,
23 in fine: illa enim continent solam promissionem verbalem; hæc verò continent etiam realem traditionem. Et hæc est causa, propter quam ratum dissolvitur per solemnem professionem, non autem per vota simplicia secundum D. Thomam in *4. senten. dist. 38. quæst. 1. art. 2. ad 3.* & Covarr. in *Epit.*

Epit. de sponsal. par. 2. cap. 7. §. 4. num. 7.

Nec obstat quod per professionem emissam ab aliquibus Tertiariis ratum dissolvatur secundum Sanchez allegatum; nam respondetur hoc esse verum de Tertiariis, quæ emittunt vota substantialia in religione approbata, & sunt veræ Moniales secundum declarationem Sixti V.

24 Ultimò adducunt Advocati doctrinam Hostien. *hic num. 15.* quod per ingressum domus leprosorum matrimonium dissolvatur; sed tamen Hostiensis non figit pedes, & dicit consulendum Papam. Et certè ejus opinio vera est, & reprobatur à Joan. Andr. & aliis communiter. Unde in ea nullum potest fieri fundamentum pro dispensatione.

25 Oretenus deducunt Advocati odium, quod inter conjuges emersit, propter quam causam dicitur dispensasse Eug. IV. & scandala, quæ probabiliter timeri possunt; qua de re extat insignis doctrina Cajet. *1. tom. opusc. tract. 38.* Verum hæc doctrina aliàs habita est pro admodum dubia, nisi subsit timor publicarum actionum. Et in Conc. Trident. *cap. 5. sess. 24. de disp. matrim.* diffinitum est, ut si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem matrimonij vinculum posse dissolvi, anathema sit: quod aliquando fuit intellectum etiam de matrimonio rato; & sacra Pœnitentiaria in simili causa, in qua graviores causæ concurrebant, fuit divisa. Et re vera in omnibus illis casibus frigiditatis viri, vel mulieris, & maleficij, de quibus in tit. *de frigid. & malef. & de sponsa duor.* concurrebant illæ causæ jurgij, & diffidij inter conjuges, præsertim ubi secunda uxor fuerat cognita, & remanebat diffamata, & prolem sustulerat: & tamen Canones semper jubent prima conjugia redintegrari. Itaque tutius videtur ut nobilis hæc mulier ingrediatur aliquod monasteriũ ex religionibus approbatis: nam cum velit jam spontè tria vota substantialia profiteri in perpetuum, & supposita hac voluntate habeamus modum canonicè dissolvendi matrimonium ratum, non consummatum per solemnem professionem; privatus affectus ipsius mulieris volentis ingredi domum sæcularem non videtur justa causa dispensationis in hac gravissima materia. Et interea multa accidere poterunt, ob quæ dispensatio nõ sit necessaria; ut si matrimonium declaretur nullum ex impedimento frigiditatis, seu maleficij, juxta cap. *Fraternitatis*, & cap. *Laudabilem, de frigid. & malef. vel dementiæ viri*, juxta cap. *Dilectus, de sponsal.* aut si vir liberetur ab utroque morbo, & uxor verisimiliter non curet amplius ab eo divertere; aut quid simile contingat. Unde dispensatio propter exemplum quantum fieri potest videtur differenda, & solum concedenda cum necessitas impulerit.

26 Quatenus placeret Sanctissimo concedere dispensationem, tria essent præmittenda. Primum probatio matrimonij nõ consummati, ad sacrorum Canonum præscriptum. Secundum expressio, & cumulatio causæ professionis in dict. monasterio cum aliis causis, præsertim diffidij, odij implacabilis, & inimicitiarum. Tertium supplicatio utriusque conjugis: nam ad instantiam unius tantùm non consueverunt matrimonia dissolvi.

27 Porrò cessabit omnis difficultas si oratrix consentiat se incorporari religioni S. Benedicti; poterit enim eo casu Sanctissimus illi indulgere ut ingredi valeat domum religiosam Turris Speculorum, in eaq; emittere tria vota substantialia, & solemnem professionem religionis prædictæ S. Benedicti, sub cujus regula Oblatæ dictæ domus vivunt in manibus Delegati Apostolici, qui eam nomine hujus sanctæ Sedis acceptet, atq; oratricem Ordini S. Benedicti incorporet ad effectum ut perpetuo in eadem domo remaneat sub obedientia illius Præsidentis, & Superiorum, & etiam ad effectum ut matrimonium inter oratricem, & comitem ejus virum contractum, sed non consummatum dissolvatur, ipseque comes ad alia vota transire possit. Neque enim est novum ut valeat professio solemniter emissa in domo privata in manibus habentis facultatem incorporandi religioni à Sede Apostolica approbatæ, ut est text. in c. *Insinuante, Qui cler. vel vovent.* ubi deciditur validam esse professionem regularem emissam à quadam muliere in manibus Fratris Ordinis S. Augustini, cum hoc ut in domo propria cum omni substantia sua remaneret. Atque ibi post glos. Innoc. & alios notat Abb. *num. 5.* & concordat text. in c. *De viduis, il primo, 27. q. 1.* ubi glos. *in verbo Propriis*; ait esse votum solemne, licèt in sua domo emissa fuerit professio. Ad idem est textus singularis hic ubi Innocent. III. respondet matrimonium mulieris cum viro leproso contractum, sed non consummatum fuisse dissolutum per professionem emissam ab eadem muliere coram duobus Abbatibus in domo propria; qui textus videtur decidere casum, de quo agitur.

Brevi expediendo addenda esset clausula infrascripta, videlicet: [Cæterum per præmissa ipsius monasterij, seu domus religiosæ statum in reliquis, & quoad alias Oblatas alterare, aut quomodolibet immutare non intendimus.]

De Voto, & Voti redemptione.

Cap. Litteraturam.

1 LITTERATURAM. Simpliciter proponens religionem ingredi, licèt non ingrediatur non est reus voti. Hoc dicit, secundum Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. & Jo. de Anan. Sed generalius potest sic summari
2 secundum Abb. Ex sola conceptione boni explicandi non obligatur quis ad bonum conceptum exequendum. Hoc intendit, & est notabilis, & singularis decisio. Primò, consultatio; secundò, responsio, ibi. *Tibi.*

Pro intelligentia hujus textus vide quod scripsi in c. *Consulti, num. 15. & 20. de Regular.*

De Voto.

Cap. Quod super his.

1 QUOD SUPER HIS. Impedito ad tempus exequi votum ultramarinum, conceditur dilatio: perpetuò verò impedito indicitur redemptio in eo, quod magis expedit Terræ Sanctæ. Hoc dicit secundum omnes, & est pars una. Quod super his, supra de fid. instrument. Communis divisio; secunda, ibi, *Nos autem*, quæ primò dat generalem

sem doctrinam: Secundò ponit duplicem distinctionem; prima ibi *unde credimus*; secunda ibi, *Rursus*; tertiò solvit secundam quæstionem de consultatione decisam, Jo. Andr.

Tractat hic Innoc. III. An Papa potestatem habeat super infideles etiam Principes. Nos de hoc articulo egimus latissimè in cap. *Canonum statuta, à num. 64. sup. de Constitut.* ubi retulimus verba ipsa Innocentij, ibi plenè videas.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

Cap. Monachi.

SUMMARIUM.

1 *Regularibus utriusque sexus an liceat habere annuos reditus nomine Conventus, ac de suorum Superiorum licentia, & ad eorum nutum, & n. seqq. usq. in fin.*

2 *Proprium est duplicis generis.*

Peculij, seu administrationis bonorum stabilium tres sunt species, & quæ illarum sit prohibita à Concilio Tridentino, secundum opinionem Navarri, ibidem.

3 *Regulari, cui conceditur à Superiore administratio alicuius villæ cum onere solvendi certam portionem monasterio, an possit de residuo disponere in suos usus sine proprietatis vitio, & num. 47. & seqq.*

4 *Administratio bonorum stabilium an possit per Generalem Ordinis concedi alicui regulari ad vitam, & an liceat eidem Generali, vel successori illam revocare, & num. 20. & 25.*

5 *Canonicorum regularium, vel Monachorum Hispaniæ status, quibus solvuntur annuæ portiones, quas vocant privilegiatas, an sit improbatus à iure, vel à Concilio Trid. & num. 62.*

6 *Fratres Commendatarij Sancti Spiritus in Saxonia an possint disponere ultra victum, & vestitum de fructibus suarum Commendarum.*

7 *Opiniones nonnullorum Theologorum circa peculium regularium referuntur, & num. seq.*

Confutantur in terminis iuris communis à num. 13. usque ad 44. & in terminis Concilij Tridentini à num. 44. usque in finem.

8 *Regularis etiam non officialis potest habere peculium non superfluum, seu annuos reditus ad suos honestos usus de Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate.*

Contrarium à num. 44. usque in finem.

9 *Peculium regulari concessum, vel simpliciter, vel cum facultate administrandi libere, prout ei videbitur, & placebit, an intelligatur in usus lautos, & ad arbitrium boni viri, & num. 26.*

10 *Regularibus de iure communi non permittitur habere peculium, seu annuos redditus, vel bonorum stabilium administrationem.*

11 *Pœna in regulares proprietarios à iure communi statuta quæ sit.*

12 *Papa an possit cũ Monacho super proprietate, vel libera peculij administratione dispensare.*

13 *Aut facere de Monacho non Monachum.*

14 *Consuetudo etiam immemorabilis non excusat Monachum à transgressione voti paupertatis.*

15 *Necessitas nisi sit extrema non excusat à vitio proprietatis regularem, qui aliquid celat Superiori, aut detinet eo invito.*

16 *Regularem posse habere peculij administrationem in usus licitos de licentia Abbatis, quibus fundamentis probetur de iure communi, usque ad num. 44.*

17 *Monachus, & servus quoad acquisitionem bonorum æquiparantur.*

Monachus conniventibus oculis Superioris potest habere quasi proprium, sicut servus, ibidem, & num. 21.

Contrarium num. 22.

18 *Monachus non dicitur proprietarius, qui nihil celat Abbati, & est paratus totum dimittere ad illius nutum.*

Contrarium, num. 47.

19 *Monachus Ecclesiæ Cathanien. licet accipere à monasterio annuam provisionem scutorum quinquaginta.*

Contrarium, num. 62.

21 *Legatum factum Monacho, ut nihil quæratur monasterio, an valeat, & num. 24. & 47.*

22 *Argumentum de servo ad Monachum non procedit ubi contrarium reperitur in iure expressum.*

23 *Servitus Monachalis districtior est quam secularis.*

27 *Regularis datus executor ad distribuendum, non dicitur habere bonorum administrationem.*

28 *Intellectus cap.* Insinuante, Qui cler. vel voven. *& num. 31.*

29 *Monachus an ex taciturnitate, & patientia Abbatis possit habere peculij administrationem, & num. seqq.*

30 *Monachus an possit facere eleemosynam de rebus monasterij ex permissione Abbatis, & num. 32.*

31 *Regularis sicut est incapax proprietatis, ita & usus fructus, vel usus iuris, & num. 42.*

33 *Constitutio, vel consuetudo monasterij, secundum quam datur certum quid annuum Monacho pro vestitu, an valeat, & num. seq. & num. 62.*

34 *Statutum ut pro indumento Moniales habeant lucrum manuum suarum validum est.*

Contrarium. num. 62. & seq.

35 *Regulares Cappellani Papæ recipiunt de servitiis pertinentiam ut alij, sed testari non possunt.*

36 *Intellectus cap.* Cum ad monasterium, §. tales, de statu Monach.

37 *Dictio, nec, negat, & copulat præcedentia cum suis qualitatibus.*

38 *Obedientia, idest Prioratus, vel administratio Ecclesiæ.*

39 *Intellectus huius cap. & num. 42.*

40 *Administratio peculij non potest per Abbatem concedi simplici Monacho, sed officiali temporali durante, & num. 42.*

41 *Ut regularis habeat beneficium ad nutum amovibile in titulum, non repugnat votu paupertatis, nec Concil. Tridentin.*

Administrator cum libera potestate dispensandi de fructibus dicitur habere usumfructum, num. 42. vers. Ratio diversitatis.

43 *Officialis dicitur administrator in utilitatem monasterij, nec potest de fructibus disponere.*

44 *Concilium Tridentinum quid statuerit circa regularium proprietatem, num. seq. usque ad 67.*

45 *Regularibus prohibetur à Concilio Tridentino non solum proprietas, & possessio quorumcunque bonorum, mobilium, sed etiam nuda detentio etiam nomine Conventus.*

46 *Mobilium usus non permittitur Regularibus à Concilio antequam Superiori tradantur, & Conventui incorporentur.*

48 *Administratio bonorum stabilium non permittitur à Concilio nisi officialibus temporalibus monasterij, & num. 74.*

49 *Administratio peculij etiam dependenter à voluntate superiorum, & ad eorum nutum prohibita est à Conc. Trident. Regularibus non officialibus, & num. seq. usque ad 54. & n. 72.*

50 *Regularibus non licet habere usum superfluum bonorum mobilium etiam de licentia Superioris, & dependenter ab illius voluntate, ac nutu.*

51 *Regulares tenentes mobilia superflua, aut immobilia à culpa, vel à pœna ipso facto incurrenda non excusantur propter dispensationem Superiorum.*

52 *Prælatis asserentibus se posse concedere licentiam tenendi mobilia superflua, aut immobilia quæcunque, fides non est habenda, & n. 69.*

53 *Dictio, autem, est adversativa præcedentium, & in casu contrario retinet idem thema præcedens.*

54 *Regularibus non licet ex dispensatione superiorum habere administrationem peculij etiam in usus licitos, & num. 56.*

55 *Regularis habens administrationem cum facultate disponendi de fructibus in quoscunque usus dicitur habere usumfructum.*

57 *Indefinita legis æquipollet universali etiam in odijs.*

58 *Præsertim si sit negative concepta.*

59 *Peculij etiam non superflui administratio interdicta est Regularibus à Concil. Trid.*

60 *Regulares tenentur vitam instituere, & formare ad præscriptum Regulæ, quam professi sunt, etiam antequam monasterium, vel Religio ipsa à Superioribus instituatur, vel reformetur.*

61 *Monialis non potest sibi reservare pecuniam annuam pro suis necessitatibus, sed pecunia ipsa non obstante reservatione monasterio acquiritur.*

62 *Monialibus non licet annuos censûs emere nomine suo, aut monasterij, nec pecunias monasterio dare ad hoc ut aliquam summam quotannis inde percipiant pro suis necessitatibus etiam monasterij nomine, & ad nutum Abbatissæ.*

63 *Monialibus non permittitur ut pecunias asservent in proprijs scrinulis totius arcam, cuius clavem sit penes Abbatissam.*

64 *Monialibus vitam communem non servantibus interdicitur receptio puellarum ad habitum, & professionem, & n. 66.*

65 *Monialibus vitam communem suscipientibus quomodo consulatur à Congregatione Regularium.*

66 *Monialibus non viventibus in communi quibus casibus indulgeatur ut possint annuas provisiones recipere.*

77 *Decreta Clementis VIII. circa Regularium proprietatem expendantur, & conferantur cum cap. 2. sess. 25. de regul. Con. Trid. & num. seq.*

70 *Differentia inter bona propria monasterij & aliunde quæsita à Regularibus reijcitur à Concil. Trid. & decretis Clem. VIII.*

71 *Bona undecunque à Regularibus acquisita cum cæteris monasterij bonis confundi debent, ut communiter inde victus omnibus suppeditetur.*

73 *Regularibus non possunt concedi à Superioribus bona stabilia etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine.*

74 *Superiores regulares non possunt habere administrationem temporalem bonorum monasterij.*

Administratio temporalis bonorum monasterij à Clemente VIII. tribus officialibus demandatur idest exactori, depositario, & dispensatori, ibidem.

75 *Regulares non excusantur ab observantia decretorum Clementis VIII. hoc prætextu quod usu recepta non fuerint.*

76 *Regularibus non licet interpretari decretum cap. 2. sess. 25. de regul.*

MONACHI. Hæc Constitutio communiter nõ summatur, quia continet plura dicta, quæ brevius in compendium redigi non possunt, ut per gl. Jo. Andr. & Ant. de Butr. & tamen comprehendendo substantiã secundum Abb. sic potest summari. Monachi non debent poni singuli per Parochias. Hoc primò. Si pro Monachatu aliquid detur, receptus à sacris Ordinibus prohibetur, & recipiens ab officio suspenditur. Hoc secundo. Monachus habens peculium sine licentia Abb. ab altaris communione removetur, & sic decedens sepultura, & Fratrum cõmunione privatur. Hoc tertiò. Si pecunia conferatur pro habendo aliquod officium in monasterio, dans, & recipiens deponuntur. Hoc quarto. In Prioratibus Conventualibus per electionem institutis non sunt removendi sine causa rationabili: & de causa rationabili tria ponit exempla, & hoc dicit usque ad finem. Atque ita quinque sunt dicta. Secundum ibi, *Si quis*. Tertium ibi, *Qui verò*. Quartum ibi, *Prioratus*. Quintum ibi, *Priores*, Joan. Andr. & Butr. dividunt in tres partes, ut per eos.

Nota primò Monachos non debere solos per villas, & oppida habitare, & signa litteram contra solitarios, de quo plura *hic* per Jo. Andr. *nu.* 3.

Secundò nota Monachum non debere constitui sine socio sui Ordinis in Ecclesia Parochiali. Quod intelligit Abb. *n.* 3. quando Ecclesia Parochialis est monasterio subjecta, ita ut Monachus propterea nõ desinat esse obedientialis monasterij, secus si religiosus promoveatur, tanquã quilibet Clericus secularis ad Ecclesiam Parochialem. Tunc enim cum desinat esse Monachus monasterij, nec ullam habeat amplius communionem cum illo, ut in c. *Ne pro cuiuslibet*, 16. q. 1. non tenetur Abbas dare socium. Allegat gl. notab. in Clem. *Ne in agro*, §. *ad hæc*, *in ver. ad claustrum*, *hoc tit.* Hic dic an hoc sit verum, & an Regulares præfici possint Parochialibus Ecclesijs, dicam plenè in c. *Quod Dei timorem*, *inf. eod.*

Tertiò nota, eos qui assumpti ad Monachatum per simoniam, quia irregularis efficitur. Unde colligunt Jo. Andr. *num.* 5. & Cardin. in §. *Si quis*, *num.* 1. post Petr. de Sampsone, & Abb. Antiq. irregularitatem quo ad ordines contrahi pro simonia commissa, etiam in simplici beneficio. Quod intelligit Butr. *n.* 4. de irregularitate lata.

Quartò nota, permittendum non esse ut Monachus habeat peculium, nisi pro injuncta sibi administratione, de hoc latissimè in quæstione sequenti, & præsertim, *num.* 39. & 42.

1 Cõtingit sæpe ut in aliquibus monasterijs tã vi-

rorum, quàm mulierum novitii in actu renunciationis bonorum ad favorem monasterii, vel in actu professionis reservent sibi annuos censûs, seu annuam provisionem pro suis religiosis necessitatibus; & in aliis monasterijs itē accidit frequenter ut census añui, seu bona stabilia relinquantur Monasterio etiā titulo institutionis à parentibus, vel consanguineis alicuius regularis, eo tenore adjecto ut superiores concedere debeant eidem regulari administrationem dictorũ censuum, seu bonorum stabilium, ita ut idem possit convertere illorum reditus in suos honestos usus. In alijs verò servatur ut regulares pecunias ex prædicatione, seu lectione, aut aliunde quæsitas tribuant monasterio ad hoc ut ex ea emantur census perpetui, quorum redditus quotannis assignari debeant eidem Regulari pro suis necessitatibus. In alijs denique usu receptum est ut ex reditibus Conventus unicuique ex fratribus vel sororibus assignetur singulis añis certa portio sive in pecunia, sive in alijs speciebus ad hoc ut ex ea paret sibi necessaria ad vitam, nec monasterium eis aliquid ultra præstare, nec ipsi accepti rationē reddere teneantur. Ex facto quæsitum est, an in his, & similibus casibus liceat regularibus utriusque sexus habere prædictos annuos reditus, seu provisiones annuas, vel bonorum stabilium administrationem, seu peculium non superfluum nomine Conventus, ac de suorum Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate, ac nutu, adeo ut sint immunes à culpa, & pœna, de qua in *c. 2. sess. 25. de Regul.* Concil. Trid.

2 Quod ad extirpandam Regularium proprietatem provide sancitum est decreto *d. c. 2. sess. 25. de regul.* in sensus tam varios, & à mente sanctæ Synodi alienos detorserunt scriptores moderni, ut ferè ad nihilum redactum videatur.

Siquidem primus fortè omnium Navarr. in Comment. *c. Non dicatis, 12. q. 1. num. 97.* ut evitet dispositionem d. cap. 2. præmittit proprium esse duplicis generis: alterum quoad verum dominium, & proprietatem, quale habent homines sæculares: alterum quoad liberam administrationem, quale habent beneficiati, quod alio modo dicitur peculium in Rubr. *de pecul. Cleric.* Deinde permittit propriũ secundi generis in tres species subdistingui. Primæ speciei proprium est quod datur ad administrandum in utilitatem, & dammum concedentis tantũ, quale est quod conceditur officialibus monasterij, & obedientiarijs. Proprium secundæ speciei est quod datur in utilitatem & dammum accipientis cum facultate disponendi illud in suos honestos, & pios usus tantùm. Proprium tertiæ speciei est quod datur in commodum, vel dammum accipientis cum facultate disponendi pro libito in quoscunque usus etiam prophanos. Quibus præmissis decretũ d. c. *in princ.* dum disponit, ut nemini Regularium liceat bona immobilia tanquam propria possidere, Navarr. dicit esse intelligendum de proprio tantum primi generis, & in effectu esse gl. d. c. *Non dicatis*, quatenus habet proprium nemini Regularium esse permittendum, & c. *Cum ad monasterium, in princ. infr. eod.* quatenus prohibet ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat. Unde sicut prædicti Canones intelliguntur à Doctoribus de proprio primi generis: ita & Concil. esse intelligendum, quod venit ad illorum declarationem. Dum verò Concilium *in princ. d. c. 2.* subjungit, ut nemini Regularium liceat prædicta bona possidere etiam nomine Conventus; Navar. putat id esse intelligendum de proprio secundi generis tertii speciei, & etiam secundæ videlicet sine justa causa concesso. Movetur quia Concilium Lateranense in hoc c. Dum statuit, ut Monachi peculium nõ permittantur habere, intelligitur de peculio, quod habet Monachus, vel cum libera disponendi facultate vel cum facultate disponendi in suos honestos usus sine justa causa concesso, & sic de peculio secundi generis tertiæ speciei; & ideo eodem modo esse intelligendum decretum Conc. Tird. ne videatur contradicere Conc. Lateranensi, cum expediat jura juribus concordare. Ita Navarr. qui tamen decipitur tam circa intellectum Concilij Lateranensis, quam Trid. ut inferius demonstrabitur *n. 39. & 44.* Rursus Concilium Tridentinum ubi supra dum secundo loco subjicit: [Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam:) Putat Navarr. nil novi juris inducere, sed solum continere declarationē principij d. c. *Cum ad monasterium, §. Tales*, atq; ita non prohiberi ea parte decreti nisi illam administrationem, quæ conceditur Regulari cum facultate liberè disponendi, quod est peculium tertiæ speciei; vel administrationem cum facultate disponendi in suos usus sine justa causa concessa, quod est peculium secundæ speciei.

Eundem intellectum dat Navarr. ad verba quæ tertio loco subsequuntur in d. *cap. 2. sess. 25. de regul.* ibi: (Administratio autem bonorum monasteriorum, sive conventuum ad solos officiales eorundem ad nutum superiorum amovibiles pertineat:) Existimat enim Navarrus, & malè, hoc loco, & proximè præcedenti Conciliũ nõ prohibere administrationem illā, quæ conceditur Regularibus non Officialibus ex justa causa cũ facultate disponendi in suos honestos, & pios usus; sed tantum prohiberi administrationem peculij tertiæ speciei, & secundæ quando conceditur sine justa causa. Nec in his aliud fundamentũ adducit, quam quod Concil. ita sit interpretandum, ut juri communi non deroget, sed potius cōsentiat cum illius dispositione. Sed in hoc quoque fallitur tam quoad intellectum juris cõmunis, quam decreti Concilii, ut similiter patebit in-
3 ferius eod. *n. 39. & 44.* Ex his censet Navarr. & malè in *Comm. d. c. Non dicatis, 12. q. 1. n. 41.* Si regulari tradatur peculium non ad illud administrandum in solam utilitatem monasterij, sed quasi locatum, ut cum alicui Regulari traditur aliqua villa, vel domus cum suis bonis administranda ea lege, ut certam portionem solvat monasterio; tunc posse cum soluta pensione disponere de residuo, sicut posset Prælatus sine ullo proprietatis vitio non obstante decreto Concil. in *d. c. 2.* ut postea concludit *n. 47.* proximè citato, *num. 50.* Quinimò *cons. 17.* incipien. *Generalis, de stat. Monach.* consuluit, & pessimè Generalem Ord. S. Augustini de consensu Prioris, & Conventus S. Augustini potuisse licitè concedere Ecclesiam illi unitam cum quodã horto, & aliis ad eam pertinentibus eidem Fratri sui Ordinis ad vitam eius, ea lege, ut solveret certos census annuos à monasterio debitos, bona melioraret, & celebraret quasdam Missas, &c. nec licere eidem Generali, aut successori dictam administrationem sine justa causa revocare absque peccato et-
5 iam mortali. Quibus etiam fundamentis in cap. *Nullam, n. 25. 18. q. 2.* latissimè defendit non esse à jure, aut à Concilio Tridentino improbatum statum Canonicorum Regularium, quorum Ordinem & ipse professus fuerat, vel Monachorum Hispaniæ, quibus certa portio panis, vini, & reliquorum necessariorum pro victu, & certa quantitas pecuniæ pro vestitu distribuitur alibi per portiunculas quotidianas, alibi per portiones mēstruas, vel añuas, ita ut nihil ultra teneantur eis Ecclesiæ, & monasteria ob ullam necessitatem suppeditare, nec ipsi è converso teneantur eis residuum reddere, dummodo illud in suos honestos, vel pios usus convertant.

6 Amplius idem Navarr. *cons. 13. Quæsitum est, de stat. Monachor.* Similiter pluribus tuetur Fratres Commendatarios S. Spiritus in Saxia posse disponere ultra victum, & vestitum de fructibus suarum Cōmendarum, nec teneri quod superest restituere præceptori Hospitalis, & *n. 25.* Subdit in tota Ecclesia Christiana id servare omnes Religiosos habentes beneficia regularia sive in titulum, sive in commendam, & se vidisse ita practicari in Canonicis Regularibus Hispaniæ, & Galliæ, & in Commendis, & Prioratibus Ordinis S. Joannis Hierosolym. de Spata Alcantara, & Calatrava; licèt hoc loco loquatur in terminis juris communis, nec meminerit Concilij Tridentini.
7 Porrò quamvis supradictam Navarri sententiam, & intellectum ad Concilium Tridentin. jam reprobaverit Sacra Congregatio Cardinalium ejusdem Concilij interpretum; tamen illam secuti sunt postea plerique ex Recentioribus existiman-
8 tes Concilium non obstare quin simplex regularis possit habere peculium, seu añuos reditus ad suos honestos usus de Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate; sed tantum prohibere peculia superflua, & non licita, & independentia à voluntate Superiorum; adjicientes adipsum antea statutum fuisse à jure communi in hoc cap. & in cap. *Cum ad monasterium, infra eod.* inter quos recensentur præcipuè Jacob. de Graffis *in suis decis. part. 1. lib. 3. cap. 5. n. 53.* Fulv. Pacian. *cons. 36. n. 99. tom. 1.* Jo. à Cruce *de stat. relig. lib. 1. c. 3. dub. 2.* Sanchez *in Summ. tom. 2. lib. 7. cap. 22. n. 11.* Cenedo *de paupert. relig. dub. 9. num. 4.* & Rodriq. *de Regul. quæst. 126. art. 4. vers. Neque his obstat*, & *infra ad finem* ibi: Neque est intentio Concilij novas obligationes addere antiquis, Augustin. Barbos. *hic num. 3.* & alii quos novissimè conquisivit studiosus laxiorum opinionum selector Antoninus Diana *resol. moral. tract. 6. de paupert. relig. resol. 32.* ubi amplius confidenter adjicit in peculio religiosorum spectandam esse personarum qualitatem, & alias circumstantias, adeo ut aliquando non sint condemnandi multi religiosi amplissimos reditus possidentes, ut quia Prælatus, vel Magister Ordinis, aut quia regula sit relaxata, & paupertas eo modo intellecta ex consuetudine, aut quia religiosus habens peculium applicat aliquam illius partem in utilitatem monasterij; aut demum quia religiosus ille multa comparavit monasterio; quæ omnia ferè ad litteram idem author transtulit ex Sanch. *in summ. tom. 2. lib. 7. c. 22. n. 18.* Addit idem Sanchez *d. cap. 22. num. 11.* hanc sententiam, id est regularem posse retinere peculium de consensu Superioris, etiam in terminis Concilij, non solum esse veriorem, sed etiam in omnibus virorum, & monialium conventibus usu receptam. Et Emanuel Rodrig. *de Regul. d. q. 126. art. 4. vers. Neque his obstat Concil. Tridentin.* Si contrarium, inquit, daremus, esset condemnare ad pecca-
9 tum mortale omnes Moniales. Et idem juris esse si administratio peculij concessa sit simpliciter, & indeterminatè, quia intelligitur in usus licitos, censet Navarr. *de restit. lib. 4. part. 3. cap. 1. in nova edit. dub. 1. num. 166. & seqq. coroll. 3.* & Sanchez *in Summ. d. cap. 22. num. 12.* Quinimo idem esse si peculium concessum fuerit Monacho cum facultate administrandi liberè, & prout sibi videbitur, & placebit, quia hæc verba restringuntur ad arbitrium boni viri, censet idem Sanch. *in Summ. c. 17. vers. Atque hoc modo credo*, & justam causam permittendi, ut Regularis habeat administrationem annui reditus esse si ex illius persona monasterio pauperi ingens commodum inferatur, affirmat Sanchez *in dicto cap. 22. num. 18. vers. Aut multa bona, & num. 24.* ubi ait: Si vir, aut fœmina ditissima in aliquo monasterio egente non aliter profiteri velint quàm reservato sibi peculio: quippe id licebit, ut suis divitiis egestati illius monasterij subveniant. Quin etiam Pacian. addit *d. cons. 36. num. 93. & 95.* in tantum licere Monacho ex permissione Abbatis habere peculium, ut si eodem peculio fuerit per Abbatem spoliatus possit restitutionem petere: quod & Navarr. sensit *d. cons. 14. num. 15. de stat. Monach.*

Hæc, atque alia plura reperiuntur apud recentiores, quæ cum videantur evertere Tridentinæ Synodi dispositionem de religiosa paupertate, & facilè possint adducere tam Superiores regulares, quàm subditos in periculum salutis: pro veritate dispiciendum est primò, quid circa peculium religiosorum sanxerit jus commune; secundò an aliquid, & quid addiderit Concil. Tridentinum.

10 Quoad primam inspectionem de jure communi pro regula constituitur, ut nemini Regularium liceat habere peculium, seu annuos reditus, vel bonorum stabilium administrationem, quia hæc includunt proprium respectu dominij, quod opponitur essentialiter voto paupertatis, cap. *Nolo*, cap. *Non dicatis, 12. qu. 2.* cap. *Quanto, de off. Ordin.* cap. *Abbates, 18. quæst. 2.* quod est desumptum ex Concilio primo Aurelianensi *cap. 2.* ibi. [Quod si quis peculiare aliquid habere præsumpserit, &c.) c. *Joannes*, ibi: Nec eorum aliquem peculiare quidquam habere, *de reg.* & in hoc text. ibi: Nec peculium permittantur habere. Idem districtius, & ut inquit Sylv. *in ver. Religio, 6. n. 7.* Præcepto terribili prohibet Innocent. III. in cap. *Cum ad monasterium, infr. eod.* ubi etiam addit pœnam proprietarij, ut scilicet subterretur extra monasterium in sterquilinio in signum perditionis, nempe quia decessit in peccato mortali, ut ibi explicat Botr. Et quoad hanc pœnam concordat text. *hic.* Alia pœna habetur in cap. *De lapsis, 16. q. 7.* & in cap. *Si quis, 16. quæst. 1.* Eodem respiciunt tam jura, quæ dicunt Monachos testari non posse, ut in d. cap. *Nolo, in fin. 12. q. 1.* cap. *Quia ingredientibus, 19. qu. 3.* & auth. *Ingressi, C. de sacros. Eccles.* ibi, (Nec ergo de his testentur, utpote nec domini rerum) quàm jura, quæ dicunt, Quidquid acquirit Monachus acqui-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

quirit monasterio, ut in præcitat. cap. *Abbates*, & c. *Quia negredientibus*, cap. *unic.* 18. *q.* 2. & cap. *In præsentia*, *de probat.* cum concord.

Quod adeo verum est, ut neque ex permissione, seu indulgentia, vel dispensatione cujusvis Superioris fas sit Regularibus habere peculium, ut
12 clarè constat ex tex. hic in princ. quod non prohibet simpliciter ne regulares habeant peculium, sed ne peculium permittantur habere, ponderando illud verbum *permittantur*, quod ad Superiores refertur. Ratio est quam adducit text. in d. c. *Cum ad eam*, *de testam.* his verbis. Nec æstimet Abb. quod super habenda proprietate possit eum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Per quem text. Abb. *hic n.* 4. dicit nec Abb. imò nec Papam posse dispensare, ut Monachus habeat peculij administrationem ad libitum, licet de Monacho Papa possit facere non Monachum, secundum opinionem Vincentij, & Joan. ut per gl. in d. cap. *Cum ad monasterium in verb. Abdicatio*. Et secundum hoc salvantur ibi dicta per Innocen. Etenim sententia S. Thomæ in 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. communiter ab Ecclesia non tenetur, ut latè per Joan. Andr. in cap. *Semel Deo*, *de regul. iur. lib.* 6. *in Mercur.* Quibus consequitur, ut nec consuetudo
14 etiam immemorabilis excuset Monachum à proprietate, nam cum adversetur juri naturali, & divino juxta illud Psalmi. 75. *Vovete Domino & reddite*; relata in cap. *magna*, *de voto*, non consuetudo, sed corruptela dicenda est, c. *Mala*, c. *Fraffra*, 8. *dist.* c. *finali*, ubi notatur *de consuet.*

Et si non valet in hoc dispensatio, vel licentia expressa, ut in d. §. *Nec æstimet Abb.* longè minus debet valere consuetudo, quæ non utitur nisi tacit. consensu Principis, l. *De quibus*, ff. *de leg.* glos.
15 & DD. in d. cap. *fin. de consuet.* Quinimmo ex sententia S. Congreg. nec necessitas nisi sit extrema excusat à vitio proprietatis regularem, qui aliquid celat Superiori, aut detinet eo invito. Quærebatur enim an cum necessaria à Superiore etiam requisito ideo denegantur, quia monasterij facultates nō suppetunt, liceat Regularibus eam, vel eo invito illa sibi comparare, seu retinere: Sacra Congregatio respondit licere, si præcisa necessitas sit ad individui sustentationem: Cæterum communem penuriam ab omnibus perpetiendam, usq; adeo ut si quid privatim alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id tunc ad Superiorē rectà deferri oporteat, qui ex eo primò succurat ejus necessitati, cujus intuitu illud obvenerit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem prematur; reliquum Conventui incorporetur, & in communem cedat utilitatem. Quippe præcisa hæc, seu extrema necessitas, cum sit de jure, nullis subest legibus; & ideo excusat à regulæ transgressione etiam FF. Minores S. Francisci, qui arctissimam profitentur paupertatem, ut elt tex. in c. Exiit, §. Porrò, *de verb. signif. lib.* 6. ibi: (Nec ipsis Fratribus jure poli in extremæ necessitatis articulo ad providendum sustentationi naturæ via omnibus extrema necessitate detentis concessa præcludatur, cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta.

16 Regulam ut supra firmatam *nu.* 10. videlicet neminī regularium licere de jure communi habere peculium, seu annuos reditus, vel bonorum stabilium administrationem. Multi ex Doctoribus limitant ut procedat tantum in administrationem peculiilibera cum facultate disponendi ad libitum in quoscumque usus, non autem in administratione quam habent Regulares in usus licitos de Abb. licentia, & moventur potissimum quinque fundamentis.

17 Primum fundamentum deducitur à servo, cum servus, & Monachus quoad bonorum acquisitionem æquiparentur; uterque enim est incapax proprietatis, & sicut Monachus acquirit monasterio, ita servus acquirit domino, c. *Exiit*, §. *Adhæc cum Fratres*, *de verb. signif. in* 6. & notat Innoc. in c. *In præsentia*, *de probat.* & in cap. *Cum olim*, *si secundo de privil.* & Bart. in l. *Si communi servus*, *de stipulat. servor.* Facit text. in l. *Placet ff. de acquirend. hered.* in l. *Si adoptavero*, ff. *de procur.* & in l. *Arrogato*, ff. *de adopt.* Sed servus ex concessione domini potest habere peculi liberam administrationem, l. *Quam Tuberonis*, ff. *de pecul.* Ergo & Monachus ex concessione Abbatis. Atque hoc argumento Bald. in l. 1. *col.* 6. C. *de his quæ pan. nom.* concludit Monachum permissu Superioris conniventibus oculis posse habere quasi proprium, sicut servus, quod etiam tradit Jo. Andr.
18 in c. *Non est obligatorium*, *de regul. iur. in* 6. Et propterea idem Jo. Andr. in cap. *Cum ad monasterium*, *col.* 4. *in ver. Proprietate*, *supra eodem* (Nec, inquit, videtur dici proprietas, quando de quantitate, & qualitate nihil celat Abbati, nec sine ipsius conscientia aliquid recipit, vel expendit paratus totum reddere, & dimittere ad jussum Abbatis.) Hæc Jo. Andr. qui tamen subdit, quia res periculosa est, & invidiæ, & exempli mali causa, Host. consulere Abbati, ut nisi ex magna, & evidenti causa talem licentiam nō det. & Butr. *ibidem n.* 11. (De permissione, inquit, Abbatis possunt tenere pecuniam nomine Abbatis, parati tamen resignare quando volet Abbas ut in *reg.* 38. c. 1. & non debent sine licentia Abbatis expendere. Unde non licet aliquid eis habere quod Abbas non dederit, aut promiserit. Unde nec unam litteram ab extra recipere possunt sine licentia Abbatis; imò nec cappam suam possident.) Hæc Butrius
19 Et eadem argum. Abbas *cons.* 88. *Videtur*, *num.* 6. *vers. Nam & servus*, *lib.* 1. Ex facto respondit Monachos Ecclesiæ Cathanensis quibus ex antiqua Ecclesiæ ordinatione dabantur pro necessariis quinquaginta scuta, recte, & sine peccato benè administrando dictā provisionem capere potuisse quamdiu patiebatur Episcopus, qui erat loco Abbatis. Et in alio casu idē
20 Abb. *cons.* 44. *Ad decisionem*, *n.* 4. *vers. Sit in hac concessione*, *lib.* 2. Amplius Navarr. *cons.* 14. *nu.* 13. *de stat. Monach.* audacter respondit non licere Generali S. Augustini, absq; peccato etiam mortali revocare sine justa causa administrationem bonorum stabilium, quam concesserat ad vitam cuidam Fratri sui Ordinis, & fas esse eidem Fratri super hoc querelam ad Papā deferre; quia, inquit, sicut dominus obligari potest servo naturali obligatione descendente à pacto, vel contra-
21 ctu, l. *Naturaliter* & l. *Si id quod*, ff. *de cond. indeb.* ita etiā Prælatus potest obligari Monacho ut in præfatis, ll. tradunt scribentes, & Panor. *cons.* 140. *vol.* 1. Quinimò Bart. eodem ductus argum. in auth. *Excipitur*, C. *de bon. quæ libe.* format hanc quæstionem. Pone quod aliquid relinquatur Monacho sub hac conditione, ut non quæratur monasterio; An valeat tale relictum. Et videtur primò quod non, quia continet impossibilitatem, & repugnantiam quandam; nam Monachus non potest habere aliquid, sed totum est monasterii, 12. *q.* 1. c. *Nolo*, & c. *Non dicatis*, & in auth. *Ingressi*, C. *de sacros. Eccl.* Unde dicere quod sit Monachi, & non quæratur monasterio, est contradictio quædam in ipso, & quædam perplexitas, quæ habet vitiare contractum, & legatum, ut l. *Si Titius*, ff. *de cond. instit.* & l. *Vbi repugnantia*, ff. *de reg. iur.* In contrarium concludit ibi Bart. dicens, prædicta verba, (ut nihil acquiratur monasterio, esse intelligenda respectu utilitatis, non autem respectu juris: & est sensus, ut monasterium illum patiatur habere eo modo, quo potest, scilicet conniventibus oculis, sicut diximus in servo, qui potest aliquid habere conniventibus oculis domini, ut l. 4. *de manumiss.* & sic nihil quæratur monasterio, scilicet facto. Sic ergo fit impropriatio verborum, ut relictum valeat, & Monachus acquiratur libera sine proprietate administratio. Bartholum refert, & sequitur Abb. *d. cons.* 44. *n.* 1. *lib.* 2. & *cons.* 63. *Veritas*, *n.* 7. *in fin. eod. lib.*

22 Cæterum hoc argumentum de servo ad Monachum hoc casu non videtur urgere, quia nō procedit ubi contrarium reperitur in jure expressū, ut declarat Abb. in c. *De uxore*, *de sepult.* Quamvis autem servus liberam peculij administrationem possit habere si ei specialiter concedatur à domino, ut legitur in d. l. *Cum Tuberonis*; certum est tamen Monachum non posse habere administrationem ad libitum suum ex dispensatione Abbatis; imò nec Papæ, secundum Abb. *hic num.* 4. Quinimò nec administrationem dependentem à Superiore, nisi sit officialis temporalis monasterij; ut est tex. hic secundum communem intellectum de quo infra, *n.* 39. & 48. Ad hæc servus ex permissione domini potest habere aliquid proprij d. l. 4. *de manum.* At cum Monacho non potest Abbas super proprietate dispensare, d. c. *Cum ad monasterium*, §. *Talet*, *de stat. Monach.* Item ut servus nihil sibi acquirat jure civili statutum est in favorem domini. Unde potest dominus in hoc favori suo renunciare, d. l. *Quam Tuberonis*, & ex *reg.* l. *Si quis in conscribendo*, C. *de pact.* nam & posset cum in totum à servitute liberare, l. 1. & *toto tit. ff. de manum. cum duob. tit. seqq.* At abdicatio proprietatis, ad quam Monachus se astrinxit voto solemni, est de jure naturali divino, c. *Magna*, *de vot.* ac propterea Abbas super eo dispensare non potest, d. §. *Talet*, Sicut nec potest Monachum etiam incorrigibilem à jugo Monasticæ servitutis absolvere, cap. *fin. de reg.* ubi Abb. & DD. idem Abb. in cap. *Quod à te*, *de cleric. con-*
23 *jug.* Districtior ergo quoad hoc est servitus Monachalis, quām sæcularis, cap. *Multos* 54. *dist.* Abb. *d. cons.* 88. *in princ. vers. Censetur enim*, *lib.* 1. & magis astrictus est monasterio Religiosus, quam servus domino, ut per eumdem Abb. in d.
24 cap. *Cum ad monasterium.* Sed & Bartholi doctrina in d. auth. excipitur, vix defendi potest: & eam multum temperat Abb. in d. §. *Talet num.* 8. nam quotiescumq; legatur regulari incapaci sub modo illicito non fit verborum impropriatio, sed legatum ipsum vitiatur. Casus est in c. *Exiit*, *qui seminat*, §. *Ad hæc quia Fratribus*, *de verb. signif. in* 6. Præterea inquiro an monasterium non obstante ea conditione, ut non quæratur monasterio legatario commoditatem, vel usum facti bonorū legatorum; an non possit, si dixeris posse ad sui libitum revocare; hoc est contra mentem testatoris, qui noluit ut quidquam acquireretur monasterio, saltē de facto, secundum Bartholi interpretationē: Si dixeris non posse auferre; hoc est
25 contra cap. *Abbates*, 18. *quæst.* 2. & d. cap. *Cum ad monasterium*, §. *Talet*, *instr. eod.* & Clem. 1. *vers. Licet Priores*, *de suppl. negl. Prel.* Quod adeo verum est, ut si Abbas promiserit Monacho suo dare singulis annis certam pensionem; nihilominus possit ejusmodi promissionem revocare, nisi fuerit per Sedem Apostolicam confirmata, ut per Jo. de Imol. Abb. & DD. in c. *Nisi essent viri providi*, *de prab.* & per eumd. Abb. in d. c. *Cum ad monasterium*, *num.* 11. ubi infert, ut (si Abbas concedat Priori obedientiario, seu mandatario, ut ad vitam teneat Prioratum, seu administrationem sibi concessam; potest nihilominus revocare, quia non potest Abb. sibi imponere legem, nec venire contra dispositionem illius, §. *Talet*, quia labefactaretur vis voti Obedientiæ, quod est unum de tribus stabilitatibus regulæ: imo tenet revocatio etiamsi Abbas juraſſet non revocare, licèt incidat in perjurium secundum Jo. Andr. in c. *Non est obligatorium*, *de reg. iur. in* 6.] Hæc Abb. qui addit se ita in quæstione facti respondisse. Dicendum est igitur eam conditionem tanquā turpem, & impossibilem aut vitiare legatum, aut haberi pro non adjecta juxta ea quæ notantur per gloss. & DD. in cap. *fin. de cond. appos.* quod ultimum tenet idem Bart in l. *Lucius* §. *Tres heredes*, ff. *ad Trebell.*

26 Secundum fundamentum deducitur ex c. *Religiosus de testam. in* 6. quo textum primò loco motus Abbas *d. cons.* 44. *Ad decisionem lib.* 2. consuluit valere relictum factum cuidam regulari distribuendum prout ei videbitur & placebit; quia, inquit bona non fuerunt simpliciter relicta dicto Fratri tanquam proprietario, sed per eum ordinanda, & distribuenda, ut sibi videbitur, & placebit; quo casu valet relictum factum Monacho, cum censeatur quodammodo administrator, & distributor bonorum. Quod ipsum tenuit Bald. in l. *fin. num.* 9. & *seq.* C. *de action. empt.* Sed contrarium verius docuit idem Abbas *hic n.* 4. nam tex. in d. c. *Religiosus*, nō loquitur de administratore bonorum, sed de nudo executore, non enim prohibetur religiosus esse executor ultimæ voluntatis de jus Superioris licentia, ut ibi, & in Clem. *Religiosi*, *de testam.* sed non propterea dicitur habere bonorum administrationē, sed nudum ministerium dumtaxat, nec potest sibi aliquid commodi ex relicto percipere: nam si perciperet, jam non esset executor, sed legatarius, l. *Si quis Titio*, ff. *de leg.* 2. & adnotarunt Bald. *cons.* 422. *Quia dictus vocatus*, *lib.* 4. Fed. de Sen. *cons.* 56. *Domine Francisce*, *vers. Secundo quæritur in princ.* & Ang. *cons.* 129. *Bona dicti Testat. vers. Quia igitur.*

28 Tertium fundamentum desumitur ex c. *Insinuante* cum ibi notatis per gl. & Innoc. *Qui Cler. vel vov.* quem textum dicit ad hoc irrefragibilem, Navarr. in cap. *Non dicatis n.* 46. 12. *q.* 1. & singularem Abb. in *d. cons.* 44. *lib.* 2. *nu.* 3. & 4. Cujus
29 hæc sunt verba. [Nam Abbas potest Monacho dare licentiā plene administrandi certa bona, ut in d.

in d. cap. *Religiosus*, & in d. cap. *Cum ad monasterium*, & in textu *hic*; & quod utrobique notatur. Probatur magis specificè, & singulariter in d. cap. *Insinuante*, juncta glos. & in hac concessione non requiritur expressus consensus Superioris, sed sufficit tacitus. Et quia Superior sic eum habere illam administrationem videt, & tacet, ut probatur in servo in l. *Quam Tuberonis*, ff. *de pecul.* & in d. l. ff. *de manum.* Satis sensit Bart. in d. auth. *Excipitur*, ubi dixit sufficere quod monasterium patiatur conniventibus oculis illum habere
30 meliori modo quo potest.) Hæc Abb. Et taciturnitatem superioris hoc casu haberi pro cõsensu videtur etiam sensisse D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. ad primum, ubi ait: Monachus si habet dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosynas facere de rebus monasterij, secundum quod sibi est commissum: Si verò non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam sine licentia, vel expressè habita, vel probabiliter præsumpta, & sequitur Navarr. in d. cap. *Non dicatis*, n. 52. post Turrec. *ibidem art. 8.*

31 Sed certè textus in d. c. Insinuante, nihil facit, quia tantum declarat validam esse professionem, quam fecit quædã mulier in manibus Fratris Ordinis S. Augustini, eo tenore adjecto, ut in domo propria cum omni substantia sua remaneret. Unde ex eo textu solum colligi potest professionem non vitiari ex pacto reservationis bonorũ; sed an ejusmodi pactum validum sit, vel potius tanquam turpe habeatur pro non adjecto, textus non declarat; & maxima est in hoc opinionum varietas, tam in d. cap. *Insinuante*, quàm in c. *fin. de cond. appos.* & in auth. *Ingressi*, C. *de Sacros. Eccl.* ut per Navarr. in d. c. *Non dicatis*, n. 46. 12. q. 1. Nec urget ponderatio ejusdem Navarri quod cum dicta mulier permittatur in domo propria permanere, sicut & in c. *De Viduis*, 27. q. 1. necessariò etiam ei permittatur substantiæ suæ administratio, sine qua vivere non posset. Respondetur enim nullibi constare de hac permissione remanendi in domo propria, cum prædicta jura hoc nõ dicant, & quatenus constaret, non tamẽ hinc liceret inferre ut illi permissa esset administratio substantiæ suæ; quia vitæ necessaria possent ei subministrari à monasterio, vel Ordine, cui bona per professionem sunt acquisita, eaque ratio esset ineunda, per quam illius necessitatibus consultum esset, & religiosa paupertas non violaretur. Et quamvis gl. in ver. *Ut in domo propria* exponat verba illa, *in domo propria cum omni sua substantia*, idest cum usufructu substantiæ ante Monachatum, ut de usufructu illarum rerum victum, & vestitum haberet in vita sua: tamen in hoc opinio gl. non potest salvari, quia regularis sicut est incapax proprietatis, ita & ususfructus vel usus juris. Clem. *Exivi*, §. *proinde*, *de verb. signif.* & Extravag. Joan. XXII. *Ad conditorem*, *eod. tit.* & clarè deciditur à Conc. Trid. in c. 2. *sess. 25. de regul. vers. Nec deinceps etiam ad usumfructum, vel usum.* Ratio est, quia dominium fructuum, quod habeat usufructuarius, opponitur essentialiter voto paupertatis, ut inferius dicetur *num. 42. vers. Ratio diversitatis.* Et patet ex dictis supra n. 10. Quod si gl. intelliget usumfructum pro usu facti, ut videtur declarare in fine, seu de usufructu impropriè pro usu, & commoditate juxta tex. in l. 1, & ibi gl. *in ver. Fructus*, ff. *ad Trebell.* & in cap. *Exiit*, §. *Adhæc*, *vers. Quorum usumfructum scilicet ordinibus, vel fratribus ipsis licet habere de verb. signif. in 6.* gloss. rectè loquitur, quia Monachus sicut & servus est capax hujusmodi usus, ut in d. c. *Exiit*, §. *Insuper*, & d. Extravag. *ad conditorem*. Navarr. in c. *Non dicatis*, n. 10. 12. q. 1. Sed hic usus facti nihil habet commune cum administratione peculij, ut declarat Calder. *consil. 2. de regul. vers. Professi possunt.* Doctrina autem D. Thomæ nõ obstat, quia in primo membro dum dicit Monachum habentem dispensationem posse facere eleemosynã, intelligi debet vel de Monacho Officiali, vel de eo qui habet præcisam commissionem ad distribuendum in pauperes juxta text. in c. *Religiosus de testam. in 6.* ut satis innuunt verba illa: *potest eleemosynas facere de rebus monasterij, secundum quod sibi est commissum.* Et ita etiam intelligendus est tex. in Clem. 2. §. *Sed & tales de vit. & honest. Cler.* Nam ibi religiosus habens administrationem ideo facit eleemosynam de epithogio, idest, ut illic exponitur tabardo soderato; quia per dictam decretalem ei specialiter committitur, ut illud det pauperibus. In secundo autem membro S. Thomas expressè loquitur de simplici Monacho, qui nullam habet administrationem, & hic potest nihilominus accipere aliquid de rebus monasterij, & in eleemosynam dare de licentia Abbatis expressa, vel probabiliter præsumpta, quod nihil habet commune cum casu nostro. Ad c. *De Viduis* 27. q. 1. alio modo respondet Host. *hic.*

Quartum fundamentum sumitur ex c. *Cum ad monasterium*, §. *Tales infr. eod.* quem text. allegat Abb. in d. *cons.* 44. *num.* 4. *lib.* 2. Ad probandum posse Abbatem dare licentiam Monacho plenè administrandi certa bona. Et in eod. cap. Cum ad monasterium, idem Abb. per illum text. de-
33 terminat licitiam esse constitutionem, vel consuetudinem, qua Religiosis certum quid ãnuum pro vestitu traditur, quod etiam dixit in aliis locis à Decio relatis in c. *Edoceri*, n. 5. *de rescript.* Quod ipsum ante eum sensit Jo. Andr. in c. *Non est obligatorium, de reg. jur. in 6.* ubi ait valere statutum justa saltem de causa factum, ut monasterium præbeat solum victum Monialibus, & pro
34 vestitu habeant ea, quæ labore manuum suarum lucrantur, & idem Jo. Andr. in d. c. *Cum ad monasterium*, *col.* 4. *in ver. Dispensare*, post Guill. Nas. Doctorem antiquum: [Curia Rom. inquit, scit, & tolerat quod Regularibus taxetur aliquid pro
35 vestimentis, vel detur ad id certæ pensiones. Unde & Regulares Capellani Papæ de servitiis ita recipiunt portionem, sicut alii; testari tamen de his non possent, quasi proprietarij.) Et infra (Et idem de Monialibus, quæ à monasterio habent solum victum, & à parentibus, vel de suo lucro habent indumenta; aliàs sepelirentur in morte cũ eis in sterquilino.) Hæc Jo. Andr. quem totidem verbis sequuntur ibi Butr. n. 2. & Abb. n. 8.

36 Sed certè, nec textus in d. §. *Tales*, videtur probare id, ad quod cum allegant multi ex Doctoribus, idest licere simplici monacho de Abbat. licentia ad tempus habere peculij administrationẽ. Verba enim textus sic se habent: (Tales autem ad agenda officia monasterij deputentur, qui fideles fuerint, & discreti.) Et in hac prima parte certum est decretalẽ nõ loqui de simplici Monacho, sed de officiali dumtaxat, Unde Jo. Andr. ibi *col. 3.*

col. 3. in ver. Discreti, exemplificat in Cellerario. Deinde immediatè subdit textus: (Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda tamquam in sua sibi vita locetur, sed cum oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur.) Et in hac secunda parte decretalis similiter non est intelligenda de simplici Monacho, sed de Officiali, ut Procuratore, Syndico, Cellerario, & similibus, quorum superius immediatè meminerat, prout illum intelligit Butr. *num.* 11. dum exemplificat in administratore, qui non sibi, sed aliis possidet, juxta text. *hic*, idque satis indicant verba illa, *nec alicui*, idest alicui ex prædictis, ponderando particulam, *Nec*, quæ negat, & copulat præcedentia cum suis qualitatibus,
37 l. *Quidam*, & ibi glos. *pen. ff. de vulg.* & l. *Si quis stipulatum*, ff. *de verb. oblig.* Bald. *cons.* 497. *Casus talis est*, *num.* 2. *lib.* 5. Et de cujus natura est jungere, seu continuare, & negare. Angel. Aretin. *cons.* 89. *Pro decisione*, *num.* 7. & Signorol. *cons.* 208. *Factum sic se habet*, *num.* 3. *ver. Præterea nec resolvitur, usque in fin.* ubi ait, censeri repetita præcedentia in sequentibus per dictionem, *Nec*, copulatis. Sensus igitur illius decretalis videtur esse hujusmodi, videlicet Procuratores, vel alii officiales pro administratione bonorum monasterij nullatenus constituantur perpetui, ne videantur esse quasi conductores ad vitam, sed sint amovibiles ad nutum Abba-
38 tis; hoc enim importat verbum illud, *Obedientia*, quæ alio nomine hic appellatur injuncta administratio, & Jo. Andr. exponit, *Obedientia*, idest prioratus, vel certa administratio Ecclesiæ, & Butr. *num.* 6. pro Prioratu Monachali, ex vi obedientiæ. Unde in hunc sensum textus ille concordat cum hoc cap. Quod similiter non habet locum nisi in Monachis officialibus, ut inferiùs dicetur, Et cum Clem. 1. *de suppl. negl. Prælat.* quæ similiter loquitur in administratoribus officialibus, seu Rectoribus: & in vers. *Licet Priores*, nihilominus statuit ut administratores hujusmodi liberè possint ad claustrum revocari, ubi glos. *in ver. Cum oportuerit*, pro concordant. allegat. textus in d. §. *Tales*, Ad idem text. in c. *Per tuas*, *in fin. de Simon.* Præterea d. §. *Tales*, non probat licere Regularibus habere administrationem ad nutum, nisi à contrario sensu; nam ex eo quod prohibeat administrationem ad vitam, à contrario sensu videtur inferri, ut illam permittat ad tempus. At hoc argumentum desumi non potest ad correctionem hujus textus quod non permittit administrationem ad tempus nisi officialibus monasterij, ut mox dicemus. Ita declarat glos. in c. *Significasti de for. compet.* & Gemin. in cap. *Cum Episcopum*, *col.* 3. *vers. Et ad textum allegatum in contrarium de off. ordin. in 6.*

Ultimum ergo, & præcipuum fundamentum deducitur ex decreto Lateranensis Concilij hic relato circa cujus tamen intellectum non conveni-
39 unt Doctores in illis verbis: [Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à communione removeatur altaris.] Quidam enim arbitrati sunt ex
40 permissione Abbatis absolutè licere etiam simplici Monacho habere administrationem bonorum stabilium, fundantes se in verbis illis, *nisi ab Abbate*, &c. Quam opinionem secuti sunt multi ex legistis in auth. *Ingressi*, C. *de Sacros. Eccles.* quos tacito nomine refert Jo. Andr. in loco inferiùs citando. Unde Rota *divers. decis.* 772. n. 2. *par.* 1. dum decidit Prioratum Religionis S. Spiritus potuisse
41 conferri in titulum Fratri prædicti Ordinis, juxta literas Pauli II. & Sixti IV. (Non enim, inquit, repugnat voto paupertatis habere peculium ex permissu Superioris, c. 2. ubi Abb. n. 4. *de stat. Monach.* Sylv. *in ver. Religio 6. n. 7. vers. Sin autem*, quia cum hæc beneficia sint ad nutum amovibilia; is qui ea obtinet est semper paratus dimittere quando superior voluerit, & sic non repugnat voto paupertatis.) Et infra. (Et hinc est quod Regulares possunt disponere de fructibus beneficiorum sæcularium,) ut per Navarr. in c. *Non dicatis*, n. 42. 12. q. 1. Et in Apolog. *Mon. q.* 80. n. 4. & 5. post Carum. *in Clem. 2. §. Sed & tales, in 1. not. de vit. & honest. Cler.* & in Clem. *Gratiæ*, *col. penult. ad fin. vers. Quod interrogatur in quæstione facti*, *de rescript.* Hactenus verba Decisionis, cum qua videtur consentire decisio prima de pœnis in antiq. & idem in Monialibus repetit *decis.* 217 *n.* 12. *par.* 2. *divers.*

Nec quoad beneficia, quæ in titulum Regularibus conceduntur, videtur dissentire S. Congregatio Concilij: declaravit enim dignitates, & officia, quæ dantur in titulum, non comprehendi decreto *cap. 2. sess. 25. de regul.* quemadmodum nec olim comprehendebantur in decreto Concilij Lateranensis, de quo hic, ut est text. in Clem. 1. *de suppl. neglig. Prælat.* quem ad hoc ponderat Navarr. *in cons. 13. quæsitum est. n. 5. de stat. Monach.*

42 Sed profectò hic canon longè alium habet sensum. Nam illa verba, (nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum) hoc tantum important, ut bonorum stabilium administrationem habere possint officiales monasterij ad nutum amovibiles, atque ita explicarunt plures Classici DD. verba, (pro injuncta administratione.) Nam glos. in figuratione casus: (Nota, inquit, concedi peculium ex causa administrationis:) quæ verba glossæ sic explicanda videntur; non enim dicit concedi in administrationem, sed causa administrationis, nempe propter officium administrandi, quia officialis est conventus, seu monasterij, & Innoc. hic exemplificat in officialibus, puta Vestiariis, vel eleemosynariis, & eum sequitur Abbas Antiquus *in princip. in verb. Administratione*, & latiùs Hostien. dum dixit non comprehendi nisi officiales pro administratione temporalium deputatos. Idem Jo. Andr. *in vers. Nisi ab Abbate*: dicens, Monachum posse habere administrationem ex concessione Abbatis, si ejus administratio versetur circa temporalia, ut quia sit Eleemosynarius, Cellerarius, vel alius habens simile officium; Secus autem esse si ejus officium versetur tantum circa spiritualia, ut si sit Prior claustralis, Sacrista, vel quis alius audiens confessiones, vel tantum vacans observantiæ regulæ: & sequitur tamen verbis Anchar. *num.* 2. Butrius idipsum affirmavit, inquiens non in utilitatem propriam habentes administrationem, sed monasterij. Et Cardin. in §. *Qui verò*, n. 1. ubi ait (Nota quod Monachus potest habere peculium ex permissu Abbatis pro injuncto administratione, ut in textu, Et expone, quia Abbas committit sibi administrationem, ex qua regenda peculium habere liceat: aliàs enim non posset Abbas dispensare: & potest poni exemplum de administratione, ut quia Eleemosynarius, Vestiarius, vel Cellerarius, vel in alio officio.

cio, ex quo habet recipere, & in usus monasterij expendere, sive sit pecunia, sive sit aliud; & tunc potius ipsa administratio habet proprium, quàm ipse Monachus: Secus si esset administratio, cujus ratione habet et tantùm circa spiritualia intendere, ut Prior claustralis, vel quivis alius audiens Confessiones: quia tunc non licet ex hac causa habere peculium.) Hæc Card. idem Jo. de Anan. quidquid dicant alii Doctores. Ratio diversitatis inter simplicem Monachum, & officialem temporalē monasterij ea est, quia simplex Monachus habens administrationem bonorum stabiliū cum facultate convertendi fructus in usus licitos verè, & in effectu dici potest usufructuarius bonorum: nam cùm possit de fructibus disponere, dicitur habere jus utendi, & fruendi, & sic usumfructum, l. 1. *ff. de usufruct.* l. 1. *C. eod.* & utrobique glos. 1. *instit. eod. tit. in princ.* Nec refert quod non possit de illis disponere nisi in honestos usus: nam nec clerici sæculares possunt erogare fructus superfluos beneficiorum suorum, nisi in usus pios, ut dicemus infra *num.* 59. & tamen in vita dicuntur usufructuarij, glos. in cap. *Præsenti, in ver. Reservari, de off. Ordin. lib. 6.* quam à toto mundo allegari dicit Barbos. in cap. *fin. de pecul. cler.* Et est communis opinio, ut testatur Calder. *cons.* 264. *alias* 2. *de reb. Eccles. non alienan.* vel certe Monachus habens administrationem bonorum stabilium cum facultate fructus erogandi in usus licitos dici potest usufructuarius qualificatus ad instar beneficiati sæcularis, secundum Præpos. *in summ.* 44. *dist. num.* 4. *vers. Exinde usus*, ut etiam dicemus infra *prædicto num.* 57. *vers. Et saltem si vera esset.* Et similiter nihil refert quod administratio possit eidem auferri ad nutum Abbatis; siquidem hoc non tollit quin durante administratione habeat jus utendi, & fruendi. Unde propriè dici potest usufructuarius ad beneplacitum, glos. 1. *in* l. 4. & glos. 1. *in* l. *Via, ff. de servit.* & glos. 1. *&* 2. *in* l. *Cum usumfructum, ff. de usufructu legato.* Quapropter titulus administrationis nihil est aliud, quàm palliamentum quoddam ad cohonestandum proprium; verè enim usufructuarius est dominus fructuum, l. *Arboribus, ff. de usufruct.* glos. in l. *Potior, §. penult. in ver. Vtendi, ff. Qui potiores in pign. habeantur.* Ideoque Monachus est incapax ususfructus non secus ac dominii, Clemen. *Exivi, §. Proinde, de verb. signif.* & dictum est supra, *num.* 31.

43 At secus est in officiali monasterij, quia is dicitur administrator in utilitatē monasterij dumtaxat, nec potest de fructibus disponere, sed omnia acquirit, & lucratur monasterio, quia omnis opera regularis est monasterio debita, cui se cum omnibus suis per professionem tradidit, cap. In præsentia, de probat. auth. *Ingressi, C. de sacros. Eccles.* Navarr. in cap. *Non dicatis, num.* 40. *in fin.* & *num.* 47. *vers.* 2. *Quod proprium secundi generis,* 12. *quæst.* 1. Rationem differentiæ implicitè assignat Butr. in d. cap. *Cum ad monasterium, num.* 11. & Abb. *hic num.* 4. Itaque Concilium Lateranense I. constituit hic regulam negativam ibi: *nec peculium permittantur habere*: peculium idest patrimonium, ut ibi per Anchar. & Jo. de Anan. in princ. Deinde imponit pœnam contrafacientibus in illis verbis: (Qui verò peculium habuerit à communione removeatur Altaris, & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè nō pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres accipiat sepulturam.) Tertiò limitat supradictam regulam, ut non procedat in officialibus, per dictionem illam, *Nisi*, quæ exceptionem importat, Feder. de Sen. *cons.* 80. *Factum tale est, num.* 2. *vers. Item non obstat*: Exceptio autem firmat regulam in contrarium in omnibus aliis, qui non sunt officiales, cap. *Nonne de præsumpt.* Bald. *cons.* 131. *Casus est talis, vers. Super secundo lib.* 1. Ex quibus apparet hunc posteriorem intellectum esse magis consonum litteræ, ac menti Concilij Lateranensis, & probari etiam à gravioribus Canonistis: & consequenter jure communi inspecto, fas non esse regularibus non officialibus habere peculium, seu annuos proventus, vel administrationem bonorum stabilium etiam ex dispensatione Superiorum, & dependenter ab eorum voluntate, & nutu. Hæc de prima inspectione.

Quoad secundam inspectionem, quia ob varios Doctorum intellectus ad hanc Decretalem, & ad cap. *Cum ad monasterium, infra eod.* res dubia videri poterat; Supervenit Concil. Tridentinum quod in *d. c.* 2. *sess.* 25. *de Regul.* Has omnes altercationes diremit apertissima decisione.

44 Primò enim disponit ut nemini Regularium tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint etiam quovis modo ab eis acquisita tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, con-
45 ventuique incorporentur. Ponderanda sunt singula verba, cum nullum sit positum absque mysterio. Et quidem in illis verbis, *tamquam propria*, Concilium prohibet proprium strictè sumptum respectu dominij juxta text. in cap. *Volumus*, 18. *quæst.* 4. & notat glos. in l. *Interdum, ff. de acquir. poss.* in quo concordat cum jure antiquo in d. cap. *Non dicatis*, & aliis juribus relatis supra *num.* 10. in verbo autem, *possidere*, prohibet possessionem, & usum quatenus sunt nomina juris, juxta text. in l. 1. cum ibi notatis per Bart. & DD. & in l. *Profectio quoque, §. Qui in aliena, ff. de acquir. possess.* & in l. *Pronuca, ff. de noxal.* cap. *Ad hæc*, & cap. *Vt nostrum, de off. Archid.* & notatur per gloss. & DD. in cap. *Cum nostris, de concess. præb.* Demum in ver. Tenere, prohibet nudam detentionem, vel usum facti juxta cap. *De his*, 32. *qu.* 1. l. *Stipulatio ista, §. Hoc quoque, de verb. oblig.* Felin. in cap. *Causam, col.* 5. *in fin. de præscript.* Tria ergo ibi prohibet Concilium, idest dominium, possessionem, & nudam detentionem bonorum tam mobilium, quàm immobilium. Pondera nunc illa verba, *aut etiam nomine Conventus*, quæ irrefragabiliter convincunt Regularibus etiam nomine conventus, & sic dependenter à Superiore prohibitam esse non solum proprietatem, & possessionem, vel usum juris, sed etiam nudam detentionem, vel usum facti.

46 Nec alicui absurdum videri debet quod hoc loco derogetur Regularibus usus facti bonorum mobilium contra text. in Clem. *Exivi, §. Proinde, de verb. signif.* & Extravag. *Ad conditorem, eod. tit.* & contra naturalem rationem, Calder. *cons.* 2. *de Regul.* Siquidem Concilium antequam concedatur Regularibus ususfacti bonorum mobilium ad eradicandum omnem affectum proprietatis præcipit ut non solum omnia Superiori tradantur, quod etiam statutum fuerat in d. c. *Cum ad monasterium*, ibi, (totum in continenti resignet) & ibi, [Sed Abbati, vel Priori, vel Cellerario assignetur]

Sed

Sed etiam ut conventui incorporentur. Et post hanc incorporationem tantum in *fin. eiusd. cap.* 2. jubet ut mobilium usum Superiores permittant, nihilque, quod sit necessarium eis denegetur. Et in hoc Concilium addidit juri antiquo, quatenus
47 hanc incorporationem non requireret. Unde patet non esse ampliùs locum opinioni Hostien. Jo. Andr. & Butr. in c. *Cum ad monasterium, infra eod.* & Sylvest. *in ver. Religio*, 6. *num.* 7. asserentium Monachum non esse proprietarium quando de qualitate, & quantitate nil celat Abbati, nec sine ipsius conscientia aliquid recipit, vel expendit, paratus totum reddere, & dimittere ad jussum Abbatis. Etenim cum etiam tunc Hostien. & Jo. Andr. hoc periculosum, & scandalosum existimarent; S. Synodus tutiorem partem amplexa, non fuit contenta ut regularis nil celaret Abbati, & esset paratus dimittere; sed amplius voluit ut omnia actualiter dimitterentur, traderenturque Superiori, & incorporarentur conventui. Addidit Clem. VIII. ut etiam confunderentur cum reliquis bonis monasterij, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari posset, ut inferius patebit *num.* 71. Quapropter nec amplius admitti potest doctrina Bart. & aliorum, qui dixerunt legatum factum sub conditione ut nihil quæratur monasterio ita esse intelligendum, ut nihil monasterio acquiratur de facto, & quoad commoditatem, sed permittendum sit ut Monachus habeat liberam legati administrationem, ut dixi sup. *n.* 21. Jam enim constat omnia esse actualiter consignanda, & ut supra confundenda pro communibus necessi-
48 tatibus. Deinde quia aliquibus videri poterat per supradictam Concilij dispositionem non fuisse sublatam administrationem ad nutum Superioris, de qua fit mentio in juribus præallegatis, & præcipuè *hic*, & infra in c. *Cum ad monasterium*, in Clem. 2. §. *Sed & tales, de vit. & honest. cler.* & sæpe alibi. Idcirco Concilium 2. loco disponit, ut infra, videlicet: Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam: administratio autem bonorum monasteriorum, seu conventuum ad solos officiales eorumdem ad nutum amovibiles pertineat. Hoc loco Concilium expresse approbat intellectum glos. Innoc. Hostien. Jo. Andr. & aliorum *hic* secundum quem disponitur, ut administratio bonorum stabilium nulli Regularium permittatur, nisi officialibus monasterij ad nutum amovibilibus, quod perinde est ac si dixisset, [Nullus Monachorum peculium permittatur habere, nisi fuerit ei pro injuncta administratione permissum.] quæ sunt verba Concilij Lateranensis hic; Et studiosè Patres usi sunt verbis illis, *Nec deinceps liceat*, &c. quæ sunt apta importare tam juris novi editionem, quàm antiqui declarationem, juxta ea quæ notantur in c. *Cum tu, de usur.* & in cap. 1. ubi in specie Philipp. Prob. ad Jo. Monach. *de privil. lib.* 6. ita ut propterea sit sensus: sive ex præscripto sacrorum Canonum prohibitum esset Regularib⁹ non officialibus habere administrationem bonorum stabilium, sive id liceret, sive res dubia esset: de cætero tamen id nō liceat; Atque ita sive Concilium innovaverit, seu declaraverit antiquam prohibitionem, sive novam prohibitionem ediderit: utcumque res se habeat, unum est administrationem hujusmodi nonnisi officialibus monasterij
49 esse permissam. Valde autem inepta est illorum interpretatio, qui asserunt Concilium hoc loco non prohibere administrationem, quam habent Regulares dependenter à voluntate suorum Superiorum. Siquidem verba Concilij non diriguntur in subditos, sed in Superiores tantum, ibi: (Nec deinceps liceat Superioribus.) Unde cum improbetur administratio illa, quæ conceditur à Superioribus, sequitur evidenter ut propriè improbetur administratio, quam habent Regulares dependenter à voluntate eorumdem Superiorum: nam si Superioribus non licet concedere alicui admi-
50 nistrationem stabilium: ergo non pendet ab eorum voluntate efficere administrationem licitam, vel illicitam: sicut videmus usum superfluum bonorum mobilium nō fieri licitum ex eo quod Regularis dicat: Ego teneo immobilia superflua dependenter à voluntate meorum Superiorum, & ad eorum nutum, quia Superiores non habent super hoc dispensandi facultatem, ut per Calder. *cons.* 2. *vers. Vltra necessitatem, de Regul.* Et nuper respondit S. Congregatio Concilij à Generali Ordinis Carmelitarum consulta: censuit enim Regulares præter supellectilem, quæ statui paupertatis Regularis convenit, non posse de licentia suorum Superiorum regularium alia bona mobilia superflua, & dependenter à voluntate eorundem Superiorum, & ad solum usum proprium possidere, seu retinere: quod & multo antea declaraverat; nam cùm fuerit dubitatum ad dispensatione inferiorum à Sūmo Pontifice liceat Regularibus possidere, vel tenere agros, annuos reditus, aliaque bona immobilia, vel mobilia superflua, non obstante decreto
51 *cap.* 2. *sess.* 25. *de Regul.* S. Congregatio censuit non licere. Item consulta an propter talem dispensationem, seu licentiam Superiorum possidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua à culpa, vel à pœna excusentur: respondit non excusari neque à culpa, neque à pœna ipso facto in-
52 currenda. Item an Superioribus asseverantibus hujusmodi se licentias posse concedere, fides adhibenda sit S. Congregatio censuit non esse adhibendam. Præterea Concilium Tridentinum inhærendo Concilio Lateranensi, constituit primò regulam negativam in illis verbis: [Nec liceat Superiori bona stabilia alicui Regulari concedere in administrationem.] Deinde à prædicta regula Concilium excipit tantum officiales ad nutum ibi: (administratio autem ad solos officiales ad nutum amovibiles pertineat.) Si autem Concilium in dicta regula negativa non prohibuisset simplici Monacho administrationem ad nutum; regula non differret ab exceptione, quia eodem modo esset permissa administratio ad nutum simplici Monacho, atque officiali monasterij, quod esset absurdum; tum quia de natura exceptionis est ut sit contra regulam, & eam vitiet in casibus exceptis, l. *In his*, l. *Quod verò*, & l. *Ius singulare, ff. de legib.* l. 1. ubi glos. & DD. *ff. de reg. jur.* tum quia alias non congrueret illa dictio, *autem*, quæ est
53 adversativa præcedentium, Bald. *cons.* 416. *Super eo quod, num.* 4. *vers. Pro hoc etiam fortius, lib.* 3. & de cujus natura est, ut in casu contrario retineat idem thema præcedens. Unde si dicatur, Scholares legunt, Petrus autem currit, intelligitur de Petro Scholare. Ita Bart. in l. *Maritus, §. fin.* per glos. ibi, *ff. de adult.* Alex. *cons.* 117. *Viso titulo, num.* 17. *&* 18. *vers. Non obstat, lib.* 6. & *cons.* 249.

Perspectis

Perusin, n. 5. lib. 6. & cons. 9. Artemis, n. 4. lib. 7. tum denique quia Concilium incongruè dixisset, ad solos officiales, si tam officialibus, quàm simplicibus Monachis permisisset administrationem ad nutum Superiorum: nam dictio illa, *ad solos*, est exclusiva aliorum omnium, qui officiales non sunt. Bald. *cons. 331. In quæst. quæ vertitur, num. 2. lib. 3.* & specialis hæc exceptio firmat regulam in contrarium in omnibus aliis casibus non exceptis, l. *Nam quod liquidè §. fin. ff. de pen. leg. cum vulg.* Cum ergo Concilium constituat manifestam differentiam inter hos duos casus, & administrationem permittat solis officialibus ad nutum: hinc necessariò sequitur ut illam prohibeat cæteris omnibus non officialibus etiam ad nutum amovibilibus: facit reg. l. *Cum Prætor. ff. de iudic. l. Maximum, C. de procurat. c. Nonne de præsumpt. cum simil.* Et confirmatur, quia cum in regula interdicatur administratio cuilibet regulari, & mox excipiatur sola administratio, quæ conceditur officialibus ad nutum, hoc manifestè innuit hujusmodi administrationem ad nutum etiam in regula fuisse comprehensam, quia aliàs exceptio non esset de regula, & esset inepta, ut in d. §. *fin.* & declarat glos. in cap. 1. *in ver. Vel extra, de appellat. lib. 6.* Lap. Gemin. & DD. in c. *Qui ad agendum, §. 1. de Procurat. eod. lib.*

54 Et eodem modo nullatenus congruit alia Navarri interpretatio, quod Concilium prohibeat tãtum administrationem tertiæ speciei, idest quæ conceditur regulari disponẽdi pro libito in quoscumque usus etiam prophanos. Observandum est enim Concilium prohibere concessionem bonorum immobilium, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut cõmendam. Et quidem in verbis, ad usumfructum, interdixit administrationem illam, de qua Navarr. loquitur.
55 Quisquis enim habet administrationem cum facultate erogandi fructus in quoscumque usus pro libito suæ voluntatis, is propriè dicitur habere usumfructum, licet revocabiliter ad nutum, cum habeat jus utendi, & fruendi rebus monasterij salva rerum substantia, & tamquam dominus fructuum possit illos vendere, donare, &c. quamdiu superior administrationem non revocaverit ad nut. in l. 1. *ff. de usufr.* cum aliis superius allegatis *num. 42.* & declarat Sylvest. *in ver. Religio, 6. num. 7. vers. Secundum si quid à Prælato.* Inquiro ergo: Si Concilium, ut putat Navarrus, tantum sustulisset hanc concessionem ad usumfructum, quid aliud operentur sequentia verba: *vel usum, administrationem, aut commendam?* Dicendum est igitur Concilium prohibuisse quamcumque speciem administrationis, ne alioquin nugatoriè, & sine ullo effectu in re gravissima ea verba inculcaverit more Tabellionum in clausulis generalibus, ad c. *Si Papa. de privileg. in 6.* cum præsertim illa posuerit tamquam diversa, ut constat ex dictionibus disjunctivis, *vel, aut*, quæ tam verba, quam sensus dis-
56 jungunt, glo. penult. in l. 4. *C. de verbor. obligat.* Sed nec alius Navarri intellectus potest admitti, quod in dict. §. *Nec deinceps*, non prohibeatur administratio, quæ conceditur regularibus ad usus licitos, & ex justa causa; siquidem cum Concilium
57 prohibeat generaliter, & indefinitè administrationem bonorum immobilium, non est privati hominis illam restringere, ac limitare ad eam tantum administrationem, quæ datur in usus illicitos, & ex injusta causa. Quin potius verbum, administrationis, indefinitè prolatum generaliter, & indefinitè est intelligendum, c. *Si Romanorum, 19. dist.* c. *Quia circa, infra de privileg.* facit text. in l. *De pretio, ff. de Publician. in rem act.* & in l. *Non distinguemus, ff. de arbitr.* indefinita enim æquipollet universali, d. cap. *Quia circa*, etiam in odiosis cum sit indefinita legis, ut notat Bart. in l. 1. §. *Sed etsi,*
58 *num. 3. ff. de vent. in possess. mitten.* cum præsertim indefinita Concilij in d. §. *Nec deinceps*, sit negativè concepta, l. *Non est sine liberis, ff. de verbor. signific.* Bald. in Auth. *Sed si quis, num. 6. C. de secun. nupt.* Cravett. *cons. 809. Plura exsecutenda, n. 4. vers. Quinimò potens.* Præterea si Concilium non prohibuisset nisi administrationem, quæ conceditur regularibus ad usus illicitos, & ex causa injusta; sequeretur ut nulla esset differentia inter simplices Monachos, & officiales. Etenim nec officialibus potest concedi administratio fructuum bonorum monasterij ad usus illicitos, sed in utilitatem monasterij tantum, ut declarant Butr. & Abbas hic. Sed consequens est falsum, quia inter hos Concilium apertam differentiam constituit, ut ostensum est supra, *n. 52. vers. Præterea, & n. 53.* ergo & antecedens. Ac postremo administratio ad usus illicitos ut ad comessationes, ebrietates, & impudicitias, & consulsi Ecclesiastico, imò nulli mortalium permissa est. Valde autem absurdum est prohibitionem à Concilio editam in specie ad Regularium reformationem usque adeo restringere, ut nihil aliud videatur Regularib' interdixisse, quàm quod universis fidelibus etiam laicis reperitur à jure interdictum. Facit text. in c. *Duo sunt genera, 12. q. 1.* ubi referuntur verba illa Hieronymi: [Aliud verò genus est Christianorum, ut sunt laici. His licet temporalia possidere, sed nonnisi ad usum.] Hæc ibi. Et saltem si vera esset Navarri interpretatio; sequeretur hoc inconveniens, ut quoad facultatem disponendi de reditibus Ecclesiasticis nulla esset differentia inter Clericos sæculares, & regulares. Certum est enim beneficiatos sæculares non posse fructus superfluos beneficiorum suorum insumere in usus prophanos, sed teneri eos pauperibus erogare sive præcepto justitiæ secundum opinionem Archid. *in Summ. 44. dist.* quæ communis est, ut testatur Major. *in 4. dist. 24. q. 17.* Sive præcepto charitatis juxta sententiam D. Thomæ *2. 2. q. 185. art. 7.* eo quod *lib. 4. art. 12.* quam tuentur Præpos. *in Summ. q. 4. dist. num. 2.* Covarr. in cap. *Cum in officiis, de testam. num. 5.* & Sarnien. *de redit. Ecclesiast. par. 2. & par. 4. cap. 1. & 2.* Et propterea Præpos. *ubi supra num. 4. vers. Exinde usu dici* beneficia obtinentes non esse ex toto usufructuarios, quia non habent liberam facultatem, sicut usufructuarij meri, sed esse usufructuarios qualificatos, quia tenentur reditus superfluos distribuere in alimoniam pauperum, & contrafacientes peccant mortaliter, quod constat ex cap. *Clericos*, c. *Pastor*, & c. *seq. 1. q. 2.* ex c. *Illi autem*, cap. *Episcopum, el secundo*, & cap. *fin.*
59 *12. q. 1.* Cum concord. Et ex his tollitur etiam absonus intellectus eorum, qui dicunt à Concilio in d. §. *Nec deinceps*, non prohiberi nisi administrationem, vel peculium superfluum. Præsertim quia Concilium, ubi voluit prohibere superflua expressit, ut paulò inferius in eod. cap. 2. §. *Mobilium vero usum.* Ergo eodem modo expressisset in administratione, si superflua tantum prohibere voluisset, l. *Unica, §. Sin autem, ad deficientis, C. de Cadu.*

Cadu. toll. & cap. *Ad audientiam, de Decim.* Ad hæc cum in d. §. *Mobilium.* expressè prohibeatur usus superfluus bonorum mobilium, frustratorium fuisset in præcedenti §. *Nec deinceps*, prohibere peculium superfluum; quia per prohibitionem usus superflui mobilium, quod minus est, multò magis poterat censeri prohibitus usus superfluus peculij, quod magis est, cap. *Cum illorum*, ibi, [Cum majora intelligantur prohibita quibus vetita sunt minora,] *de sent. excomm.*

Concludendum est igitur administrationem bonorum stabilium, seu peculium ex nulla causa, & nullo casu Regularibus esse permissam, officia-
60 libus dumtaxat exceptis. Facit decretum *cap. 1. sess. 25. de Regul.* quo præcipitur, ut omnes Regulares tam viri, quàm mulieres ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componãt, & in primis ad obedientiæ, paupertatis, & castitatis essentiam, necnon ad communem victum, & vestitum pertinentia fideliter observent. Licet hoc quoque decretum, Navarr. videatur evertere dum affirmat subditos Regulares non arctari ad illius observantiam, nisi prius monasterium, vel Religio ipsa à Superioribus instituatur, ac reformetur. Quod certè vim infert litteræ illius decreti, & mentem Concilij destruit, quod non præcipit Prælatis, & Superioribus tantum, ut reformẽt, sed Regularibus omnibus, ut ipsimet ad præscriptum regulæ vitam instituant.

Hæc omnia multò clariora apparebunt ex declarationibus sæpius editis à S. Congregat. Concilij in casibus contingentibus: nam in causa Pa-
61 normitana cùm quædam Monialis præter dotem monasterio tributam sibi reservasset scuta quinquaginta annua pro suis necessitatibus, atque indigentiis, petiit sibi fieri facultatem illa erogandi in usus prædictos: S. Congreg. censuit hanc pecuniam añuam non obstante reservatione jam quæsitam esse monasterio; ideoque deferendam esse rectà ad manus Abbatissæ, quæ primum prospiciat necessitatibus monialis oratricis, & quod reliquum fuerit, in usus totius monasterii convertat.
62 Præterea in causa Neapolitana propositum fuit S. Congregationi dubium, ut infra conceptum. In aliquibus monasteriis nonnullæ Moniales census, & añuos quosdam reditus, & proventus, seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus: nam aliquæ in ipsarum persona emerunt certos reditus à personis laicis: aliquæ ab aliis Monialibus, aliquæ ab ipsis monasteriis: aliæ verò dederunt pecuniam monasterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine monasterij ad rationem septem, vel octo pro centenario, & Abbatissæ dabant ipsis Monialibus illos reditus quos ex dictis emptionibus exigebant singulis annis. Aliquæ monasteriis, seu eorum superioribus certas pecuniarum summas manualiter pro indigentiis monasterij dederunt pacto adjecto, vel etiam tacita conventione adhibita, ut monasterium, seu Abbatissa certos reditus ad rationem tot pro centenario eorum vita durante concedat. Quæritur an Moniales prædictæ in hujusmodi casibus incurrant in pœnas per Concilium Tridentinum, *sess. 25. cap. 2. de regul.* in proprietarios inflictas. Etiamsi de licentia Abbatissæ, & ad Abbatissæ nutum, vel conventus, seu monasterij nomine percipiant: S. Congregatio censuit in nullo supradictorum casuum licere Monialibus dictos fructus, seu reditus percipere, & si perceperint, incidere in pœnas d. c. 2. *sess. 25. de regul.* Neque ab hujusmodi pœnis excusari ob licentiam Abbatissæ, quæ eam dicto Concilij decreto in supradictis casibus concedere quidem prohibetur, sed debet ex suo munere ex monasterij reditibus, vel eleemosynis Monialium necessitatibus in dies subvenire. Ex quibus declarationibus apparet nõ esse ampli' locum opinioni Jo. Andr. in reg. *Non est obligatoriũ* Calder. *cons. 2. de regul.* & Abb. *cons. 88. par. 1.* existimantium licere professo de licentia Superioris Prælati accipere aliquam añualem provisionem à conventu, vel à provincia, puta scutorum decem, ut exemplificat Jo. Andr. vel quinquaginta, ut inquiunt Calder. & Abb. persolvendam pro vestibus, & aliis personalibus necessitatibus.

Item nec opinioni Navarri in d. cap. *Nullam, num. 25. 18. q. 2.* asserentis licere Canonicis regularibus Hispaniarum accipere annuatim à monasterijs portiones illas, quas vocant privilegiatas: nam quidquid esset de jure communi, jam post Concilium constat non licere Superioribus ejusmodi annuas provisiones cuiquam assignare, aut persolvere, sed debere eos in dies, & pro re nata singulorum necessitatibus prospicere; præsertim verò quia etiam in terminis juris communis contra Navarrum stat authoritas Innoc. in cap. *Dilectus, il primo, in fin. de præb.* ibi: Nisi essent regulares, qui nec proprium possunt habere, *12. q. 1.* cap. *Non dicatis*; & ideo nec portiones distinctas. Et quamvis Innoc. subdat, Alij contra: hoc tamen non tollit quin prima dicatur sua opinio, ut declarat Dec. in cap. 1. *de Constit. prope fin.* & Jas. in l. *Si idem, cum eod. §. fin. num. 3. ff. de iurisd. omn. iudic.* Item contra eumdem Navarrum est authoritas Theodoreti, quem refert, & sequitur Chartusianus *opusc. de conform. Claustr. toto art. 13. 14. & 15.* Sed & vir gravissimus Jo. Gerson, *in libello edito contra proprietarios in prima parte* itidem oppositum docuit vigintinovem argumentis desumptis ex regula B. Augustini; & in secunda circiter quindecim desumptis ex sacris litteris, & juris Pontificij decretis, licet non satis constet an hic libellus sit tribuendus Gersoni, ut legitur in illius præfati-
63 one. Ad hæc cum Archiepiscopus Urbini retulisset Sac. Congregationi se non potuisse adducere Moniales cujusdam monasterij ad suscipiendam exactam vitam communem; ideoque illis proposuisse, ut fieret cõmunis arca, cujus clavis penes Abbatissam existeret, & intus eam aptarentur tot scriniola, quot essent Moniales, ita ut unaquæque haberet claviculam scrinioli sui, & in eo asservaret pecuniam ex laboritio, vel aliunde partam, quæ in ipsius tantum, & non in alterius necessitates erogari deberet arbitrio Abbatissæ: S. Congregatio hoc temperamentum ludicrum existimavit, ac repugnans decreto d. cap. 2. quod jubet, ut omnia Superiori tradantur, Conventuique incorporentur; ideòque mandavit Archiepiscopo,
64 ut quamdiu Moniales communem vitam non susciperent, interdiceret illis receptionem puellarũ ad habitum, & professionem. Et generaliter tam S. Congregatio Concilij, quàm Sac. Congregatio Episcoporum, ac Regularium, hanc receptionem prohibuit in pluribus monasteriis Monialium, in quibus ex relationib. Episcopor. intellexit communem vitam non servari. Imò cùm in specie id prohibuisset in quodam monasterio Lyciensi, &

puella quæ in eo habitum novitiarum susceperat ante prohibitionem S. Congregationis, iterum, ac tertio petiisset se ad professionem admitti offerens se communem vitam exactè observaturam, quin & reditus monasterij pauperis aucturam: S. Congregatio semper abnuit, periculosum existimans profiteri in monasterio, in quo Moniales o-
65 mnes erant proprietariæ. Plures quoque ordinationes ad vitam cōmunem instituendam, conservandamque fecit Congr. Regularium in decretis editis die 2. Julij 1589. pro reformatione Monia-
66 lium civitatis Neapolis, & Salerni. Et quamvis inter cætera fragilitati sexus indulgēdo disposuerit, ut in monasterijs, in quibus in eam usque diem retinebantur provisiones, & non omnia in commune conferebantur, concederetur licentia accipiendi aliquam subventionem pro religiosis necessitatibus de manibus Depositariæ, seu Abbatissæ, atque ad illius nutum, & quæ superessent Abbatissa erogare teneretur in cōmunes usus monasterij, ac Ordinarij, sive Superiores monasterii quotannis exigerent rationem à Depositaria, & Abbatissa de hujusmodi provisionibus, & in eas transgredientes graviter animadverterent: nihilominus postea facta relatione Clementi VIII. die 6. Maij 1600. Sanct. Sua addidit, ut Moniales tenerentur præstationes omnes ipsis assignatas Superioribus fideliter notificare, & consignare in certo libro notandas, & per communes officiales monasterij exigendas, ad hoc ut in usum ipsarum Monialium pro singularum religiosis necessitatibus de mandato Abbatissæ per ministros publicos, & cōmunes monasterij in totum, vel pro parte, ut opus esset, quotannis erogarentur.

67 Accedunt prædictis decreta Clementis VIII. edita ad Regularium reformationem, quæ vel declarando Concilium Trid. vel illi addendo ad firmiorem observantiam, satis clarè sustulerunt corruptelas, & opiniones initio relatas in hæc verba,
68 (Quò Tridentini Concilij decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur ut nullus ex Fratribus etiamsi superior sit, bona iṁobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas sive ex concionibus sive ex lectionibus, aut pro Missis tam in propria ecclesia, quàm ubique celebrandis, aliove ipsorum justo labore, & causa, & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorū, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere possit; sed ea omnia statim Superiori tradantur, conventuiq; incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, reditibus, pecuniis, ac proventibus cōfundantur, quò cōmunis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit. Neque Superioribus quicunq; illi sint ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia etiam ad usumfructum, vel usum, administrationē, aut cōmendam etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.) Et infra. [Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia quan-
69 tum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excusare possit quo minus culpæ, & pœnæ ab ejusdem Concilij decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxij sint, etiamsi Superiores asseverent hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.] Et paulo post. (Nullus ex Superioribus administrationem bonorum, ac aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redituum sui conventus etiam nomine conventus per seipsum habere, sive exercere possit: sed universum id onus tribus Fratribus ejusdem conventus à Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, redituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat: Alter tamquam depositarius pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asservet: Alius de pecuniis, & rebus à depositario acceptis Priori, & Fratribus, ac conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed juxta Charitatis regulam veluti bonus dispensator provideat; officiorum hujusmodi confusione penitus interdicta.)

His decretis explicantur singula verba Trid. Concilij *cap. 2. sess. 25. de regul.* Nam quod Concilium in princ. illius text. generaliter ait: (Bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint: Clemens magis specifica expressione adjecit: aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, &c.) Quibus verbis satis clarè improbavit abusum quarto loco relatum in themat. quæstion. Canonicorum Regularium, quibus annuæ portiones, seu provisiones assignantur ex bonis monasterij. Item quod Concil. dixit: *quovis modo acquisita;* Clemens explicat, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis celebrandis, aliove ipsorum justo labore, & causa, & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorū, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint. Quibus verbis similiter damnantur apertè primus, secundus, & tertius abusus in themate relati illorum monasteriorum, in quibus assignātur alicui Regulari annui reditus, sive relicti à consanguineis, sive sibi reservati ante professionem, sive empti ex pecuniis ex prædicationibus, vel aliunde quæsitis. Unde etiam patet sublatam
70 esse differentiam, quam nonnulli ex DD. in c. *Cum ad monasterium infra eod.* constituebant inter bona propria monasterij, & bona quæ Regularis sibi reservat in actu professionis, vel aliunde acquirit: Hæc enim differentia nec jure probatur, cum omnia illico monasterio acquirantur; adeout nec momento temporis possint penes Monachum consistere, ut scripsit Abb. *hic n. 8.* & declaravit S. Congregatio Concilii in supradicta causa Panormita-
71 na. Item quod Concilium præcipit: Sed statim ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur: Clemens declarando de qua incorporatione ea verba sint intelligenda explicat: Atque cum cæteris illius bonis, reditibus, pecuniis, & proventibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit. Etenim ut Regulares omnem affectum proprietatis deponerent, voluit ut omnia ita confunderentur, ut ab eis discerni, ac separari amplius non possent Ex qua quidem confusione eodem modo improbantur abusus omnes initio propositi: jam enim constat nemini Regularium assignari posse aṅuas portiones, seu reditus aṅuos; cum omnia ita confundi debeant, ut vitæ necessaria communiter omnibus inde ministrari valeant. Atque ita cessant opiniones Doctorum, qui in cap. *Edoceri, de rescr.* per illum textum scripserunt posse Abbatem cum consensu Capituli dividere reditus monasterij, & ordinare, ut singulis Monachis detur certa quantitas pecuniæ pro vestimentis, & aliis eorum necessitatibus, ut ibi per Decium *n. 17.* & in decisione bonorum monasterij de Roncevalle latissimè
72 per Navarr. in d. c. *Nullam, à nu. 8. 18. qu. 2.* Item dum Concilium disponit, ut nemini Regularium liceat bona immobilia, vel mobilia tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere, ne quispiam arbitrari posset ea verba esse intelligenda de bonis, quæ Regularis tenet sine licentia Superioris: Clemens hanc difficultatem sustulit dicens: (Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia quantum ad bona iṁobilia, vel mobilia Fratres excusare possit, quominus culpæ, & pœnæ ab ejusdem Concilij decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxij sint, etiamsi superiores asseverent se illas cōcedere posse.) Ex his verbis similiter improbantur opiniones illorum, qui asserunt Regulares excusari à proprietate, cum habent peculium de licentia Superioris, & dependenter ab eorum voluntate, & nutu: jam enim patet non pendere à voluntate, & dispensatione Superiorum, quin omnia sint confundendā cum cæteris bonis monasterij
73 pro cōmunibus necessitatibus. Rursus ubi Concilium d. c. 2. *in §. Nec deinceps,* dixit: etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut cōmendam; Clemens addidit: (etiam depositi, aut custodiæ nomine:) ut intelligatur etiam administrationem illam, quæ datur concedentis gratia, seu in utilitatem monasterij, esse prohibitam Regularibus non officialibus: ex natura enim depositi est, ut fiat gratia concedentis tantum, ut notant Bart. & DD. in l. *Quod Nerva, ff. Depositi.* Ad hæc quod ibidem simpliciter ait Concilium: (Nec liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere:) Clemens, ut omnes omnino comprehendat expressius inquit: [Nec Superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem
74 Fratribus, vel eorum alicui.] Ac demum quod ait Concilium: [Administratio autem bonorum ad solos officiales pertineat:] Clemens in §. *Nullus.* declarat nomine officialium non intelligi Superiores locorum, sed tres ministros dumtaxat, nempe Exactorem, Depositarium, & Dispensatorem. Quo loco Clemens expresè approbat opinionem Hostien. Jo. Andr. & aliorum *hic*, qui dixerunt administrationem bonorum monasterij posse demandari officialibus temporalibus tantum, puta Eleemosynario, Cellerario, & aliis hujusmodi, non autem illis, quorum officium versatur circa spiritualia, puta Priori Claustrali, vel Sacristæ, ut dixi supra *num. 42.* Unde etiam sublata est dispositio, C. *Edoceri, de rescript.* & aliorum jurium, quatenus disponebant, ut administratio bonorum monasterii ad Abbatem pertineret, ut ibi per Decium *nu. 17.* & per Navarr. in d. cap. *Nullam, à num. 8. 18. qu. 2.*

75 Neque verò hoc casu, quod nonnunquam temerè fieri solet, objici potest quod decreta Clementis non sint in usu; siquidem omnino cessat hoc subterfugium, cum decreta ipsa fuerint postea innovata à Paulo V. Item à Greg. XV. *in decretis de apostat. & eiect.* & nuper à Sanctiss. D. N. Urbano VIII. *in decretis de celebr. Missar.* explorati enim contra decreta Apostolica non usum minimè suffragari nisi sit temporis annorum quadraginta cum scientia, & patientia Papæ, ut notat Præpos. in §. *Leges, num. 3. 4. dist.* & sæpius resolvit Rota, ut patet *decis. 197. num. 3. & 4.* & *decis. 213. nu. 2.* & *decis. 221. num. 4. part. 1.* & *decis. 387. num. 6. par. 3. recen.* Et adde quod scripsi in cap. 1. *à num. 47. usque in fin. de treug. & pace.*

Concludendum est igitur nemini prorsus Regularium tam virorum, quàm mulierum cujuscumque qualitatis, & conditionis existat, nisi sit officialis, fas esse etiam nomine conventus habere aṅuos reditus, seu provisiones annuas, vel bonorum stabilium administrationem, aut peculium, etiamsi illud non sit superfluum, sed ad necessarios, honestos, & pios usus à Superiore ex quacumque causa concessum, & dependenter ab ejus voluntate, & nutu: nec quemquam excusari à lethali culpa, & pœna proprietarij inflicta ex quavis consuetudine monasterij, vel religionis, aut ex varietate, seu probabilitate opinionum, aut alio quovis prætextu, vel causa. Et religiosis tam Prælatis, quàm subditis cavendum esse ab hujusmodi palliamentis, quia Deus non irridetur. Ad *Galat. c. 6.* cap. *Erubescant, 32. dist.* c. *Humanæ, 22. q. 5.*
76 cap. *Tua nos, de simon.* & cap. *In civitate, de usur.* Et eo magis quia S. Congregatio consulta an liceat Regularibus interpretari decretum c. 2. *sess. 25. de Regul.* respondit non licere.

Ad dubium ut supra conceptum num. 1. Sacra Congregatio respondit negativè, videlicet in nullo ex suprascriptis casibus licere Regularibus utriusque sexus habere prædictos aṅuos reditus, seu provisiones aṅuas, vel bonorum stabilium administrationem, seu peculium non superfluum nomine conventus, ac de suorum Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate, ac nutu: alioquin non esse immunes à culpa, & pœna, de qua in d. c. 2. *sess. 25. de Regular.*

De Statu Monachorum.

Cap. Recolentes.

SVMMARIVM.

1 D*omus religiosa aggregata Cisterciensibus eorum mores servare tenetur.*
2 *Monachi Cistercienses tenentur regulam observare secundum originalia instituta, & num. 8.*
3 *Consilio, & verbis hortatorijs parendum est si materia sit de præcepto.*
4 *Regulares utriusque sexus tenentur ad observantiam regulæ secundum primævam institutionem circumscriptis privilegijs Apostolicis, & n. 8.*
5 *Prælati regulares possunt inducere reformationem juxta ipsorum instituta, si eorum monasteria sint relaxata, & regula collapsa, & ad illam omnes obligare, & num. seqq.*
6 *Regulares profitentur regulam, non consuetudinem.*
7 *Papa potest religiosis etiam strictiorem vitam indicere, quam eorum regula exigat.*
8 *Item potest primævum rigorem regulæ mitigare.*
9 *Regulares in substantialibus regulæ tenentur se conformare cum originalibus institutis, licet religio ipsa à Superioribus non reformetur.*
10 *Et quæ sint substantialia regulæ.*

puella quæ in eo habitum novitiarum susceperat ante prohibitionem S. Congregationis, iterum, ac tertio petiisset se ad professionem admitti offerens se communem vitam exactè observaturam, quin & reditus monasterij pauperis aucturam: S. Congregatio semper abnuit, periculosum existimans profiteri in monasterio, in quo Moniales o-
65 mnes erant proprietariæ. Plures quoque ordinationes ad vitam com̃unem instituendam, conservandamque fecit Congr. Regularium in decretis editis die 2. Julij 1589. pro reformatione Monia-
66 lium civitatis Neapolis, & Salerni. Et quamvis inter cætera fragilitati sexus indulgẽdo disposuerit, ut in monasterijs, in quibus in eam usque diem retinebantur provisiones, & non omnia in commune conferebantur, concederetur licentia accipiendi aliquam subventionem pro religiosis necessitatibus de manibus Depositariæ, seu Abbatissæ, atque ad illius nutum, & quæ superessent Abbatissa erogare teneretur in com̃unes usus monasterij, ac Ordinarij, sive Superiores monasterii quotannis exigerent rationem à Depositaria, & Abbatissa de hujusmodi provisionibus, & in eas transgredientes graviter animadverterent: nihilominus postea facta relatione Clementi VIII. die 6. Maij 1600. Sanct. Sua addidit, ut Moniales tenerentur præstationes omnes ipsis assignatas Superioribus fideliter notificare, & consignare in certo libro notandas, & per communes officiales monasterij exigendas, ad hoc ut in usum ipsarum Monialium pro singularum religiosis necessitatibus de mandato Abbatissæ per ministros publicos, & com̃unes monasterij in totum, vel pro parte, ut opus esset, quotannis erogarentur.

67 Accedunt prædictis decreta Clementis VIII. edita ad Regularium reformationem, quæ vel declarando Concilium Trid. vel illi addendo ad firmiorem observantiam, satis clarè sustulerunt corruptelas, & opiniones initio relatas in hæc verba,
68 (Quò Tridentini Concilij decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur ut nullus ex Fratribus etiamsi superior sit, bona im̃obilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas sive ex concionibus sive ex lectionibus, aut pro Missis tam in propria ecclesia, quàm ubique celebrandis, aliove ipsorum justo labore, & causa, & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorũ, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere possit; sed ea omnia statim Superiori tradantur, conventuiq; incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, reditibus, pecuniis, ac proventibus cõfundantur, quò com̃unis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit. Neque Superioribus quicunq; illi sint ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia etiam ad usumfructum, vel usum, administrationẽ, aut com̃endam etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.) Et infra. [Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia quan-
69 tum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excusare possit quo minus culpæ, & pœnæ ab ejusdem Concilij decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxij sint, etiamsi Superiores asseverent hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.] Et paulo post. (Nullus ex Superioribus administrationem bonorum, ac aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redituum sui conventus etiam nomine conventus per seipsum habere, sive exercere possit: sed universum id onus tribus Fratribus ejusdem conventus à Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, redituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat: Alter tamquam depositarius pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asservet: Alius de pecuniis, & rebus à depositario acceptis Priori, & Fratribus, ac conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed juxta Charitatis regulam veluti bonus dispensator provideat; officiorum hujusmodi confusione penitus interdicta.)

His decretis explicantur singula verba Trid. Concilij *cap. 2. sess. 25. de regul.* Nam quod Concilium in princ. illius text. generaliter ait: (Bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint: Clemens magis specifica expressione adjecit: aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, &c.) Quibus verbis satis clarè improbavit abusum quarto loco relatum in themat. quæstion. Canonicorum Regularium, quibus annuæ portiones, seu provisiones assignantur ex bonis monasterij. Item quod Concil. dixit: *quovis modo acquisita*; Clemens explicat, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis celebrandis, aliove ipsorum justo labore, & causa, & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorũ, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint. Quibus verbis similiter damnantur apertè primus, secundus, & tertius abusus in themate relati illorum monasteriorum, in quibus assignãtur alicui Regulari annui reditus, sive relicti à consanguineis, sive sibi reservati ante professionem, sive empti ex pecuniis ex prædicationibus, vel aliunde quæsitis. Unde etiam patet sublatam
70 esse differentiam, quam nonnulli ex DD. in c. *Cum ad monasterium infra eod.* constituebant inter bona propria monasterij, & bona quæ Regularis sibi reservat in actu professionis, vel aliunde acquirit: Hæc enim differentia nec jure probatur, cum omnia illico monasterio acquirantur; adeout nec momento temporis possint penes Monachum consistere, ut scripsit Abb. *hic n. 8.* & declaravit S. Congregatio Concilii in supradicta causa Panormita-
71 na. Item quod Concilium præcipit: Sed statim ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur: Clemens declarando de qua incorporatione ea verba sint intelligenda explicat: Atque cum cæteris illius bonis, reditibus, pecuniis, & proventibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit. Etenim ut Regulares omnem affectum proprietatis deponerent, voluit ut omnia ita confunderentur, ut ab eis discerni, ac separari amplius non possent Ex qua quidem confusione eodem modo improbantur abusus omnes initio propositi: jam enim constat nemini Regularium assignari posse añuas portiones, seu reditus añuos; cum omnia ita confundi debeant, ut vitæ necessaria communiter omnibus inde ministrari valeant. Atque ita cessant opiniones Doctorum, qui in cap. *Edoceri, de rescr.* per illum textum scripserunt posse Abbatem cum consensu Capituli dividere reditus monasterij, & ordinare, ut singulis Monachis detur certa quantitas pecuniæ pro vestimentis, & aliis eorum necessitatibus, ut ibi per Decium *n. 17.* & in decisione bonorum monasterij de Roncevalle latissimè
72 per Navarr. in d. c. *Nullam, à nu. 8. 18. qu. 2.* Item dum Concilium disponit, ut nemini Regularium liceat bona immobilia, vel mobilia tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere, ne quispiam arbitrari posset ea verba esse intelligenda de bonis, quæ Regularis tenet sine licentia Superioris: Clemens hanc difficultatem sustulit dicens: (Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia quantum ad bona im̃obilia, vel mobilia Fratres excusare possit, quominus culpæ, & pœnæ ab ejusdem Concilij decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxij sint, etiamsi superiores asseverent se illas cõcedere posse.) Ex his verbis similiter improbantur opiniones illorum, qui asserunt Regulares excusari à proprietate, cum habent peculium de licentia Superioris, & dependenter ab eorum voluntate, & nutu: jam enim patet non pendere à voluntate, & dispensatione Superiorum, quin omnia sint confundendã cum cæteris bonis monasterij
73 pro com̃unibus necessitatibus. Rursus ubi Concilium d. c. 2. *in §. Nec deinceps*, dixit: etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut cõmendam; Clemens addidit: (etiam depositi, aut custodiæ nomine:) ut intelligatur etiam administrationem illam, quæ datur concedentis gratia, seu in utilitatem monasterij, esse prohibitam Regularibus non officialibus: ex natura enim depositi est, ut fiat gratia concedentis tantum, ut notant Bart. & DD. in l. *Quod Nerva. ff. Depositi.* Ad hæc quod ibidem simpliciter ait Concilium: (Nec liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere:) Clemens, ut omnes omnino comprehendat expressius inquit: [Nec Superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem
74 Fratribus, vel eorum alicui.] Ac demum quod ait Concilium: [Administratio autem bonorum ad solos officiales pertineat:] Clemens in §. *Nullus*, declarat nomine officialium non intelligi Superiores locorum, sed tres ministros dumtaxat, nempe Exactorem, Depositarium, & Dispensatorem. Quo loco Clemens expressè approbat opinionem Hostien. Jo. Andr. & aliorum *hic*, qui dixerunt administrationem bonorum monasterij posse demandari officialibus temporalibus tantum, puta Eleemosynario, Cellerario, & aliis hujusmodi, non autem illis, quorum officium versatur circa spiritualia, puta Priori Claustrali, vel Sacristæ, ut dixi supra *num. 42.* Unde etiam sublata est dispositio, C. *Edoceri, de rescript.* & aliorum jurium, quatenus disponebant, ut administratio bonorum monasterii ad Abbatem pertineret, ut ibi per Decium *nu. 17.* & per Navarr. in d. cap. *Nullam, à num. 8. 18. qu. 2.*

75 Neque verò hoc casu, quod nonnunquam temerè fieri solet, objici potest quod decreta Clementis non sint in usu; siquidem omnino cessat hoc subterfugium, cum decreta ipsa fuerint postea innovata à Paulo V. Item à Greg. XV. *in decretis de apostat. & eiect.* & nuper à Sanctiss. D. N. Urbano VIII. *in decretis de celebr. Missar.* explorati enim contra decreta Apostolica non usum minimè suffragari nisi sit temporis annorum quadraginta cum scientia, & patientia Papæ, ut notat Præpos. in §. *Leges, num. 3. 4. dist.* & sæpius resolvit Rota, ut patet *decis. 197. num. 3. & 4.* & *decis. 213. nu. 2.* & *decis. 221. num. 4. part. 1.* & *decis. 387. num. 6. par. 3. recen.* Et adde quod scripsi in cap. 1. *à num. 47. usque in fin. de treug. & pace.*

Concludendum est igitur nemini prorsus Regularium tam virorum, quàm mulierum cujuscumque qualitatis, & conditionis existat, nisi sit officialis, fas esse etiam nomine conventus habere añuos reditus, seu provisiones annuas, vel bonorum stabilium administrationem, aut peculium, etiamsi illud non sit superfluum, sed ad necessarios, honestos, & pios usus à Superiore ex quacumque causa concessum, & dependenter ab ejus voluntate, & nutu: nec quemquam excusari à lethali culpa, & pœna proprietarij inflicta ex quavis consuetudine monasterij, vel religionis, aut ex varietate, seu probabilitate opinionum, aut alio quovis prætextu, vel causa. Et religiosis tam Prælatis, quàm subditis cavendum esse ab hujusmodi palliamentis, quia Deus non irridetur. Ad Galat. c. 6. cap. *Erubescant, 32. dist.* c. *Humanæ, 22. q. 5.*
76 cap. *Tua nos, de simon.* & cap. *In civitate, de usur.* Et eo magis quia S. Congregatio consulta an liceat Regularibus interpretari decretum c. 2. *sess. 25. de Regul.* respondit non licere.

Ad dubium ut supra conceptum num. 1. Sacra Congregatio respondit negativè, videlicet in nullo ex suprascriptis casibus licere Regularibus utriusque sexus habere prædictos añuos reditus, seu provisiones añuas, vel bonorum stabilium administrationem, seu peculium non superfluum nomine conventus, ac de suorum Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate, ac nutu: alioquin non esse immunes à culpa, & pœna, de qua in d. c. 2. *sess. 25. de Regular.*

De Statu Monachorum.

Cap. Recolentes.

S V M M A R I V M.

1 *Domus religiosa aggregata Cisterciensibus eorum mores servare tenetur.*
2 *Monachi Cistercienses tenentur regulam observare secundum originalia instituta, & num. 8.*
3 *Consilio, & verbis hortatorijs parendum est si materia sit de præcepto.*
4 *Regulares utriusque sexus tenentur ad observantiam regulæ secundum primævam institutionem circumscriptis privilegijs Apostolicis, & n. 8.*
5 *Prælati regulares possunt inducere reformationem juxta ipsorum instituta, si eorum monasteria sint relaxata, & regula collapsa, & ad illam omnes obligare, & num. seqq.*
6 *Regulares profitentur regulam, non consuetudinem.*
7 *Papa potest religiosis etiam strictiorem vitam indicere, quam eorum regula exigat.*
8 *Item potest primævum rigorem regulæ mitigare.*
9 *Regulares in substantialibus regulæ tenentur se conformare cum originalibus institutis, licet religio ipsa à Superioribus non reformetur.*
10 *Et quæ sint substantialia regulæ.*

11 *Domus religiosa potest ex toto se transferre ad religionem arctiorem alterius Ordinis.*
12 *Moniales Tertiariæ an possint collegialiter transire ad strictiorem ordinem de licentia Provincialis Ministri, remanente eodem superiore, & conventu.*
13 *Iuramentum à Canonicis Insulatum præstitum de non impedienda translatione eorum Ecclesiæ ad Ordinem Cistertiensem valet in eorum præiudicium.*
14 *Hospitalarij possunt in præiudicium suum se, & domum suam alteri religiosæ domui subijcere, & n. 46. vers.* Ad tertium *& num. seq.*
15 *Regularium per sonæ totius conventus an possint ad strictiorem ordinem se transferre licentia petita, licet non obtenta, & num. 17. 24. & seq.*
16 *Monasterium unum potest alteri aggregari, & uniri ordinaria authoritate.*
Contrarium, num. 24. & seqq.
17 *Intellectus, c.* Licet, de Regular. *& num. 20. & 28.*
18 *Moniales de iure communi possunt ad strictiorem religionem transire licentia petita, licet non obtenta.*
19 *Et quid post* Concilium *Tridentinum, & Bullam Pij V. de Clausura Monialium, & num. 48.*
Spiritus Dei ubi est, ibi libertas.
Declaratur num. 48. vers. Ad confirmationem.
21 *Monialium transitus ab uno ad aliud monasterium in quibus casibus permittatur ex Bulla Urbani IV.*
22 *Bulla Urbani IV. super transitu Monialium an sit sublata à Concilio Tridentino, & Constitutione Pij V. & num. 49.*
23 *Translationem unius conventus ad alium fieri posse de licentia Ordinarij, qui Authores senserint.*
24 *Intellectus cap.* unic. de religios. domib. lib. *6. & num. 32.*
25 *Argumentum de parte ad totum, vel de singulis ad universos multoties vacat.*
26 *Collegio Iudæorum, vel aliàs illicito legari non potest; singularibus personis secus.*
27 *Appellatio generalis à quocumque gravamine non tenet.*
28 *Transitus ad strictiorem religionem cur facilius permittatur singularibus personis, quàm conventui, vel ordini.*
29 *Unio omnium beneficiorum simplicium diœcesis facta seminario ab Episcopo non valet.*
30 *Rex alienare, seu donare non potest in præiudicium regni sui, & contra Regis honorem.*
31 *Maiores Ecclesiæ causæ ad Romanam Ecclesiam sunt referendæ.*
32 *Concilium Lugdunense de transitu totius conventus, vel ordinis an habeat locum in ordinibus non revocatis.*
33 *Religio una non potest ad aliam religionem etiam strictiorem transire sine authoritate Sedis Apostolicæ, & num. seqq.*
34 *Religionem novam solus Papa potest approbare, seu confirmare.*
35 *Solemnitas eadem quæ requiritur ad constructionem actus, requiritur ad illius destructionem.*
Episcopi, & Prælati regulares supprimere non possunt religionem à Sede Apostolica approbatam, ibidem.
36 *Unio translativa dicitur incorporatio, quæ æquiparatur alluvioni.*
37 *Cum aliquid prohibetur, censetur prohibitum omne id, per quod pervenitur ad illud.*
38 *Monachus translatus ad aliam religionem nihil habet commune cum prima.*
39 *Regularis translatus à religione Fratrum Minorum ad tertium Ordinem S. Francisci recuperat ius succedendi in bonis sibi post translationem delatis.*
40 *Regulares subijciuntur Superioribus illius religionis, ad quam canonicè sunt translati.*
41 *Monasteriorum fundationibus Episcopi, vel Prælati Regulares derogare non possunt.*
42 *Episcopi etiam pro una vice, & de patroni consensu dispensare nequeunt contra legem in fundatione beneficij.*
43 *Monasterium venit beneficij appellatione.*
44 *Fratres S. Dominici, & Servorum mutare possunt suas Constitutiones, sed non originalia instituta religionis.*
45 *Commutatio voluntatum fieri non potest ab inferiori à Principe, etiam in melius.*
46 *Legatum distribuendum in usum pauperum applicari non potest Presbytero pro Missis celebrandis.*
47 *Unio, seu aggregatio unius conventus quatenus fieri possit sine authoritate Papæ, non tamen fieri potest multorum conventuum, vel omnium, & cur.*
48 *Monialibus licentia se transferendi ad aliud monasterium quibus conditionibus concedatur.*
49 *Episcopus transferre non potest Monialem ab uno ad aliud monasterium ex causa furoris, sine licentia Sedis Apostolicæ.*
50 *Prælatus Regularis concedens licentiam Moniali tendenti ad epidimiam exeundi è monasterio, incidit in excommunicationem.*
51 *Monialis post Bullam Pij V. educi non potest ex uno monasterio, ut præfici possit in Abbatissam alterius.*
52 *Bulla Pij V. cur non sustulerit facultatem reducendi Moniales ad monasteria intra urbes.*
53 *Regularis non cogitur invitus ad arctiorem religionem transire, nisi propter demerita.*
54 *Monialibus an liceat egredi clausura in casu inevitabilis, & periculosæ necessitatis.*

1 RECOLENTES. Monet Cistertienses ut servent regulam secundum primævam institutionem; hoc dicit primò; & domus religiosa aggregata Cistertiensibus eorum mores servare tenetur; hoc dicit secundò. Dividitur in quatuor partes secundum Goffred. Hostien. & Jo. Andr. In prima decisione Ordo Cistercientium secundum antiqua tempora multipliciter commendatur. In secunda consideratis modernis temporibus reprehenditur. In tertia Monachi Cistercienses, ut terminis suis antiquis contenti sint, admonentur. In quarta qualiter domus, quæ Cistercienſibus se subjiciunt, se eisdem conformare debeant, instruuntur. Secun. a ibi, *Dolentes.* Tertia ibi, *Ideoque.* Quarta ibi, *Cæterum.*

2 Nota primò in vers. *Ideoque*, Monachos Cistercienses teneri regulam observare secundum originalia instituta: nam etsi textus utatur verbis hortatoriis ibi, *præcibus, & monitis exhortamus*; tamen huic consilio parendum est secundum Ho-
3 stien. *in ver. Exhortamur, num. 8.* & Cardin. *num. 4.* & sic verba hortatoria, cum materia propter votum sit de præcepto, non excludunt obligationem cap. *Rego*, juncta glos. 11. *quæst.* 3. & cap. 1. *de testib.* ubi glos. *in ver. Hortamur*, exponit, idest præcipimus. Ad idem text. in cap. *Ad aures*, & ibi optima glos. *in ver. Consilio, de ætat. & qualitat.* & scripsi latiùs in c. 1. *n. 44. de Constit.*

4 Quod autem hic dicitur in specie de ordine Cisterciensi, generaliter hodie statutum est de omnibus religionibus decreto Concilij Tridentini in *cap. 1. sess. 25. de Regular.* ubi disertis verbis præcipitur ut [omnes Regulares tam viri, quàm fœminæ ad regulæ quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant; atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus regulæ, & ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respectivè essentiam, nec non ad communem victum, & vestitum conservanda pertinentia fideliter observent.] Et quamvis con-
5 troverteant Doctores, si reducatur monasterium ad primum rigorem regulæ, pristinamque severitatem, inibi existentes an præcisè compellantur servare illam reformationem; & Oldrad. *cons. 96.* tenuerit non posse præcisè compelli; tamen contraria opinio est communis, quam tenet Innoc. in cap. *Super eo, super de regul.* & ibi Jo. Andr. Butr. Cardin. & Abbas. Idem Abb. plenè in cap. *Ad nostram, num. 4.* & ibi latè Felin. *num. 4. & 5.* Dec. *n. 5. & 6.* & Præpos. *num. 9. de appell.* Butr. in cap. *Cum causam, num. 14. & 15. de elect.* Alvar. Pelag. *de plant.*
6 *eccles. lib. 2. cap. 8. col. 4.* Pro qua est optimus textus in dict. cap. *Cum causam, in fine*, ut ibi dixi *in oct avo notab.* post Butr. *d. num. 14.* & Joan. de Anan. *num. 4.* Rationem assignat Abb. in dict. cap. *Ad nostram*, quia per professionem renunciarunt propriæ voluntati, &, ut dicit Summa Asten. *tit. 47. de Regular. art. 3. in 7. quæst.* profitentes profitentur regulam, non consuetudinem, & propterea ad regulæ observantiam compelli possunt. Eidem sententiæ adhæsit Jo. Monach. *in c. cap. 1. num. 7. de regular. lib. 6.* & ibi latè Prob. *num. 14. & seq.* qui testatur de communi, eamque uti veram, & communem amplexa est Rota *decis. 215. par. 2. divers. per totam*, & præsertim, *num. 7. & seqq.*

Demum eamdem sententiam probavit S. Congregatio Concilij; censuit enim posse Superiores Regularium inducere reformationem juxta ipsorum instituta, si eorum monasteria sint relaxata & regula collapsa, & ad illam omnes obligare, ut
7 colligitur in fine *d. cap. 1. sess. 25. de regularib.* Quæ multo clarius procedunt in Sumo Pontifice, qui potest religiosis etiam strictiorem vitam indicere, quàm eorum regula exigat, ut per DD. in d. c. *Super eo, de regular.* & cap. *Ad nostram, de appellat.* Sicut Bonifacius VIII. indixit universis Monialibus clausuram perpetuam, ut in cap. *Periculoso, de Statu Regular. lib. 6.* innovato à Concilio Tridentino in *cap. 5. sess. 25. de regular.* & Pius V. in Constitut. de Monialium clausura, quæ incipit, *Decori*; ad eam clausuræ legem adstrinxit etiam Sanctimoniales illas, quæ ex fundatione monasterij ad eam non tenebantur, & Clemens VIII. *in decretis de reformat. Regular.* in pluribus eos restrinxit ultra præscriptum regulæ. Quod factum est etiam in decretis S. Congregationis Concilij *de Regular. Apostat. & eiect.* non ita pridem editis jussu Sanctissimi D. N. Urbani VIII. Neque in his possunt religiosi resistere, quia ut formaliter dicit textus in cap. *Si religiosus, de elect. lib. 6.* eorum arbitrium non ex sua (cum velle vel nolle non habeant) sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuerunt, & cujus imperio se subjecerunt, voluntate dependet: concordat cap. *Religiosus, de testament.* & cap. *fin. de Sepultur. eod. lib.* & cap. *Non dicatis, 12. quæst. 1.*

8 Quemadmodum autem potest Sedes Apostolica arctiorem vitam indicere, ita & primævum rigorem regulæ, & asperitatem mitigare, sicut Monachi Cistercienses, de quibus loquitur hæc decretalis, ex indultis Apostolicis possunt habere castra, villas, molendina, possessiones, census, jurisdictiones, & jura, ut refert Rodriq. *Quæst. Regular. tom. 3. q. 75. art. 1.* Sed circumscriptis privilegiis Apostolicis, religiosi omnes, saltem in substantia-
9 libus regulæ, tenentur se conformare cum originalibus institutis, licet religio ipsa non reformetur, quidquid contra scripserit Navarr. in d. c. *Non dicatis.* Nam Concilium in *d. c. 1. sess. 25. de regular.* non dirigit verba in Superiores, quemadmodum fecit quando voluit arctare illos tantum, & non subditos, ut in *cap. 8. 10. & 20. ejusdem sessionis*, & sæpe alibi. Sed loquitur de regularibus per dictionem illam universalem, *omnes*, quæ neminem excludit, c. *Si Romanorum, 19. dist. l. 3. ff. de off. Præsid.* eisque præcipit, ut ad præscriptum regulæ, quam professi sunt, vitam instituant: unde hoc decretum restringere ad Prælatos tantum, nihil est aliud, quàm litteræ vim inferre, & mentem Concilij labefactare; cum præsertim ex sententia S. Congregationis in his, quæ sunt contra substantialia regulæ, Religiosi non excusentur consuetudine, quæ potius corruptela dicenda est, ut dixi plenè in cap. *2. supra eod.* Quæ quidem substantialia ultra peculiaria cujusque Religionis vota & præcepta,
10 de quibus in d. c. 1. tamdem ad tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ rediguntur, & hæc tria traditur Christus indicasse adolescenti *Matth. 19.* Vendere enim omnia paupertas est, sequi Christum obedientia, & castitas, non enim sequitur qui non obedit; sic non sequitur qui non imitatur. Unde & castitatem servare oportet, sicut & ille servavit. Et cum finis regularis vitæ sit contemplatio, quomodo fieri poterit, ut possit quis contemplari, & evangelicam doctrinam amplecti sine castitate? Quoniam ut legitur *Ioan. ep. 1. c. 2. Omne, quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.*

11 Secundo nota ex illis verbis Decretalis; *Domus illæ, quæ de aliis institutionibus ad vestrum ordinem se transtulerint.* Domum religiosam posse ex toto se transferre ad religionem arctiorem alterius ordinis, ut hic colligunt Anton. de Butr. *num. 4.* Jo. de Anan. *eod. num.* & Abb. *num. 2.* Cujus autem authoritate id fieri possit, aut debeat, & an sufficiat licentia petita, licet non obtenta, dicam plenè in sequenti quæstione.

12 Extant in Belgio plurima Sanctimonialiũ monasteria vulgò Grisearum sororum tertij Ordinis S. Francisci nuncupata, quæ etsi in communi vivant, & tria religionis essentialia vota emittant; clausuram tamen nõ servant. Harum Monialium cura ferè cõmuniter incumbit Ministris Provincialibus Fratr. Minorum S. Francisci respectivè in suis provinciis sive regularis, sive strictioris observantiæ; qui serio pro earum reformatione, & maximè clausura laborant. Quod ut efficacius facere possint, aliqui dictorum Provincialium his Monialibus transitum ad alios strictiores ordines tam efficaciter suaserunt, ut aliqui dictarum

rum Monialium integri conventus suum primævum institutum deserentes liberè amplexati sint alios ordines à diversis fundatricibus fundatos, qui arctioris sunt instituti, nempe Añunciatarum à B. Joanna Regina Galliæ, & Conceptionis B. Mariæ. (Qui diversi Ordines diversum etiam habent vivendi modum, diversum officium divinum cum priùs ad officium B. Mariæ tenerentur, nunc verò ad Romanum, denique alia vota, & diversum omnino à primo habitum, & aliam professionem post novitiatus añum, remanente solo Superiore, & conventu eodem.

QUÆRO, An Superiores Ordinis Minorum possint hujusmodi transitum permittere ad aliam religionem arctiorem, etiam non mutato conventu, nec Superiore, & illam novam professionem cum mutatione habitus sua propria, & ordinaria authoritate recipere: An verò ad id Summi Pontificis requiratur assensus, cum monasteria hujusmodi piorum eleemosynis fundata, & dotata fuerint pro Tertiariis S. Francisci.

Et quidem posse Superiores ordinis hunc transitum permittere sua ordinaria authoritate videtur suaderi primò ex hac decretali ibi: *Si enim relicta originali sui ordinis instituto ad communia voluerint aliorum monasteriorum iura divertere*, & ibi: *Cæterum domus illæ, quæ de aliis institutionibus ad vestrum ordinem se transtulerint.* nulla enim mentio hic fit de authoritate Apostolica, & verba illa, *si voluerint*, & verba, *se transtulerint*, potiùs insinuant translationem pendere à libera voluntate Congregationis Monachorum.

13 Secundò ad idem adducitur textus in cap. *Cum dilectus*, *supra de his quæ vi, met. caus.* ubi deciditur valere votum, & juramentum, quod præstiterunt Canonici Insularum, de non impedienda translatione ecclesiæ ipsorum ad Ordinem Cistercienfem, ubi glos. *in ver. Ecclesia*, notat hujusmodi translationem fuisse validam quantum ad ipsos, licet non quantum ad Episcopum, cum facta fuerit eo inconsulto, cui propterea nullum fit præjudicium, sed habebit jura Episcopalia sua sicut consuevit, ut in cap. *Quia monasterium*, *de relig. domib.* & sic secundum glos. nullo respectu ad hanc translationem requiritur authoritas Papæ; & ita hunc textum ad hoc allegant simpliciter Butr. & Abb. supra citati *in 2. notab.*

14 Tertiò idem suadetur ex c. *Inter dilectos*, *de donat.* ubi clarè deciditur posse Hospitalarios in præjudicium suum se & domum suam alteri religiosæ domui subjicere, & donare: & dum in fine additur, nullum præjudicium hinc generari Diœcesano Episcopo, hoc indicat eo consentiente subjectionem, & donationem valere in omnibus, nec opus esse authoritate Sedis Apostolicæ.

15 Quartò idem probatur in cap. *Olim*, *il primo*, *supr. de restit. spoliat.* ubi patet subjectionem, quam Fratres Humiliati de se, & suis fecerant magistro, & Fratribus militiæ Templi sub conditione, *Si complaceret Episcopo*, fuisse validam, ubi Innoc. *num. 4. in verb. Conditione*, dicit simpliciter prædictos Fratres Humiliatos bene posse se dare, seu transferre, cùm arctior sit religio, allegat cap. *Licet*, *de Regular.* & ita in translatione personarum totius domus religiosæ Innocentius videtur velle, ut sufficiat licentia petita, licet non obtenta. Quod apertius ibi tenet, Hostien. *num. 1.* dicens, benè licuisse Fratribus Humiliatis transire ad arctiorem, secundum Innocen. idque verum esse quoad personas suas petita licentia, licet non obtenta, juxta textum in d. cap. *Licet*. Regulam tamen ut ipse ait, in ipso loco institutam, vel habitum, vel ritum antiquum ejusdem loci immutare, vel locum aliis subjicere sine authoritate Episcopi non possunt, nec Episcopus debet talibus consentire sine consilio Capituli sui, *cap. 2. de suppl. neglig. Prælat.* cum concord. de quibus per eum; nisi hoc fieret Papa authorizante, arg. cap. *Fraternitati*, *de Cler. non resid.* cap. *Ad audientiam*, *il secundo*, *de eccles. ædific.* & cap. *Excommunicamus*, §. *Qui verò*, *de Hæret.* Ita Hostien. quem totidem verbis sequuntur *ibidem* Jo. Andr. *num. 29.* Bellam. *nu. 20. vers. Nunc opponitur*, Butr. *num. 31.* Imola *num. 7.* Anchar. & Abb. *num. 12.*

16 Quintò adducitur textus in cap. *Sicut unire*, *de excess. Prælat.* ubi apparet unum monasterium posse alteri aggregari, & uniri ordinaria authoritate, hac tamen distinctione. Nam aut monasterium subest Episcopo; & potest uniri monasterio, etiam alterius ordinis authoritate Diœcesani, ut ibi clarè deciditur, de consensu tamen Capituli, & adhibitis solemnitatibus requisitis in alienatione bonorum ecclesiæ, ut per Calderin. *cons. 166. aliàs 4. de reb. eccl. non alien.* Hostien. *in cap. 2. n. 2. in verb. Potius occasione concessionis*, *de suppl. neglig. Prælat.* Aut subest Superioribus Regularibus, & aggregari potest illorum authoritate, ut illic probatur à contrario sensu: nam propterea improbatur unio Prioratus facta à Prælato regulari inconsulto Diœcesano, quia Prioratus ille erat eidem Diœcesano subjectus: ergo si fuisset exemptus, potuisset fieri aggregatio sine illius consensu, ut ibi notat glos. *in ver. In tua Diœcesi.*

17 Sextò idem suadetur ex generali regula c. *Licet*, *de regular.* nam si licet cuilibet religioso in singulari transire ad ordinem strictiorem licentia petita, licet non obtenta; cur non liceat omnibus? Si uni, cur non decem? Si decem, cur non toti monasterio? cum idem juris esse debeat de toto quoad totum, ac de parte quoad partem, l. *Quæ*, *de tota*, & ibi glos. 1. Bart. & DD. *ff. de rei vendic.* Præsertim verò quia de religiosis transeuntibus in 18 plurali loquitur text. in cap. *Cum singula*, §. *Prohibemus*, *de præb. lib. 6.* & de Virginibus in communi concilium Triburiense *cap. 26.* in hæc verba: (Virgines Sacræ si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud monasterium pergere disposuerint, ibidemque commanere decreverint: Sancta Synodus concedit.) refertur in cap. *Virgines*, *20. qu. 4.* & ita licere Monialibus ad arctiorem religionem transire, tradit ibi glos. *in ver. Virgines*, sentiens id eis licere licentia petita, licet non obtenta, dum allegat text. in d. cap. *Licet*. Idem tenet glos. in cap. *unico in princ. in ver. Perpetua*, *de Statu Regular. lib. 6.* & ibi Anchar. & Gemin. ambo *num. 1.* Sylvest. *in ver. Religio, 7. q. 16. in secundo dicto*, Socin. Senior *cons. 222. Præsens consultatio, per totum, volum. 2.* Decian. *cons. 20. & circumscripta, num. 13. volum. 1.*

19 Quinimo prædictum can. Virgines, hodie non fuisse correctum per Concilium Tridentinum, in *cap. 5. sess. 25. de regular.* Sicut secundum glos. prærallegat. non fuit correctus per d. cap. unicum à Concilio innovatum, imò nec fuisse correctum per Constitut. Pij V. super clausura Monialium, opinantur Navarr. in c. Sta-

tuimus, 19. q. 3. in 4. notab. num. 48. & cons. 5. nu. 3. vers. Secundo quod non pridem, *de statu Monach.* Rodriq. *quæst. Regular. tom. 3. quæst. 52. art. 6.* & Sanch. *in Decal. tom. 2. lib. 6. c. 7. sub n. 6.*

20 Et confirmatur quia facultas transeundi in d. cap. *Licet*. fundatur in ea ratione, quod ubi Spiritus Dei est, ibi libertas; & qui Spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita justo; & propterea religiosus impediri non debet quin ad meliorem frugem transmigret, & sanctioris vitæ propositum liberè adimpleat. Hæc autem ratio æquè viget in omnibus in communi, atque in singulis in particulari: ergo in utroque casu idem jus statuendum est, Clem. 2. *de Testib.* glos. *fin. in cap. Nihil, de elect.*

21 Ultimò pro hac parte affertur Constitutio Urbani IV. super institutione secundæ regulæ Sanct. Claræ, edita 15. Kalend. Novemb. ejus Pontificatus año tertio, quæ incipit, *Beata Clara*: & habetur in Bullario novo *tom. 1. pag. 100.* ubi primò statuitur, ut profitentes hanc regulam omni tempore vitæ suæ clausuram firmiter servare teneantur: & mox excipiuntur aliqui casus, quorum ultimus est: Nisi de mandato, aut authoritate Cardinalis, cui à Sede Apostolica generaliter fuerit iste ordo commissus, monasterio primo rationabili causa relicto totus conventus ad monasterium aliud se transferret. Quæ quidem facultas hodie competit Ministris Provincialibus, qui in locum Protectoris suffecti sunt, ut habetur in monumentis Ordinis Fratrum Minorum in secunda impressione *fol. 213.* & in Supplem. *fol. 72.* prout refert privilegiorum Collector in Compendio in ver. 22 *Clausura Monialium*, §. 5. Et eamdem facultatem non fuisse sublatam à Concilio Tridentino in d. c. 5. *sess. 25.* aut Constitutione Pij V. super clausura Monialium, quæ incipit, *Decori*, edita Kalen. Febr. 1569. tradit novissimè Frater Ludovicus Miranda in *Manuali Prælator. tom. 1. in tract. de Monial. qu. 3. art. 3. vers. Quantum verò attinet ad sextum*: eò quod hic casus concernat bonum, & utilitatem totius monasterij, sive Comunitatis. Quin verò & quandoq; pertinere possit ad utilitatem totius religionis, ut monasteria ex uno in alium locum transferantur. Quam ob causam Concil. Tridentinum in d. c. 5. Præcipit, ut sanctimonialium monasteria extra mœnia urbis, vel oppidi constituta ab Episcopo, & aliis Superioribus, si ita videbitur expedire, ad nova, vel antiqua monasteria intra urbes, vel oppida frequentia reducantur.

23 Quare hanc opinionem videlicet posse integrum conventum, seu domum religiosam ex toto se transferre ad arctiorem ordinem authoritate Ordinarij tenet in puncto Feder. de Senis *cons. 29. Quidam valens, num. 1. vers. Plus dico.* ubi consuluit si sint duo monasteria, in quorum altero Moniales ex aliqua causa non possent honestè vivere, aut sine penuria, debere Prælatum utriusq; monasterij Moniales ex illo educere ad aliud monasterium, ubi possint vitam honestam ducere, & absque penuria, utrumque monasterium ad tempus, vel in perpetuum uniendo: & loquitur in terminis Monialium S. Claræ, & Provincialis Ministri. Idem tenet Guidopapa *cons. 134. num. 2. vers. Secundo præmitto*, Abb. *hic num. 2.* dicens domum religiosam posse ex toto se transferre ad religionem arctiorem alterius Ordinis, authoritate tamen Superioris interveniente, puta Episcopi, per cap. *Sicut unire*, *de excess. Prælat.* Qui tamen textus loquitur de unione duorum monasteriorum. Sed ubi non fieret transitus cum unione, sed religiosi omnes alicujus conventus vellent se transferre ad arctiorem ordinem, tunc Superioris authoritatem non requiri, sed sufficere licentiam petitam, licet non obtentam, docent Hostien. Jo. Andr. & omnes in cap. *Olim, il primo, de restit. spoliat.* quos retulimus supra *num. 15.* & est de mente glos. in cap. *Inter dilectos, in ver. Abdicare, de donat.* & Joan. de Anan. *hic in ultimo notab.* dum ait unam Ecclesiam etiam alterius religionis, & habitus posse cum clericis suis se transferre ad regulam strictiorem, sicut etiam persona in cap. *Licet*, *de Regul.* & simpliciter sufficere licentiam petitam, ex recentioribus tenent Gregorius Lopez, l. 9. *in ver. Religiosos, tit. 7. part. 1.* Rodrig. *quæst. regul. tom. 3. q. 52. art. 6.* ubi allegat Franciscum Marc. *qu. 965. aliàs est 963. n. 4. par. 1.* & sequitur Thom. Sanch. licet prædicta non alleget, in *Decalogo lib. 6. c. 7. n. 7.* Unde hanc sententiam videntur amplecti, antiqui, & moderni Doctores.

24 Verum etsi hæc valde urgere videantur, illis tamen non obstantibus, existimo secundum ea, quæ proponuntur in themate, hunc transitum fieri non posse sine authoritate Sedis Apostolicæ.

Moveor primò per textum in cap. *unico*, §. *fin. de relig. domib. lib. 6.* ubi Gregorius X. in Concilio Lugdunensi sic statuit. (Ad hæc personis ordinum, ad quos constitutio præsens extenditur, transeundi ad reliquos ordines approbatos licentiam concedimus generalem.) ita quod nullus ordo ad alium, vel conventus ad conventum se, ac loca sua totaliter transferat Sedis ejusdem super hoc permissione specialiter nõ obtenta. Ecce igitur textum apertum, in quo transitus conventus, vel ordinis ad aliam religionem totaliter fieri 25 non potest sine licentia, & consensu Ecclesiæ Romanæ, unde glos. *in ver. Totaliter.* [Nota, inquit, non idem in toto quoad totum, quod in parte quoad partem: totus ergo ordo, vel conventus ipsius Ordinis ad alium ordinem, vel conventum se transferre non poterit.] ubi etiam notat Guilel. licere singulariter, quod non licet universaliter; similiter Jo. Monach. *ibi nu. 9.* notat permitti transitum specialem, non generalem, & sequitur Jo. Andr. *num. 4.* in glos. *ult.* Gemin. in §. *Ad hæc, in princ.* ubi generaliter tradit facilius dari licentiam transeundi singulari, quàm universitati: & sic non semper idem juris esse de toto quoad totum, quod de parte quoad totum.

26 Quod pluribus exemplis confirmari potest: nam videmus collegio Judæorum, vel aliàs illicito legari non posse: & tamen singularibus personis collegii licitè legatur, l. *Cum senatus*, *ff. de reb. dub.* l. 1. *C. de Iudæis*. Quæ jura ad propositum nostrum allegant Guilel. & Jo. Andr. *ubi supra*. Item generalis ratio casuum fortuitorum non valet in judiciis; secus si specialiter exprimantur, l. *Sed etsi quis*, §. *Quæsitum*, *ff. Si quis caution.* secundum 27 Jo. Monach. Item valet appellatio specialis si causa probabilis exprimatur, cap. *Ut debitus*, *supra de appellat.* & tamen generaliter interposita super omni causa, quæ aliquo tempore posset moveri, non tenet, c. *Inter cætera, eod. tit.* ubi glos. *in ver. Appellationem*, pariter notat non valere, aut licere in genere quod valet, aut licet in specie, & allegat concord. Alia jura ad hoc allegat Francis. Boattin. & post

& post eum Jo. Andr. loco cit. c. Relatum, il 2. de testam. c. Ad audientiam, de cler. non resid. & c. Apostolicæ, de donat. Argumentum igitur de parte ad votum, vel de specie ad genus generaliter non procedit, ubi est dare rationem diversitatis, ut per DD. in l. Quæ de tota, ff. de rei vendicat.

28 Et ex his tollitur fundamentum desumptum ex cap. Licet, de Regular. & ex c. Virgines, 20. qu. 4. quia illa jura loquuntur de singularibus personis transeuntibus, non de universa Congregatione, vel ordine. Inter hæc autem magna viget ratio diversitatis; nam per translationem totalem universitatis, vel ordinis decoloratur, vel annihilatur religio ipsa, quod non contingit per transla-
29 tionem singularium personarum. Et propterea in simili quamvis Episcopus possit unire unam, vel duas Ecclesias, cap. Sicut unire, de excess. Prælat. non tamen unire potest omnes, quia sic collationes, & jura suæ mensæ Episcopalis evacuaret prodigalitate quadam, ut Oldrad. inquit cons. 252. In quæstione, num. 2. vers. Præterea dato. Cujus sententiam aliàs sequuta est S. Congregatio Concilij: nam consulta ab Episcopo Bellunen. An unio omnium beneficiorum simplicium diœcesis facta seminario sit valida: respondit non esse validam.

30 Et ob eamdem rationem quamvis Rex possit validè alienare, & donare, cap. Abbate, de re iudic. lib. 6. Oldrad. cons. 94. Eleganter, circa fin. num. 23. vers. Sed quid in casu præsenti, tamen secus est si alienatio regnum diminueret, aut graviter læderet dignitatem, textus est, qui de Rege Hungariæ loquitur, in cap. Intellecto, de iureiur. notat Bart. in l. Prohibere, §. Plenè, ff. Quod vi aut clam. Bald. cons. 159. Super eo, num. 3. vers. Et hæc vera sunt, & num. 7. vers. Insuper præsupponendum, lib. 3. Oldrad. ubi supra, & multo magis si alienatio evacuaret, vel annihilaret jura, & statum regni, ut per Abb. qui loquitur in Rege Franciæ, in cons. 3. Nitar. col. 18. & seq. lib. 2. & Paul. de Castro cons. 70. Quia frustra num. 6. vers. Sed posito, lib. 1. Ubi de Rege Poloniæ. Quippe ex totali translatione Universitatis conventus suppressi enormiter læduntur, ut per Feder. de Sen. cons. 29. Quidam volens, num. 2. vers. Præsupposito, & per translationem totius Ordinis religio ipsa evacuatur, & annihilatur: unde rei gravitas efficit, ut translatio hujusmodi sit Sedi Apostolicæ
31 reservata, ut in d. §. Ad hæc. Majores enim Ecclesiæ causæ ad Romanam Ecclesiam sunt referendæ, cap. Maiores, de Baptis. cap. Dudum, 3. quæst. 6. & cap. 1. de transl. Episc.

32 Nec obstat quod Boattinus relatus à Jo. Andr. in d. cap. unico, num. 4. dicat ibi esse casuale, ut non possit tota domus religiosa, quod potest pars illius, & Petr. de Anchar. ibidem num. 2. Similiter teneat illud esse speciale in ordinibus, qui in seipsis debent deficere; sed in aliis ordinibus posse totum conventum se transferre ad arctiorem authoritate Episcopi cum Capituli consensu. Id inquam non obstat, quia ut formaliter dicunt in c. 1. supra de Pact. Hostien. num. 4. & Jo. Andr. num. 8. cum casus speciales non sint recipiendi, nisi ratio specialitatis reddatur, ut notatur in c. Si quando, de rescript. Reddant rationem specialitatis de prædictis sufficientem, & sic eis adhæreamus: aliàs enim ad specialitatem confugere, dicit esse refugium miserorum glossa magna circa princ. in l. Filium quem habebitur, C. famil. ercisc. Quam tamen rationem afferre non possunt, imo contrarium sic ostendo: nam ab ordinibus, qui in seipsis debent deficere, licet transire etiam ad æqualem, vel laxiorem, quia text. in d. c. unico, §. fin. de relig. domib. lib. 6. dicit, Licentiam concedimus generalem, & ibi hoc notant Archid. Jo. Andr. Gemin. & alij; & tamen hoc non licet in aliis ordinibus, c. Licet, de Regular. Concil. Tridentinum c. 19. sess. 25. de Regular. Et sic facilius datur transitus à primò dictis ordinibus, quàm ab aliis approbatis. Et ratio est manifesta, quia de ordinibus, qui debent deficere, Ecclesia non est amplius sollicita, quin potius optat, ut superstites illorum reliquiæ quantocyus extinguantur. Et propterea concedit illorum personis liberam facultatem transeundi ad quamcumque religionem ex approbatis, etiam minorem: ergo si in hujusmodi ordinibus, à quibus transitus facilius permittitur, non potest integer ordo ad alium ordinem, vel conventum se, ac loca sua totaliter transferre sine Apostolica authoritate, ut ibi deciditur: longe minus id facere poterunt alij ordines, vel conventus: non enim intelligo qua ratione personis ordinum revocatorum nō liceat collegialiter se transferre ad alias religiones sine licentia Papæ, & tamen hoc liceat collegialiter personis aliorum ordinum non revocatorum, quibus quidem personis singulariter transitus difficilius permittitur: unde ex majoritate rationis, & a fortiori existimo canonem Concilij Lugdunensis in d. §. fin. habere locum etiam in ordinibus non revocatis. Ad hoc c. Constitutionem, de Regul. & in lib. 6. ubi Constitutionem Innocentianam, quæ prohibet Conversorum professionem recipi ante annum probationis elapsum, Alexander IV. ad Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordines declaravit extendi; & Bonifacius VIII. pari similitudine rationis inductus declarationem eamdem & aliorum Mendicantium Ordines prorogavit, ubi pondera Bonifacium non prorogasse Constitutionem, sed declarationem ob rationis identitatem; Ergo Constitutio, quæ de aliquibus ordinibus loquitur, habet locum etiam in aliis, in quibus viget eadem ratio. Quod tenet Petr. de Tudetto post cons. 25. Federic. de Sen. cujus opinionis fuit etiam Lapus Abb. ad consultationem Federici in 8. responsione data Federico in consilio ejusdem Federici 88.

33 Moveor secundò, quia si liceret conventui, vel Congregationi ex toto se transferre ad aliam religionem strictiorem sine licentia Summi Pontificis, utique idem liceret integro ordini, seu religioni: Non enim est dare rationem diversitatis cur liceat uni, duobus, vel pluribus conventibus, aut uni, vel pluribus provinciis; & non liceat omnibus. Imo quoad beneplacitum Apostolicum translatio integri ordinis, & unius conventus æquiparantur in d. cap. ult. §. fin. de relig. domib. lib. 6. Sed consequens est falsum, quia integer ordo nullo casu potest se ad alium ordinem transferre sine authoritate Romani Pontificis: ergo
34 & antecedens. Minor probatur, quia solus Papa potest novum ordinem, seu religionem approbare, seu confirmare, c. unico, de voto, lib. 6. & ibi notat glos. in ver. Per Sedem Apostolicam, cap. fin. de relig. domib. & d. cap. unico, ubi Franc. num. 1. in 3.
35 not ab. eodem tit. lib. 6. Ergo solus Papa potest ordinem, seu religionem approbatam infirmare, vel supprimere; Sicut fecit Gregorius X. in d. c. unico.

Nihil

nihil enim tam naturale est, quam eo genere quodque dissolvere, quo colligatum est, l. Nihil tam naturale, & l. Ferè, Et secunda, ff. de reg. iur. Bald. cons. 28. Super eo, num. 1. vers. Nam regula generalis est quod prout quodque producitur, sic resolvitur, lib. 3. & Dominus par jus, & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit dicit textus in c. Verbum, de pænit. dist. 1. & eadem solemnitas quæ requiritur ad constructionem actus, requiritur ad illius destructionem. Roman. cons. 65. Viso themate, num. 2. vers. Hoc enim, & cons. 116. Visis, in princ. Episcopi autem, & Prælati regulares potestatem non habent supprimendi religionem à Sede Apostolica approbatam, quia inferior jura Superioris infringere, seu relaxare non potest, cap. Inferior, 21. dist. cap. Cum inferior, de maior. & obed. Clem. ne Romani, de elect. & est expressum in cap. Institutionis, 25. qu. 2. secundum Archid. in cap. Licet canon. num. 3. vers.
36 Et ibi assertivè dicit, de elect. lib. 6. Sed per hujusmodi totalem translationem, & aggregationem ordo aggregatus remanet suppressus, & translatus in corpus, & naturam religionis, cui est aggregatus, seu incorporatus, ut colligitur ex hac decretali in vers. Si enim relictis, ibi, Communi jure censeri, & clarius ibi, [In societatem ordinis, & habitus identitatem assumptas,] & tenet glos. in ver. Coaptent, Collectar. vers. Sed hic loquitur de adhærentia per modum aggregationis & Feder. de Sen. cons. 29. Quidam volens, Calderin. cons. 275. vers. Confirmatur ratio, alias, 13. de reb. eccl. non alien. Unio enim translativa dicitur incorporatio, quæ æquiparatur alluvioni, ut dicit Angel. cons. 247. Punctus Papa univit, ubi loquitur de unione monasterio S. Pontiani monasteri Montis Oliveti Lucani diœcesis. Ergo hæc translatio extinctiva, seu suppressiva religionis translatæ fieri non
37 potest sine authoritate Sedis Apostolicæ. Et confirmatur, quia cum aliquid prohibetur, censetur prohibitum omne id, per quod pervenitur ad illud, l. Oratio, ff. de Sponsal. Feder. de Sen. cons. 63. Super invocatione, num. 4. & hanc dicit esse regulam Signorol. cons. 160. num. 4. & ideo prohibita electione prohibetur postulatio, quia per eam pervenitur ad electionem, quæ est illi conjuncta, c. In causis, de elect. Abb. cons. 5. Ad decisionem, n. 3. versic. Circa quartum, lib. 2. & interdicto matrimonio censentur interdicta sponsalia, per quæ ad matrimonium pervenitur d. l. Oratio. Abb. ubi supra, & prohibitus alienare, censetur prohibitus quoscumq; actus facere, quibus alienatio illa sequi posset, Bald. in l. Quoties, la prima, num. 1. C. de fideicomm. Sed per totalem translationem, & suppressionem Cōventuum perveniri potest ad suppressionem totius religionis, vel ordinis, quod est prohibitum, ut ostensum est supra: ergo hæc totalis translatio, & suppressio itidem prohibita est.

38 Moveor tertiò, quia si possent Moniales collegialiter transire ad arctiorem ordinem licentia petita, licet non obtenta, hinc esset aperta via, qua Sanctimoniales omnes possent se eximere à jurisdictione Episcoporum, & se subjicere Superioribus Regularibus. Quandoquidem possent petere licentiam transeundi ab ordinario; eoque licentiam denegante, liberè transire juxta terminos d. c. Licet, de regular. & per hanc translationem remanerent liberatæ à Superioritate Episcopi: hæc enim est natura translationis, ut Monachus translatus, nihil habeat commune cum prima religione, à qua transfertur, ut constat ex Concilio Calcedonensi in c. Siquis iam translatus, 21. qu. 2. & desinat esse filius primæ religionis, ut inquit glos. in cap. Statutum, in ver. Restituat, in fin. 18. q. 1. Ob
39 quam rationem S. Congregatio alias declaravit Regulare ex indulto Apostolico à religione Fratrum Minorum de Observantia ad tertium Ordinem S. Francisci ex legitima causa translatum recuperare jus succedendi in bonis sibi ex testamento, vel ab intestato post translationem delatis, &
40 acquirere secundæ religioni; & sic Congregatio Monialium post canonicam translationem remaneret aggregata, & incorporata secundæ religioni, ut dictum est in præcedenti arg. n. 36. & consequenter subjecta esset tantummodo Prælatis secundæ religionis. Quod colligitur etiam ex hoc textu ibi: (Si enim relictis originalibus institutis ad cōmunia volueritis aliorum monasteriorum jura divertere, oportebit vos communi jure censeri.) Necnon ibi: (Domus illæ, quæ de aliis institutionibus ad vestrum ordinem se transtulerint, vestris omnino se satagant usibus conformare; & sic in omnibus religioni vestræ coaptent, ut quēquemadmodum gaudent se in societatem Ordinis, & habitus identitatem assumptas, sic etiam se lætenter vestris institutionibus cōformatas. Quæ quidem verba toties geminata, universalia, & prementia necessariò supponunt Monachos translatos subjici debere superiori ordinis, cui per translationem uniti, & incorporati reperiuntur: Cum enim omnes sint effecti unum corpus, non debent duplici jure censeri, ut dicit glos. in verb. Communi iure per text. in cap. Cognovimus, in fine 12. quæst. 2. & cap. Cum in tua, supra de decim. Imò esset veluti monstrum, ut unum corpus subesset diversis capitibus, cap. Quoniam in plerisque, supra de offic. ordinar. Præterquam quod si à Monachis singularibus licet arguere ad universos, ut contendunt adversarij, certè absonum esset, ac ferè impossibile ut singularis Monachus transiens ad religionem strictiorem juxta d. c. Licet, non subesset Superioribus illius Religionis. Quomodo enim posset in practica observari, ut religiosus ille in aliorum societatem assumptus communem Superiorem non recognosceret, cum dignum sit, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, communem sentiant in legibus disciplinam, ut hic in tex. Demum de translatis hoc est expressum in decreto Concilij Tridentini, cap. 11. sess. 14. ibi: Ut in ordine ipso, ad quem transfertur sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneat.) Et per consequens idem dicendum esset in conventu, seu congregatione Monialiū post canonicam translationem. Hoc autem esse inconveniens ut Monialibus universis liberum sit subtrahere se à cura, & regimine Episcoporum, & Regularibus se supponere, tam notum est, ut probatione non egeat: ergo inconveniens est etiam id ex quo sequitur, nempe ut liberum sit Congregationibus Monialium ad arctiorem ordinem transire licentia petita, licet non obtenta.

41 Moveor ultimò, quia monasteria Monialium, de quibus agitur, ex largitionibus fidelium supponuntur instituta, & fundata fuisse sub regula tertij Ordinis S. Francisci. Huic autem legi fundationis Episcopi, vel Prælati regulares derogare non possunt statuendo ut deinceps monasteria sint sub

regula alterius ordinis, & sub alia invocatione, seu titulo, & Moniales novum habitum induant, & aliam professionem emittant diversam à primæva institutione: hæc enim fieri non possunt sine commutatione voluntatem, quæ Sedi Apostolicæ tantum est reservata; ut in Clem. *Quia contingit, de relig. domib.* & ibi notat glos. *in ver. Sedis Aposto-*
42 *lica*, & Abb. *num. 3. vers. Solus Papa*. Idem probatur in decreto Concilij Tridentini in *cap. 6. sess. 22.* & de fundationibus est expressum in *cap. 5. sess. 25. de reform.* ubi statuitur, ut quando ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta, eis non derogetur. Super quo decreto S. Congregatio Concilii consulta, An Episcopus pro una vice dispensare possit contra legem in fundatione beneficij, accedente Patronorum consensu, juxta tradita per DD. in cap. *Cum accessissent, de Const.* respondit non posse, & *d. cap. 5.* sustulisse facultatem, de qua per Do-
43 ctores in d. cap. *Cum accessissent.* Appellatione autem beneficiorum, cum Concilium utatur dictione illa universali *quorumcumque*, quæ nihil excludit, cap. *Solitæ, de maior. & obedien.* & materia sit favorabilis, l. 1. *C. de Sacrosanct. Eccles.* etiam monasteria continentur, cap. *Cum inter, de re iudic.* Calder. *consil. 293. num. 2. vers. Item verba generalia, aliàs 1.*
44 *de rer. permut.* Unde secundum Jo. Andr. in cap. *Sanè, de regular. in Novell.* quem refert, & sequitur Anchar. *cons. 32. Præmittenda sunt. n. 1. vers. Vlterius etiam præmittendum est*, quamvis Fratres servorum, & S. Dominici, qui sunt sub regula S. Augustini, possint recedere ab illis Constitutionibus, quas ultra regulam induxerunt: non tamen recedere possunt à regula, & ab institutis originalibus fundationis. Quinimò adeò illibatè custodiri solet lex fundationis à Sede Apostolica, ut nec Concilium Trident. illi unquam derogaverit, nisi in duobus casibus, in quibus pro Ecclesiarum Cathedralium, & religionum reformatione necessarium fuit tollere privilegia, etiam in limine fundationis, nempè in *cap. ult. sess. 25. de regular.* & in *cap. 6. sess. 25. de reform.* Privilegia enim hujusmodi sunt ex titulo oneroso, & ex pacto, & conventione, quibus vix Summus Pontifex solet derogare, cap. *Significatum*, & ibi dixi post Innoc. & Hostien. & alios *supra de Preben.* Quamobrem cum monasteria hæc in Belgio ab initio fuerint fundata sub regula tertij Ordinis S. Francisci, non intelligo qua authoritate possit Provincialis Minister dictam fundationem immutare, & à primævis, & originalibus institutis recedere derogando voluntati piorum fundatorum qui fortè prædictam regulam elegerunt ob peculiarem affectum, seu devotionem erga illam, vel ob aliam specialem causam.

45 Nec refert quod mutatio fiat in meliùs transeundo à laxiori ad strictiorem vitam: Etenim nec in melius fieri potest commutatio voluntatis sine authoritate Sedis Apostolicæ, ut tradit Cardin. in d. Clem. *Quia contingit, num. 11. de relig. domib.* ubi format hanc quæstionem: Testator disposuit ut erigeretur Hospitale per executores in fundo suo, & dotaretur ad usum pauperum; Executores volunt authoritate Diœcesani facere ecclesiam religiosorum; An possint? & refert Jo. Andr. cum quibusdam aliis consuluisse pro parte affirmativa hoc fundamento, quia qui melius, & magis facit, non facit aliud, sed idem. Plus autem est ecclesiam religiosorum facere, quàm Hospitale. Facit, cap. *Scriptura, de voto*, & cap. *Plus, de regul. iur. lib. 6.* Contrarium tamen determinat ibi Cardinal. per litteram d. Clem. Et quia voluntas defuncti pro lege servanda est, cap. *Vltima voluntas, 13. q. 2.* cap. *Tua, de testam.* cap. *Cum Martha, de celebrat. Missar.* Nec plus hoc casu continet minus, cap. *Cui de non Sacerdotali*, & cap. *Cum in illis, de præb. lib. 6.* & dicit in hoc residere Laud. & ad id, quod dicitur: Qui melius, & magis facit &c. Respondet procedere quando minus continetur sub majori, prout loquitur, d. cap. *Scriptura*, aliàs se-
46 cus, ut per eum. Idem tenet *ibi* Imol. *q. 9.* Abb. in cap. *Tua nos, num. 4 supra de testam.* Rochus de Curte *in tract. de iurepatr. in ver. Construxit, n. 22. & 23.* Et ob hanc rationem panem in usum pauperum distribuendum ex præscripto testatoris non posse per inferiorem à Papa applicari Presbytero pro Missis celebrandis, licet hoc sit melius, fuit decisum in Capella Tholosana, ut in *decis. 26. per* cap. *Nos quidem, de testamen.* per d. Clem. *Quia contingit, de relig. domib. per §. Si quis ædificationem, in authen. de ecclesi. tit. collat. 9.* per l. *Si quis ad declinandum, §. penult. C. de Episc. & Cler.* In casu autem proposito tertius Ordo S. Francisci, quod est minus, non continetur sub ordine Annunciatarum, aut Conceptionis B. Mariæ, quod est plus; sed ordines sunt omnino diversi ut supponitur in themate.

Non obstant contraria. Ad primum enim desumptum ex hac decretali, respondetur textum non aperire qua authoritate fuerit facta translatio. Et supponendum est fuisse factam canonicè, & sic authoritate Sedis Apostolicæ, cum alias non sit canonica, ut in superioribus probatum est. Nec adversantur verba, *si voluerint*, & *si transtulerint*, quia non excludunt authoritatem Superioris, sed solum probant transitum fieri non posse sine voluntate, & consensu transeuntium: nemo enim invitus cogitur ad arctiorem ordinem migrare, glos. in cap. *Gesta, in ver. Crescere 74. dist.* glos. 2. in cap. *penult. 32. q. 1.*

Ad secundum respondet glos. *1. in fin.* in eodem cap. *Cum dilectus, de iis quæ vi, met. caus.* videlicet Canonicos ibi non subjecisse ecclesiam Ordini Cisterciensi, sed tantum seipsos personaliter obligasse ad servandam illorum regulam. Benè autem potuerunt promittere non impedire translationem ecclesiæ suæ ad ordinem Cisterciensem faciendam ab illis, ad quos pertinet.

Ad tertium, quartum, & quintum respondetur hodie standum esse dispositioni Concilij Lugdunensis in d. §. *Ad hæc*, quo prohibetur transitus unius conventus, vel Ordinis sine authoritate Sedis Apostolicæ, licet jura antiqua viderentur hoc permittere Diœcesano, ut in contrarijs. Præterea quatenus jura antiqua non sint correcta per dict. cap. *Vnicum*, ex notatis per glos. in cap. *Constitutionem, in ver. Prorogamus, de regular. lib. 6.* tamen sunt declaranda, ut non procedant ubi agitur de commutatione voluntatis, ut in casu præsenti. Hæc enim fieri non potest etiam in melius sine authoritate ecclesiæ Romanæ, ut ostensum est suprà in ultimo fundamento pro hac parte. Ul-
47 terius jura antiqua intelligi possunt procedere in translatione, seu aggregatione unius conventus tantum, non autem multorum, vel omnium. Nam textus

textus in d. cap. *Inter dilectos*, expressè loquitur de Hospitalariis S. Allucij, qui hospitale ipsum supposuerunt Hospitalariis S. Sepulcri, & cap. *Olim, il primo, de restit. spoliat.* itidem loquitur de Fratribus Humilitatis Domus Calventiæ, qui se, & sua subjecerunt Fratribus Militiæ Templi, & cap. *Sicut unire, de excess. Prælator.* de unione monasterij Gradensis facta monasterio de Accato. Ab unione autem, & suppressione unius monasterij non licet inferre ad unionem, & suppressionem multorum, vel omnium, quia per suppressionem multorum decoloratur, seu deformatur tota religio, quæ per dismembrationem scinditur, & enormiter læditur; & per suppressionem omnium religio ipsa ex toto extinguitur, & annihilatur: quod inferioribus non permittitur sine authoritate Summi Pontificis, ut probatum est supra *num. 28. & seqq.*

Ad sextum, nempe ad cap. *Licet, de Regular.* & cap. *Virgines, 20. q. 4.* Patet responsio ex dictis supra in primo fundamento pro hac sententia *n. 24.*
48 *& seqq.* Præterea facultas, quam de jure communi habebant Moniales transeundi ad strictiorem religionem licentia petita, licet non obtenta, juxta glos. in d. c. *Virgines*, & alios supracitatos *n. 18.* sublata fuit per Constitutionem Pij V. *Decori*, super clausura Monialium: quidquid perperam scripserint in contrarium Navarr. Rodrig. & Sanch. citati *eod. n. 18.* contra quos tenet Azor. *tom. 1. Institut. moral. lib. 13. cap. 8. q. 1.* & ita sæpius declaravit Sacr. Congregatio tam Concilij, quàm Episcoporum, & Regularium, quæ etiam transeundi licentiam non concedit, nisi adjectis conditionibus infrascriptis, videlicet. Dummodo Superiorum primi monasterij, & Monialium transferendarum accedat assensus. & non antea ab eodem monasterio Moniales egrediantur, quàm constet secundum paratum esse illas recipere, & in eo capitulariter, & per secreta suffragia recipiantur; ut dotem à cæteris Monialibus præstari solitam persolvant; ipsaque translatio consanguineis, gravibusque matronis, & his deficientibus, alijs pijs, honestisque personis concomitantibus fiat, atque ab uno ad aliud monasterium absque diverticulo rheda clausa vel saltem earumdem Monialium oris parte velata, & ea modestia, qua sponsas Christi decet, recta procedatur, nullibique pernoctetur, nisi hospitij causa apud honestas personas, vel ubi monasteria Monialium repererint, apud easdem Moniales, quas Ordinarij loci accedente licentia, benevolas invenerint receptrices; ac demum omnis eis spes ad primum monasterium redeundi præsenti decreto penitus censeatur ablata. Et ita multoties vidi observatum. Aliquando etiam dictum fuit translationem faciendam esse de consensu proximiorum consanguineorum, idest parentum, fratrum, & sororum Monialium transferendarum, ut in casu Januen. die 13. Julii 1607.

Ad confirmationem respondet singulariter Innocentius III. in c. *Nisi cum pridem, §. Verum, vers. Sed dices*; spiritus ubi vult spirat supra eod.

49 Ad ultimum respondetur Constitutionem Urbani IV. in omnibus illis casibus, in quibus indulget, ut Moniales transire possint ab uno ad aliud monasterium, fuisse abrogatam per posteriorem Constitutionem Pij V. de clausura Monialium; & ita sæpius fuit resolutum, & in hoc decipitur Miranda, qui contrarium tenet; unde cum esset ab Episcopo translata Monialis à suo ad aliud monasterium, & in eo propter furorem manere non posset, nec Monialibus parere vellet, & consanguinei petijssent, ut eam domi expensis monasterij retinere possent: S. Congreg. Concilij censuit scribendum Episcopo, non potuisse eam absque Sedis Apostolicæ licentia illam transferre ad aliud monasterium ex Constitutione Pij V. propterea jubeat, & curet eam reduci ad suum monasteriū, & cæteris Monialibus parere, adhibitis etiam vinculis, si opus fuerit. Rursus cum esset dubitatum an monasterium de Xixena situm in loco paludoso, propter quem aer sit insalubris, & periculosæ infirmitates Moniales invadant, comprehenderentur in prædicta Bulla Pij V. de clausura Monialium, adeout Moniales exire nō possent ad curandas illas infirmitates: S. Congreg. censuit comprehendi hoc monasterium in Bulla Pij V. licet adjecerit hanc casum dignum esse provisione speciali, ut quæ infirmitatibus illis propter aeris intemperiem præmūtur, possint de consilio utriusque Medici, & licentia *Superioris* exire: & ita Sanctis-
50 simus annuit. Et aliàs cùm Monialis obtinuisset à Superiore regulari licentiam ab Ordinario approbatā exeundi è monasterio causa curandi morbū epidimiæ, & extra illud per sex menses comorandi, & lapso sex mensium termino, cum longiori ad curationem opus esset, petijsset ut terminus ex dispensatione Apostolica sibi prorogaretur. Sac. Congregatio censuit oratricem, si verè laborat morbo epidimiæ, non indigere dispensatione Apostolica, quia est casus exceptus in Cōstitutione Pij V. quod si infirmitas tendat ad epidimiam, ut dicitur in licentia per Superiorem Monialis concessa, nō potuisse talem licentiam concedi, & eum qui concessit incidisse in excommunicationem.
51 Quinimò etiam facultas Episcopo attributa ex decreto *c. 5. sess. 25. de Regular.* fuit sublata per eamdem Constitutionem, ut Gregorius XIII. declaravit. Nam cum Generalis S. Augustini dubitaret an post Bull. Pij V. de egressu Monialium, liceat de monasterio ad monasterium Monialem transferre, ut in eo, ad quod transfertur Abbatissæ munere fungatur; S. Congregatio dixit referendum Sanctissimo, qui censuit Bullam corrigere decretum Concilij *c. 5. sess. 25. de Regular.* & ideò ex illo decreto non licere amplius extrahere Moniales de monasterio pro constituenda Abbatissa in alio, nisi obtenta speciali licentia à Sede Apostolica.

Item ex decreto Pauli V. publicato à S. Congregatione Episcoporum, & Regularium sub die 22. Decembris 1517. ac intimato Procuratoribus Generalibus Ordinum, non possunt Moniales quacumque occasione transferri de monasterio ad monasterium sine speciali licentia Sedis Apostolicæ toties quoties obtinenda, neque ratione Prioratus, vel alterius officij, quibuscumque in contrarium non obstantibus: ut testatur Castellin. tunc Procurator Ordinis Prædicatorum in *tract. de elect. cap. 17. num. 5.*

52 Nec prædictis adversatur consideratio, quod Extravag. Pij V. non sustulerit facultatem Episcopo tributam in d. *c. 5. sess. 25. de Regul.* Siquidem illa non est propriè translatio, sed potius reductio ad monasteria intra mœnia: & propterea Concilium non utitur verbo, *transferantur*, sed *reducantur*. Ac præterea in eo casu subest specialis ratio cur Bulla non correxerit Concilium, videlicet ne

Sanctimoniales extra mænia malorum hominum
prædæ, & alijs facinoribus sine ulla sæpe custodia
remaneant expositæ. Ob quam quidem publicam
necessitatem totius monasterij sancta Synodus nō
permittit simpliciter, sed præcipit reductionem,
si ita videbitur expedire, idest si vigeant memorata
pericula, & reductio congruè, & tutò fieri possit.
53 At verò transitus ad strictiorem regulam nulli re-
gularium præcipitur nisi propter demerita, juxta
cap. De ipsis, 16. q. 6. cum res sit magis voti, quàm
præcepti secundum glos. præalleg. in cap. Gesta, in
ver. Crescere, 74. dist. in glossa. in cap. penult. 32. q. 1.
Concessa igitur ob necessitatem non debent tra-
hi in argumentum, nisi ob eandem, vel majorem
necessitatem, cap. In argumentum, de regul. iur. lib. 6.
Unde meritò à Sacris Congregationibus sæpius
responsum fuit facultatem transeundi ad mona-
sterium strictioris ordinis fuisse Monialibus ad-
emptam ex prædicta Pij V. Constitutione, ut di-
ximus in responsione præcedenti.
54 In primo casu dumtaxat Bulla Urbani IV. non
corrigitur per dictam Bullam Pij V. videlicet
quando supervenit inevitabilis, & periculosa
necessitas, sicut exustionis ignis (qui casus est ho-
die exceptus in Extravag. Pij V.) & incursus ho-
stilis, & consimilis. Quod intellige dummodo ne-
cessitas sit extrema, & egrediantur saltem autho-
ritate Episcopi, si ulteriorem dilationem res non
patiatur; quid enim si monasterium aquarum in-
undatione mergeretur, aut irreparabilis totius
monasterij ruina proximè immineret; expectan-
dane esset licentia ab Urbe, an potius succurren-
dum Monialibus pereuntibus? Ad hoc c. *Exiit qui
seminat, §. Porrò, de verb. signif. lib. 6.* ibi: [Nec ipsis
Fratribus jure poli in extremæ necessitatis articu-
lo ad providendum sustentationi naturæ via om-
nibus extrema necessitate detentis concessa præ-
cluditur, cum ab omni lege extrema necessitas sit
exempta.] Sed extra hunc casum translatio Mo-
nialium ab uno ad aliud monasterium fieri non
potest nisi authoritate Apostolica. Unde magno-
perè cavendum est à doctrina quorundam mo-
dernorum Theologorum, qui scripserunt Moni-
ales exire posse à monasterio non solum in tribus
casibus magni incendij, epidimiæ, & lepræ, juxta
Bullam Pij V. sed etiam dum imminet probabile
periculum gravis, ac diuturni morbi, in quos Bo-
nacc. *in tract. de legib. disp. 1. q. 1. punct. 1. num. 29.* &
alij novissimè apud Dianam *resol. moral. lib. 1. tract.
15. resol. 13.* Qui amplius affirmat non obstare de-
clarationem Sacr. Congregationis ab eo relatam,
quia de illa non constat authenticè; quod adver-
tendum duximus propter periculum censurarum,
licet quod pertinet ad rem præsentem, hæc inda-
gatio ferè inutilis videatur, quia Moniales de qui-
bus agitur, in suo transitu non egrediuntur clau-
suram, quin potius ad eam reducuntur, sed tan-
tummodo in eodem monasterio mutant primæ-
vum institutum, habitum, & invocationem, seu
titulum contra legem fundationis; quod credi-
mus fieri non posse sine authoritate Romani
Pontificis ex supradictis.

De Statu Monachorum.

Cap. Quod Dei timorem.

S V M M A R I V M.

1 *Canonicus Regularis potest præfici Parochiali etiam sæculari cum socio sui Ordinis, si commodè fieri possit.*
2 *Causa per effectum cognoscitur, & demonstratur, & per exteriora de interioribus judicatur.*
3 *Scire propriè quid sit.*
4 *Scire aliquid per causas intrinsecas rei est perfectius scire, quàm per causas extrinsecas.*
5 *Canonici Regulares, & Monachi æquiparantur.*
6 *Monachi in quibus differant à Canonicis Regularibus, & num. seqq.*
7 *Monachus parochiali Ecclesiæ præfectus, an & quando teneatur secum habere socium sui Ordinis.*
8 *Canonici Regulares quando, & à quibus instituti, & num. seq.*
9 *Canonicorum Regularium Religio in Processionibus, & aliis actibus publicis præcedit omnes alias Religiones.*
10 *Præpositi Canonicorum Regularium an infra annum ad Sacerdotium promoveri debeant sicut Priores Conventuales ex Constitutione Clementis V.*
Monachorum appellatione an veniant Canonici Regulares, ibidem, & num. seq.
11 *Argumentum à simili, vel ab identitate rationis non habet locum in his, quæ exorbitant à jure communi.*
12 *Monachi de jure communi an possint assumi ad regimen Parochialium Ecclesiarum sine dispensatione.*
13 *Canonici Regulares hodie an possint præfici Parochialibus Ecclesiis sæcularibus, & num. seqq.*
14 *Vicarius perpetuus sæcularis deputari potest ab Episcopo in Parochialibus unitis etiam monasterijs Canonicorum Regularium ex Concilio Tridentino, & num. seq.*
15 *Regulares ad alios ordines translati etiamsi Canonici Regulares sint ex Concilio Tridentino prohibentur institui in Parochialibus Ecclesiis.*
16 *Canonici Regulares etiam ad tempus prohibentur assumi ad curam animarum ex decreto Gregorij XIII.*
17 *Regulares quorumcumque ordinum præfici non possunt curæ animarum personarum sæcularium sine dispensatione Apostolica, quæ non conceditur nisi instante Episcopo pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ.*
18 *Item obtinere non possunt præbendas in Collegiatis Canonicorum Sæcularium, nec beneficia simplicia sæcularia etiam ex dispensatione Episcopi.*
19 *Canonici Regulares de jure communi sunt incapaces beneficiorum simplicium sæcularium.*
20 *Commendatarius Prioratus Canonicorum Regularium, cui animarum cura personarum sæcularium incumbit, an teneatur in d. Prioratu residere, & curam animarum per seipsum exercere, & num. seq. usq. in fin.*
21 *Vicarij amovibilis deputatio arguit curam esse penes deputantem, si deputans sit sæcularis, secus si regularis.*
22 *Priores non sunt intitulati, sed obedientiarij, ideoque non sunt Curati, nec sponsi Ecclesiæ.*
Prioratus Canonicorum regularium sunt in duplici differentia.

1 QUOD DEI TIMOREM. Cano-
nicus Regularis potest præfici Eccle-
siæ Parochiali etiam sæculari, sed de-
bet socium sui ordinis secum habere,
si commodè fieri possit. Hoc dicit secundum o-
mnes. Et potest dividi in tres partes. In prima ex-
ordium. In secunda facti narratio, & supplicatio.
In tertia supplicationis admissio cum duplici mo-
tivo. Secunda ibi, *Sanè*, Tertia, ibi, *Licet*.
2 Nota primò ex principio litteræ causam per
effectum declarari, & demonstrari, & sic per ex-
teriora de interioribus judicari. Ad idem cap.
Ex studijs de præsumpt. Clem. Exivi. §. *Cupientes, vers.
Cum enim*, & ibi Card. *in 2. notab. num. 10. de verb.
significat.* l. *Lex quæ, C. de administr. tutor.* Unde
Matth. 7. Ex fructibus eorum cognoscetis eos,
cap. 2. de Regul. iur. Et ut Hieronym. inquit rela-
tus *hic* à Jo. Andr. *num. 2.* Ex pomorum dulcedine
generosi seminis arbor agnoscitur. Adde Bald. in
cap. *Dudum, il secondo, num. 31. supra de elect.* ubi ait
ab effectu esse locum demonstrativum, & suffice-
re ad intelligentiam rei intelligere effectum, licet
quis nesciat diffinire, quod pertinet ad solum sa-
pientem, & intelligentem medullam, & apicem
rationis, allegat. not. in l. *Stipulatio ista, §. Ibi quoque,*
3 *ff. de verbor. obligat.* Propriè tamen scire secundum
Philosophum, est rem per causam cognoscere
propter quàm res est, & non contingit aliter se
habere. Est text. secundum Bart. & Bald. in l. *Pu-
pillus, ff. de acquir. hæredit.* & in cap. *Occidit, 23. q. 8.*
4 Secundum Jo. Monach. *in proœm. Sexti.* Et scire a-
liquid per causas intrinsecas rei est perfectius sci-
re, quàm per causas extrinsecas, ut per D. Thom.
in *1. sentent. dist. 45. art. 3. ad 5.*
5 Secundò nota in vers. *Licet autem*, Canonicos
Regulares non putari sejunctos à Monachorum
consortio: In multis enim æquiparantur, cap.
Præsens Clericus, 20. q. 3. ubi pariter expectant mer-
cedem, cap. *Non magnopere*, & cap. *Super specula,
Ne Cler. vel Monach.* ubi pariter prohibentur au-
dire leges, vel Physicam, cap. *Ex parte, de postulan.*
ubi pariter prohibentur postulare, nisi pro utili-
tate ecclesiæ, vel sui monasterij, cap. *in singulis,
infra eod.* ubi pariter celebrant Capitulum Pro-
vinciale. Et generaliter conveniunt in substantia-
libus Regulæ, scilicet obedientia, cap. *Cum in ec-
clesiis, de maior. & obed.* abdicatione proprij, su-
pra in cap. *prox.* & castitate, cap. *Un. de voto, lib. 6.*
Item in communi mensa, & dormitorio, cap.
Quoniam, de vit. & honest. Clericor. Signorol. de Ho-
mod. *cons. 148. In exceptione, in princip.* adeout
propterea Hostien. *infr. in cap. prox. num. 2. & 7.* &
post eum Card. *hic in 1. q. num. 10.* dicant Canoni-
cos Regulares, & Monachos in omnibus æquipa-
6 rari, nisi in exceptis. Differunt autem in pluribus,
& in hac Decretali habes tres differentias. Prima
est generalis; quia Canonici Regulares regulæ
inserviunt laxiori. Secunda est specialis, quæ ex
præcedenti deducitur: Nam Monachi præfici
non possunt Parochialibus ecclesiis sæcularibus
propter prohibitionem Concilij Lateranensis se-
cundum unum intellectum, Canonici Regulares
secus, quia cum inserviant laxiori Regulæ in præ-
dicta prohibitione non includuntur, ut *hic* dici-
tur in vers. *Quia tamen.* Sed de hoc dicam plenius
in seq. quæst.
7 Tertia est quam ponit hic glos. magna in verb.
Regimen, quia Monachus Parochiali Ecclesiæ
præfectus tenetur habere socios secum sui ordi-
nis, ut in cap. *Monachi. Supra eod.* & in cap. *fin. de
Capell. Monach.* Sed Canonici Regulares ad hoc
non tenentur, nisi commodè possint, ut hic dici-
tur. In hoc tamen glos. in Clem. 1. §. *Ad hæc, in
ver. Ad claustrum, hoc tit.* dicit jura quæ tractant
de Monachis ne soli maneant in Capellis, de clau-
stralibus intelligi, ut patet ibi, & in d. cap. *fin. de
Capell. Monachor.* Si ergo Monachus est perpetuò
institutus ad curam populi, & sic nihil habet com-
mune cum monasterio, cap. *Ne pro cuiuslibet, 16.
q. 1.* socium non tenet, & subdit ita servari de fa-
cto, nec rationem occurrere, quare Abbas talem
Monachum suo claustrali Monacho sociare de-
beat. Sed obedientiarius qui claustralis est, &
solo nutu Abbatis revocatur ad claustrum, non
debet esse solus, ut cum socio aliqualem stabili-
tatem claustri servet. Et idem dicit de Regulari
Canonico. Quam glossæ distinctionem sequun-
tur ibi Jo. Andr. *num. 17.* Card. *num. 1. in 4. opposit.*
Anchar. *num. 32. quæst. 26.* & Abb. *supra*, in cap. *Mo-*
8 *nachi, num. 3.* & ibi dixi in *3. notab.* Quarta diffe-
rentia est quia Monachi fundatores, & instituto-
res habent Benedictum, & Basilium, quorum Re-
gulam profitentur, ut in cap. *Perniciosam, 18. qu. 2.*
Cardin. *hic num. 4. in 7. notab.* Sed Canonici Re-
gulares fuerunt ab initio nascentis ecclesiæ ut pa-
tet ex Constitutione Benedicti XII. quæ incipit,
Ad Decorem Ecclesiæ, edita idibus Maij, Pontifica-
tus anno quinto, in Bullar. *tom. 1. pag. 196.* ubi le-
gitur Religionem Canonicorum Regularium
Ordinis S. Augustini à Christi Religiosis discipu-
lis in primitiva Ecclesia sacris institutionibus sta-
bilitam. Eos enim Alexandriæ S. Marcus insti-
tuit, ut per Colleg. Paduan. *cons. 2.* quod habetur
post Consil. Cardin. Zabarell. *num. 13. 14. & seq.*
Et Caccialup. *cons. 4.* post Consilium ejusdem
9 Cardinalis, *num. 5. & seq.* Et propterea in proces-
sionibus, & aliis publicis actibus hæc Religio
præcedit omnes alias Religiones, & primum lo-
cum obtinet immediatè post Clerum sæcularem,
ut declaravit Pius V. in Constitutione *cum ex ordi-
num* 1570. 10. Cal. Januar. In Bullar. *tom. 2. pag. 324.*
In hæc verba: [Universi Canonici Regulares Or-
dinis S. Augustini Congregationis Lateranensis,
qui ab Apostolis originem traxerunt, quique ab
eodem S. Augustino eorum Reformatorum, ite-
rum per reformationis viam mundo geniti, me-
ritò prætendere possunt se omnes alias personas
ecclesiasticas tam sæculares, quàm Regulares in
processionibus, & aliis actibus publicis præcede-
re debere. Cum tamen non liceat membra à Capi-
te separare, &c. Canonicos prædictos statim ip-
sum Clerum sæcularem non exemptum subsequi,
dum ipsi subsequendo præcedunt; dum verò præ-
cedendo præcedunt, illum, immediatè sequi de-
bere declaramus.] Et eodem modo cum contro-
versia super præcedentia inter prædictos Canoni-
cos, & Congregationem Cassinensem diu ventila-
ta fuisset, & in Concilio Tridentino renovata;
Cumque tres Cardinales à Pio IV. deputati retu-
lissent se comperisse ex pluribus litteris Aposto-
licis, diversisque aliis documentis, rationibus, &
probationibus ipsos Canonicos fuisse, & esse de
illis Clericis à S. Augustino, quinimmo à Sanctis
Apostolis institutis; idem Pius IV. ipsis Ca-
noni-

nonicis præcedentiam adjudicavit in Constitutione Sedis Apostolicæ, 18. Februarij 1564. in Bullar. *tom. 2. pag. 106.* licet Caccialup. *d. cons. 4. num. 2.* dicat eos fuisse institutos tempore Beati Augustini, & ortum habuisse à Nazaræis, quibus committebantur Sancta Sanctorum, allegans Jo. de Deo in suo opusculo de dispensat. & addens sub dubio aliquos ab eo relatos *num. 39.* tenere originem duxisse à Ruffo, seu Irone apud Francos tempore Ludovici Imperatoris, & in Italia prope Mediolanum ex præcepto Alexandri, & *num. 50.* appellatam fuisse Congregationem Frisonariam, seu Frisonem: & plenius *in fin. cons. num. 59.* ubi de multiplici eorum origine.

10 Regulariter tamen, ut prædiximus, Monachi, & Canonici Regulares eodem jure censentur. Unde quamvis Feder. de Sen. *cons. 25. Casus talis est.* Quidam fuit promotus; consuluerit Constitutionem Clementis V. in Clem. 1. §. *Caterum, de stat. Monach.* qua statuitur ut Priores Conventuales infra annum ad Sacerdotium promoveri debeant, non habere locum in Præpositis Canonicorum Regularium, cum de ipsis non loquatur, seu de Monachis. Et pro hac parte plurimùm stringat hæc decretalis, ubi pōderatur ideirco Canonicos Regulares non comprehendi in prohibitione Concilij Lateranen. quia in illa de Canonicis Regularibus, qui regulæ inserviunt laxiori, specialiter nō cavetur: tamen ejus consilium refellit Petrus de Tuderto, cujus dictum habetur infertum post idem consilium Federici, eo quod licet Constitutio illa loquatur de Monachis; tamen idem intelligendum in Canonicis Regularibus, cum idem jus regulariter sit in utrisque; & allegat text. *hic*, & cap. *Dictum, 81. dist.* Nec obstat secundum eum, quòd Constitutio, quæ loquitur de aliquo Ordine Mendicantium, non porrigatur ad aliqum ordinem, in quo non sit eadem ratio, ut notatur in c. *Constitutionem, de Regular. lib. 6.* Quia illud intelligitur quando expressè de aliquo ordine loquitur, cujus appellatione alij ordines non veniunt; Secus ubi generaliter loquitur de Monachis, quia tunc omnes veniunt etiam Canonici Regulares, cum ipsorum Monachorum appellatione prædicti Canonici contineantur, ut in juribus prælleg. Et ejusdem opinionis fuit Lap. Abb. ad consultationem Feder. *in 8. resp.* data Federico in consilio ejusdem Federici 88. Verum hæc responsio Petri de Tuderto non placuit Federico, quia dicta Constitutio solum habet locum in Monachis nigris; unde ibi dicit, ordinis, seu religionis hujusmodi. Et quamvis jura generaliter loquencia de Monachis ut religiosis habeant locum in Canonicis Regularibus, tamen jura generaliter prodita circa Monachos nigros in Canonicis Regularibus locum non habent: & argumentum à simili, vel ab identitate rationis non habet locum in
11 his, quæ exorbitant à jure communi. Ad hoc glos. notab. in d. c. *Constitutionem, in ver. Prorogamus, de Regular. lib. 6.* glos. in c. *Quæ à iure de regul. iur. eod. lib.* & Barthol. in Extravag. *Qui sint rebelles, §. 1. ansir. num. 3.* Et in hoc tandem resident Feder. cujus consilio etiam se subscripsit Jo. Andr.

12 Tertiò nota ex illis verbis, [Et per antiquos Canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum parochialium regimen in Presbyteros ordinari.] Monachos de jure communi assumi posse ad regimen parochialium Ecclesiarum. Et signa causam, in quo possunt assumi, scilicet propter officium prædicandi, quod in multis est privilegiatum, & specialiter in hoc, secundum Host. *hic. num. 8.* Et in *summa hoc tit. §. Verum populum*, qui allegat ad hoc c. 1. & 2. 58. *dist.* & c. *Quorundam, 74. dist.* Item tenent Jo. Andr. & Paul. in Clem. 1. *in glos. in ver. Seculare, de elect.* Cæterum in hoc maxima est inter Doctores varietas opinionum, quas recenset Anton. de Butr. in c. *Monachi, num. 16. supræ eod.* & Rota, *decis. 262.* incipien. *In religiosa, alias 5. de iure patr. in novis*, videtur residere in hac sententia ut in Monacho assumendo ad curam animarum hodie sicut olim necessaria sit dispensatio, & fortè Papalis propter celebre Concilium Lateranense in d. c. *Monachi*, contra quod Episcopi dispensare non possunt. Communiter tamen tenetur Monachum de jure ex causa utilitatis de Abbatis consensu ab Episcopo promoveri posse ad pastoralem Ecclesiam sine dispensatione, dummodo cum eo habitet alius saltem Monachus, ut hic per glos. *in ver. Regimen*, Host. *num. 8.* post Hug. Bertrand. & Goffred. quos citat Jo. Andr. *num. 14.* Henrich. Boich. *num. 15.* Butr. *num. 11.* Cardin. *num. 11. quæst. 2.* Anchar. *num. 6. & 11.* Joan. de Anan. *num. 6. 8. & 9.* Feder. de Sen. *cons. 136. Factum tale est per tot.* Roch. de Curte *de iurepatr. in ver. Munificum, quæst. 4. num. 8.* Lambert. *eod. tract. lib. 2. par. 1. q. 7. art. 19. a num. 13.* & de communi opinione testatur Abb. *hic num. 7.* Quod tamen intellige si parochiales sint à monasterio distinctæ; secus si cura incumbat ipsi monasterio, quia tunc Monachus nullo modo præficitur, ut est textus in cap. 1. & ibi scripsi plenissimè, *infra de Capell. Monachor.* Verum an hæc procedant post Concilium Tridentinum dicam in proxima quæstione.

13 QUÆRO, An hodie sit locus dispositioni hujus Decretalis, adeout Canonici Regulares præfici possint parochialibus Ecclesiis etiam sæcularibus cum scio sui ordinis, si cōmodè fieri possit.

14 Congregatio Lateranensis Canonicorum Regularium proposuit olim S. Congregationi Concilij se in civitate Gremonæ habere monasterium S. Petri de Pado, cui unitæ sunt plures parochiales, ex quarum fructibus alitur magna familia tam Sacerdotum, quàm clericorum juvenum, qui velut in seminario quodam bonas litteras edocentur. Insuper novam à fundamentis ædificat Ecclesiam magno sumptu. Solvit etiam per plures taxas sibi à Congregatione impositas, quarum summa excedit ducatorum mille. His non obstantibus Cardinalis Borromæus in visitatione d. civitatis decrevit Vicarium perpetuum in una dictarum Ecclesiarum pro sæculari Presbytero, amoto Parocho regulari, quod tenditin maximum monasterij damnum, quando longè minori expensa vivunt regulares in dictis parochialibus. Unde non poterunt postea, si Vicarij sæculares erunt, tot onera perferre. Et propterea S. Congregationem adierunt pro remedio dicentes de jure communi licere obtinere beneficia sæcularia Curatæ Canonicis Regularibus absque dispensatione Papæ, vel Episcopi, nec licere Episcopo amovere eorum Vicarios Regulares ab ipsis in dictis parochialibus deputatos, quæ eis sunt pleno jure
15 etiam quoad spiritualia subjectæ. Die 27. Octob. 1575. Congregatio publica censuit dicendum par

tibus ut informent Sacram Congregationem, ut videatur de jure: quia jure veteri Canonici Regulares sunt capaces parochialium sæcularium, c. *Quod Dei timorem*, & ibi glos. *in ver. Regimen, de statu Monach.* Et Concilium non prohibuit quin Canonici Regulares possint uti hoc jure veteri, & habere parochiales, nisi quando translati, c. 11. *sess.* 14. Sed videtur obstare *cap. 7. sess. 7.* quando agitur de unitis, quia vult provideri curæ earum per Vicarios ab Episcopo deputandos. Et ita Congregatio intellexerat tempore Pij V. Item Pius V. *in Bulla* 47. indulserat omnibus regularibus nominationem Vicarij perpetui cum approbatione Episcopi; & Mendicantibus, & Canonicis Regularibus indulsit ut in unitis possint nominare ex seipsis non Vicarios perpetuos, sed eos amovibiles; & Regulares Monachi idem possunt; sed nominant unum ex jis Vicarium amovibilem approbatum prius ab Episcopo cum alijs quatuor Monachis. Sed Bulla Pij V. redacta est ad terminos Concilij; unde si jure non possunt, agendum cum Sanctissimo pro gratia, exemplo Pij V. Deinde eadem Congregatio generalis censuit referendum Sanctissimo Canonicos Regulares jure veteri esse capaces Ecclesiarum parochialium, d. c. *Quod Dei timorem*, & à Concilio id non caveri, nisi quando translati, d. *cap. 11. sess. 14.* Tamen obstare quod in unitis quando eriguntur Vicariæ perpetuæ est in arbitrio Episcopi apponere eos, vel alios, Item Pius V. indulsit, ut possent Canonici Regulares, & Mendicantes nominare unum ex suis, qui prævio examine esset Vicarius amovibilis nutu Superiorum. Sed hæc Bulla Pij V. redacta est ad terminos Concilij: tamen pro eis facit jus vetus,

Die 2. Decembris 1575. Sanctitas sua audita relatione, visa est sententia Concilium, *cap. 7. sess. 7.* non ita clarè dare arbitrium Ordinario ponendi quos velit Vicarios perpetuos, etiam ad exclusionem regularium, qui alias idonei essent. Tamen postea inclinabat in sententiam illam ut Ordinarius haberet & hoc arbitrium, ut alias Congregatio senserat. Et licet Bulla Pij V. aliud statuerit; tamen quia est redacta ad terminos Concilij videbatur perstitere in ista reductione. Nihilominus cùm audivisset regulares perpeti multa damna ex impensis faciendis in sæcularibus Vicarijs, mandavit ut si monasterium non erat valdè pingue, scriberentur litteræ ad Cardinalem S. Praxedis, visum esse Sanctissimo ut si ex regularibus inveniatur aliquis idoneus ad hanc curam exercendam, cum assumat potius, quàm sæcularem, & Vicarium amovibilem constituat arbitrio Superiorum suorum. Id tamen non per viam Constitutionis generalis, sed per specialem provisionem
16 in hoc casu, & per privatas litteras. Postea verò generaliter fuit quæsitum an Canonici Regulares de licentia sui Generalis possint assumere curam animarum tam ad tempus, quàm perpetuò. Die 8. Julij 1581. Sanctissimus D.N. Gregorius XIII. noluit licere istis regularibus etiam de licentia sui Generalis absque permissu Summi Pontificis assumere curam etiam ad tempus, multoque minus beneficium Curatum in titulum; ita reperi adnotatum in libris publicis S. Congregationis, *cap. 18. sess. 24. pag. 999.* Et subinde cum Canonici Regulares Lateranenses peterent, ut sibi liceret cum licentia sui Generalis obtinere beneficia curata in titulum, vel ad tempus, & tes à Congregatione delata esset ad Sanctissimum, Sanctitas sua abnuit.

17 Ex his patet Canonicos Regulares hac decretali non obstante hodie assumi non posse ad regimen parochialium Ecclesiarum absque dispensatione Romani Pontificis.

Unde infertur primò ut multo minus assumi possint ad curam animarum personarum sæcularium regularibus aliorum ordinum: nam in Canonicis Regularibus ex multorum sententia speciale erat ut possent præfici parochialibus sæcularibus, quia regulæ inserviunt laxiori; & propterea non comprehendebantur in prohibitione Concilij Lateranensis, ut hic deciditur. Quare si Canonicis Regularibus non licet amplius obtinere parochiales in titulum, vel ad tempus propter Decretum Gregorij XIII. longè minus id licebit alijs regularibus strictiorum ordinum. Hinc cùm fuerit quæsitum. An regularis possit præfici curæ animarum ab Episcopo sine dispensatione Apostolica: Sacr. Congregatio Concilij censuit non posse, nisi accedente dispensatione, quæ non videtur concedenda, nisi instante Episcopo pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ. Et aliàs consulta an Ecclesiæ parochiali ex necessitate, nempè ob penuriam Sacerdotum, regularis perpetuò possit præfici: respondit permitti posse; itaut deducto victu, quod reliquum fuerit redituum in utilitatem Ecclesiæ, & pauperum convertatur. Ob id autem necessariam esse hodie dispensationem cōtra opinionem antiquorum Doctorum, quod ita de stylo servari consuevit. Quod si magis placuerit Sanctissimo posse quod petitur ad tempus concedi, quoad scilicet Episcopus proviserit de Clerico sæculari: nihil tamen concedendum, nisi instante Episcopo pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ.

18 Infertur secundò ut regulares multo minus obtinere possint, beneficia sæcularia non curata, puta Canonicatum in Collegiata Ecclesia sæculari, aut beneficium simplex: Id enim etiam jure veteri prohibitum erat, ut est expressum in c. *Super eo, de Regular.* ibi, nec amplius in Ecclesiis sæcularibus deberi assumi, ne contra votum, quod Domino fecerunt, venire probentur, & in cap. *Placuit, 16. quæst. 1.* ibi, nec ad Ecclesias sæculares transire. Et de præbenda in Ecclesia Collegiata Canonicorum sæcularium tenent Hostien. *in summa hoc tit. §. Verum populum*, Jo. Calder. *hic*, & post eum Cardin. *in 5. quæst. num. 14. vers. Si autem assumitur ad Canoniam*, quia homines disparis professionis non debent simul in eisdem Ecclesiis sociari, c. *In nova, 16. q. 7.* Ad hoc Clem. 1. *de elect.* Neque obstat c. *Quorundam, 74. dist.* quia Ecclesia Siracusana, ad quam transivit, ibi Monachus, erat etiam Monachorum, ut ibi notatur. Neque hoc casu valet Episcopi dispensatio secundum Cardinalem. Et de Ecclesia non Collegiata, seu beneficio simplici tradit Feder. de Sen. *cons. 136. Factum tale est sub num. 3. vers. Sed fortius obstat.* Jo. Calder. & Cardin. *ubi supra.* Et ita secundum Cardinalem intelliguntur textus in c. *Si cupis*, & c. *Alia, cum duobus seqq. 16. q. 1.* & probatur in d. c. *Super eo, de Regular.* & in Clem. 1. ibi, *Clericis sæcularibus*, secundum Jo. Andr. & Paul. *de supplen. neglig. Prælat.* & in hac Decretali à contrario sensu. Cessat enim in his beneficijs ratio curæ animarum, propter quam regulares jure veteri poterant ad Ecclesias

sæculares assumi, secundum Cardin. Item promotus ad simplex remanet Monachus claustralis; & sic alteratur status beneficij, quod fieri non debet, c.1.§. *Ad hoc, cum sua glossa supra eod.* ut per Fe-
19 der. de Sen. *d.cons.136.ad finem.* Et ita etiam in Canonico Regulari aliàs respondit Gregor. XIII. nam cum dubitaretur an Canonicus Regularis esset capax beneficij simplicis: Sac. Congregatio dixit videri incapacem, quia cap. *Quod Dei timorem*, loquitur de parochiali, agendum tamen cum Sanctissimo. Die 23. Julij 1578. Sanctitas Sua dixit, licet Tridentin. Concilium non prohibuisset regulares obtinere sæculare beneficium, & Concilium Lateranense sub Leone ad concordata tantùm restringeretur; tamen jus commune obstare, quod nonnisi in parochialibus dispensat, d.c. *Quod Dei timorem.* Hic autem agitur de simplici.

20 Ex facto quæsitum est. An Clemens obtinens in Commendam Prioratum S. Joannis Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium Aquen. diœcesis, cui animarum cura personarum sæcularium incumbit, teneatur in dicto Prioratu residere, & curam animarum per seipsum exercere.

Jam S. Congregatio Concilij declaravit Commendatarios non teneri residere, si animarum cura Sacramentalis soli conventui incumbat, non autem personæ Commendatarij: quam declarationem ad se relatam approbavit Gregor. XIII. ut scripsi latè in c.1.*inf.de Capell.Monach.* In Commendis autem Ordinis S. Basilij, vel S. Benedicti cura indistinctè dicitur incumbere monasterijs, quia Monachi in eis degentes in Congregatione prohibentur curam populi exercere, ut est textus in d.c.1. & ibi notant Butr. Abb. & communiter Doctores. Valet enim argumentum, Monachi sunt incapaces curæ: ergo cura ipsis non incumbit, sed conventui, ut hoc notat Abb. *n.5.* Mandos. *cons.20.n.9.* Rota *in recen.decis.153.n.2.in.fin.par.2.* Atque ita cùm cura animarum ante commendam non incumberet Abbati titulari, nec postea dicenda est incumbere Commendatario, qui in locum Abbatis est subrogatus, cum commenda non mutet statum beneficij, Gemin. *cons.8. n.8. vers. Quia non est necesse*, Sarnen. *in reg.de infirm.q.13.* & sæpius decidit Rota. Ideoque in commendis dictorum Ordinum multoties respondit S. Congreg. Commendatarios non teneri residere, sed curam esse per Presbyteros sæculares exercendam.

Verum hoc argumentum non procedit in Canonicis Regularibus, cujus ordinis est Prioratus, de quo agitur, quia ipsi de jure præfici possunt Ecclesijs parochialibus, ut est casus in hoc cap. ubi decretum Lateranen. Concilij, quo Monachi prohibentur præfici parochialibus ecclesiis declaratur non habere locum in Canonicis Regularibus, qui quamvis à Sanctorum Monachorum consortio non putentur sejuncti, regulæ tamen inserviunt laxiori. Unde hoc casu opus est, ut Commendatarius probet curam esse penes conventum ex aliquo alio capite: nam cùm non adsit in Canonicis Regularibus incapacitas, quæ arguat curam esse penes conventum, non penes ipsos; probatio ex hoc capite non relevat, cum non concludat per necesse, cap. In præsentia, & ibi Dec. *in 13. notab. supra de probat.* Rota *decis.160.n.8. & decis.226. n.2.part.1.recent.* Greg. XV. *decis.162.n.9.*

21 Quamobrem Commendatarius ad probandum animarum curam ante commendam non incubuisse Priori, & Canonicis, sed Conventui, adducit privilegium Sixti IV. & Julij II. quibus indulgetur, ut Congregatio Canonicorum Lateranensium, seu illius Canonici per se, aut per Presbyteros sæculares, vel regulares ad ipsorum nutus deputandos, & amovibiles animarum curam parochianorum ecclesiarum parochialium hujusmodi exercere possint, & valeant. Ex hoc autem quod Prior possit curam per alium exercere, rectè infertur ut Prior non sit Curatus, ut in terminis de Priore regulari tradit Card. in Clem. *Ne in agro, §. Cæterum, in secunda opposit.* post Paul. *ibi, de statu Monach.* per textum in cap. *Super eo, de preben.lib.6.*

Et quamvis aliàs deputatio Vicarij amovibilis arguat curam esse penes deputantem, ut jam censuit, S. Congregatio, & est *decis.* Bisignetti 21. *n.2. de preben.* tamen hoc procedit in Presbyteris sæcularibus, non autem in regularibus. Deputatio enim Vicarij amovibilis potius arguit curam esse penes Ecclesiam, & Conventum, ut per Cardin. *loco cit.* & satis constat ex decreto Trident. Concilij *cap.11.sess.25.de Regular.*

22 Deinde hoc probat Commendatarius, quia Priores olim non erant perpetui, neque intitulati in hujusmodi Prioratibus, sed potius obedientiarij, & claustrales juxta dictam Clem. *Ne in agro*: ergo nõ erant Curati, aut sponsi Ecclesiæ; etenim ad hoc requiritur, ut sint perpetui, ut notat glos. in Clem. *Dudum, §. Statuimus, in ver. Impendant de sepultur.* & ibi in Cardin. *in §. Ac deinde, nu.9.* Vitalin. *in §. Verum. num.3.* Mandos. *in reg.20.q.2.num.4.* & alij relati à Gonzal. *ad regulam de mensibus in glos.6. num.40.36.42.93. & 97.*

23 Unde cum cura penes illorum personas non esset, neque penes vicarios amovibiles, necessariò sequitur ut esset penes ecclesiam, vel conventum: quo casu intrat declaratio S. Congregationis relata superius, ut Commendatarius residere non teneatur, cum cura personæ ipsius non incumbat.

Cæterum adhuc superest difficultas, quia in dicta religione Prioratus sunt in duplici differentia; quidam sunt Conventuales; & in his cura potest etiam per alios exerceri, juxta indultum Sixti IV. & Julij II. & locum habent omnia supradicta.

Quidam verò sunt Prioratus nuncupati; & hi conferuntur in titulum Canonicis Regularibus, qui tenentur residere, & curam per seipsos exercere ad præscriptum hujus decretalis. Orator autem nondum docuit suum Prioratum esse Conventualem, nisi ex conjectura, quod centum abhinc annis illius Prior accessit ad Capitulum generale. Sed ubi concludenter probasset hanc Conventualitatem, posset responderi, eum non teneri in Prioratu residere, quamvis habeat curam personarum sæcularium, sed curam ipsam esse exercendam per Presbyterum sæcularem ab Ordinario approbandum.

De Statu Monachorum.

Cap. Cùm ad monasterium.

SUMMARIUM.

1 *Monachi uti non debent lineis camisiis, quibus tamen uti possunt Canonici Regulares.*

2 *Canonici Regulares vescuntur carnibus, Monachi secus, nisi in casibus, ut num.20.*

3 *Regularis non potest aliquid etiam minimum possidere tanquam proprium, sed totum debet incontinenti resignare Prælato suo, alioquin mortaliter peccat, & num. seqq. usque ad num.12.*

4 *Verba in virtute Sanctæ obedientiæ, sunt præceptiva, & de necessitate salutis.*

5 *Verba sub obtestatione divini judicij ostendunt transgressorem esse reum culpæ lethalis.*

6 *Voti observantia est de iure divino, & eius transgressio semper est mortalis.*

7 *Regularis deprehensus in vita aliquam proprietatem habere, canonica monitione præmissa, expellitur à monasterio, & in aliud arctius detruditur, & ab altaris ministerio removetur.*

8 *Regularis deprehensus in morte habere proprietatem, debet cum ipsa subterrari extra monasterium in sterquilinio in signum perditionis, & n.12.*

Nec pro ipso orandum, num.10.

9 *Monachus proprietarius in Aegypto subterratus fuit in sterquilinio cum verbis.* Pecunia tua, &c.

11 *Regularis, qui in mortis articulo non resignavit propriũ, non debet in Cœmeterio sepeliri, & de facto sepultus exhumari debet, si sine scandalo fieri potest.*

12 *Religiosi propriet. is non debet tota cum ipso subterrari, sed aliqua pars illius.*

13 *Sed inventa in vita debet converti in utilitatem Ecclesiæ.*

14 *Regularis non debet munus licet minimum sibi oblatum accipere, sed illud recta est deferendum ad manus Superioris.*

15 *Et hodie debet incorporari, & confundi cum reliquis bonis monasterij.*

16 *Si Regulari legetur fundus, ita ut habeat usumfructum, poterit illum habere secundum opinionem Vincentij.*

Contrarium.

18 *Abbas potest super regula dispensare quantum ad esum carnium, & in aliquibus casibus hic expressis.*

19 *Sed contra.*

20 *Monachi debiles, & infirmi, & qui minutione, vel medicina indigent, possunt vesci carnibus in infirmitorio tantum.*

21 *Sanguinem minuens die 13. Februarij non morietur illo anno ex febrili distemperantia.*

22 *Et quid post Kalendarium Gregorianum.*

23 *Priores an possint amoveri ad nutum Abbatis sine ulla causa, & num. seqq. usque ad num.43.*

Quid in Prioribus conventualibus Canonicè electis, & confirmatis, num.24.

Et quid in prioribus minoribus, seu manualibus, nu.26. & seqq. usque ad num.43.

24 *Priores electi, & confirmati de iure sunt perpetui, nec amoveri possunt, nisi ex causa, & iuris ordine servato.*

25 *Sufficiunt tamen leviores causæ.*

27 *Obedientia idest Prioratus, vel officium certum habens administrationem.*

28 *Priores manuales non confirmantur, sed sunt ad nutum Abbatis amovibiles.*

29 *Officium nullum præter Abbatis in monasterio est perpetuum.*

30 *Beneficia Regularium ex sui natura sunt manualia.*

31 *Priores manuales an possint per Abbatem amoveri sine ulla causa, & num. seqq. usque ad num.43.*

32 *Monachus si ex malitia removeatur à loco, quem Abbas ei deputavit, potest officium Superioris implorare.*

33 *Præpositus, qui est secundus post Abbatem potest ab eo removeri, si quater admonitus se non emendaverit.*

34 *Liberè, idest sine causa, & pro libito voluntatis.*

35 *Monachus spoliatus officio, vel beneficio manuali sine iusta causa non potest agere interdicto recuperandæ contra spoliatorem.*

36 *Monachi sunt obedientiarij.*

37 *Prior manualis potest amoveri sine causa etiamsi Abbas nunquam usus fuerit tali facultate.*

Consuetudo in actibus merè facultativis non inducitur per non usum ibidem.

38 *Vicarij temporales in ecclesia curata, & seculari possunt sine causa amoveri.*

39 *Vicarij amovibiles à Capitulo deputati pro exercitio curæ, & ab Ordinario approbati possunt amoveri à Capitulo ad nutum Capituli, non autem ab Ordinario, nisi ex legitima causa.*

40 *Prior manualis si per Abbatem amoveatur ex malitia, apud Superiorem Abbatis potest querelam deponere, & superior debet eum audire.*

41 *Et amotio censetur facta ex malitia si subsit præsumptio alicuius odij.*

42 *Odium, seu malevolentia in dubio non præsumitur.*

43 *Papa an possit dispensare cum Monacho, ut habeat proprium, vel uxorem ducat, latè discutitur, ut nu. seqq. usque in fin.*

44 *Castitatis custodia, & abdicatio proprietatis sunt essentialiter annexa regulæ Monachali, & num.49. & 58.*

45 *Papa in multis præter articulos fidei dispensare non potest.*

46 *Papa dispensare non potest in voto solemni continentiæ etiam propter multitudinis bonum secundum opinionem, D. Thomæ.*

Contrarium, num.55. & num.61.

47 *Sanctificatum semel Domino non potest per Ecclesiæ authoritatem in alios usus commutari.*

Declaratur num.71. & 73.

48 *Voti solemnitas consistit in quadam consecratione, seu benedictione voventis.*

49 *Papa dispensat in voto continentiæ, solemnizat per susceptionem sacri Ordinis.*

50 *Periculis humanis obviandum est per res humanas.*

51 *Professi sunt mortui mundo, nec sunt vocandi ad vitam humanam occasione cuiuscunque eventus.*

Contrarium, num.61.

52 *Matthæus Apostolus dicitur noluisse dispensare cum Iphigenia moniali, ut nubere posset Regi propter bonum fidei.*

Sed vide, num.76.

53 *Votum est de iure naturali, in quo non cadit dispensatio.*

Declaratur, num.74. & 75.

Papa

54 *Papa de potestate absoluta potest mutare substantiam rei, & de eo, quod nihil est, aliquid facere.*
55 *Deus quo sensu intelligatur non posse suscitare virginem post ruinam.*
56 *Papa ex magna causa potest dispensare cum Monacho super voto continentiæ, & paupertatis.*
Sed sine hujusmodi causa non potest, num. 78. Et quæ sit magna causa, num. 61. 62. & 64.
57 *Castitas, & paupertas sunt annexa regulæ Monachali de iure positivo.*
58 *Monachus nihil aliud est quam solitarius, & tristis.*
59 *Regula omnis Religionis à Romani Pontificis authoritate vires sumit.*
60 *Papa sicut Religionis substantiam approbat, sic & ipsam tollere potest.*
63 *In voto semper intelligitur excepta voluntas Dei, & Authoritas Papæ.*
65 *Voto non potest quis se deobligare ab eo, in quo alteri tenetur.*
66 *Papa pluries dispensavit cum Regularibus etiam Sacerdotibus, & Episcopis, ut possent contrahere matrimonium, ut in exemplis hic positis.*
67 *Papa non potest facere, ut Monachus habeat uxorem, vel proprium quamdiu monachus est. Sed bene potest ex magna causa facere de Monacho non Monachum, & num. 68. & 70.*
68 *Religiosus perseverans Religiosus, inhabilis est ad matrimonium non ex statuto, sed ex natura.*
69 *Imperator Fredericus natus est ex matre Constantia quinquagenaria, quæ fuerat monialis.*
70 *Navarri distinctio quod Papa dispensare possit, ut Monachus uxorem ducat, non autem ut habeat proprium, rejicitur.*
71 *Consecratio Sacramentalis per nullum ecclesiæ Prælatum potest auferri: secus in alijs consecrationibus, quæ sunt de iure positivo.*
72 *Consecratio seu benedictio, in qua consistit solemnitas, non est Sacramentalis, sed ex statuto ecclesiæ.*
73 *Sacra transferri possunt ad alios usus in articulo necessitatis.*
74 *Ecclesia cum dispensat in voto, non dispensat in præcepto iuris naturalis, sed determinat id, quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ.*
75 *Dispensare non est legem tollere, sed ordinare ex causa, ne liget eo casu, quo dispensatur.*
77 *Abdiæ Babylonii, & eius libro quæ fides sit adhibenda.*
78 *Papa dispensare potest contra ius positivum etiam sine ulla causa.*
79 *Ius destruere is potest, qui potest condere.*
80 *Dispensatio in his, quæ sunt contra votum tacitum vel expressum, & in alijs, quæ sunt contra Evangelium, non prodest nisi ex causa fiat, & peccat dispensans, & is cum quo dispensatur.*
81 *Dispensatio Papæ, ut Monachus habeat proprium nunquam valet nisi magna causa, & vera subsit.*
82 *Secus in dispensatione, ut matrimonium contrahat quia tenet, si credet bonam dispensationem, licet peccet exigendo debitum.*
83 *Et quæ sit ratio diversitatis.*

CUM AD MONASTERIUM. Dividitur in quinque partes, & divisio erit summarij. Primò tractat de vestibus Monachorum. Secundò de abdicatione proprietatis, ibi, *Prohibemus.* Tertiò de silentio, ibi, *Oratorio.* Quartò de cibis, ibi, *In Refectorio,* Quintò de officiis, ibi, *Tales*, & hæc ultima pars primò tractat de officiis in genere. Secundò de Priori claustrali ibi, *Prior.* Tertiò de Abbate, ibi, *Abbas*, & hæc Decretalis cum sequenti innovantur, & observari præcipiuntur in Clem. *Ne in agro, in fin. de stat. Monach.* Jo. Andr.

2 Nota primò ex principio textus, Monachos uti non debere lineis camisiis, quibus tamen uti possunt Canonici Regulares, qui & Regulæ inserviunt laxiori, ut cap. *Quod Dei timorem, supr. eod.* secundum Joan. Andr. *hic num.* 2. Butr. & Anchar. *in primo notab.* Et in hoc signa unam differentiam inter Monachos, & Canonicos Regulares. Alia differentia est, quia Regulares Canonici vescuntur carnibus, quod tamen Monachis est prohibitum, ut cap. *Carnem, de consecrat. distinct.* 5. & *hic in* §. *In Refectorio.* Jo. Andr. *d. num.* 2. & pondera illa verba, *nullus omnino carne vescatur*: nam dictio, *nullus*, exponitur idest nec Abbas, nec alius, & dictio, *omnino*, intelligitur nec causa infirmitatis, nec aliqua alia, secundum Hostien. *num.* 10. *in verb. Nullus*, & Joan. Andr. *num.* 7. *in eod. verb.* Nisi ut dicam infra *num.* 20. Complures alias differentias inter Canonicos Regulares, & Monachos ponunt Doctores in d. cap. *Quod Dei timorem, supra eod.* & ibi dixi, *num.* 6. *& seqq.*

3 Secundò nota in §. *Prohibemus*, nullomodo posse Religiosum aliquid possidere tanquam proprium, quantumcumque illud sit minimum, ut dicam infra in 4. *not.* Sed si quid habet proprij debet totum incontinenti resignare Prælato suo, alioquin mortaliter peccat, quod multipliciter probat hæc Decretalis. Et primò quia utitur verbis *Prohibemus*, distinctè. Lex autem ecclesiastica præceptum, vel prohibitionem continens obligat transgressores ad peccatum mortale, ut cap. *De his, in fin.* 50. *distinct.* cum concordant. de quibus per Archidiacon. in cap. *Detestanda, num.* 3. & 4. *de concess. præben. lib.* 6. & scripsi plenius in cap. *Siquis num.* 38. & 39. *Supra de Regular.* & in cap. *Treugas, num.* 22. & 34. *de Treug. & pace.*

4 Præsertim verò, quia textus non tantùm dicit *prohibemus districtè*, sed addit *in virtute obedientiæ*, quæ verba sunt præceptiva, & de necessitate salutis, cap. 1. *de Sepultur. lib.* 6. Sylvest. *in verb. præceptum, num.* 2. *vers. Dico ergo*, ad quod vide quod scripsi in cap. *Explicari, num.* 9. *infra de observat. ieiun.* Item addit verba, *sub obtestatione divini iudicij*, quæ ostendunt hujus præcepti transgressorem à Deo judicandum fore tanquam reum culpæ lethalis. Sic in cap. *Periculoso*, §. *Et quoniam, de stat. regular. lib.* 6. & in cap. *unic.* §. 1. *de Iudæis, eod.*
6 *lib.* cum similibus. Et meritò, quia observantia voti est de jure naturali Divino, & ejus transgressio semper est mortalis, cap. *Licet universis, supra de voto* Joan. Andr. *in regul. semel Deo, num.* 3. *de Regul. iur. lib.* 6. S. Thom. *in* 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. *ad* 2. & *art.* 3. *in corp.*

7 Secundò quia si Religiosus fuerit deprehensus habere aliquam proprietatem, ut quia reperta fuit pecunia in arca, vel quia confessus est, secundum Jo. Andr. *num.* 3. hæc constitutio præcipit, ut canonica monitione præmissa, à monasterio expellatur, nec ulterius recipiatur, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam, de quo tamen hodie dic ut in c. *fin. supra de regular.* Addit glos. *hic in verb. Expellatur*, eundem esse in vita removendum etiam ab altaris ministerio, ut c. *Monachi*, & c. *Super*

per quodam, supra eodem. vel posse detrudi in arctius monasterium, ut sic pœniteat, & proprietatem illam restituat, arg. cap. *De lapsis*, 16. *q.* 1. & cap. *Si quis rapuerit*, 27. *quæst.* 1. Hujusmodi autem pœnæ nequaquam imponuntur nisi pro culpa mortali, ut in prædictis jurib. & post D. Anton. notat Sylvest. *in verb. Præceptum, num.* 3. *vers. Et similiter si imponitur pœna.*

8 Tertiò, quia religiosus deprehensus in morte aliquam proprietatem habere, jubetur hic subterrari cum sua proprietate extra monasterium in sterquilinio, & hoc in signum perditionis, & dicitur in littera, idest damnationis æternæ, quia in mortali peccato decessit, secundum glos. *hic in*
9 *verb. In Sterquilinio.* Et ita B. Gregorius narrat se fecisse *lib.* 4. *Dialogorum cap.* 55. ut hic innuitur, & D. Hieronymus *ad Eustochium de virginitate littera* D. relatus à Jo. Andr. *hic num.* 4. *in verb. Gregorius*, refert de Monacho, qui lina texendo centum lucratus, illa reliquit in morte, & habito consilio, quidam dicebant illa esse tribuenda pauperibus, alij ecclesiæ, alij parentibus. Sed decreverunt patres illa cum eo subterrari cum verbis, Pecunia tua sit tecum in perditione; ex quo magnus per totam Ægyptum cunctos terror invasit: concordat text. in cap. *Monachi, supr. eod.* ibi: [Et qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè non pœnituerit nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam.] Quintò in cap. *Su-*
11 *per quodam, supra eod.* Regularis Canonicus, qui in articulo mortis non resignavit proprium, quod latenter habuerat, non solum in cœmeterio sepeliri non debet, sed si de facto sepultus fuerit, inde debet exhumari, si sine maximo scandalo fieri poterit. Et ita ibi est casus secundum Jo. Andr. & omnes in summario text. & glos. in verb. Sepulturam. Reddit rationem, quia scilicet in mortali peccato mortuus est.

12 Tertiò nota ibi, *ipsa cum eo*, proprietatem ipsam, quam Monachus fuit deprehensus habere in morte, subterrandam esse una cum ipso Monacho in sterquilinio, ut proximè dictum est. Hoc male observant Superiores ordinum, qui proprietatem Monachorum decedentium sibi appropriant tanquam spolia. Dicunt tamen hic Hostien. *n.* 7. Jo. Andr. *n.* 4. & Anchar. *num.* 10 *in* 5. *not.* non totam proprietatem esse subterrandam; ut quid enim perditio hæc. Sed partem ipsius tumtaxat, arg. c. 2. *supra consuetudin.* & satis esse, ut cum Monacho subterrentur triginta denarij. Tanti enim venditus fuit Joseph, *Genesis* 37. & tanti Christus,
13 *Matthæi* 27. Idcirco autem textus dicit de proprietate inventa in morte, quia si in vita, tunc debet converti in utilitatem ecclesiæ, seu monasterij, c. *Quantò, de offic. ordinar.* & cap. *Abbates*, 18. *qu.* 1. glos. *hic in verb. In morte.*

14 Quartò nota ibi, *quicquam alicui fuerit specialiter destinatum.* Monacho non licere aliquid muneris accipere, sed quicquid ei destinatum, aut transmissum est, Abbati assignandum esse per illum, qui portat, vel per alium, ut hic per Hostien. *num.* 8. *in verb. Assignetur*, & Jo. Andr. *n.* 6. *in eod. verb.* Et sic rectà deferendum est ad munus Superioris, ut clarè probat hæc littera, dum dicit, Non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellerario assignetur; & sic Religioso interdicitur non tantum sibi oblata retinere, sed etiam accipere. Et pondera verb. illud, *quicquam*, Quod verificatur in qualibet re oblata, seu transmissa quantumvis minima, secundum Hostien. *num.* 8. *vers. vel aliquod munus quantumcumque etiam minimum*, & Jo. Andr. *num.* 4. *in verb. Quicquam.* Ad hoc bonus textus in cap. *Non dicatis*, ibi: (Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, &c.) 12. *q.* 1. & adde quod scripsi in cap. *Monachi, num.* 18. 47. *supra eod.* & quod notat Abb.
15 *hic num.* 2. ubi dicit esse quasi expressum hic, quod si aliquid legetur, vel donetur religioso, non debet illud capere sine licentia superioris, sed tale donatum, seu relatum requiritur monasterio. Hodie debet cum reliquis bonis monasterij incorporari, & confundi ex Concilio Trident. & decretis Clementis VIII. ut dixi in d. cap. *Monachi,*
16 *à num.* 67. Nec audiendus est Vincentius *hic relatus* à Joan. Andr. *num.* 5. dum ait: [Quod si quis legat fundum Monacho, ita ut habeat usumfructum, Monachus illum habere debet ad exemplũ filijfamilias, qui tametsi quicquid acquirit, acquirit patri quoad usumfructum, & sibi quoad proprietatem: tamen, si ita legetur filio, ut habeat usumfructum, hoc casu habebit, ut authen. *Excep-*
17 *tis, C. de bonis quæ liber.* Quoniam hoc simile non procedit, quia filiusfamilias est capax proprietatis, ut in d. authen. *Excepto*, Monachus autem non, ut *hic*, & in cap. *Nolo*, & cap. *Non dicatis*, 12. *quæst.* 1. etiam quoad usumfructum. Clem. *Exivi*, §. *Capientes, vers. Verum, de verb. significat.* Abb. *hic num.* 1. *in fin.* Adde quod hæc opinio hodie reprobatur à Concilio Tridentino in *cap.* 2. *sess.* 25. *de regul.* ut scripsi latissimè in prædicta Decretal. *Monachi* à *num.* 44. *usque ad num.* 67.

18 Quintò nota ibi, *quamquam ex Indulgentia.* Abbatem posse dispensare super regula Monachali quantum ad esum carnium, scilicet extra refectorium, ut hic, & arg. cap. *Carnem, de consecrat. dist.* 5. quemadmodum dispensare potest in propria cella habenda, cap. *Monachum*, 20. *qu. ult.* Item in ordinem, cap. *Cum N. de eo, qui furt. ordin. suscep.* Item cum eo, qui excommunicatus ordines suscepit, cap. *Cum illorum, infra de sentent. excommunication.* glos. *hic in verb. Indulgentia*, Innocen. *in*
19 *princip.* Alij tamen dicunt Abbatem non posse dispensare super esu carnium. Nec obstat hæc littera ibi: (Ipsosque secum in camera sua melius, & plenius exhibere.) Quia non dicit de carnibus, & forsan loquitur de grossis piscibus. Et hanc dicit esse veritatem reprobata consuetudine contraria Hostien. *num.* 11. *in fin. vers. Vnde & dicunt alij*, cum quo transit Joan. Andr. *num.* 2. Butr. *num.* 15. & plerique alij.

20 Sextò nota litteram in vers. *Porrò* nam debiles, & infirmi, & qui minutione, vel aliqua medicina indigent, recipere possunt necessaria tam in carnibus, quàm in alijs, putà in balneis, famulis, & hujusmodi, ut in regula Sancti Benedicti *cap.* 36. non tamen seorsum in cameris, & multò minus in refectorio, sed solum in infirmitorio, seu vale-
21 tudinario. Et quoad minutionem dicit Vincentius *hic relatus* à Jo. Andr. *num.* 11. unum mirabile, videlicet qui minuit die 13. Februarij ab initio mensis computando non morietur illo año ex febrili distemperantia, & hæc est salubris minutio per Angelum revelata. Et hoc servabat Jo. Andr. secundum Abb. *hic n.* 4. qui tamen subdit non indigenti nõ esse id facilè consulendum, quia ex minu-

nutione sanguinis minuitur vita secundum traditionem peritorum. Porrò cum hoc anno 1650. in
22 ipsa die 13. Februarij indicassem duobus amicis meis dictum Vincentij, & ipsorū alter vellet protinus hoc remedio uti in persona neptis suæ ægrotantis, alter apposuit quod ex Kalendario Gregoriano subtracti sunt ab año decem dies, quibus à Concilio Nicæno usque ad añum 1582. æquinoctium vernum à pristina sede recesserat, ut in Constitutione 74. Gregorij XIII. quæ incipit Inter gravissimas. Atque ita cum hodie ignoretur an dies 13. Februarij sit illamet, quæ currebat tempore revelationis Angeli, præ incertitudine amicus cœpit hærere, & propositum non adimplevit.

23 In §. Tales. QUÆRO, An Priores amoveri possint ad nutum Abbatis sine ulla causa.

24 Pro solutione quæstionis distinguendum est: nam aliqui sunt Priores Conventuales, qui à Capitulo canonicè eliguntur, & à Superiore confirmantur. Et hi non removentur, nisi ex causa, & juris ordine servato. Textus est rotundus in cap. Monachi. §. Priores, supra eod. Cujus hæc sunt verba. (Priores autem cum in ecclesiis Conventualibus per electionem Capitulorum suorum canonicè fuerint instituti, nisi pro manifesta, & rationabili causa non mutentur, videlicet si fuerint dilapidatores, si incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amovendi meritò videantur, ubi glos. in verb. Non mutentur, dicit hoc intelligi de illis, qui instituuntur perpetuò per Canonicam electionem Capituli, & confirmationem Superioris: isti sine certa causa removeri non debent, quia sine culpa nemo privari debet jure suo, cap. Satis perversum, 56. distinct. cap. Inventum, 16. qu. 1. cap. 1. supra de iudic. & cum glos. concordant. Innoc. ibi ad fin. in verb. Non mutentur Hostien. nu. 5. dicens hujusmodi Priores perpetuos esse, nec esse removendos sine causa, & juris ordine non
25 servato, Jo. Andr. n. 12. & communiter DD. licet etiam canonicè electi possint ex levioribus causis ab administratione amoveri, ut dicit text. in cap. Per tuas, al primo, ad finem infra de Simon. & hic notat gl. in verb. Amoveri.

26 Alij verò sunt Priores minores, qui per electionem canonicam non creantur, sed Abbas committit eis administrationem: & tales sunt ad nutum ipsius Abbatis amovibiles, ut est text. in hoc §. Tales, in illis verbis. [Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda tanquam in sua sibi vita locetur; sed cum oportuerit removeri, sine contradictione aliqua revoce-
27 tur: nam verb. obedientia exponitur, idest Prioratus, vel officium certum habens administrationem secundum Hostien. hic n. 20. in verb. Obedientia, & Jo. Andr. num. 13. in eod. verb. & verb. cum oportuerit, exponuntur, idest quando Abbati videbitur, in cujus dispositione cuncta consistunt, ut per eundem Hostien. d. n. 20. in verb. Oportuerit,
28 & Jo. Andr. nu. 14. Tales igitur Priores non confirmantur, ut cap. Ad nostram, & c. Porrecta, supra de confirm. util. Sed sunt ad nutum Abbatis amovibiles, prout firmat præcitata glos. in d. c. Monachi, in verb. Non mutentur, supra eod. & ibi Innocent. ad fin. in eod. verb. Hostien. num. 5. dicens Priores minores pro voluntate Abbatis hodie mitti posse ad Prioratus, & in crastinum revocari, Joan. Andr. num. 12. vers. Alij ad voluntatem. Item glos. hic in verb. Perpetuò, Hostien. num. 20. in eod. verb. Item gl. in Clem. 1. in verb. Revocari, post med. vers. Et sic, de
29 supplend. negl. Prel. & nullus discrepat, & de talibus intelligendus est Abbas hic num. 5. dum ait: (Nota regulam generalem quod in monasterio præter Abbatem nullum officium est perpetuum. Atque ita hujusmodi Prioratus, & beneficia Regularium ex sui natura esse manualia per hunc tum firmant Cassad. decis. 4. num. 3. & decis. 12. num. 9. de præbendis, Milis in repertorio in verb. Beneficia regularia, num. 30. Rebuff. in tract. de pacific. possess. num. 280. Joan. de Selua de in tract. de benefic. 3. p. q. 67. num. 1. Mandos. in reg. 3. reservatoria, q. 11. n. 13. Navarr. Comment. 4. de regular. num. 25. vers. Tertio, & alij recentiores.

31 De his igitur Prioribus, qui sunt ad nutum amovibiles, dubitatur nunquid amoveri possint ad libitum Abbatis sine ulla causa. Et quidem
32 Innoc. in cap. Insinuante, sub num. 2. infra qui clerici, vel voventes. Videtur fuisse in ea sententia, ut sine causa amoveri non possint. Sic enim ait: Et si occurreret casus in quo Abbas, vel Superior vellent ex malitia removere Monachum à loco, quem ei deputarunt, posset supplicare Superiori, & superior eum audire deberet, ad similitudinem servi, ut in l. 1. C. de precib. imper. offerend. & §. Sed & maior. instit. de his qui sunt sui vel alien. iur. & per hanc Innocentij doctrinam Rebuff. in tract. de pacific. possess. num. 275. vers. Secundum intellige, si Abbas, inquit, sine causa amoveat Monachum à Prioratu manuali, potest idem Monachus implorare officium Superioris, ut sine causa ex sola malitia non removeatur. Et hanc opinionem sequuntur ultramontani, ut testatur Joan. Andr. in cap. Cum singula, num. 1. sub glos. Ad idem, de prebend. lib. 6. ejus verba hæc sunt: scire debes quod multum apud Ultramontanos viguit hæc opinio, quod Prior manualis, quem sine causa rationabili Abbas removere vult, forte ex odio, quia detulit, vel quia nepoti vult illud conferre, vel simili causa non justa, potest apud Superiorem Abbatis de ipso querelam deponere.) Ejusdem sententiæ videtur fuisse Hostien.
33 hic num. 21. dum ait, (etiam Præpositum, qui est secundus post Abbatem in monasterio, posse ab eo removeri, si quater admonitus se non emendaverit.) Et mox subdit: (Sed caveat Abbas, ne forte zeli, aut invidiæ flamma urat animam suam, quia de omnibus suis judicijs redditurus est Deo rationem, ut in reg. c. 65. ante fin. & in fin. Et ita Host. clarè supponit amotionem à Prioratu, & officio manuali fieri non debere sine rationabili causa.

Sed his non obstantibus apud Citramontanos communiter tenetur Priores manuales posse per Abbatem removeri etiam sine causa, quia expedit ut nuda voluntate etiam sine causa possit illos ad claustrum revocare; Ita Jo. Andr. in d. cap. Cum singula, sub num. 2. vers. Sed apud Italos communiter hoc non recipitur, de praben. lib. 6. & post cum ibi Anton. de Butr. num. 5. Anchar. num. 4. Gemin. col. 2. prope finem, vers. Sed non recipitur; & Franc. num. 5. vers. Sed apud Italos, Dec. in cap. Ad nostram, num. 7. vers. Sed in Italia, de confirm. util. vel inutil. quos in puncto sequuta fuit Rota in causa Aquilana Prioratus 16. Martij 1584. ut in decis. 778. part. 1. divers. & pro hac opinione videtur textus in hoc §. Tales, ibi: sine contradictione aliqua revocetur: nam ut dicunt Host. num. 21. in verb.

verb. Contradictione, & Joan. Andr. num. 15. In talibus non est locus contradictioni, nec appellationi, cap. Reprehensibilis, & cap. Cum speciali in fin. supra de appellat. cap. Per tuas, in fin. infr. de simon. Ad idem videtur textus quasi expressus in Clem. 1. §. Præmissa, de supplend. neglig. Prælat. ibi, liberè potuit ad claustrum cùm oportuerit, revocari: nam verb. Liberè, idem importat quod sine causa, & pro libito voluntatis, ut cap. Quamvis, de procurat. lib. 6. Bald. in cap. 1. num. 6. supra de rescript. Soccin. senior. cons. 170. In præsenti, num. 8. vol. 2. Menoch. alios cumulans de arbitrar. lib. 1. quæst. 8.
35 à num. 33. & hinc fit ut regularis per Abbatem spoliatus officio, vel beneficio manuali sine justa causa minimè possit agere interdicto recuperandæ contra spoliatorem, quia Abbas spoliando nullam intulit injuriam, sed usus est jure suo, ut voluit singulariter Bald. in l. Cum affirmes, in fin. C. de liberali causa, Felin. in cap. Per tuas, num. 4. de maior. & obed. Rebuff. de pacific. possess. num. 274. Navarr. Comment. 2. de Regular. num. 65. vers. Addo
36 octavò, & cons. 14. num. 12. de stat. Monach. Item Monachi sunt obedientiarij, cap. Si religiosus, de elect. lib. 6. de quo pulchrè per Archidiac. in cap. Sciendum, num. 1. 8. q. 1.

Demum hanc sententiam in Prioribus Congregationis Montis Virginis, qui ex litteris sanctæ mem. Pauli V. sunt ad nutum amovibiles probavit sacra Congregatio specialiter à Sanctissimo deputata super statu Regularium die 7. Martij 1650.

37 Ampliatur conclusio superius firmata, ut locum habeat non obstante quod Priores manuales non consueverint revocari, quia cùm hoc sit in facultate Abbatis, si non est usus tali facultate, consuetudo non inducitur, cùm in actibus merè facultativis non inducatur consuetudo, ut in his terminis firmat Abbas in cap. Ad nostram, num. 11. ubi etiam Dec. num. 6. vers. ultimò Abbas concludit, de confirm. util. vel inutil. Rebuff. de pacific. possess. num. 335. quos sequuta fuit Rota in præallegat. decis. 778. num. 5. par. 1. divers.

38 Ampliatur secundò etiam in Vicariis temporalibus in ecclesia curata, & sæculari, qui possunt sine causa removeri, ut tenent in c. Cum non ignores de preben. Innoc. n. 2. Host. n. 8. & 9. Jo. Andr. n. 3. Butr. n. 5. Cardin. n. 7. Anchar. num. 3. circa med. & Imol. n. 4. post med. Bero in c. Non sine multa, num. 10. de arbitr. Butr. cons. 51. num. 3. & 6. vers. Ex quibus, & vers. Item ratio, cons. 262. num. 4. 5. & 6. lib. 3. & latissimè firmavit Rota in Hispalen. iuris amovendi Curatos die 20. Aprilis 1640. coram R. P. D. Peutingerio, quæ postea fuit confirmata 21. Junij 1641. & rursus 23. Junij 1642. coram eodem Coccin.
39 decis. 18. num. 13. Et est ex mente S. Congregationis Concilij, ut in declaratione relata in prædicta decis. Rotæ sub die 21. Iunij tenoris infrascripti, videlicet. An Vicarij amovibiles deputati ad nutum Capituli pro exercitio curæ prævia approbatione Episcopi possint ab ipso Episcopo sine causa amoveri? S. Congregatio censuit Vicarios prædictos posse à Capitulo amoveri ad nutum Capituli; ab Ordinario verò non nisi ex causa legitima, & probata, propter quam etiamsi perpetui essent, amoveri possent.

40 Limita nunc propositam conclusionem nisi amotis à Prioratu, vel officio manuali fieret ex malitia, quia tunc amotus posset Superioris officium implorare, & Superior deberet eum audire, & in hoc casu loquitur Innoc. Jo. Andr. & alij pro prima opinione allegati, num. 32. ut ex eorum verbis apparet, & declarat ipsemet Innocen. in cap. fin. num. 3. de off. Ordin. lib. 6. cum quo concordant ibi Jo. Andr. num. 2. Gemin. num. 9. & Franc. num. 3. Bellam. in cap. Porrecta, num. 6. quæst. 4. de confirm. util. vel inutil. Cardin. in Clem. 1. §. Præmissa, num. 4. de supplen. neglig. Prælat. dicens: Ego puto quod etsi nulla subsit causa, dum tamen non ex malitia, tenet revocatio: & sequitur eidem Imol. num. 44. & Vitalin. num. 3. Milis. in Repertorio in ver. Religiosus, num. 4. vers. Religiosi si sint manuales, Selua de Benefic. part. 3. quæst. 68. num. 3. Rota d. decis. 778. num. 2. par. 1. divers. & fuit resolutum in causa Burgen. amotionis Magistri capellæ 11. Decem-
41 bris 1581. coram Blanchetto. Censetur autem revocatio facta ex malitia, si subsit præsumptio alicujus odij, ut post Butr. notat Imol. in d. Clem. 1. num. 44. vers. Dominus Antonius credidit, Franc. in dict. cap. Cum singula, num. 1. circa med. vers. Sed Imola, & Rota d. decis. 778. num. 3. & est ex mente Jo. Andr. ut constat ex ejus verbis supra relatis, num. 32. vers. Et hanc opinionem,
42 ibi: fortè ex odio, quia detulit. In dubio tamen odium, seu malevolentia non præsumitur: Alberic. in l. Iniuriarum actio, num. 1. & in §. Si quis per iniuriam, ff. de iniurijs: & in his terminis censuit Rota in præalleg. decis. Peutingerij sub die 21. Iunij 1641. §. Quod attinet.

43 In §. Nec æstimet Abbas. QUÆRO utrum Papa possit dispensare cum Monacho, ut habeat proprium, vel uxorem ducat.

44 In hoc gravissimo articulo tres sunt Doctorum opiniones. Prima opinio est eorum, qui absolutè negant Summum Pontificem posse super hoc dispensare: & pro istis videtur textus expressus hic in illis verbis: [Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est añexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.] Unde cum articulis per hanc litteram sit decisus, non videtur de eo ulterius disputandum, ut dicebat Jo. Andr. in reg. Semel Deo, num. 1. vers. Imo non videtur, de reg. iur. lib. 6. & similiter glos. ultim. hic & Host. num. 29. pon-
45 derantes hanc litteram dicunt: Et ita habes hic, quod præter articulos fidei multa sunt, in quibus Papa dispensare non potest, scilicet ut Monachus proprium habeat, vel votum continentiæ frangat, &c. Et hoc de plano concedit Tancredus, & Joannes in cap. Sunt quidam, in glos. in verb. Apostoli, in fin. 25. quæst. 1. Bernard. hic in glos. in verb. Abdicatio.
46 Quinimo S. Thom. in 2. 2. q. 88. art. 11. tenet absolutè Summum Pontificem dispensare non posse in voto solemni castitatis etiam propter bonū multitudinis, veluti quando per contractum matrimonium aliquarum personarum, quæ continentiam voverunt, posset pax patriæ procurari: & deridet
47 Juristas, qui ignoranter cōtrarium dixerunt; movetur, tum quia hæc decretalis dicit nec Summum Pontificem posse contra custodiam castitatis Monacho licentiam dare; tum quia ut habetur Levitic. ultim. Illud, quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios usus commutari. Unde non potest aliquis ecclesiæ Prælatus facere, ut id, quod est sanctificatum, sanctificationem amittat etiam in rebus inanimatis, puta ut calix consecratus desinat esse consecratus si maneat

integer: unde multò minus potest hoc facere aliquis Prælatus, ut homo Deo consecratus, quamdiu vivit, consecratus esse desistat. Solemnitas autem voti consistit in quadam consecratione, seu benedictione voventis; & ideo non potest fieri per aliquem Prælatum Ecclesiæ, ut ille, qui votum solemne emisit, desistat ab eo, ad quod est consecratus, puta ut ille qui est Sacerdos, non sit Sacerdos, licet possit Prælatus ob aliquam causam executionem ordinis inhibere: & similiratione Papa non potest facere, ut ille, qui est professus religionem, non sit religiosus; & quamvis possit dispensare in voto continentiæ solemnizato per susceptionem sacri Ordinis; tamen hoc ideo est, quia continentia non est Ordini sacro essentialiter annexa, sed ex statuto Ecclesiæ: est autem debitum cõtinentiæ essentiale statui religionis, per quem homo abrenuntiat sæculo, totaliter Dei servitio mancipatus, quod non potest simul stare cum matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandæ uxoris, & prolis, & familiæ, & rerum, quæ hoc requiruntur: unde Apostol. dicit 2. *ad Corinth. 7. Qui est cum uxore sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*; unde nomen Monachi ab unitate sumitur per oppositum ad divisionem prædictam; & ideò in voto solemnizato per professionem religionis non potest per ecclesiam dispensari: & rationem assignat Decretalis, quia castitas est annexa regulæ monachali; & ad rationem cõmunis utilitatis, vel necessitatis respondet periculis rerum humanarum esse obviandum per res humanas, non autem per hoc quod res divinæ convertantur in usum humanum. Professi autem sunt mortui mundo, & vivunt Deo: unde non sunt revocandi ad vitam humanam occasione cujuscumque eventus. Ejusdem sententiæ sunt Altisiodorensis *in summa lib. 3. tract. 28. cap. 1. q. 2.* Abolen. *cap. 30. Numer. 4. 109. per totam*, Albert. Magn. *in 4. sentent. dist. 38. art. 16. &* 18. Capreol. *in 4. dist. 33. q. unic. art. 3. ante solutionem ad primum*. Sot *de iust. & iur. lib. 7. q. 2. art. 2. per tot. & in 4. sent. dist. 38. q. 2. art. 2. concl. 2.* & eam cum aliis duabus recitat S. Bonaventura *d. distinct. 38. art. 2. q. 3. n. 41. &* 42. dicens: [Quæ istarum trium opinionum sit verior, fateor me nescire, & satis potest quælibet sustineri; ideo nullam assero.)

52 Huic primæ opinioni valde etiam suffragatur quod S. Matthæus Apostolus, ut refert Abdias Babylonius in ejus vita, elegit potius mori, quàm dispensare cum Iphigenia virgine Deo dicata, ut contraberet matrimoniũ cum Rege promittente conversionem dimidij regni ad fidem, si ipsa sibi matrimonio copularetur. Causa igitur quantumcumque magna non videtur sufficiens ad hanc dispensationem justificandam. Præsertim verò quia ut refert Jo. Andr. *in regul. Semel Deo, n. 3. de regul. iur. lib. 6.* votum tenetur esse de jure naturali immutabili, *5. distinct. in principio*. In his autem quæ sunt de lege naturæ, & in præceptis divinis non potest per hominem dispensari, & præcipuè in præceptis primæ tabulæ, quæ ordinantur directè ad dilectionem Dei, qui est ultimus finis præceptorum. Sed secundum hoc implere votum est de lege naturæ, & primæ tabulæ, cùm sit actus latriæ: & concludit hoc argumentum etiam in aliis votis dispensari non posse. Fortiùs ergo in votis solemnibus continentiæ, & paupertatis.

54 Secunda opinio est aliorum, quos tacito nomine recenset glos. *ultim. hic.* & Hostien. *num. 30.* Existimantium Papam quamvis non possit super hujusmodi votis cum Monacho dispensare de potestate ordinaria, & à jure regulata, posse tamen de potestate absoluta, seu de potestatis plenitudine, secundum quam potest mutare substantiam rei, ut l. *unica, C. de rei uxor. action.* & de eo quod nihil est, aliquid facit cap. *Hæc quippe, 3. q. 6. arg. c. Se vera, de consecrat. dist. 2.* & notatur in c. 1. ex
55 *glos. in verb. Supra. de translat. Episc.* Nec obstant verba illa textus nostri; nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere, quia ver. *possit*, exponunt id est potentiæ suæ non congruit, sicut exponitur illud Hieronymi, (cum Deus omnia possit, solùm non potest suscitare virginem post ruinam.) c. *Si Paulus. 32. q. 5.* idest nõ congruit potentiæ suæ, vel de solito cursu, quia non consuevit hoc facere; posset tamen si vellet, ut hic per Host. *n. 31.*

56 Tertia opinio est, quòd Papa super voto continentiæ, & paupertatis quantumcumque solemnizato dispensare possit ex magna causa, & non aliàs, & hanc pluribus tuetur Innoc. *hic à num. 1. usque in fin.* cui subscribunt Abbas Antiq. *in fin. in verb. Summus*. Hostien. Jo. Andr. & communiter DD. ut patebit *infra num. 63*. Idem Joan. Andr. *in reg. Semel Deo. de reg. iur. lib. 6.* ubi prolixè disputat in utramque partem, & tandem *num. 5.* Concludit cum Innocen. Idque probabilius affirmat ipsemet S. Thom. *in 4. sent. quæst. 1. art. 4. quæst. 1. ad tertium*.

57 Prima pars conclusionis Innocentij quod ex magna causa possit Papa dispensare; nititur hoc præcipuè fundamento, quia castitas, & paupertas sunt annexa ordini, seu regulæ monachali de jure
58 positivo, quod sic probat: nam Monachus nihil aliud est, quàm solitarius, & tristis, cap. *Placuit. 16. q. 1.* Quidquid ergo ultra hoc additum est, à conditore juris impositum est: & ex hoc patet, ut Innoc. ait, Papam posse dispensare cum Monacho, ut habeat proprium, vel conjugem. cum possit ordinem, & naturam, quam dedit ordini, & substantiam tollere; & cum ipso transeunt totidem verbis Abb. Antiq. *in fine*, Hostien. *num. 27.* &
59 & Jo. Andr. *num. 2.* & item ut addit Hostien. omnis religionis regula à Summi Pontificis auctoritate
60 vires sumit, cap. *fin. infra de relig. domib.* Sicut ergo religionem, & ejus substantiam approbat, *sic* & ipsam tollere potest, cap. *Omnis res*, cum ibi notatis *infr. de reg. iur.*

61 Præterea, ut inquit Innoc. *num. 4. in verb. Licentiam*, (Quid si tota Christianitas, vel etiam aliqua pars ejus esset in periculo, nisi Monachus fieret Rex, forte quia non esset alius, qui sciret, vel posset aliquod regnum regere, nisi Monachus? Nonne dicet, quod fiat Rex? Noñe quilibet debet se totum in holocaustum offerre Deo, ut in eo, quod ei plus placet, præeligat servire? Sed præ omnibus placet ei, ut creaturam suam rationabilem, & temporalem conservet, pro quo etiam ipse animam suam posuit. Item nonne peccat qui minus bonum majori bono præponit? c. *Licet, in fin. supra de regular. c. Si quis dicat, &* c. *Vel qui dicit, 11. qu. 3.* Item communis utilitas præferitur, cap. *Sciat.* & cap. *Mutationes. 7. qu. 1.* Item si propter communem utilitatem Monachus potest fieri Episcopus, d. cap. *Licet*, & etiam Clericus, ut cap. *Priscus. 55. distinct.* cap. *Ne pro culpa. 16. quæst. 1.* quare non eodem modo Rex, sed forte respondebit con-

contradictor: Concedo quod fiat Rex, sed non habebit proprium, quia regnum commune est, & quod acquiret, regno acquiret, arg. cap. 1. 18. *q. 1.*
62 & cap. *Cum olim, infra. de privil.* Sed contra, Quid si non possit esse salva Christianitas, nisi regnum in suum proprium accipiat, illud suis hæredibus relinquendum, quia forte habebat filios antequam fieret Monachus? Item Quid si diceret ei illi, qui possunt dare regnum: Oportet, ut si vis habere regnum, accipias hanc Reginam in uxorem, alias dabimus eam infideli, vel tyranno, an ita diliges contemplationem hujus Monachi, & continentiam hominis unius, & ita reputabis Deum crudelem, ut nolit per provisionem vicarij sui huic Christianitati provideri? Item Papa fecit Constitutionem, ut etiam ille, qui vovit simpliciter continentiam, si matrimonium contrahat, valide contrahat, cap. *Rursus, infra qui cler. vel vover. c. Gaufridus, 17. q. 2. c. Placet, supra de convent. coniugator.* quare non eodem modo potest dispensare? Item fecit Constitutionem, ut uxor unius alij nubat, cap. *Gaudemus, §. penult. infra de divort.* Item ex Constitutione est, ut minor. 14. annis non possit se obligare Religioni, cap. *Ad nostram supra de regul.* quod est contra jus naturale, quia sicut puer ex quo doli capax est, potest se diabolo obligare, eodem modo & Deo. Item Papæ dici-
63 tur, *quodcumque ligaveris*, &c. Item in quolibet voto intelligendum est, nisi aliter Deo placeat, sed credendum est Deo aliud placere, si utilitas subest, ut contra votum faciat. Item non intelligitur quis venire contra votum, qui facit contra illud auctoritate Superioris, qui est Vicarius Jesu Christi, sicut dicitur in matrimonio, cap. *Inter corporalia in princ. supra de translat. Episc.* Nec obstat prædictis quod dicitur, *Vovete & reddite*: vovere quidem est voluntatis, sed reddere necessitatis, quia bene intelligitur votum Deo reddere qui se ejus dispositioni committit, & qui magis ejus beneplacitum facit, cap. *Magna. supr. de vot.*) Hactenus formalia verba Innoc. cujus fere ad calamum transcribunt, & approbant hic Hostien. *num. 31. vers. Vel hac non potest Papa sine causa*, sed ex magna, & Deo magis placente hoc posset; hanc amplector, & infra *eod. num. in verb. Pontifex*, & *num. 32.* Jo. Andr. *num. 19.* Henrich. Boich. *num. 9.* & 10. Burr. *n. 28.* Cardin. *§. ultim. num. 18.* Anchar. *num. 2.* & Abb. *num. 20.* & Jo. de Anan. *num. 11. vers. In glos. fin.* & idem Hostien. *in summa tit. de vot. §. Qualiter & cum, num. 12.* & in cap. 1. *num. 4. de vot.* & ibi etiam Abb. *num. 8.* dicens hoc tenere communiter Canonistas, Archid. in cap. *Sunt quidam, 25. q. 1. num. 5.* Hentic. Boich. in cap. *Rursus, num. 6.* ubi etiam Cardin. *num. 2. quæst. 1.* Anchar. *num. 4.* Præpos. *num. 4. &* 7. & Alex. de Nævo. *num. 12. infra qui cler. vel voven.* Turrecrem. in c. *De illa, num. 3. & seqq. distinct. 32.* Steph. de Gaeta *in repet. c. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. q. 129. num. 353.* Jo. Andr. in d. cap. *Semel*
64 *Deo, num. 5. Ad fin. vers. Sedunt scripsi, de reg. iur. lib. 6.* [Nam (ut ipse ait,) ubi votum continentiæ solemne est impedimentum majoris boni, poterit Papa dispensare: nam bonum multitudinis melius est, quàm bonum unius: posset autem per unius continentiam bonum multitudinis impediri, ut si per matrimonium alicujus solemniter voventis etiam Monachi posset pax patriæ procurari, vel Patria infidelis ad fidem converti, vel his similes, absit ut his casibus Monacelli continentiam præferamus tanto bono.] Sed & Sanctus Thom. *in 4. sentent. distinct. 38. q. 1. art. 4. ad 3.* eandem rationem approbat dicens: [Si communis utilitas totius ecclesiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ exposceret, posset convenienter & in voto continentiæ, & in voto Religionis dispensari, quan-
65 tumcumque esset solemnizatum; non enim per votum posset se homo deobligare ab eo, in quo tenetur alteri. Unde talis posset imminere necessitas, ut posset alicui justè prohiberi nè continentiam, aut Religionem voveret, & eadem necessitate manente potest etiam in voto dispensari jam acto.) Hæc S. Thom. cum quo concordant ibi, Durand. *q. 4. art. 4. conclus. 11. num. 49.* Major. *q. 14.* Supplementum Gabriel. *q. 1. art. 5. dub. penult.* S. Anton. *in 2. par. tit. 11. cap. 2. §. 9. & in 3. par. tit. 1. cap. 15. §. 3.* plenissimè Medina *de sacror. homin. Continentia. cap. 21. cum plurib. seqq.* Toled. *in summ. lib. 4. cap. 18. num. 5.* Gregor. de Valen. *in 2. 2. disput. 6. qu. 6. punct. 7. col. 3.* Navarr. *in manual. cap. 12. num. 77. in fin. & in cap. 7. num. 20. de consecr. dist. 1. & cons. 24. num. 3. de Convers. Coniugat. & cons. 12. num. 8. de Sponsal.* Covarr. in cap. 2. *num. 20. & 21. de testam.* & alibi passim Doctores. Ex quibus patet hodie hanc sententiam esse communem Theologorum, ac ferè omnium Canonistarum, quam etiam tacitè approbavit Ecclesia Romana, dum super hoc
66 dispensavit cum multis religiosis, prout cum Ramiro rege Aragonum dispensatum fuisse, ut relicta religione, & Episcopatu, acciperet uxorem, & Regnum attestatur Petr. de Palud. *in 4. dist. 38. qu. 4. art. 4.* Cajetan. *in 2. 2. q. 88. art. 11. in princ. vers. Videtur autem pluries.* Lucius Marinæus Siculus, *lib. 8. de memor. ab. Hispan. cap. ult.* Joan. Vatæ *in Chronic. c. 18.* & de Constantia filia Rogerij Regis, quæ cum esset Sanctimonialis, nupsit Henrico VI. idem Cajet. *ubi supr.* & latius dicam infra, *nu. 69.* & cum Nicolao Justiniano Sacerdote Monacho in monasterio Sancti Nicolai Ordinis S. Benedicti dispensatum fuisse ab Alex. III. ad instantiam Venetorum Ducis referunt Bartol. à S. Fausto. *de Thesaur. Religios. lib. 3. qu. 36. num. 5.* & Pineda in *Monarchia ecclesiast. part. 4. lib. 25. cap. 7. §. 1. pag. 824.* & à Gregorio XIII. cum fratre Cardinalis Joyosæ Gallo Sacerdote professo, & Provinciali Ordinis Capuccinorum, refert idem Bart. à S. Fausto *d. q. 36. à num. 8.*

67 Cæterum adverte, quia opinio Innoc. & sequacium non ita est intelligenda, ut Monachus quandiu remanet Monachus, ex dispensatione Papæ sit solutus à voto continentiæ, & paupertatis, quia implicat contradictionem, ut quis remaneat Monachus, & non habeat essentiam Monachatus, quæ consistit in tribus votis substantialibus, ut hic nam Monachum facit, ideò ad esse deducit Religionis professio, ut c. 1. & c. *Porrectum, supra de regular.* Non potest igitur dispensatio Apostolica ex causa quantumvis gravi efficere, ut quis perseveret Monachus, & sit absolutus à substantialibus Regulæ. Et hoc intendit hæc Decretalis, dum dicit castitatem, & paupertatem adeo esse annexam Regulæ monachali, ut contra eam nec Papa possit licentiam indulgere; sensus enim est, Vota solemnia sunt adeo intrinseca, & essentialia statui Monachatus, ut Papa efficere non possit, ut quis eodem tempore sit Monachus, & habeat uxorem, vel proprium, ut declarant Turrecrem. in c. 1. *art. 3. n. 7. in resp. ad 2. 27. q. 1.* Barth. Soccin. *cons.*

num. 2. volum. 1. Ricard. de Media Villa in 4. sent. dist. 28. art. 9. q. 1. Durand. Petr. de Palud. & Gregor. de Valen. locis citatis, Basil. Pont. de impedim. matrim. cap. 1. §. 3. vers. Sed quamvis, Card. Cajetan. in 2. 2. qu. 88. art. 11. vers. Sed ne tertium horum, dicens; Si homo religiosus perseverat religiosus, inhabilis est ad matrimonium, non ex statuto, sed ex natura: ita quod oppositum implicat contradictoria. Oportet ergo aut Religionis statem cessare, aut inhabilitatem manere. Et infra in vers. Ad hoc
69 breviter dicitur, pro hoc intellectu ponderat litteram hujus Decretalis, concludens ex ea non inferri necessariò indispensabilitatem voti solemnis, sed sic, scilicet stante monachatu. Et pondebat ad hoc quod Innocen. III. illius author successit immediatè Cœlestino III. qui dispensaverat Constantiam filiam Rogerij Regis, uxoremque Henrici IV. quæ erat Sanctimonialis in Panormo, & jam quinquagenaria, & ex tali conjugio genuit Federicum II. ut idem Cajetanus refert, d. art. 11. in princip. & Angel. in l. Si maior. Quinquagenaria, in princip. Codice legit. hared. eamque publicè, omnibusque videntibus parere voluisse, ut partus suppositi omnem suspicionem excluderet, testantur Paris. cons. 29. n. 46. lib. 2. & Soccin. Sen. cons. 126. n. 2. lib. 3. Et cum Innocentium non lateret gesta Cœlestini, in facie totius orbis à quo etiam Cardinalis creatus fuerat, resque undique esset admiranda propter ætatem quinquagenariam, & statum imperialem, & matrimonium fuisset Romæ consummatum: non est rationabile, ut voluerit gesta Prædecessoris damnare per verba hanc da-
70 mnationem non significantia. Stat igitur conclusio, quam ponunt Vincentius, & Joannes relati à Bernardo hic in glos. ultim. videlicet Papam non posse super voto castitatis, & paupertatis cum Monacho dispensare quamdiu monachus est; posse tamen ex magna, & justa causa facere de Monacho non Monachum, ut c. Quærendum, 74. distinct. Quo peracto in consequentiam poterit proprium habere, & uxorem ducere.

Nec refert quod Navarr. comment. 2. de regul. num. 17. quamvis concedat Papam posse dispensare in voto solemni castitatis, tamen id neget in solemni paupertatis voto, assignans rationem diversitatis, quia matrimonium potest esse necessarium in filio Regis professo, ut totius Regni bonum conservetur; & ita potest esse justa causa dispensandi, ut uxorem ducat: At non sic in voto paupertatis, quia Monachus ex dispensatione Papæ potest esse Rex cum sola regni administratione, nec ulla subesse potest necessitas, ut habeat dominia: Et ideo ex defectu causæ non potuerit dispensari ut proprium habeat: respondetur enim imò posse dari casum, in quo publica salus salva esse non posset, nisi ipsum dominium regni in Monachum transferatur, ut præclarè docuit Innocentius, cujus verba habes supra n. 62.

71 Ad rationem verò D. Thom. in 2. 2. q. 88. art. 11. quod nullus Prælatus ecclesiæ possit facere, ut homo semel Deo consecratus, quandiu vivit, desinat esse consecratus; Respondetur id verum esse in consecratione Sacramentali, quæ est de jure Divino, ac proinde omnino indelebilis, ut in Conc. Trid. sess. 7. de Sacram. can. 9. At secus est in aliis consecrationibus, quæ sunt de jure positivo, quia per Summ. Pontificem auferri possunt, ut probat text. in l. Continuum. §. Cum quis. ff. de verbor. obligat. quem ita intelligunt Dyn. & Jo. Andr. in c. Semel Deo, in princ. & ibi etiam Franc. num. 1. de reg. iur. lib. 6. & ideo passim videmus per auctoritatem Papæ ecclesias, & loca sacra in prophanos usus non sordidos converti juxta Decretum Concilij Tridentini, in cap. 7. in fin. sess. 21. & in consecratione seu benedictione Abbatis notat Innocentius in cap. Quanto, num. 4. supra de consuetudin. Quæ latius prosequor in cap. Requisivit à num. 35. de ordinat. ab Episcopo: Consecratio autem, seu benedictio, in qua consistit solemnitas voti non est Sacramentalis, nec de jure divino, quia voti solemnitas introducta est de jure positivo, & ex Constitutione ecclesiæ, ut est text. in cap. nimis. de vot. lib. 6. Ergo nihil obstat quin Summus Pontifex
73 possit super ea dispensare. Deinde ut egregiè respondet Cajetan. in 2. 2. qu. 88. de art. 11. vers. Aliter igitur, sacra etsi non possint patrimonio ad alios usus transferri, possunt tamen transferri ad alios usus in articulo necessitatis, ut panes propositionis translati ad usum David, & suorum propter articulum necessitatis, ut Dominus exposuit. Et ad hanc Decretalem in fin. quæ movit B. Thom. ad prædictam distinctionem. Respondet Jo. Andr. in d. reg. semel Deo, in fin. certum esse nulla verba Papæ posse tollere, vel detrahere protestati successoris; quia par in parem non habet imperium, c. Innocens, cum concord. supr. de elect. sed hæc responsio non satisfacit, quia Papa hic non præcedit statuendo, sed declarando; ideo melius est respondere, ut dictum est supra n. 69.

74 Ad aliud verò quod obligatio voti sit de jure naturæ, super quo non cadit dispensatio; ita respondet Jo. Andr. in d. c. Semel Deo, n. 1. vers. Sed ad hoc respondetur, videlicet quando ecclesia dispensat in voto, non dispensat in præcepto juris naturalis, vel divini, sed determinat id, quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumspicere, sicut etiam dispensare
75 contra legem humanam non est tollere legem, sed ordinare ex causa, ne liget eo casu quo dispensatur: & sic non est contra. Ad hoc Concil. Trid. sess. 25. de reformat. cap. 18.

76 Ultimum denique objectum de S. Matthæo Apostolo non obstat, quia, ut respondet Cardin. Cajet. in 2. 2. qu. 88. art. 11. vers. Aliter igitur. Fortè non expediebat in exordio nascentis fidei per talem apparenter irreverentiâ Divinam propagari fidem, quæ prædicatione, & signis propagada erat secundum Domini mandatum Marci ultim. Præterea Cajetan. ait dictum illud se nõ invenisse pro
77 authentico. & de Abdia Babylonio illius Authore ita scribit Card. Bellarmin. de Script. Eccles. Abdias Babylonius unus ex discipulis Domini fuisse dicitur; sed vitæ Apostolorum, quæ sub nomine ejus circumferuntur, fabulis similiores sunt, quam veræ narrationi. Sed neque ejus Abdiæ, aut libri ejus ullam in veteribus mentionem invenio. Et ex his absoluta sit para prima conclusionis Innocent. quod Papa ex magna causa possit dispensare, ut Monachus habeat proprium, vel uxorem ducat.
78 Secunda verò pars, quod scilicet dispensare non possit sine justa, & magna causa, probatur secundum Innocentium, quia tametsi in dispensationibus, quæ fiunt à Papa contra jus positivum, sufficiat sola voluntas dispensatores etiam sine causa,
79 sicut apparet in statutis editis de ordinibus inter certa interstitia temporum conferendis, 87. distinct.

sanct. per tot. & alijs similibus, eo quod cum sola voluntaria Constitutio sit causa quare aliquid prohibeatur, per consequens & sola voluntas contraria causa erit quare prohibitio relaxetur, quia ejus est destruere jus, qui illud condidit, & interpretari, l. Quod tus. ff. de re iudicat. cap. Inter alia, infr. de
80 sent. excommunicat. Tamen secus est in his, quæ sunt contra votum tacitum, vel expressum, & in aliis, quæ sunt contra Evangelium, quia non prodest dispensatio, nisi ex causa fiat; & quamquam Papa dispenset, nisi justa causa subsit, peccat, & dispensans & is, cum quo dispensatur, secundum Innocchic. n. 2. Hostien. n. 31. in verb. Pontifex, & Jo. Andr. num. 11. Butr. n. 28. Anchar. n. 24. & Abb.
81 num. 22. Qui tamen omnes quoad validitatem dispensationis differentiam constituunt inter votum paupertatis, & conscientiæ: nam dispensatio ut Monachus habeat proprium nunquam valet, nisi magna causa concedere Monacho, ut pergnioctio, & viaticum secum portet, illud tamen non possidebit suo nomine, sed monasterij: unde
82 nec de eo testari poterit: sed si dispenletur cum Monacho, ut habeat uxorem, & non adsit necessitas, vel utilitas dispensandi, si tamen contrahat cum aliqua credens bonam dispensationem, & licitam: tenet matrimonium, licet ille qui fuit Monachus, semper peccet exigendo debitum, non autem reddendo, quia verum matrimonium est
83 inter eos. Ratio diversitatis, quia dispensatio habendi proprium nemini præjudicat, nec alicui prodest, nec obest nisi ei, cum quo dispensatur: unde si abest utilitas, vel necessitas, non valet dispensatio. At secus est in matrimonio, ubi dispensatio prodest, vel præjudicat alij, scilicet uxori; sed nihilominus dispensatio non prodest Monacho, cum quo fuit malè dispensatum, quin semper peccet debitum exigendo; ita Innocen. cum quo cæteri transeunt.

De Statu Monachorum.

Cap. In singulis.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum Provinciale Religiosorum non sufficit celebrare in fine primi trienny, & statim in principio secundi aliud celebrare, sed inter unum, & aliud debet trienn. intercedere.*

Fieri debet salvo iure Episcopi Diœcesani, & n. 5.

2 *Et tam à religiosis exemptis quàm non exemptis.*

3 *Et quid post Concilium Tridentinum, num 7. & seqq. & num. 11.*

Et convenire debent universi Abbates, & Priores provinciæ eiusdem ordinis.

4 *Et malitiosè impedientes ne Capitula celebrentur, sententiam excommunicationis incurrunt.*

Monasteria omnia, quæ sub immediata Sedis Apostolicæ protectione existunt, teneantur singulis triennij sese in Congregationem redigere ex Concilio Tridentino.

7 *Non tamen possunt invicem, aut aliis monasteriis se venire, & aggregare, & num. 10.*

Monachi monasterij exempti, & commendati non pos-

9 *sunt Congregationem sam instituere sese aggregare, sed tantum se cum aliis monasterijs in Congregationem redigere ad celebrandum commune Capitulum.*

Congregationis Ordinis Sancti Benedicti in Belgio erecta cum facultate aggregandi monasteria non exempta, in Congregatione Rerum Consistorialium examinantur.

10

Capitula in aliquibus Religionibus, vel Congregationibus Monachorum an sit permittendum ut celebrentur singulis annis, & Præsides eligantur annales.

11

IN SINGULIS. Statuit de Capitulis provincialibus Religiosorum celebrandis singulis
1 triennijs: de numero personarum venientium: de instructoribus adhibendis, de Præsidentibus Capitulo, de tractatibus in Capitulo habendis, de communi vita ducenda, de Visitatoribus eligendis, & de ipsorum officio: hortatur Diœcesanos ad monasteriorum reformationem, præcipit patronos, & similes compescere ab offensis monasteriorum: hoc dicit integra hæc Constitutio, Jo. Andr. Butr. Cardin. Anchar. & Jo. de Anan. & sic dividitur in duodecim partes, quæ per se patent.

Nota primò ibi, *De triennio in triennium.* Inter
1 unum, & aliud provinciale Capitulum religiosorum debere esse intervallum unius triennij; unde secundum Jo. Andr *hic num. 2.* [Non sufficere in fine primi facere unum Capitulum provinciale. & statim in principio secundi facere aliud, quia id potius esset facere Capitula de sexto in sextum annum, quam de triennio in triennium; & multo tempore retardari posset sic ordinis reformatio, & sic etiam interpretata est consuetudo.] Hæc Joan. Andr. quem totidem verbis sequuntur *hic* Butr. *n. 4.* Cardin. *n. 3.* Anchar. *n. 1.* Abb. *in primo notab.* & Jo. de Anan. *num. 1.*

Et ex hoc notabiliter infero, ut Episcopi, qui ex Constitutione Sixti V. tenentur singulis triennijs, vel quadriennijs, &c. visitare Beatorum Apostolorum limina, nequaquam possint, aut debeant infra tempora hujusmodi quandocumque visitare, sed tantum in ultimo anno triennij, vel quadriennij, &c. alioquin eodem annorum curriculo plures visitationes incurrerentur, & inter unam, & aliam visitationem possit intercedere spatium sex, vel octo, aut plurium annorum, & multum retardaretur fructus visitationis contramentem, & verba Constitutionis, quæ præcipit, ut Episcopi Italiæ tertio, Germaniæ quarto, Africæ quinto, Asiæ sexto quoque anno iter suscipiant, & perficiant: quod latius prosequor in c. *Ego N. num. 50. supra de iureiur.* Dic ut ibi.

Secundò notabis, *Salvo iure Diœcesanorum Pon-*
2 *tificum.* Capitula provincialia à regularibus fieri debere sine præjudicio Diœcesanorum, scilicet in visitationibus, procurationibus, & correctionibus, ut explicat glos. 4. *hic* Host. *num. 1. in Pontificum*, Cardin. *in 1. not ab.* & Joann. de Anan. *num. 2.* Nam Diœcesani pluries, quàm de triennio in triennium possunt visitare, & Synodum tenere, cap. *Sicut olim. de accusat.* secundum Goffr. & Hostien. *num. 1. in ver. Diœcesanorum*, Joan. Andr. *num. 3.* & hodie est expressum in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 2. & 3.* & generaliter ex hoc jurisdictio Episcopi non intelligitur cessare, ut patet *infra eo. l. §. Ordinentur*, secundum Hostien. *eod. num. 1. in verb. Pontificum.* Similis præservatio habetur in cap. *Salvo. 9. quæst. 3. in cap. Pontifices, 74. 1.* & in c. *Dudum, supra de decimis.*

3 Et hinc collige hoc capitulum loqui de Abbatibus, & Prioribus non exemptis, secundum Innoc. in princ. aliàs enim inanis fuisset illa præservatio: sed Hostien. n. 1. in ver. Abbatum, atque Priorum: exponit, idest exemptorum, & non exemptorum, c. Proximum, §. Hæc eadem, infra eod. & sic præservatio jurium diœcesanorum Pontificum stat respectu non exemptorum. Hodie opinio Innocentij videtur approbata à Concilio Tridentino, quod restringitur ad Abbates, & Priores exemptos, ut dicam infr. num. 11.

4 Ultimò nota ibi, *Adquod universi conveniant*. Ad Capitula provincialia Regularium debere universos convenire. Quod si intelligatur de Abbatibus, & Prioribus provinciæ cujuscumque ordinis, hoc non servatur secundum Hostien. *hic num. 1. in ver. Qui non consueverunt*, & Joan. Andr. *in verb. Conveniant*: nam Chartusienses suum, Cistercienses suum, Cluniacenses suum celebrant Capitulum per se, & sic de singulis, secundum eos. Item non habet hodie consuetudo, ut hujusmodi Capitulum faciant religiosi non habentes caput unicum, secundum Jo. Andr. *eod. num. 3.* licet subdat hodie plenè provisum esse per Constitutionem Benedicti.

5 Porrò decretum hoc Innocentij in generali Concilio editum innovavit, & observari præcepit Clemens V. in Concilio Viennensi, ut in Clem. *Ne in agro. §. final. de stat. Monachor.* Licet mendosè ibi legatur Innocentius IV. & glos. *ult.* ibi, [Adnotavit desuetudinem in hoc non juvare, sed tamen iñovationem illam de facto non proficere.] Ideoque in Concilio Salisburgensi sub Martino V. §. 8. sic legitur; item licet fel. record. Gregor. Papa IX. providè statuerit, ut in singulis regnis, seu provincijs Prælati Ordinis S. Benedicti de triennio in triennium Capitula Regularia celebrare deberent, & nos idem statutum in provinciali duximus innovandum, quia tamen nullus fructus adhuc ex prædicto statuto, & innovatione repetita vice decrevimus eadem Capitula celebrari, jure tamen Ordinariorum per omnia salvo, *tom. 3. Concilior. par. 2. pag. 991. col. 1. littera* D. Item Benedict. XII. (Statuimus, inquit, & ordinamus, quod in ordine, & religione dictorum Monachorum Nigrorum in singulis provincijs per Nos inferiùs deputatis, fiat in loco ad hoc deputando de triennio in triennium (salvo jure Diœcesanorum) cōmune, seu Provinciale Capitulum Abbatum, & Priorum Abbates proprios non habentium, aliorumque Priorum Ecclesiarum Cathedralium ipsius ordinis ac religionis. Avenione 12. *Kalen. Iulij anno secundo.*) Quam quidem ordinationem confirmavit Calixtus XIII. sub *Datum Romæ Kal. Martij anno* 1455. Idemque sanxerunt & alij Pontifices; & in Concilio Constantiensi decretum fuit, ut sententiam excommunicationis ipso facto incurrat quilibet cujuscumq; sit præeminentiæ, dignitatis, status, aut conditionis, qui per se, vel per alium malitiosè impedierit, quo minus prædicta Capitula liberè valeant celebrari, ut refert Romanus Nat. *in Asse inextincto cap. 6. per totum.*

7 Sed novissimè Concilium Tridentinum in *c. 8. sess. 25. de Regul.* statuit ut monasteria omnia, quæ generalibus Capitulis, aut Episcopis nō subsunt, nec suos habent Ordinarios regulares visitatores, sed sub immediata Sedis Apostolicæ protectione, ac directione regi consueverunt, teneantur infra annum à die ipsius Concilij, & deinde quolibet triēnio sese in Congregationes redigere juxta formam hujus Capituli.

8 Adverte ad illa verba, *sese in Congregationes redigere*: non enim important ut monasteria hujusmodi possint invicem inter se, aut alijs Congregationibus jam institutis se unire, & aggregare, & unum corpus cōstituere: alioquin Concilium non dixisset infra annum à die præsentis Concilij, & deinde quolibet triennio, quia uniones, & aggregationes hujusmodi fiunt in perpetuum, nec iterantur de triēnio in triēnium, sed semel factæ semper durant quamdiu ex legitima causa non dissolvuntur, c. *Exposuisti, supra de praben.* c. 1. *Ne sede vacant.* Concilium Tridentinum *sess. 7. c. 6. & sess. 21. cap. 5.* Petrus de Perusio *in tract. de revocat. union. q. 1. & per tot.* Præterea decretum *d. cap. 8.* se refert ad hanc Constitutionem Innocentij, quæ nihil aliud præcipit, quàm ut regulares singulis triennijs celebrent Provinciale Capitulum, & nihil statuit de unione, vel aggregatione, & ita intellexit hoc Concilij S. Congreg. illius Interpres, ut in subjecta declaratione, videlicet.

9 An monasterium à jurisdictione Episcopi exemptum, & Sedi Apostolicæ immediatè subjectum, quod ante Concilij publicationem commendatum reperitur, comprehendatur sub dispositione *c. 8. sess. 25. de Regul.* ut reluctante Commendatario, possit se in Congregationem redigere præsupposito, quod Commendatario commissa fuerit cura, regimen, jurisdictio, & omnimoda administratio dicti monasterij personas corrigēdi, castigandi, & visitandi propria auctoritate. Stante etiam quod in eodem monasterio non sit Prior claustralis ejusdem ordinis expressè professus, qui gregi Regulari præsit.

S. Congreg. Concilij censuit hos Monachos non posse sese aggregare huic, nec alteri Congregationi jam institutæ, & formatæ; licere tamen eis cum alijs monasterijs juxta dictum decretum Concilii, ad formam cap. *In singulis, de stat. Monachor.* in Congregationem redigere. Intellexit enim S. Congregatio illa verba: Et deinde quolibet triennio sese in Congregationem redigere, &c. quod debeant de triennio ad triennium ista monasteria commune celebrare Capitulum, juxta dispositionem dictæ Constitutionis. In singulis. Item monasteria commendata *d. cap. 8.* comprehendi, quam Congregationis sententiam ad se relatam Sanctissimus probavit, & executioni demandari jussit.

10 Hinc cùm Præses, & Abbates monasteriorum exemptorum Ordinis S. Benedicti in Belgio petijsset à Sanctissimo D. N. Innocentio X. confirmationem erectionis in Congregationem quam asserebant factam fuisse à Gregorio XIII. & ulterius supplicassent pro facultate aggregandi eidem Congregationi alia monasteria non exempta: die 9. Januarij 1648. S. Congregatio rerum Consistorialium, ad quam Sanctitas Sua hoc negotium examinandum rejecit, in primis animadvertit in vim hujus c. *In singulis, de stat. Monachor.* & Concilium Tridentinum in *d. cap. 8. sess. 25. de Regul.* minimè licere monasteriis quibuslibet sibi aggregare alia monasteria ejusdem, vel alterius ordinis, sed tantum sese in Congregationem redigere in singulis trienniis, idest se congregare, & convenire, ad commune, seu Provinciale Capi-

tulum, juxta antiquam resolutionem S. Congreg.
11 Concilij à Summo Pontifice approbatam. Rursus animadvertit facultatem se redigendi in Congregationes, seu Capitula congregandi non fuisse tributam à Concilio quoad monasteria non exempta, sed tantum quoad illa, quæ Capitulis vel Episcopis non subsunt, nec suos habent Ordinarios Visitatores, sed sub immediata Sedis Apostolicæ probatione, & ordinatione existunt, ut verba ipsa tenent. Demum animadvertit prædicta monasteria exempta in Belgio nequaquam obtinuisse à Gregorio XIII. confirmationem erectionis in Congregationem cum facultate aggregandi monasteria itidem exempta ejusdem Ordinis: Sed tantummodo prævia narratione, quod se redegerant in Congregationem infra añum à fine Concilij Tridentini, & deinde quolibet triennio, obtinuerunt præmissa confirmari cum clausula quatenus secundum ejusdem Concilij decreta processissent. De erectione autem in Congregationem, vel de aggregatione, nec verbum quidem legitur, in litteris Gregorij. Ac proinde S. Congregatio existimavit concedi non posse confirmationem erectionis, quæ non extat, longè minus facultatem sibi aggregandi monasteria non exempta. Nihil tamen horum significandum esse Monachis, sed tamen dicendum S. Congregationem velle edoceri à Pronuncio in Belgio de progressibus ipsius Congregationis, & inspicere ordinationes, quas fecerunt, dum se redegerunt in Congregationem; ideoque scribendum Pronuncio, ut hujusmodi Ordinationes, & Capitula transmittat, & de integro negotio S. Congreg. edoceat, auditis etiam Episcopis, & alijs, quorum interest.

12 QUÆRO, cum hæc constitutio disponat, ut Capitula Religiosorum de triēnio in triēnium celebrentur, an aliquid sit immutandum in his Religionibus, vel Congregationibus Monachorum, in quibus Capitula celebrantur singulis añis, & Præsides eliguntur añales. Pro solutione hic inferendas duxi litteras Sacræ Congregationis me Secretario scriptas ad D. Cardinalem à Lotharingia, quas Franciscus à Lotharingia, Episcopus Verdunen. suis litteris asseruit è cœlo esse dictatas. Sunt autem tenoris ut sequitur.

(Semel atque, iterum actum est in S. Congregatione de negociis Monachorum S. Vitoni, & Nidulphi à Sanctissimo D. N. præposita de decretis, quæ Amplitudo V. Illustriss. in vim facultatis ei attributæ Sanctitatis Suæ litteris in forma Brevis, non ita pridem edidit, moxque ad earumdem litterarum præscriptum Sedis Apostolicæ examini, & correctioni subjecit. Et quamquam amplissimi Patres plurimum in omnib' deferendum putarint Amplitudinis VIII. prudentiæ, ac zelo, quam probè intelligunt egisse omnia solo Religionis bono permotam, aut certè rerum statu ita exigente: noluerunt tamen omittere, quin ei adsignificarent rationum momenta, quæ Decretorum saltem aliquot approbationi visa sunt difficultatem ingerere, inter illa adfertur primum, quod Religionum institutis à Sede Apostolica approbatis derogare, nisi necessitate cogente, vix justum, aut tutum existimatur, præcipuum namq; Spiritus Sancti lumen effulget Regularium Congregationum Institutionibus. At Congregatio Monachorum, de qua agitur, non modo erecta est ad instar Cassinensis, quæ ab institutione Præsidentes habet annales, sed speciali etiam decreto bon. mem. Cardinalis à Lotharingia Sedis Apostolicæ Legati à primordiis suæ erectionis munita, ne Præsidis Officium ultra añum, neve Abbatum, ac Superiorum regimen ultra quinqueñium progrediatur. Quod sanè statutum ne dum à Sede Apostolica extitit approbatum, verum etiam ab ipsis Monachis jurejurando firmatum, ijs declarationibus adjectis in ipso die professionis regularis, ut illius observatio solemni Monachorum voto comprehendi videatur. Atqui à Regula, quam quisque professus est, peculiariumque votorum, ac præceptorum observatione non modo non deflecti, sed amplius illa ad veterem, ac regularem disciplinam instaurari vehementer optat, ac præcipit Sacrosancta Tridentina Synodus, à cujus saluberrima dispositione, veterum etiam Conciliorum sanctionibus, & Apostolicis decretis roborata vel minimum recedere nulla nos cogit necessitas, nulla suadet utilitas; Quandoquidem si Præsides oportuisset constituere trieñales ob exiguum personarum habilium numerum ad ejusmodi munus exercendum, quippe id faciendum fuisset initio nascentis Congregationis. At ubi hæc adolevit, jamque in viridem juventam, ac numerosam familiam excrevit, minime verendum quin ex tot Monachis vel unus semper assumi possit idoneus ad illud obeundum. Neque verò videtur præstare, ut Præsides sint trieñales, quàm annales, ut nempe sint majoris authoritatis, & quæ pro bono Congregationis inchoaverint, possint faciliùs perficere: nam Congregationem Cassinensem, instar cujus hæc erecta est, ad eam rationem Sedes Apostolica instituit, ut summa rerum agendarum auctoritas non consisteret penes Generalem, aut Caput Ordinis; ut in alijs Religionibus, sed penes Generale Capitulum, ita ut Præsidem obsequendi tantum, & Capituli Ordinatione exequendi maneat necessitas. Forte etiam oportebit, si Præsides sint trieñales in tertium annum rejicere ipsius Capituli celebrationem, quæ fieri solet potissimum ad electionem Præsidis: & tamen quis neget frequentem Capitulorum Cōgregationem plurimum prodesse ad regularem disciplinam, vel conservandam, vel ubi collapsa est, reparandam? Deinde nondum Congregatio hæc tam longe, lateque diffusa est, ut non unius vel soliùs anni spatio eam perlustrare, ac sancita exequi per commodè queat, quando Cassinensis quæ multò latius progreditur, uno tamen añali Præside optimè gubernatur, quinimò cum aliquot abhinc añis constitutum esset, ut eligeretur trieñalis, eam rem in perniciem Congregationis cedentem Sedes Apostolica ad primævam formam redintegravit. In Abbatibus quoque, ac Superioribus localibus quinquennij tempus satis, superque habetur, ita ut illud in longiores moras protelare nil aliud videatur, quàm fovere Monachorum ambitionem, & Abbates veluti perpetuos constituere adversus vetus Congregationis institutum à Romana Sede approbatum, atque ut supra firmatum jurejurando. Et quamvis in Decreto prudenter adjectum sit, ut electio post absolutum quinqueñium etiam non transacto alio bieñio valida sit, si ita suaserit evidens monasteriorum utilitas, aut necessitas ex septem diffinitoribus quinque judicio approbatam; cum tamen

hæc multam habeant latitudinem, inficiandum non est, quin hic aperiatur via ambitiosis commoditas, aut affectatas utilitates, aut necessitates adstruendi, quod si hoc decretum de bieñali Superiorum vacatione vix servari potuit, cum simpliciter, & absolutè ligabat; quantò facilius nunc violabitur, si licebit in causam violationis obtrudere necessitatem, aut utilitatem? Verendum etiam ne Congregatio S. Mauri, quam in Gallia veluti primogenitam Congregatio SS. Vitoni, & Nidulphi nuper effudit, hoc exemplo commoveatur. Verendum itidem, ne id ipsum contingat in Cassinensi, vix enim est, ut causam non quærat dominandi libido. Præterea auditur majorem, ac saniorem Congregationis partem velle constanter adhærere primævæ Congregationis institutioni, & quamquam Monachi circiter centum duntaxat, expressè hoc videantur declarasse, multo tamen plures hoc ipsum cupere, licet se prodere non audeant, quin etiam prodituros si eorum mens secreto, ac liberè exquiratur. Itaque si vix Apostolica Sedes adduci consuevit, ut vel Religiosis volentibus primævam Religionis institutionem intervertat, aut immutet: quid faciet ipsis invitis, ac reluctantibus. Addunt demum Monachi se auditos quidem illic fuisse cum primum decretum simpliciter editum fuit de Superioribus quinquenalibus, at secundum posterius cum limitatione utilitatis, aut necessitatis prodisse ipsis neque auditis, neque citatis. Hæc omnia Illustrissimi Patres ad amplitudinem vestram Illustriss. deferri jusserunt, ut illis sedulo, ac maturè perpensis dignetur mentem suam aperire, & quid facto opus censeat, uberius explicare: norunt enim avitam illius pietatem, regularisque disciplinæ studium, ingenij etiam acumen, atque in rebus gerendis prudentiam, ut propterea illis hæsitandum non sit, quin ipsa ubi attentè singula consideraverit, aut flectatur S. Congregationis animadversionibus, aut ea afferat rationum pondera, quibus in illius sententiam se flecti consultius putent Amplissimi Patres. Nos quod superest amplitudini vestræ Illustriss. prospera omnia precamur ex animo, manusque humillimè deosculamur. Datum Romæ 16. Januarij 1630.)

De Religiosis domibus, ut Episcopis sint subjectæ.

Cap. De Xenodochiis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopo subsunt omnia loca pia, & ad eius sollicitudinem debent ordinari ad usum destinatum.*

2 *Episcopus fundat intentionem de iure communi super subiectione, administratione, & ordinatione Hospitalium, aliorumque piorum locorum suæ Diœcesis.*

3 *Hospitale qui dicit exemptum, probare debet statuta in fundatione, vel præscriptione, aut privilegio.*

4 *Sed post Concilium Tridentinum exemptioni privilegium, & consuetudo etiam immemorabilis non suffragantur.*

5 *Hospitale Papiæ potest ab Episcopo visitari, non obstante privilegio Nicolai V.*

6 *Xenodochium propriè quid sit, & de varijs hospitalium nuncupationibus.*

7 *Hospitalium reditus in quibus subsint Episcopi dispositioni.*

8 *Ordinarij curare debent ut hospitalia quæcumque à suis administratoribus etiam exemptis fideliter & diligenter gubernentur.*

9 *Item ut eleemosynæ ab administratoribus fabricæ expendantur in usum destinatum, & omnia fideliter peragantur.*

10 *Hospitalia, & loca pia ita demum subsunt visitationi ordinarij, si sint religiosa, idest fundata auctoritate Episcopi; aliàs secus.*

11 *Religiosum locum nemo potest efficere sine Episcopi auctoritate.*

12 *Hospitale privatum mortuo patrono spectat ad curam Episcopi, ut pia voluntas executioni demandetur.*

13 *Hospitalis administratoribus detrectantibus exequi voluntatem fundatoris, ius exequendi ad Episcopum devolvitur.*

14 *Hospitalium etiam privatorum administratores tenentur quotannis reddere Episcopo rationem administrationis.*

15 *Hospitalia sub immediata Regum protectione, quæ ex fundatione, vel privilegio, aut consuetudine non probantur exempta, an possint ab Episcopo visitari. & n. seqq. usque ad n. 30.*

18 *Visitatio hospitalium restringitur à Concilio ad casus à iure concessos; ius exigendi rationes non item.*

19 *Hospitalia sub immediata Regum protectione non eximuntur per Concilium Tridentinum a visitatione Episcopi, sed præservatur illorum exemptio.*

20 *Concilij Trid. decretum c. 8. sess. 22. expenditur.*

21 *Ordinarij iurisdictioni Concilium Tridentinum nihil detraxit etiam in locis sub regum protectione existentibus.*

22 *Loca regia ita demum sunt exempta à visitatione Episcopi, si exemptionem iusto titulo acquisierint.*

23 *Fundatio ecclesiæ, & hospitalis sub regia protectione non spectat ad laicos, sed ad Sedem Apostolicam, vel ad Ordinarium.*

24 *Protectio legitima, & iusta tantum præservata est à Concilio Tridentino, non autem ea, quæ de facto assumitur.*

25 *Regum iura Concilium Trident. præservavit, sed nova illis non attribuit.*

26 *Regia protectio de facto à secularibus ministris assumpta, Ordinarij iurisdictionem non lædit.*

27 *Hospitale fundatum sub iurisdictione Episcopi non fit exemptum ex eo quod postea illius ecclesia fundetur sub Regia protectione.*

28 *Monasterium unitum, & commendatum hospitali sub regia protectione existenti potest ab Ordinario visitari.*

29 *Vnio non præiudicat Episcopo, in cuius diœcesi erat ecclesia unita.*

30 *Hospitalia existentia in statu Mediolani non comprehenduntur in exceptione, cap. 8. sess. 22. Concilij Tridentini, nisi quæ expressè reperiuntur sub Regia protectione.*

31 *Episcopo visitare volenti si opponatur quod hospitale sit sub regia protectione, cognitio exceptionis non ad iudices seculares, sed ad ipsum Episcopum pertinet.*

DE

1 DE XENODOCHIIS. Breve est, sed per alia verba sic potest summari secundum Abbatem Siculum. Episcopo subsunt omnia loca pia, & ad ejus sollicitudinem debent ordinari ad usum destinatum.

2 Nota ex hac decretali Episcopum fundare intentionem de jure communi super subjectione, administratione, & ordinatione hospitalium, & omnium piorum locorum suæ diœcesis, ut hic, & in cap. *Si quis Episcoporum, 16. q. 5. & cap. 2. q. 3.* & c. *Omnes Basilicæ, quæst. 7.* cap. *Constitutus, cum duob. seqq. infra eod.* cap. 1. *cum multis seqq. 10. quæst.* 1. hic notat glossa 2. Hostien. *num. 6. in ver. Per sollicitudinem,* Cardin. *in 2. notab.* Anton. de Butr. *in 1. & 2.*
3 *notab.* & Joan. de Anan. *num.* 4. Unde qui dicit hospitale, vel locum pium exemptum, probare debet statuto in limine fundationis, vel legitima præscriptione, vel privilegio Apostolico, ut in Clem. *Quia contingit, in primo responso de relig. domib.* & ibi glos. *in ver. De iure,* & notant *hic* Joann. Andr. *num. 1. in ver. Episcoporum,* Butr. *num. 3. vers. Oppono,* & Cardin. *num. 2. eod. vers.*

4 Verum hodie exemptionum privilegia, & consuetudines non suffragantur, ut potè sublatæ à Concil. Tridentin. in *c. 8. sess. 22.* quo statutum est ut Episcopi habeant jus visitandi Hospitalia, Collegia quæcumque, ac Confraternitatis laicorum, &c. eleemosynas Montis Pietatis, & pia loca omnia, etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita; non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili, privilegio, aut statuto. Ad idem *c. 15. sess. 7.*

5 Hinc cum administratores Hospitalis Papiæ exempti per privilegium Nicolai V. à visitatione Ordinarij prætenderent ab eo post Concilium visitari non posse, nec coram eo teneri reddere administrationis suæ rationem: S. Congregatio ab his hac de re consulta censuit non obstantibus allegatis pro administratoribus hospitalis, jus visitandi dictum hospitale, & exigendi redditionem rationum ab ejus administratoribus competere Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ Delegato ex decreto Concilij *sess. 22. c. 8. & 9.* Et ratio est, quia *d. c. 8.* tollit privilegium Nicolai V. quoad visitationem, & licèt dicat in casibus à jure concessis, hoc tamen non impedit, cum de jure communi Episcopus visitare possit hospitalia sublato privilegio, c. *De Xenodochijs, de relig. domib.* & Clem. *Quia contingit, eodem tit.* Quod vero attinet ad redditionem rationum, de qua in *c. 9.* exceptus est solus casus quando in fundatione cautum esset, ut non redderentur ordinario, sed in Bulla Nicolai V. in qua sit fundamentum, nulla mentio habetur cui sit reddenda ratio, vel non reddenda.

6 Itaque nisi aliud cautum sit lege fundationis, Hospitalia hujusmodi subsunt visitationi, & dispositioni Episcopi, & omnia comprehenduntur sub dictione, *Xenodochijs,* hic posita secundũ Host. *n. 1.* Propriè tamen dicitur Xenodochium locus, in quo peregrini suscipiuntur; licet alij dicant Xenodochium esse locum senum, & debilium, ut verbum sonat, arg. c. *Oratorium, 42 dist. Instit. de donat. §. Est & aliud,* & c. *Cleros 21. dist.* Orphanotrophium verò dicitur locus, in quo pueri utroq; parente orbati educantur. Brephotrophium, in quo pauperes aluntur. Nosocomium, ubi ægroti tenentur, & curantur. Gerontocomium, in quo senes valetudinarij sustentantur. De his habetur in c. *Si quis omnem, 1. quæst. 7.* in l. *Illud,* ubi glossa singula hæc nomina explicat, & in l. *fin. C. de Sacrosanct. Eccles. in rubr.* l. *Orphanotrophos,* & l. *Omnia oratoria, C. de Episc. & Cler.* in cap. *Tributum, §. Quamvis, 23. quæst. 8.* in Auth. *de reb. eccles. non alien. §. 1. collat. 9. & de eccles. tit. §. fin. eadem collat.*

7 Conclude igitur hæc omnia esse sub manu Episcopi, & ad illius dispositionem pertinere, ut hic in textu, non quidem ut ad Episcopum spectet dominium redditũum; neque enim subsunt talia Episcopo quoad temporalia, ut ea possit sibi applicare, cap. *Venerabilis, de except.* cap. *Quia, 10. q. 3.* de hoc in c. *Cum vos, de offic. ordin.* sed ut illorum redditus curet expendendos in usus, ad quos sunt deputati, ut in dicta Clem. *Quia contingit,* secundum Innoc. & omnes hic. Compellet ergo Episcopus Parochialem Sacerdotem, ut hospitalitatem servet, & hospitalarios domorum pauperum, ut recipiant pauperes, & idem in similibus,
8 ut inquit Joan. Andr. *hic num. 3. in ver. pertinent,* Butr. *num. 4.* & Cardin. *in 3. notab.* & patet ex decreto d. *cap. 8. sess. 22.* ibi (Ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi [idest Episcopi] ex officio suo juxta sacrorum Canonum statuta cognoscant, & exequantur.) Idem patet in *c. 15. sess. 7.* ubi habetur. Curent Ordinarij ut hospitalia quæcunque à suis administratoribus quocunque illi nomine censeantur etiam quomodolibet exemptis fideliter, & diligenter gubernentur, constitutionis Concilij Viennensis, quæ
9 incipit, *Quia contingit forma servata.* Unde orta dubitatione An curare Episcopus debeat, ut eleemosynæ ab administratoribus fabricæ in eum usum, in quem destinatæ fuerunt, & pro quo offeruntur, convertantur, & ut id efficiatur, ordinare quæcumque ipsi visa fuerint expedire: S. Congregatio ejusdem Concilij interpres censuit cum tales administratores teneantur quotannis reddere rationem Ordinario juxta *cap. 9. sess. 22.* pertinere ad Episcopum providere, ut fideliter omnia peragantur, & ne qua fraus interveniat, in expendendis introitibus, & proventibus, & quæcumque ipsi expedire pro sua prudentia videbuntur, ordinare.

10 Declara modo hanc conclusionem, ut procedat dummodo hospitalia, & loca hujusmodi sint religiosa, idest fundata auctoritate Episcopi, ut in c. *proximo, infra eodem.* Aliàs enim Diœcesanus non debet se in illis ingerere, sed patronus hospitalis ad libitum disponit, ut in cap. *Inter dilectos,* & ibi per Innocen. *de donat.* & notat. Abb.
11 *hic num. 3. vers. Numquid autem*: nam etsi quilibet pro libito voluntatis possit erigere Hospitale; nõ tamen erit locus religiosus, nec gaudebit immunitate ecclesiastica, nec inter loca ecclesiastica computabitur, nisi Episcopi authoritas intercesserit, ut in d. c. *Proximo.* & notat Cardin. *hic n. 9. vers. Nonò quæro.* Nec quidquam novi circa hoc statuit Concilium Tridentinum in d. *cap. 8. sess. 22.* imò restringitur ad limites juris, ut patet ibi, in casibus à Jure concessis, & in fine ibi juxta Sacrorum Canonum statuta, & fusius dixi in eod. c. *Proximo, num. 54. infra eod.* Unde quemadmodum de jure communi ejusmodi hospitalia non religiosa visitationi,

tationi, ac Jurisdictioni Episcopi non subeatur, ita nec post Concilium.

14 Hoc tamen fallit in tribus casibus. Primus est mortuo Patrono: tunc enim etiamsi locus non sit religiosus, tamen spectat ad curam, & sollicitudinem Episcopi, ut pia voluntas defuncti executioni demandetur, de quo videtur textus in Authen. *de Eccles. tit. §. Siquis autem pro redemptione, cum seqq.* Quamobrem etsi hospitale hujusmodi non teneatur Episcopo Diœcesano in Episcopalibus respondere, tamen Episcopus habere debet curam ipsius, cùm locus sit pius, ut hic per Abb. *num. 3. vers. Quod putoverum.*

13 Falliti secundò in executoribus negligentibus adimplere voluntatem defuncti, quia tunc devolvitur ad Episcopum potestas illos compellendi, ilsque post legitimam admonitionem detrectantibus, etiam exequendi, textus est in d. c. *Tua nobis*, & ibi dixi, *de testam.*

14 Fallit tertiò quoad rationes ab administratoribus exigendas, quia etsi Hospitalia, & loca prædicta non sint erecta authoritate Episcopi, & sic non sint religiosa; tamen cum ad usum pium sint destinata dicuntur pia; & poterit Episcopus compellere executores ad reddendas sibi quotannis rationes administrationis, nisi secus in eorum institutione, & ordinatione cautum fuerit, ex decreto Concilij Tridentini in c. 9. *sess.* 22. Quod Sac. Congregatio declaravit habere locum etiam in Hospitalibus laicalibus, ut scripsi plenius in c. *Proximo. à num.* 10. *infra eod.*

15 QUÆRO, An hodie stantibus decretis Concilij Trident. in *cap.* 8. & 9. *sess.* 22. Hospitalia sub immediata Regum protectione existentia, quæ ex lege fundationis, aut ex privilegio Apostolico, vel consuetudine non probantur exempta à visitatione, & jurisdictione Episcopi Diœcesani, possit idem Episcopus visitare, & ab illorum administratoribus rationes administrationis exigere.

15 Contigit hic casus in hospitali pauperum senum Neapolis: nam anno 1625. Ordinarij auctoritate erectum fuit prædictum hospitale, & in ipsa erectione cautum fuit inter cætera, ut illud tam quam opus spirituale, & dicatum ad cultum divinum, esset sub protectione, & obedientia Ordinarij, ita ut posset illud suo arbitrio visitare, ad hoc ut omnia fideliter administrarentur, ut patet ex tribus capitulis fundationis. Et successivè Cardinalis Aquaviva tunc Archiepiscopus Neapolitanus dictum hospitale ordinaria authoritate visitavit, & nonulla decreta edidit, licet morte præventus visitationem non perfecerit, post cujus obitum Ministri hospitalis pro expeditione quarumdam litium ad illud pertinentium adierunt Proregem, atque ab eo obtinuerunt sibi in judicem deputari Consiliarium Palermum, qui postea mutato titulo anno 1607. alium in Prætorem dicti hospitalis nominavit.

Deinde anno 1608. quia hospitale propriam ecclesiam non habebat, sed tantum altare in ecclesia S. Nicolai; ijdem Ministri, seu Confratres majori parte ex eleemosynis de licentia Archiepiscopi conquisitis, ac partim etiam à se elargitis, propriam ecclesiam fundarunt sub invocatione S. Onuphrij, & primus lapis, in quo litteris insculptum erat quemadmodum dicta ecclesia construebatur sub protectione Regis Philippi, projectus fuit in fundamentis Populo acclamante, Vivat Rex. Ab eo tempore Proreges dicti Hospitalis protectores, & administratores deputarunt, ijdemque administratores similiter deputarunt officiales, Cappellanos, Confessores, & Prædicatores in dicta ecclesia.

Sed à duobus circiter annis cum Cardinalis Carafa vellet hospitale visitare, atque ab administratoribus rationes administrationis exigere, ipsi objecerunt se non teneri ex decreto Concilij Tridentini *c. 8. sess. 22.* eo quod hospitale erectum fuisset sub immediata Regis protectione. Quamobrem his positis consulta est Sac. Congregatio Concilij.

17 An possit Cardinalis Archiepiscopus dictum hospitale visitare, & ab administratoribus rationes administrationis exigere.

Videtur respondendum posse. Nam quoad jus exigendi rationes quamvis hospitale esset sub immediata regis protectione, hoc tamen non obstaret Archiepiscopo quominus illas exigere posset; sed tantum obstaret quominus posset visitare. Ratio est, quia exceptio locorum quæ sub immediata Regum protectione sunt, non legitur nisi in *c. 8. sess. 22.* & in eo decreto non agitur, nisi de jure visitandi.

At verò in *c. seq.* ubi agitur de rationibus Ordinario reddendis, dicta exceptio non reperitur; imo ibi excipitur unus tantum casus, ideest cum secus expresse cautum fuit in fundatione. Quæ exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, *l. Nam quod liquidè. §. fin. ff. de pœn. legat. 2.* & *c. 2. de Coning. leprof. cum simil.*

18 Et confirmatur, quia Concilium magnam constituit differentiam inter jus visitandi, & jus exigendi rationes. Nam in *c. 8.* ubi agit de jure visitandi, restringit se ad dispositionem juris communis, ut patet ibi (in casibus à jure concessis) & infra ibi, (juxta Sacrorum Canonum statuta.) Sed in *c. 9.* ubi tractat de jure exigendi rationes, indistinctè, & generaliter loquitur. Ideoque S. Congregatio sæpius respondit Ordinarium non habere authoritatem visitandi Hospitalia, nisi in casibus à jure expressis. At verò rationes administrationis licere illi exigere nulla habita ratione juris communis.

Ex quo patet Concilium ampliorem facultatem tribuisse Episcopis in rationibus exigendis, quàm in visitatione piorum locorum. Ideoque non mirum si quoad visitationem exceperit loca sub Regis protectione existentia, sed illa non exceperit quoad reddendas rationes. Atque ita ob suprascriptas rationes olim declaravit Sacra Congregatio.

19 Quo verò ad jus visitandi, etsi Concilium exceperit loca, quæ sub immediata Regis protectione existunt, tamen non sufficit probare regiam protectionem, nisi etiam probetur legitima exemptio à jurisdictione ordinarij. Ratio est quia Concilium d. c. 8. noluit tribuere novam exemptionem locis sub Regis protectione existentibus, sed tantum præservare si quam prius habebunt, juxta text. in *c. nil. in princ. de offic. Deleg. in 6.*

20 & *c. Ne aliqui, vers. Illud quæ regibus, de privil. eod. lib.* observandum est enim decretum d. c. 8. dum disponit ut Episcopi habeant jus visitandi hospitalia in casibus à jure concessis, etiamsi exemptionis privilegio sint munita, restituere Episcopis illud jus visitandi, quod erat illis per Sacros Canones attributum, & postea ademptum, per posteriores exemptiones. Atque ita Concilium statuit tantummodò ut exemptiones non obstent quominus Episcopi visitare possint hospitalia in casibus concessis à jure communi. Unde cum in hac regula loquatur de hospitalibus exemptis, cèseri debet de ijsdem dispositum esse etiã in exceptione illa, non tamen, quæ sub immediata Regum protectione sunt, quia aliquin exceptio non esset de regula, & esset inepta, Lap. Gemin. & DD. in cap. *Qui ad agendum, §. 1. de Procur.* Alexand. & Jas. in *l. sin. ff. Quod quisque iur.* Atque ita in hanc sententiam sæpius respondit S. Congregatio Concilij: nam cùm aliquando quæsitum esset. An præsuppositâ exceptione d. cap. 8. intentio Concilij fuerit jurisdictioni Ordinarij penitus derogare, eamque in totum ab ipso Ordinario abdicare in locis, quæ sunt sub Regum immediata protectione:

21 S. Congregatio respondit decreto ipsius Concilij nequaquam fuisse jurisdictioni Ordinarij in aliquo derogatum, aut detractum etiam in locis,

22 quæ sub immediata Regum protectione existunt, sed ex decreto d. cap. 8. ita demum esse immunia ab Ordinarij visitatione, si hanc immunitatem legitimo, justoque titulo acquisierint, eo quod Concilium non exemerit à visitatione Ordinariorum loca, quæ alioquin ijsdem Ordinarijs subjiciebantur; sed tantum quæ exempta jam erant, noluit subjicere Episcoporum visitationi, quemadmodum subjecit alia loca pia ad Regum protectionem non spectantia.

Itaque cum hoc casu Ministri hospitalis non doceant de exemptione, quoad hoc, parum refert an sint sub protectione Regis, nec ne.

Verum hoc casu res videtur clarior, quia nec docetur de hujusmodi protectione: Itaque quoad hospitale est certum, cum ab initio erectum fuerit sub protectione, & obedientia Archiepiscopi, & semel fuerit ab eo visitatum, ut initio diximus. Unde ipse habet fundatam intentionem tam de jure communi, ut in hac decretali, & in aliis juribus supracitatis in *primo not. ab n. 2.* Feder. de Sen. *cons. 3. Quæstio talis est*, quàm ex lege fundationis, & quasi possessione inde sequuta.

23 Neque obstat quod dicta ecclesia ut supra sub Regis protectione constructa fuerit; quia respõdetur hoc similiter non probari nisi ex inscriptione laicorum facta in primo lapide, & ex populi acclamatione. At neque ad laicos, neque ad populum spectat ecclesiam, & hospitale construere sub protectione Regia, sed tantum ad Sedem Apostolicam, vel ad Ordinarium, *c. Nemo, de consecr. dist. 1. c. Placuit, 14. 2.* glos. in Clem. *Quia contingit, in ver. Altare, de relig. domib.* Vincent. & Tancred. relati à Cardin. in *c. prox. num. 5. infr. eod.*

24 Ideoque olim S. Congreg. censuit solam legitimam, atque justam protectionem dicti Concilij decreto exceptam, ac præservatam esse, non autem eam, quæ de facto vendicatur, aut assumitur.

25 Siquidem Concilium sicut id regibus detulit, ut eorum jura hac in re inviolata noluerit; ita nec illis quidquam adjecit, aut concessit in præjudicium Ordinariæ jurisdictionis.

26 Et ex his tolluntur etiam deputationes, quas fecerunt Proreges, & Ministri dicti Hospitalis. Patet enim ex supradictis eos solum de facto hãc sibi protectionem vindicasse. Unde nihil propterea detractum est jurisdictioni Ordinarij, ut in puncto consuluit Gabr. *cons. 195. per totum. lib. 2.*

27 Quibus accedit quod quamvis probaretur protectio justo titulo acquisita; illa tamen prodesset forte quoad ecclesiam sub hac protectione ædificatam, sed non quoad hospitale, quod longè prius fundatum, & erectum fuerat sub jurisdictione Archiepiscopi: nam ad illud non extenderetur protectio Regis, cap. Ex ore, de privileg. ac si extenderetur, tamen non esset immediata, ut requirit Concilium, cum antè illam præcesserit protectio Ordinarij, ut per Gabriel. *d. cons. 195. num. 6. & seq.*

28 Hinc cùm fuerit quæsitum An Episcopus possit visitare monasterium S. Mariæ unitum, & commendatum hospitali Incurabilium, & providere ne monasterium in spiritualibus, & temporalibus detrimentum patiatur, cum hospitale prædictum sub regis immediata protectione existens visitari non posset; locus autem unitus assumat privilegia illius, cui facta est unio: S. Congr. censuit posse.

29 Tum quia est in unione clausula, [Proviso ne dictum monasterium aliqua detrimenta patiatur.] Tum quia per unionẽ non fit præjudicium Diœcesano, in cujus diœcesi erat ecclesia unita, juxta text. in *c. Cum dilecta, de confirm. util. vel inutil.* & *c. Quia monasterium, supra eod.*

30 Ulterius QUÆRO, An decretum Concilij Trident. in d. *cap. 8. sess. 22.* excipiens à visitatione Episcoporum hospitalia, quæ sunt sub immediata protectione Regum, comprehendat ea quæ sunt in statu Mediolani subjecto Regi Catholico.

De hoc dubio olim consuluerunt S. Concilij Congregat. Præses, & Senatus Regius provinciæ Mediolanen. & fuit responsum non comprehendere, nisi quæ expresè reperiuntur sub regis protectione. Quinimo multi, qui interfuerunt Trid. Concilio, retulerunt Cardinali Carafæ mentem Patrum fuisse illa tantũ hospitalia excipere, quorũ Reges, & Principes sunt Moderatores, & Magni Magistri, ut illius manu reperitur adnotatum in libris publicis Sacræ Congregationis.

31 Quod si Episcopo hospitale visitare volenti opponatur exceptio, quod sub immediata Regum protectione existat, non ad sæcularem judicem, sed ad ipsummet Episcopum talis exceptionis cognitionem, & diffinitionem pertinere censuit S. Congregatio.

In confirmationem eorum, quæ superiùs dicta sunt de positione sub protectione regia existẽtibus, quæ speciali exemptionis privilegio non sunt munita, libet hic subnectere votũ bon. mem. Manzanedi Rotæ Auditoris Hispani, qui occasione visitationis ecclesiæ, & hospitalis SS. Jacobi, & Idelphonsi de Urbe Nationis Hispanicæ à Pontifice consultus, hunc in modum respondit.

(Nostrum hospitale non potest se excusare à S. Visitatione recipienda, cum comprehendatur sub dispositione S. Concilij Trid. *sess. 22. cap. 8. & seq.* Nec exemptum dici potest ex quo prætenditur existere sub immediata protectione Potentissimi Regis nostri, quam protectionem immediatam nec in fundatione, nec alibi video: nam si consideramus hospitale nostrum uti opus pium, & sacrum à Regibus ædificatum juxta text. in *c. Boni Principis, 96. dist.* Certum est, quod non potuit ædificari sine consensu summi Pontificis, uti tantummodo, & locorum Ordinarij; similem consensum prælati competit, ut probatur in *c. Quicumque,*

cinuque, 16. q. 1. desumpto ex Concil. Vormacensi his verbis: [Quicumque voluerit in sua proprietate ecclesiam ædificare, & consensum, & voluntatem Episcopi habuerit, in cujus parochia est, licitum sit.] & cap. *Lator.* 16. *qu.* 15. & in cap. *Quidam*, desumpto ex Concil. Calcedonensi 18. *quæst.* 2. his verbis: (Placuit igitur neminem aut ædificare, aut construere monasteria, aut Oratorij domum sine consensu ipsius civitatis Episcopi.) & text. in cap. *Placuit*, 1. *quæst.* 2. & cap. *Nemo*, & in cap. *Basilicas*, & in cap. *Ecclesiæ*, *de consecr. dist.* 1. & text. in cap. *Ad audientiam*, & in cap. *fin. de Eccles. ædific.* & in c. *Authoritatem*, *eod. tit. in* 6. & in c. 1. *de excess. Prelat. eodem*. Quod etiam Justinianus disposuit in *novell.* 5. *in princ.* & *in novell.* 131. *vers. Nemo oratorium*, &c. & ultra Ordinarios in supracitatis locis tradunt Turrecrem. in d. c. *Nemo*, *num.* 5. Abb. in c. *Nobis*, *num.* 2. *de iurepatronat.* & Gregorius Lopes in l. 1. *glos.* 5. *tit.* 10. *par.* 1. Et ratio principalis est, quia Summus Pontifex, vel Ordinarius antequam ad licentiam concedendam, & consensum præstandum procedant, opus est, ut habeant considerationem ad proventus, ad custodiam, custodumque stipendia, quos statuit qui ædificare desiderat, & quod dotatio sufficiat pro cultu divino in illa ecclesia, seu hospitali, & ministerio ministrantibus, & pro oneribus solvendis, ad text. cap. *Piæ mentis*, 16. *q.* 7. Cum aliàs Summus Pontifex, vel Episcopus si sine dotatione permisisset ecclesiam, vel hospitale ædificari teneretur de proprio illam dotare exemplo Ordinatorum sine titulo, quos tenetur alere, vel de beneficio eis providere, cap. *Episcopus*, *de præben.* Et ideo si ante constructionem ecclesiæ, vel hospitalis opus est omnia prædicta examinare, illorumque examen spectet ad Summum Pontificem, vel Ordinarium, satis rationi congruit stabilire, prout Sacrum Concilium stabilitum habet, quod post cōstructionem debeat dicta ecclesia, vel hospitale visitari quandocumque ad effectum, ut onera solvantur, & debita sustentatio subministretur, & Administratores tam ecclesiastici, quàm laici debeant rationem reddere eorum administrationis, ut in d. *sess.* 22. *cap.* 8. & 9. expressè cavetur.

Si verò consideramus nostrum hospitale uti domus laicalis pro pauperibus recipiendis, & infirmorum gubernio, quæ domus licet largo modo dicatur religiosa respectu operis pij, non tamen gaudebit ecclesiastica libertate, immunitate, & aliis ecclesiasticis privilegiis; & tunc in illius constructione non est necessaria licentia, seu consensus Apostolicus; ita distinguit Hostien. *in sum. tit. de regular.* §. *Quis sit regularis. vers. Quid de rusticis*, & *vers. Nota*, & *in vers. Quis possit fundare*. Eamdem distinctionem faciunt Lambert. *de iurepatronat. par.* 1. *lib.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *principali*, *num.* 4. quam similiter tenet etiam Pal. de Cittada *eodem tract.* 3. *par. num.* 7.

Sed sic est, quod hospitale nostrum gaudet libertate immunitate, & aliis privilegiis ecclesiasticis, & ex juribus sup. allegatis, & non potuit ædificari sine licentia, & consensu Apostolico, necessariò dicendum venit, quod nō comprehenditur sub exemptione *cap.* 8. *d. sess.* 22. S. Concilij Tridentini, cum verè, & realiter non existat sub imediata protectione Suæ Majestatis nostri Potentissimi Regis, prout requiritur in d. S. Conc. ad effectum exemptionis prædictæ; & immediata Regis protectio dicitur illa, quæ non habet aliquam dependentiam ab Ecclesia considerando verbum illud *immediatè*, considero etiam, quod S. Visitatio fit à Summo Pontifice, & ejus nomine in Urbe omnibus locis piis, & nescio videre qualiter hospitale nostrum velit se eximere ab illa recipienda sub prætextu Regiæ protectionis, quæ, etiamsi hospitale non esset locus pius ecclesiasticus, non posset in urbe Roma dici immediata, ut S. Concilium requirit, in qua tam ecclesiastica, quàm prophana existunt immediatè sub Pontificia jurisdictione, sed de hoc opus non est disputare, cum verè, & realiter hospitale nostrum sit locus pius, & ecclesiasticus, & sit immediatè sub potestate, & jurisdictione Summi Pontificis: ipse enim est verus administrator omnium ecclesiarum, & rerum earum, & communis Rector, vel Princeps in bonis subditorum, ut in cap. *Sicut venire*, & ibi Bart. *de excess. Prelat.* per text. in cap. *Multiplici*, *de decim.* & latissimè noster glossator Gregor. Lopez, in l. 5. *tit.* 5. *part.* 1. *glos.* 21.

Et in omnem casum quamvis ista Regia protectio debeat haberi in consideratione, & de ea evidenter constet, non potest dici nisi protectio generalis, quæ non eximit personas, nec res à potestate Ordinarij, ut est text. expressus in c. *Ex parte*, *il secondo*, *de privil.* ubi omnes, & est casus singularis apud Gemin. *in cons.* 81. & hoc casu videtur potius recommendatio; quàm protectio, per quam etiamsi in signum recognitionis solvatur census, non tamen locus, & persona recommendata eximitur à potestate, & jurisdictione ejus, cui de jure subest, text. in cap. *Recepimus*, & in d. c. *Ex parte*, *de privil.* & in cap. *Si Papa*, *eodem tit. in* 6. Gemin. *ubi sup. num.* 2. *vers. Nam recommendatus*. Unde si Summus Pontifex in d. cap. *Ex parte* decernit, quod existentes sub generali protectione ipsius, & Sedis Apostolicæ, non eximantur à potestate Ordinarij: Quanto magis concludendum venit, quod existentes sub generali protectione Regis non sint exempti à potestate Summi Pontificis, cui cedunt Imperatores, & Reges ex adductis per Joan. Garz. *de nobilitat. & exempt. Hispanic. glos.* 48. §. 3. *num.* 4. & 8.

De Religiosis domibus.

Cap. Ad hæc.

SVMMARIVM.

1 Locus deputatus authoritate Episcopi ad Hospitalitatis usum religiosus est, & ad mundanos usus redire non debet.

2 Hospitale quilibet etiam Laicus potest sibi construere in domo propria, sed non erit religiosum, nisi fuerit fundatum authoritate Episcopi.

3 Locus fit religiosus, licet non sacer de iure civili si mortuus inferatur etiam in solo alieno.

4 Secus de iure canonico.

5 Religiosum est quidquid est sacrum, sed non è converso.

6 Hospitalia, & loca pia an subsint visitationi, & iurisdictioni Episcopi diœcesani, & num. seq. usq. ad num. 59.

7 Hospitalia auctoritate Episcopi fundata subsunt illius visitationi.

Idem

8 Idem in alijs locis pijs.

9 Hospitalia, & alia pia loca visitari possunt ab Episcopo tam per seipsum, quàm per Vicarium, seu alios visitatores.

10 Etiamsi illorum cura ad laicos pertineat, & num. seqq. & num. 27.

11 Hospitalium administratores, imò & Rectores esse possunt non tantum clerici, sed etiam laici.

12 Iudices seculares non prohibentur à Concilio Tridentino visitare hospitalia, confraternitates, eleemosynas, & alia pia loca; si aliàs eis hoc ius visitandi legitimè competat.

13 Confraternitas laicorum, & hospitale ei adiunctum visitari potest ab Episcopo, sed eleemosynarum distributio relinquenda est confraternitati, si benè utatur.

14 Schola, seu domus hospitalis S. Mariæ Mediolanen. visitari potest ab Archiepiscopo.

15 Hospitalia, & loca pia subsunt visitationi Episcopi etiamsi illorum administratores laici à Principe deputentur.

16 Reges sicut dignitatis altitudine præeminent, ita potioris prerogativa gratiæ sunt attollendi.

17 Hospitale maius Eugubin. visitari potest ab Episcopo, licet ex privilegio à septem laicis à Duce Vrbini confirmandis gubernetur.

18 Hospitalia subsunt visitationi Episcopi, licet sint sub cura Vniversitatum.

19 Magister artium gaudens privilegijs Vniversitatis Oscen. cogi potest ab Episcopo ad exhibitionem, & executionem testamenti, in quo sunt legata pia ab ipso solvenda.

20 Visitare potest Episcopus hospitalia, & loca pia suæ diœcesis, etiamsi exemptionis privilegio sint munita.

21 Inquisitionis Officiales in Regno Siciliæ ab Episcopo cogi possunt solvere legata pia, non obstantibus allegatis exemptionibus.

22 Absolvere potest Episcopus quos de iure communi, vel ex Concilio Tridentino potest excommunicare.

23 Causa super visitatione hospitalis Plateæ Nidi Neapolis committitur in Rota sine retardatione visitationis Ordinarij.

24 Consuetudo immemorabilis, vel statutum non obstant, quominus Episcopus visitare possit hospitalia, & loca pia suæ diœcesis.

25 Episcopus in visitatione hospitalium, & piorum locorum potest statuere quæ ad rectam administrationem pertinent.

26 Hospitalium administratio, Rectorisque & Ministrorum deputatio de iure communi ad Episcopum pertinet.

27 Ex consuetudine tamen, vel privilegio potest competere etiam laicis.

28 Mulier an possit præfici curæ hospitalis.

29 Regimen ex sui natura est officium virile.

30 Mulierem decet subesse, non præesse.

31 Administratores hospitalium, & piorum locorum cogi possunt quotannis ab Episcopo ad reddendam rationem administrationis.

32 Non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili, & num. seqq.

33 Administratores fabricæ maioris ecclesiæ Cremonen. qualiter rationes administrationis Episcopo reddere teneantur.

34 Consuetudine simpliciter sublata, an, & quando censeatur sublata immemorabilis, & n. 36.

35 Administratores hospitalis Corduben. tenentur reddere rationem administrationis Episcopo, non obstante privilegio immemorabili, & sententia super hu lata.

36 Sententia declaratoria nullum ius tribuit.

Administratores tenentur librum rationum deferre ad Episcopum, & in domo eius rationem reddere.

38 Ordinarius debet rationibus interesse illis diebus, quibus ex privilegio, consuetudine, vel constitutione reddenda est ratio.

39 Non tamen dum horæ Canonicæ recitantur.

40 Item adhiberi debet etiamsi alijs ad id deputatis ratio reddenda sit.

41 Et tam in ratione reddenda, quàm in liberatione facienda.

42 Et eius votum connumerari debet cum voto cæterorum in absolvendo, vel condemnando.

43 Hospitalia, & alia loca pia, quæ sunt sub immediata Regum protectione, ab Episcopo visitari nequeunt sine illorum licentia.

44 Episcopus visitare non potest hospitalia, & loca pia ex lege fundationis exempta, nec rationes exigere, & num. 38.

45 Et in fundatione sufficit Diœcesani consensus.

46 Episcopus cogere potest administratores ad voluntatem fundatoris exequendam non obstante contraria lege fundationis, & num. seqq.

47 Hospitalia, & alia pia loca Militarium Ordinum, & aliorum religiosorum Episcopus nec visitare potest, nec rationes administrationis exigere.

48 Abbates, Abbatissæ, & Præpositi monasteria in titulum obtinentes, vel habentes administrationem ecclesiarum suarum nō tenentur reddere rationes Episcopo.

49 Fratres, & administratores hospitalium B. Ioannis Dei tenentur singulis annis reddere Ordinario rationem administrationis.

50 Religiosi an præfici possint hospitalibus.

51 Hospitale constructum sine authoritate Episcopi non est religiosum, seu ecclesiasticum, nec subest illius visitationi.

52 Oratorium cuilibet privato licet construere in domo propria, dummodo non habeat formam ecclesiæ, nec ibi celebrentur Missæ.

53 Hospitale sine authoritate Episcopi fundatum an possit ad prophanos usus reduci.

54 Ordinarius non habet auctoritatem visitandi hospitalia, neque confraternitates, quæ à laicis reguntur, nisi in casibus à iure expressis.

55 Hospitale privatum est locus pius, & mortuo patrono spectat ad sollicitudinem Episcopi, ut voluntas fundatoris executioni demandetur.

56 Hospitale fundatum sine auctoritate Episcopi est privatum: potest tamen ab ipso visitari in ijs tantum, quæ ad observandam voluntatem fundatoris pertinent.

57 Episcopus potest exigere rationes ab administratoribus omnium piorum locorum etiam merè laicorum, & in casibus à iure non concessis.

58 Nisi secus in fundatione expressè cautum fuerit.

59 Administratores piorum locorum etiam privatorum malè administrantes cogi possunt ab Episcopo rationes reddere, & exequi voluntatem fundatoris non obstante ipsius prohibitione.

60 Administratores, qui piorum locorum reditus in suos usus convertunt, incidunt in excommunicationem Papæ reservatam.

S

Vni-

61 *Universitas, seu illius officiales, qui pecunias ad ecclesiam spectantes eidem Universitati mutuarunt ad emendam annonam, an inciderint in excommunicationem cap.11. sess.22. Concilij Tridentini & nu. seq. usq. in fin.*
62 *Excommunicationis pœna induci non debet nisi in casibus in iure expressis.*
63 *Relativum, quis, Universitatem non comprehendit.*
64 *Universitas est persona ficta, seu repræsentata.*
65 *Civitas non comprehenditur sub dispositione c. Felicis, de pœn. in 6.*
66 *Excommunicatio prohibetur ferri in Universitatem.*
67 *Conversum in usum, & utilitatem propriè non dicitur quod restitui debet.*
68 *Excommunicatio iuris semper supponit peccatum mortale.*
69 *Statutum Universitatis in favorem ecclesiæ editum an ab ipsa revocari possit.*
70 *Consuetudo an excuset à pœna excommunicationis.*
71 *Verbum, præsumant, non verificatur in his, qui ex simplicitate aliquid contra legem faciunt.*
72 *Intellectus l.* Pomponius, §. Ex facto, ff. de acquir. possess.
73 *Furtum an committat qui re aliena utitur ad alium usum, quàm dominus consenserit.*

1 AD HÆC. Locus deputatus auctoritate episcopi ad hospitalitatis usum religiosus est, & ad mundanos usus redire non debet. Hoc dicit. Primò decisa consultatio. Secundò responsio ibi, *Inquisitioni*: quam probat per simile ibi, *Sicut*.

2 Nota ex hac decretali ad hoc ut hospitale sit religiosum, oportere ut sit fundatum authoritate Pontificis. Ratio est, quia etsi quilibet etiam laicus possit construere hospitale in domo propria sine auctoritate Episcopi, cap. 1. *de empt. & vendit.* tamen sine Episcopo non potest facere locum religiosum, l. *In tantum*, §. *Sacra*, *ff. de rer. divis.* & l. 3. §. *Si quis in sepulchro dolo malo*, *ff. de sepulc. viol.* & hic notant glossa prima, Innocen. Hostien. & Jo. Andr. omnes *in princ.* Butr. *in 1. notab.* Abb. *num.2.* & alij communiter.

3 Nec refragatur quod privatus mortuum inferendo etiam in solo alieno de consensu domini locum faciat religiosum, licet non sacrum, l. 2. C. *de relig. & sumpt. funer.* instit. *de rer. divis.* §. *Religiosum*; & è converso locus hujusmodi per extumulationem desinat esse religiosus, l. *Cum in di-*
4 *versis*, *ff. eod.* Etenim hoc vendicat sibi locum de jure civili, non autem de jure canonico, ut est casus hic. Ad idem cap. *In ecclesiastico*, 13. *quæst.* 2. ubi gloss. *fin.* (Terra, inquit, fit sacra, vel religiosa auctoritate Pontificis, non ex eo quod mortuus infertur ad locum,) ut *extra*, *de relig. domib.* cap. *Ad hæc*; sed secundum legem secus est: nam si transfertur corpus ad alium locum, desinit locus esse religiosus, vel etiam si capitur ab hostibus, ut *ff. de relig.* l. *Cum in diversis*, & l. *Cum loca*; ita gloss. quam sequuntur Lauren. Archid. Bellam. & Turrecrem. ibidem. Item Innocen. in cap. *Abolenda*, *supra de sepultur.* Anton. de Butr. *hic nu. 5.* & Abb.
5 *n.2.* & secundum glossam prælleg. & Butr. Quidquid est sacrum, est religiosum, sed non convertitur: ubi enim mortuus infertur fit religiosus, sed non sacer, ut in d. l. *In tantum*, *ff. de rer. divis.*

6 QUÆRO generaliter An hospitalia, & loca pia subsint visitationi, & jurisdictioni Episcopi, in cujus diœcesi sunt sita.

Pro pleniori notitia, & explicatione materiæ constituendæ sunt duæ conclusiones principales cum suis ampliationibus, & limitationibus.

7 Prima conclusio est affirmativa, videlicet: Hospitalia auctoritate Episcopi erecta subsunt visitationi Episcopi diœcesani. Hæc conclusio probatur *hic* in cap. *præced.* & ibi dixi in primo notab. & de visitatione est expressum in decreto Concilij Trid. *cap.8. sess.22.*

8 Ampliatur primo hæc conclusio, ut procedat non tantum in hospitalibus, sed etiam in alijs locis pijs in diœcesi episcopi consistentibus, ut patet in cap. proximo supra eod. ibi, & alijs similibus locis; per quam litteram glossa 2. & alij dicunt manifestum esse etiam monasteria, & alia loca religiosa de jure communi ad Episcopum loci pertinere, ut ibi fusiùs adnotavi n. 2. & expressius apparet ex decreto d. *cap. 8. sess. 22.* ubi statutum est, ut episcopi habeant jus visitandi non solum hospitalia, sed etiam collegia quæcumque ac confraternitates laicorum etiam quas scholas, sive quocumque alio nomine vocant, eleemosynas Montis Pietatis, sive Charitatis, & pia loca omnia quomodocumque nuncupentur.

9 Ampliatur secundò eadem conclusio ex sententia *S. Congr.* Concilij, ut episcopus visitare possit hospitalia, & loca hujusmodi tam per seipsum, quam per Vicarium, seu alios visitatores, juxta text. in Clem. *Quia contingit*, *in primo responso* ibi, Per seipsos, vel alios impleant, *de relig. domib.*

10 Ampliatur tertiò, ut habeat locum etiamsi cura hospitalium, & piorum locorum ad laicos
11 pertineat; siquidem non solum clerici, sed etiam laici possunt esse administratores, imò & Rectores hospitalium, ut in cap. præced. tenent Doctores, & in specie Abb. *num.* 4. gloss. in d. Clem. *Quia contingit in ver. Secularibus*, & hodie est expressum in decreto Concilij Tridentini, *d. cap.* 8. *sess.22.* ibi, etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat.

12 Quinimò etiam jus visitandi hospitalia, & alia pia loca potest ad laicos pertinere, ut Sacra Congregatio declaravit: nam vicario Feretrano postulanti an judices sæculares habeant jus visitandi hospitalia, confraternitates, eleemosynas, & alia pia loca, quorum cura ad laicos pertinet; & illa cognoscendi, & exequendi non obstante quod ex Concilij Tridentini decreto, *cap.8. sess.22.* Episcopi ad hoc munus obeundem sint à Sede Apostolica delegati: respondit Concilium *cap. 8.* non prohibere quominus judices sæculares possint visitare hujusmodi hospitalia, dummodo aliàs eis hoc jus visitandi legitimè competat. Hospitalia igitur, & loca hujusmodi Episcopus visitare potest etiamsi illorum cura, gubernatio, & visitatio ad laicos pertineat.

13 Unde cum episcopus Lucensis prætendens sibi licere visitare confraternitatem Sancti Michaelis ejusdem civitatis, etsi à laicis gubernaretur, qui sententiam super hoc à Delegato Sixti V. obtinuerunt, postulasset hoc à S. Congreg. Concilij declarari: responsum est Episcopum posse hanc confraternitatem visitare ex *cap.8. sess.22.* administrationem autem confraternitatis, & præsertim hospitalis ei adjuncti reliquendam confraternitati, & officialibus ab ea deputatis juxta sententiam latam à Delegato Sixti V. Redditum autem, & erogationem eleemosynarum, si in certos usus destinatæ sunt, non debere, nec posse Episcopum in alios usus convertere. Si verò distributio est arbitraria confraternitati, & benè utatur confraternitas ista, suo arbitrio permittat sic Episcopus aliàs provideat prout melius expedire videbitur.

14 Rursus confratres hospitalis S. Mariæ Mediolanen. prætendebant se nō posse ab Ordinario visitari, nec ei teneri reddere suæ administrationis rationem, allegantes Scholam, seu domum dicti hospitalis nullum altare, vel campanile habere, nulla ecclesiastica immunitate ejus bona gaudere, pro ejus litibus judices laicos adiri, officiales ab ipsis confratribus deputari, in alienationibus bonorum, & contractibus hospitalis nullam solemnitatem adhiberi quæ adhibenda est cum bona ecclesiastica distrahuntur; à principio à laicis esse fundatum; & à tempore imemorabili esse eos in quasi possessione omnes actus exercendi sine Episcopi auctoritate; & ideo nullo modo ejus jurisdictioni, aut visitationi subjacere. Archiepiscopus autem illud visitare prætendens, ac sibi reddi administrationis rationem, allegabat omnes hujus hospitalis reditus consistere in legatis testatorum relictis cum onere distribuendi pauperibus, & Missas celebrandi; & idcircò à se esse visitandum, ut videret num piæ testatorum voluntates in aliquo fraudarentur: S. Congregatio censuit Archiepiscopum posse visitare, & exigere rationis redditionem ab administratoribus istius hospitalis. Et præsupposito de consuetudine reddi rationem certis personis deputatis; Archiepiscopum una cum ejusmodi personis auctoritatem habere exigendi hanc redditionem rationis, & suam sententiam dicendi.

15 Ampliatur quartò, ut hospitalia possint ab Episcopo visitari etiamsi illorum administratores, & ministri laici à Principe deputentur, vel confir-
16 mentur: nam decretum, d. *cap. 8. sess. 22.* excipit à visitatione Episcopi illa tantum hospitalia, quæ sunt sub imediata Regum protectione, quæ exceptio firmat regulam in contrarium in alijs Principibus, in quibus non viget tanta ratio, quanta in ipsis regibus propter sublimitatem dignitatis. Ad hoc c. *fin. de offi. deleg. lib. 6.* ibi, Regibus, & Reginis, qui sicut dignitatis altitudine præeminent, sic prærogativa gratiæ ipsos convenit anteferri. Simile in cap. *Ne aliqui. vers. Illa quæ regibus, de privileg. eod. lib.* & in extravag. *Execrabilis*, §. *Nos, itaque, de præben.* Et quando Concilium voluit præservare jura aliorum Principum, expressit, ut fecit in cap. *9. sess.25.* ibi: (Exceptis alijs, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu Regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes jura imperij in dominiis suis habentes pertinent.)

17 Unde cum Eugubini cives obtinuissent à Sede Apostolica per septem cives hospitale majus dictæ civitatis quotannis eligendos, & à Duce Urbini confirmandos gubernari; petiit Episcopus Eugubinus an sibi liceret dictum Hospitale liberè visitare, & sub ejus nomine ea ordinare etiam puniendo, quæ ad ejus utilitatem necessaria viderentur: S. Congregatio respondit ex *cap.8. sess.22.* licere Episcopo visitare, & ea cognoscere, & exequi quæ in *dict. cap.8.* continentur.

18 Ampliatur quintò, etiamsi hospitalia, & alia ejusmodi loca sint sub cura universitatum: apocrypha enim est decisio S. Congregationis, quam in oppositum allegat Augustin. Barbosa; nam Concilium in *d. c. 8.* excipit tantum hospitalia sub Regum protectione, ut proximè dictum est. Et in illis verbis, (Etiamsi illorum cura ad laicos pertineat,) Satis clarè includit etiam universitates: præsertim quia ubi voluit universitates præservare, disertis verbis expressit, ut fecit in *cap. 5. in fine, sess. 14.* & *in d. cap. 9. vers. Exceptis, sess. 25.* Quod cum non fecerit in *d. cap.* 8. censetur noluisse arg. cap. 2. *de transl.* & l. *amita*, §. *Sin autem, ad deficientis*, C. *de Caduc. tollen.* cum simil. & ita sæpius, S. Congregatio declaravit, ut patet in specie in decisione relata in præcedenti ampliatione.

Quemadmodum verò hospitalia, quæ ab universitatibus gubernantur, subsunt visitationi Episcopi; ita & illorum Rectores universitatum pri-
19 vilegijs gaudentes. Unde proposito dubio an Episcopus possit cogere magistrum artium gaudentem privilegijs universitatis Oscen. ad exhibendum testamentum, in quo sunt legata pia ab ipso solvenda, & eumdem ad executionem compellere: S. Congregatio censuit utrumque posse.

20 Ampliatur sextò, supradicta conclusio ut habeat locum etiamsi Hospitalia, & loca pia exemptionis privilegio sint munita: nam nihilominus Episcopus potest illa visitare, & alia facere, quæ habentur in *d. cap. 8. sess. 22.* ut patet in Clem. *Quia contingit, in 1. responso*, ibi, [Etiamsi pia loca prædicta exemptionis privilegio munita consistant,] *de relig. domib.* innovata à Concilio Tridentino in *cap. 15. sess. 7.* ubi dicitur: (Curent ordinarij, ut hospitalia quæcumque à suis administratoribus quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis fideliter, & diligenter gubernentur.) Eadem derogatio habetur in *d. cap. 8.* ibi, (Atque eadem pia loca,) & in fine ibi, (non obstante privilegio,) & ita sæpius censuit Sacra Congregatio, ut dixi in *cap. præcedenti, num. 8.*

21 Et aliàs cum conquestus esset Episcop. Pacten. quod officiales Inquisitionis in Regno Siciliæ, cum tenerentur solvere legata pia, effugerent forum Episcopi tamquam officiales S. Officij: Responsum est Episcopum posse eos compellere ad solutionem non obstantibus allegatis exemptio-
22 nibus. Et postea cum idem Episcopus obtinuisset facultatem eos, si minus parere vellent, excomunicandi, dubitavit an etiam haberet facultatem absolvendi. Et responsum habere in illis casibus, in quibus ex Concilio, vel jure communi habet facultatem excommunicandi.

23 Item Rectoribus hospitalis Plateæ Nidi Neapolis petentibus comitti causam super visitatione ipsius hospitalis cum ipsi prætenderent ab Ordinario visitari non posse, à cujus visitatione, & jurisdictione à Sede Apostolica fuerat exemptum, ad petitionem Cardinalis Brancatij, qui illud reædificaverat: Sac. Congregatio censuit causam committendam in Rota cum clausula sine retardatione visitationis Ordinarij.

24 Ampliatur septimò, ut Episcopus visitare possit non obstante contraria consuetudine etiam imemorabili, vel statuto: his enim sicut, & privilegio expresè derogatur in *d. cap. 8. in fine sess. 22.* Quinimo hoc vendicat sibi locum etiamsi simul concurrant privilegium, immemorabilis, & sen-

tentia declaratoria, ut patebit infra in duodecima ampliatione, *num.* 36.

25 Ampliatur octavo, ut Episcopus sicut habet jus visitandi hospitalia, & loca hujusmodi, ita etiam habeat potestatem curandi, ut à suis administratoribus fideliter, & diligenter gubernentur, servata forma dict. Clem. *Quia contingit*, ut in decreto Concilij Tridentini, *c.15. sess.7.* item cognoscendi & exequendi omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ut habetur in *d.c.8.*

Hinc orta lite inter Episcopum Narnien. & Administratores hospitalis Sanctiss. Trinitatis super visitatione, ac statutorum reformatione, quam Episcopus facere posse prætendebat circa statum, & administrationem dicti hospitalis à laicis erecti, & semper ab eis sine Episcopi interventu administrati; cùm ad sedandam controversiam adijssent S. Congregat. Concilij: responsum posse Episcopum visitare, & visitando ea statuere, quæ ad bonam administrationem pertinent; maximè ex quo ipsi deputati negligentes fuerint in providendo abusibus, reservata tamen discussione singulorum statutorum, quæ Episcopus faciet, si fortè in eis modum excesserit.

26 Ampliatur nono, ut Episcopus de jure comuni fundet intentionem non solum super visitatione hospitalium, & piorum locorum, sed etiam super illorum administratione, & ordinatione, Rectorisque, & cæterorum officialium deputatione, ut probatur in cap. *prox. supra eod.* ubi hoc tenent Hostien. Joan. Andr. & cæteri omnes, ut ibi dixi, *n.2.* & in specie Butr. *n.2.* [Nota, (inquit,) argumentum quod super creatione administratoris, vel rectoris hospitalis Episcopus fundat intentum de jure comuni: inferior ergo se non intromittit; & sic hospitalia sunt in administratione
27 ecclesiæ eo quod sunt hospitalia.] Hæc ille. Cæterum si ex consuetudine legitimè præscripte, vel privilegio Apostolico inferiores Episcopo habeant administrationem, & deputationem officialium, hæc facultas, non est sublata à Concilio, quin potius præservata etiam quoad laicos in d. *c.8. sess. 22.* ibi, [etiamsi illorum cura ad laicos pertineat.] ut fusius ostensum est supra in 3.4.5. ampliatione. Unde etiam post Concilium potest laicis competere administratio, & cura hospitalium, & piorum locorum, sed privilegium, vel consuetudo eis non suffragabitur quominus visitationem Episcopi subire, eique rationes administrationis reddere
28 teneantur, ut patebit in seqq. ampliat. Quod si quæras an mulier possit præfici curæ hospitalis, Lap. de Castillione relatus à Cardin. in cap. *præcedenti, q.5. n.6.* tenet posse; nam quandoque hospitalia subjiciuntur Abbatissis, licet subdat hospitale à viris regi consuetum fœminæ demandari non posse, nec è converso, cap. *Cum de beneficio, de*
29 *preben. lib.6.* In oppositum est littera dictæ Clem. *Quia contingit, §.1. de Relig. domib.* ibi, sed eorum gubernatio viris providis, idoneis, & boni testimonij committatur, & hoc placet Cardinali ubi
30 supra, quia regimen ex natura est officium utile. Mulierem autem decet subesse, non præesse, §. *Tria, 3. q.7.* cap. *Dilecti*, & quod ibi notatur, *de arbitr.* & cap. *Ex parte de appellat.* Quod tamen limitat, nisi esset hospitale mulierum, vel ex speciali causa hoc eis permitteretur.

31 Ampliatur decimò, supradicta conclusio, ut non solum possit Episcopus hospitalia, & loca hujusmodi visitare; sed etiam singulis annis ab illorum administratoribus rationes administrationis exigere, ut per Cardin. in Clem. 1. *num.14. de testam.* Imola in Clem. *Quia contingit, num.7. de Relig. domib.* Jo. Francisc. Pavin. *de visitat. q.5. 2. p. num.42.* & hodie est expressum in decreto Concilij Tridentini, *c.9. sess.22.* Imo fortius hoc; quia major auctoritas competit Episcopo quoad exigendas rationes, quàm quoad jus visitandi, ut patebit infra in secunda conclusione negativa in tertia fallentia, *num.57.*

32 Ampliatur undecimò, ut Episcopus rationes administrationis exigere possit non obstante cõtraria consuetudine etiam immemorabili: nam etsi Concilium Tridentinum in *d.c.9. sess.22.* simpliciter tollat consuetudinem; tamen eo decreto etiam immemorabilem sublatam esse optimis rationibus deduxit S. Congregatio in causa Cre-
33 monen. Nam cum administratores fabricæ majoris Ecclesiæ ejusdem civitatis declarari postulassent, an possent visitari ab Ordinario, eique rationem reddere tenerentur eorum administrationis: S. Congregatio censuit quod ad caput visitationis attinet, de quo in *sess. 22. cap. 8.* non expedire nunc procedere ad ulteriorem declarationem. Quod vero spectat ad caput redditionis rationum administrationis fabricæ, locum habere ultimam partem, *cap. 9. sess. 22.* cum illa interpretatione aliàs data ut Episcopus adhibitis alijs deputatis habeat votum decisivum, ut possit in sua domo jubere reddi rationes, & convocare
34 deputatos. Et hac declaratione sensit S. Congregatio quod licèt civitas alleget immemorabilem, & dato quod de ea liquidò constaret, & quamquam *cap.9. sess.22.* tollat solum quascumque consuetudines, non exprimendo immemorabilem, quo casu immemorabilis non censetur sublata, ut aliàs Congregatio decrevit: tamen ex quo, c.9. facit regula, quod reddantur rationes Ordinario, excipiendo unum tantum casum, nisi in Institutione fabricæ secus expresse cautum esset, sublata censetur; quia talia verba non possunt convenire immemorabili, quia cum in ea nulla verba expressa legi possint, cum consistat in præsumptionibus; impossibile est dicere quod cautum sit expresse per immemorabilem. Et exceptio hæc sola dicitur firmare regulam in casibus non exceptuatis. Ergo regula habebit locum etiam in immemorabili tantò magis in eo casu, in quo Episcopus adjungit sibi alios deputatos; quia si dicamus non habere locum quando adest consuetudo immemorabilis, numquam procederet; quia clarum est ante Concilium Episcopum nunquam fuisse adhibitum ea forma, quàm Concilium requirit. Unde cum sit nova forma inducta à Concilio, non consideratur immemorabilis præcedens, ut dicitur in forma examinis per concursum *sess. 24. cap. 18.*

35 Ampliatur duodecimò, ut possit Episcopus hujusmodi rationes exigere ab administratoribus etiamsi simul concurrant privilegium, contraria consuetudo etiam immemorabilis, & sententia declaratoria super his lata, ut S. Congregatio declaravit: nam orta lite inter Episcopum, & administratores hospitalis Cordub. super redditione rationum hospitalis, Episcopus pro se allegabat decretum Concilij; Administratores verò senten-

tias, privilegia, & consuetudinem immemorabilem. Sacra Congregatio censuit licere Episcopo non obstante sententia, consuetudine immemorabili, & privilegio dictum Hospitale visitare: nam privilegium est sublatum per Concilium.
36 Sententia verò est declaratoria, quæ nullum jus tribuit, quia cum simplici consuetudine quadraginta annorum non possint se laici administratores eximere à redditione rationum per Clem. *Quia contingit*, quæ illas tollit, sequitur Concilium *c.9. sess.22.* derogans consuetudini ut aliquid operetur, intelligendum esse de imemorabili. Tiraq. *de retract. convent. num. 25.*

37 Ampliatur decimotertiò, ut administratores teneantur librum rationum deferre ad Episcopum & in domo ejus rationem reddere, ut censuit Sac. Congregatio in causa hospitalis civitatis Sarzanen. necnon in causa fabricæ Cremonen. de
38 qua supra in undecima ampliatione. Cæterum consulta an Ordinarius ad exactionem rationis debeat intervenire illis statis diebus, quibus ex privilegio, consuetudine, vel constitutione red-
39 denda est ratio: respondit debere. Alias tamen dixit in *una Civitaten. die 5. Februarij* 1593. nec Episcopum, nec Capitulum rationem administrationis exigere debere tempore, quo recitantur horæ Canonicæ.

40 Ampliatur decimoquartò, ut etiamsi ex consuetudine, aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci alijs ad id deputatis ratio reddenda sit, nihilominus cum ijs adhiberi debeat etiam Ordinarius, ut disertis verbis statuitur in fine *d.c.9. sess. 22.* Atque ita privilegium, consuetudo, aut constitutio, quibus alteri quàm Episcopo reddenda est ratio, non sunt quidem funditus sublata à Concilio, sed modificata, ut locum habeant non privativè ad Episcopum, sed cumulativè, Felin. in c. *Pastoralis, in 3. & 5. limitat. de offic. ordinar.* & ita rescripsit S. Congregatio ad sanct. memoriæ Cardinalem Borromæum sub *die 7. Febr.* 1575.

41 Ampliatur decimoquintò, ut quemadmodum Episcopus unà cum deputatis adhiberi debet in ratione reddenda, ita etiam sit adhibendus in liberatione facienda. Unde in causa olim vertente inter Episcopum Cremonen. super fabrica ecclesiæ majoris ejusdem civitatis, cum Sanctissimus ex voto S. R. E. Cardinalium Concilij Trident. interpretum declarasset per hæc forma verba: Decrevit ut Episcopus Cremonensis pro tempore existens adhibeatur in reddenda ratione de fabrica cum alijs ad id deputatis juxta tenorem, & formam dicti decreti *sess. 22. cap. 9.* Contigit dubitari an visis per prædictum Episcopum, & deputatos ipsos singulis annis computis, & rationibus, esset adhibendus idem Episcopus in liberatione ipsa facienda, ut ipse existimabat mentis fuisse Sanctitatis Suæ, & DD. Cardinalium, vel an sufficeret ut interveniret in reddenda ratione, sed deinde liberatio fieret per deputatos solos, ut antea fieri consueverat: & responsum est non sufficere liberationem fieri per deputatos, sed adhibendum esse Ordinarium.

42 Porrò ex sententia S. Congregationis Episcopus habet votum absolvendi, & condemnandi cum cæteris deputatis, & ipsius votum connumerari debet cum voto cæterorum, quorum major pars votorum condemnat, vel absolvit.

43 Nunc fallit primò conclusio superiùs firmata in hospitalibus, & alijs locis pijs, quæ sub immediata Regum protectione existunt. Hæc enim ab Episcopo visitari non possunt sine illorum licentia, ut expresse disponitur in decreto Concilij Tridentini, *cap.8. sess.22.* Verum quomodo hoc sit intelligendum scripsi latissimè in cap. *præced. à n.15 usque in finem*; ibi videas.

44 Fallit secundò si lege fundationis cautum sit, ut hospitale, vel locus pius non subsit Episcopo. Tunc enim Episcopus non potest se ingerere, ut colligitur ex Clem. *Quia contingit, §.1. de Relig. domib.* ibi, vel statuto in ipsorum fundation. locorum apposito. Et tenent in c. *præced.* Jo. Andr. fusè Cardin. *hic in 3. qu.* & hodie est expressum in decreto Concilij Tridentini, *cap.9. sess.22.* ibi, (nisi secus fortè in institutione, & ordinatione talis ecclesiæ, seu fabricæ expresse cautum esset. Quo decreto cum Episcopus excludatur à rationibus exigendis, multò fortiùs excluditur à visitatione, quia amplior facultas Episcopo tribuitur à Concilio in rationibus exigendis, quàm in visitatione, de qua loquitur c.8. immediatè præcedens, ut patebit infra *num.57.*

Ideòque cum administratores Hospitalis Jesu Christi oppidi de Utrera Ispalen. diœcesis à jurisdictione Ordinarii exempti tam ex tenore fundationis, quàm ex privilegijs, & confirmationibus Sedis Apostolicæ, quæsierit an dictum hospitale possit ab Episcopo visitari vigore decretorum Tridentini Concilij; S. Congregatio censuit, si exprimatur in supplici libello in fundatione expresse cautum esse, ne visitet Ordinarius, & adest confirmatio Apostolica; talem fundationem nõ esse sublatam à decreto Concilij, & idem respondit in alia Ossunen.

45 Quamvis autem Sacra Congregatio in prædicta declaratione meminerit confirmationis Apostolicæ; tamen hoc ideo fecit, quia sic contigit in facto, non quia necesse sit ut statutum fundationis excludens Hospitale à visitatione Episcopi approbetur à Summo Pontifice; quoniam ad hoc sufficit Diœcesani consensus, ut tenet glossa communiter approbata in d. Clem. *Quia contingit in 1. responso, in ver. Apposito*, per textum in cap. *Cum dilectus, supra de consuet.* ubi hoc notant glossa, *in ver. Constitutum, vers. Satis tamen credo*, Compostell. Hostien. Jo. Andr. & omnes, fusè Lambertin. *de iurepatr. lib. 1. p.ar. 1. art. 1. q.9. n.52.*

46 Cæterum si Rector, vel minister hospitalis, aut loci pij perperam administrarent, aut redditus nõ converterent in usus, ad quos sunt deputati; tunc posset Episcopus rationes exigere, & administratores compellere ad piam voluntatem fundatoris exequendam, non obstante contraria lege fundationis, textus est in cap. *Tua nobis*, & ibi plenè adnotavi, *de testam.* & patebit infra n. .

47 Fallit tertiò in hospitalibus, & alijs locis pijs Militarium Ordinum, & aliorum religiosorum. Hæc enim Episcopus nec visitare potest, nec à regularibus rationes administrationis exigere, tam ex dispositione juris communis, ut in d. Clemen. *Quia contingit, §. Præmissa, de Relig. domib.* ubi hoc est expressum; quàm ex decreto Concilij Tridentini in *d.c.9. sess.22.* quod de sæcularibus, non
48 de regularibus loquitur. Hinc quibusdam Abbatibus Burgen. quærentibus an *cap.9. sess.22.* comprehenderet eos, ac Abbatissas, & Præpositos monasteria sua in titulum obtinentes, contra regu-

laria eorum instituta, ac liberam administrandi rationem, & immemorabilem consuetudinem: Sacr. Congregatio censuit non comprehendere, quia c. 9. sess. 22. loquitur de administratoribus fabricæ tantum, & non loquitur de regularibus, sed de sæcularibus.

Et rursus consulta an Abbates, Abbatissæ, & Præpositi regulares, qui habent liberam administrationem suarum ecclesiarum ex immemorabili consuetudine, teneantur reddere rationem fabricarum suarum ecclesiarum Episcopo vigore decreti, *cap. 9. sess. 22.* respondit non teneri.

49 Hoc tamen sublimita ut non procedat in hospitalibus Religionis B. Joannis Dei, quia nedum hospitalia, sed & religio ipsa tam ex lege fundationis, quàm ex Constitutionibus Apostolicis subest jurisdictioni Ordinarij loci, & fratres tenentur singulis annis eidem Ordinario reddere rationem administrationis hospitalium, ut scripsi

50 plenè in *c. Tuarum, num. 25. infra de privileg.* Quod si generaliter quæras, an religiosi possint præfici hospitalibus, glossa tenet non posse in d. Clem. *Quia contingit, in ver. Sæcularibus*, quia non reperitur permissum Monachis accipere beneficia nisi curata, cap. *Super eo, de regular.* Quare si hospitale non est curatum, religiosus ei præfici non potest. Et ita etiam respondit Feder. de Senis *cons. 29.* & tenet Paul. in d. Clem. *Quia contingit*, qui tamen hoc limitat, nisi sit hospitale alicujus religionis. Sed Lap. de Castillion. *in repet. cap. prox. supra eod.* distinguit an religio sit instituta ad hospitalitatem, ut S. Antonij Viennensis, & Cruciferorum, & tunc potest religiosus institui, quia nihil obstat. An verò religio non sit instituta ad hospitalitatem; & tunc subdistinguit: nam aut hospitale est annexum ecclesiæ curatæ, & religiosus potest præfici, quia attenditur ipsa ecclesia, quæ est principalis, c. *Extirpandæ, §. Qui verò, de præben.* & c. *Super eo, eod. tit. lib. 6.* Aut hospitale non est annexum; & tunc religiosus ei præfici non potest, & vera est glossa in d. Clem. Et hanc distinctionem Lapi sequitur Cardin. in cap. *præced. num. 4. q. 3.* subdens conversos subjici eisdem prohibitionibus, quibus Monachi, c. *Dubium, de senten. excomm.* sicut & oblatos, c. *Tuarum*, & c. *Ut privilegia*, & quod utrobique notatur *de privileg.*

51 Secunda conclusio negativa est. Hospitale ædificatum, vel ordinatum sine auctoritate Episcopi non efficitur religiosum, vel ecclesiasticum & ideò non subest visitationi, & jurisdictioni Episcopi Diœcesani. Hæc conclusio probatur apertè hic à contrario sensu, & ita per hanc decretalem firmant hic Innocent. Hostien. Jo. Andr. Butr. Card. Abb. & alij communiter, Hostien. *in summa de regul. §. 1. vers. Quid de rusticis*, & Specul. *de statu reg. vers. 36.* Rota apud Farinac. *decis. 30. n. 8. p. 2. recent.* Calderin. *cons. 552. aliàs 25. de testamen.* ubi dicit, Hospitale sine auctoritate Episcopi fundatum esse locum merè prophanum: & idem scripsit Bald. *in cons. 319. Præmittendum est, circa princ. vers. Debebit ergo, lib. 5. & cons. 5. Quidam cives, post. med. lib. 3.* & hujusmodi hospitalia constructa sine Diœcesani consensu non subesse Episcopo consuluerunt etiam Cardin. *cons. 121.* per totum, maximè *num. 2.* Paul. de Castro *cons. 351. Quæritur. lib. 1.* plenè Roman. *cons. 477... num. 14. & seq.* ubi *num. 15.* infert consilium præallegatum Calderin. qui idem tenet.

52 Ampliatur primò hæc secunda conclusio, ut habeat locum etiamsi hospitale hujusmodi sit cū oratorio: nam etsi Vinçent. & Tancred. hic relati à Cardinali *nu. 5.* dicant ad construendum hospitale, cum Oratorio necessarium esse Episcopi consensum: tamen oppositum sentit Innocent. quia unicuique privato licet habere oratorium in domo propria, dummodo non habeat formam ecclesiæ, nec ibi celebrentur Missæ, c. *Unicuique*, & c. *Clericos, de consecr. dist. 1.* & est textus expressus secundum unum intellectum in c. *Inter dilectos, de donat.* ut *hic* per Abb. *num. 6.* & dixi latissimè in c. *In his, infra, de privileg.*

53 Ampliatur secundo, ut in tantum privatus possit sibi construere hospitale in domo propria sine authoritate Episcopi, ut etiam possit tractu temporis lectos inde amovere, & hospitale ad usus profanos reducere. Ad hoc d. cap. *Inter dilectos*, & quod ibi notat Innocentius, latè Cardin. *cons. 121. num. 3.* Paul. de Castro *d. cons. 351. in princ. lib. 1.* Quod tamen intelligit Abb. *hic num. 4.* ut procedat quoad eum tantum, qui Hospitale ædificavit, seu ordinavit. Sed eo mortuo non putat posse hospitale in usus profanos converti, per textum in Authen. *de eccles. tit. §. Si quis ædificationem.* Et hanc distinctionem alias probavit S. Congregatio Concilij, ut dixi in c..

54 Ampliatur tertiò eadem conclusio, ut procedat non tantum in hospitalibus, sed etiam in omnibus pijs locis, quæ nisi constructa fuerint auctoritate Episcopi, non subsunt illius visitationi; nam etsi decreto Concilij, *cap. 8. sess. 22.* statutum fuerit, ut Episcopi habeant jus visitandi omnia pia loca, etiamsi illorum cura ad laicos pertineat; tamen ibi adjiciuntur verba, In casibus à jure concessis, necnon illa, Juxta sacrorum canonum statuta, quæ restringunt dispositionem ad limites juris communis. Unde sicut loca pia non religiosa, seu ecclesiastica non subsunt Episcopo de jure communi, ut hic; ita nec post Concilium. Unde in declarationibus generalibus Sac. Congregationis Concilij ad cap. 8. reperitur infrascripta, videlicet: Ordinarius non habet auctoritatem visitandi hospitalia, neque confraternitates, quæ à laicis reguntur, nisi in casibus à jure expressis, & *c. 8. sess. 22.* Concilij Tridentini intelligitur, & habet locum solūmodo in casibus à jure communi permissis.

55 Fallit nunc hæc secunda conclusio pluribus modis. Et primò fallit mortuo patrono hospitalis, quia licet locus non sit religiosus, tamen cum fuerit causa pietatis institutus, dicitur locus pius, & ideò spectat ad sollicitudinem Episcopi, ut pia fundatoris voluntas executioni demandetur, de quo videtur textus in *authen. de eccles. tit. §. Si quis autem pro redemptione*, & tenet Abb. in c. *prox. supra eod. n. 3. vers. Quod puto verum*, Roman. *consil. 477. n. 2.* Paul. de Castro *cons. 167. n. 4. usque in fin. lib. 2.* Gabriel. *commun. conclus. tit. de pia causa, concl. 2. n. 2. vers. In contrarium*, Menoch. *de recuperan. remed. 15. num. 22. 23. 36. & 37.* quidquid contra scripserit Angel. *cons. 117. col. 2. vers. Sed dubitari, usque in finem.* Cujus opinio videtur hodie reprobata ex decreto Concilij Tridentini, *c. 9. sess. 22.* ut ex sequentibus patebit.

56 Fallit secundò si Episcopus intendat visitare hospitale ad hoc ut videat an impleatur mens testatoris, cap. *Tua nobis, de testam.* Feder. de Sen. *cons.*

cons. 11. n. 3. ubi dicit, (Si dubium sit an in constructione hospitalis intervenerit auctoritas Episcopi, necne, præsumi intervenisse, si habeat signa loci ecclesiastici. Et nihilominus etiamsi certum esset eam non intervenisse, tamen cum ibi degentes sint personæ miserabiles, censentur esse sub protectione ecclesiæ, ut in c. 1. *de eccles. ædifican.* & ibi per glos. & Innocen. qui dicit collegium leprosorū videri religiosum. Unde ad sollicitudinem Episcopi pertinet videre, inquirere visitare ne bona illius deputata ad usum miserabilium consumentur; maximè cum bona præsumantur provenisse ex largitionibus, & eleemosynis fidelium.] Hæc Feder. quem multoties sequuta est S. Congregatio Concilij. Et in specie, Testator quidam Tervilij jussit ut ex suis bonis hospitale erigeretur, in quo exerceretur pauperum hospitalitas à duobus hominibus ab Universitate Tervilij huic administrationi præficiendis. Hospitali ita erecto absq; ullo Episcopi interventu verè, vel præsumptivè, Administratores sunt ab Universitate quotannis constituti, qui transacto administrationis tempore, alijs electis administratoribus futuri anni rationem reddunt administrationis, numquam adhibito Ordinario, qui nec etiam hospitale ipsum unquam visitavit. Cardinalis Borromæus illud visitare prætendens transmisit monitorium deputatis administratoribus, ac recusantes, & appellantes excommunicavit, & hospitalis scripturas sequestravit. His omnibus in S. Congregatione deductis, & propositis, responsum est hospitale hoc esse privatum; posse tamen ex decreto Concilij *sess. 22.* illud visitare, corrigere, & reformare in ijs tantum, quæ ad observandam voluntatem fundatoris pertinent.

57 Fallit tertiò quoad rationes administrationis exigendas. Nam etsi hospitalia, & alia hujusmodi loca sine auctoritate Episcopi constructa sint privata, non autem religiosa, seu ecclesiastica; tamen cum sint loca pia, potest Episcopus ab illorum administratoribus rationes administrationis exigere, non quidem de jure communi, sed ex Concilio Tridentino in *d. c. 9. sess. 22.* Nam decretum illud non restringitur ad casus à jure concessos, sicut restringitur c. 8. immediatè præcedens quoad jus visitandi; sed loquitur generaliter, & indistinctè, & excipit tantummodo casum, cum in fundatione cautum est, ut Episcopus non possit rationes administrationis exigere. Unde prædictum cap. 9. habere locum etiam in casibus non permissis à jure sæpius respondit S. Congregatio, & in specie ita resolvit in casu Teruilij Mediolanen. diœcesis, ut in præcedenti fallentia: nam etsi declaraverit hospitale illud esse privatum utpotè constructum sine auctoritate Episcopi diœcesani; tamen declaravit Cardinalem Archiepiscopum ex *d. c. 9. sess. 22.* auctoritatem exigendi redditionem rationis ab illius administratoribus, una tamen cum illis deputatis, quibus ex consuetudine ratio reddenda est.

Amplius idem Cardinalis S. Praxedis petijt declarari an per *c. 9. sess. 22.* Concilij Tridentini liceat Ordinarijs exigere rationem ab administratoribus piorum locorum merè laicorum, & privatorum; & licet ex mente dicti decreti, quod absolutè, & sine ulla distinctione loquitur, pro Ordinarijs crederet respondendum; tamen cautius agendo declarationem S. Congreg. expectare voluit, S. Congregatio censuit *c. 9. sess. 22.* intelligi etiam in casibus à jure non expressis. Et aliàs generaliter declaravit decretum d. cap. 9. habere locum etiam extra visitationem, & in casibus à jure non expressis, & licere Episcopis exigere rationem ab administratoribus de omnibus locis pijs etiam locorum merè laicorum, & privatorum, vel publicorum, generaliter sive ecclesiastica sint, sive prophana sine ulla distinctione.

58 Hoc tamen sublimita, ut non procedat si ex lege fundationis Episcopus esset exclusus à facultate exigendi rationes. Hanc enim fundationem Concilium Trident. non sustulit, imò expressè præservavit in *d. c. 9. sess. 22.* ibi, (Nisi secus fortè in institutione, & ordinatione talis ecclesiæ, seu fabricæ expressè cautum esset.) idest nisi in fundatione esset dispositum, ut ratio administrationis nec Ordinario esset reddenda: hoc enim insinuat verbum, *expressè*, prout illud intellexit Sacra Congregatio.

59 Verumtamen si administratores hospitalis, vel alterius pij loci etiam sine Ordinarij auctoritate fundati, essent negligentes in exequenda pia voluntate fundatoris, aut infideliter administrarent, posset Episcopus rationes exigere, eosque compellere ad exequendam fundatoris voluntatem, etiamsi fundator hoc prohibuisset, ut est casus in cap. *Tua nobis, de testamen.* & *in authen. de eccles. tit. §. Si quis autem pro redemptione*: & ita sæpius declaravit Sacra Congregatio, ut scripsi plenè in prædicta decretali, *Tua nobis, in 4. notab. à num. 12. usque ad num. 18.*

60 Quod si quæras quam pœnam incurrant administratores, qui ecclesiarum, hospitalium, aliorumq; piorum locorum reditus, qui in ministrorum, & pauperum necessitates converti debent, in suos usus convertere, & usurpare præsumunt; Respondeo tamdiu subjacent anathemati, quamdiu reditus, quos occupaverint, integrè restituerint, ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerint, ut disertis verbis statuitur in decreto Concilij Trident. *cap. 11. sess. 22.*

61 QUÆRO de quæstione facti. Posito statuto Universitatis, ad quam spectat administratio bonorum ecclesiæ circa conversionem redituum, in ecclesiæ utilitatem, & circa reddendas rationes administrationis. An Universitas prædicta, seu illius officiales, qui pecunias ad ecclesiam spectantes mutuarunt eidem Universitati ad emendam annonam, aliasque illis indigentias sublevandas, inciderint in excommunicationem *cap. 11. sess. 22.* Concil. Trid.

62 Videtur respondendum excomunicationem, de qua in Concilio Trident. *sess. 22. c. 11.* non comprehendere nedum Universitatem ipsam, sed nec illius officiales, præmissa conclusione glossæ 1. in Clem. 1. *de consang. & affinit.* videlicet in materia excomunicationis strictè procedendum, nec faciendam extensionem; & cum sit pœna privans hominē tot bonis, non debere induci nisi in casibus in jure expressis, ex glo. *penult. c. fin. de iurepatron.*

63 Et quidem quod ad communitatem ipsam spectat eam sub dispositione d. cap. 11. non comprehendi suadetur, ponderando Concilium loqui per verbum, *Si quem*, quod extenditur ad Universitatem, Abb. in cap. *Novit, num. 2. de his quæ fi. à Prælat. sine consen. Capit.* Ratio est, quia hoc relativum, *quis, quem*, refertur ad hominem, ut notat

Alciatus in l. 1. *ff. de verbor. signif.* seu ad personam,
64 ut ante ipsum adnotavit Cardin. in Clem. 1. *qu. 1. de elect.* Sed communitas, seu universitas non est nisi persona ficta, & repræsentata, l. *Mortuo*, & ibi glos. *ff. de fidejussor.* Ergo in materia stricta sub hoc relativo, *qui*, non venit universitas, *l. 3. §. Hæc verba, ff. de negot. gest.* ut etiam tradit Rebuff. d. l. 1. *in ult. fallen. prima regula.*

65 Quibus adjicitur quod Concilium dicto relativo; *Si quem*, personam repræsentanti addit hanc qualitatem, clericorum, seu laicorum; quæ qualitates cum non conveniant universitati, sequitur ut nec sub decreto comprehendantur, ut in simili scripsit Cardin. in d. Clem. 1. *de consang. & affinit.*

66 Deinde hoc ipsum suadetur, quia jura canonica prohibent ne in universitatem excommunicatio proferatur, cap. *Romana. §. In universitatem, de sent. excomm. in 6.* Ergo non est verisimile, ut Concilium voluerit d. cap. 11. eamdem excommunicationi supponere, nec etiam secundum modos traditos à Doctoribus in d. cap. *Romana.* Unde quamvis excommunicari possit universitas à Papa vel Concilio, ut fusè probavi in cap. *Responso à num. 75. infra. de senten. excomm.* Non tamen inde sequitur ut eadem in hoc casu à Concilio excommunicationi supponatur: imò potius dicendum est Concilium noluisse universitates subjicere huic excommunicationi, tum ex supradictis; tum quia recipere debet interpretationem passivam à jure communi ad *l. 2.* cum ibi notatis per Bald. *C. de noxal.*

Quod attinet ad particulares delinquentes, ut sunt ipsi officiales, idem respondendum videtur ex infrascriptis. Primò, quia dicti officiales nihil horum fecerunt, quibus Concilium excommunicationis pœnam annectit: nam Concilium excommunicat tantum illos, qui bona, & obventiones ecclesiarum, & piorum locorum in proprios usus convertendo usurpare præsumunt. Quæ verba cum non conveniant casui proposito, sequitur ut nec dispositio sit eidem applicanda, l. 4. *§. Toties*, & ibi glos. *ff. de damn. infec.* Nam etiamsi dicti officiales mutuaverint communitati pecunias ad annonam vendendam, ad aliasque ejusdem indigentias sublevandas: tamen quia ita mutuatæ fuerunt, ut communitas teneretur easdem restituere, prout fecit: propterhoc nec communitas, nec prædicti officiales dicuntur obventiones ad ecclesiam spectantes ita sibi usurpasse, ut in
67 suos converterint usus. Quod enim debet restitui, non dicitur propriè in mei usum, utilitatemve conversum, l. *Si pro parte, §. Versum autem, ff. de in rem verso*, ubi glos. adducit concordantes. Facit l. *Non videtur cepisse*, & l. *Non videtur quisquam id capere, ff. de regul. jur.* Videtur enim Concilium voluisse excommunicare eos, qui prædicta bona sibiipsis appropriare præsumunt, cap. *Quia Sacerdotes, 11. quæst. 1.*

68 Secundò excommunicatio juris semper supponit peccatum mortale adesse, adeout nisi adsit, nec ibi habeat locum jus excommunicans, cap. *Nemo, Episcoporum, 11. q. 3.* ibi: [Anathema est æternæ mortis damnatio, & nonnisi pro mortali debet imponi crimine.] Navarr. *in Manual. cap. 27. num. 9.* Prædicti autem officiales non videntur mortaliter peccasse; siquidem universitati laicorum potest demandari administratio similium oblationum, modò eas sibiipsis non vendicent, sed in pios usus convertant, ut per Dec. *cons. 148.* Et fuisse Universitati sic demandatum satis præsumitur ex antiquissima observantia subsequuta, ut per Dec. loco citato. Unde cum saltem mortaliter non peccaverint dicti officiales, neque ipsi, neque alij ex Universitate excommunicationi prædictæ censentur suppositi.

69 Nec obstat quod imò peccaverint, dum dictum statutum, quod uti justum in utilitatem ecclesiæ factum ab ipsis revocari non potuit, ex Decio, in cap. *Ecclesia S. Mariæ, in princ. de Constit.* non servaverunt. Nam responderi potest primò fortè dictam regulam procedere in his, quæ sunt concessa ecclesiæ in vim privilegij, seu contractus; non autem si sint concessa in vim legis, vel Statuti, ut fuit in casu nostro, Abb. in c. *Novit, num. 25. de judic.* Sed quia oppositum tenet ibi Innoc. n. 6. Archid. in c. *Quicumque, 11. q. 1.* Jo. Andr. in c. *Constitutus, infra eod.* & alij plerique.

Respondetur secundo eandem regulam procedere quando statutum jam habuit effectum; secus si non habuit, puta quia non fuit usu receptum, quia non obligat, c. *In istis, 4. dist.* cap. 1. ubi glos. & DD. *de treug. & pac.* Unde nec opus est ut agatur de illius revocatione, cum per non usum sit abrogatum, ut in d. cap. *In istis, §. Leges*, ubi id notant glos. & Doctores.

70 Tertiò, Esto prædictis officialibus nõ licuisset prædicta facere, cum non haberent verè dictam facultatem, & factum ipsorum esset in se damnabile: attamen prædicta consuetudo eos excusaret saltem ab excommunicationis pœna, ex his quæ fusè cumulat Tiraq. *de pœnis cons. 42.*

71 Quartò, Etsi prædicta officiales non excusarent, adhuc tamen ipsi eximerentur à pœna excommunicationis Concilij, quod non excommunicat quosvis, sed præsumentes tantùm, per quod verbum ut notat Cardin. communiter receptus in Clem. 1. *q. 39. de privileg.* Qui ex simplicitate aliquid faciunt contra legem excommunicantem, excusantur; quod autem prædicti homines supradicta ex simplicitate, & bona fide fecerint, vel ex eo patet, quod omnia prædicta publicè fecerunt. Cui doctrinæ si addantur quæ ponit Tiraq. *ubi supra cons. 43.* dum vult omnem causam etiam non rationabilem excusare: concludetur prædictos homines excusandos, qui sicut simplices, juris ignari, ac tamquam pecudes eos qui præcedebant, bona fide incitati, subsequuti sunt. Non obstat id quod ex Angelo, Imola, & Flor. contra prædictos adducitur ad probandum eosdem fuisse prædones, ac dolosos, seu fures, qui hujusmodi pœnas
72 effugere non possunt: nam respondetur prædictas authoritates, quæ fundantur super l. *Pomponius, §. Ex facto, ff. de acquir. possess.* intelligi debere non de omni administratore, qui res sibi comissas in suos convertit usus; sed de illo qui clam, & per fraudem voluit decipere, & fraudare suos principales. Et ita probat ille textus, ac etiam Imola, qui cum alijs adductis ita est intelligendus. Prædicti autem officiales esto in alijs deliquissent; non tamen voluerunt defraudare ratione administrationis, super qua fraude, & occulta deceptione fundat se Jurisconsultus in d. §. *Ex ratione.* Præterea quatenus etiam fuissent prædones quoad aliquid; tamen non sequitur ut sint tales, quales Concilium excommunicat.

Quod

73 Quod si adhuc instetur, imò ipsos officiales fuisse fures, dum dictis pecunijs in alium finem, & ad alium effectum usi fuerunt, quàm esset is, ob quem penès ipsos dictæ pecuniæ deponebantur, cum à ratione usus fiat furtum, instit. *de furt. in princ. & §. Furtum autem.*

Respondetur primò Concilium non excommunicare eos, qui peccant circa usum rei, salva remanente re; sed eos, qui sibiipsis rem appropriant privando ecclesiam ipsa re.

Secundò respondetur ea loca procedere in eo, qui fraudulenter re aliena utitur, ut ibi habet textus, & notat glos. *in ver. Fraudulosa*, quæ infert, ut si hoc faceret quis non fraudulosè, sed bona fide putans sibi licere, vel domino non displiciturum; non committeret furtum, prout fuit in casu nostro; quippe potuerunt credere dicti officiales ecclesiam interrogatam permissuram, ut dictam pecuniam otiosam darent communitati egenti.

Quibus accedit quod prædicta videntur fortè procedere in illo usu, qui est pretio æstimabilis, ut colligitur ex glossa *in ver. Usu.*

Postremò tametsi ratione abusus furtum commisissent, non tamen propterea in excommunicationem incidissent: nam S. Congregatio alias declaravit eos, qui tanquam fures bona ecclesiarum surripiunt, non incidere in pœnam dicti cap. 11. sed ad juris præscriptum esse puniendos. Ex quibus dicti homines videntur simpliciter admonendi, ut de cætero cautius agant, & à similibus abstineant.

De Religiosis domibus.

Cap. Inter quatuor.

SUMMARIUM.

1 *Religiosus locus debet reformari de religiosis dumtaxat, non de sæcularibus, nisi in defectu religiosorum.*

2 *Monasterium regularium, nullus citra Papam potest ad statum sæcularem reducere etiamsi in eo regularis disciplina sit collapsa, sed reformari debet per ipsosmet regulares.*

3 *Quod locum habet tam in monasterijs Monachorum, quàm Canonicorum regularium, & aliorum religiosorum.*

4 *Monasterium reduci potest ad statum sæcularem, cum non reperiuntur regulares, qui possint illud reformare.*

5 *Et qui gradus in hoc sint reservandi.*

6 *Monachi præeminent in contemplatione, clerici in prærogativa officiorum.*

7 *Monasterij Sancti Victoris Massilien. sæcularizatio denegatur in Sacra Congregatione rerum Consistorialium.*

8 *Otho Imperator monetur ab Apostolo ne monasterium Sancti Pauli de urbe ad statum sæcularem reducat.*

9 *Monasterio Sancti Vincentij Meten. Ordinis Sancti Benedicti sæcularizatio denegatur.*

10 *Arces, propugnacula, & hospitationes militum non sunt justa causa sæcularizandi monasteria regularium.*

11 *Monasteria, in quibus ali non possunt tot religiosi, qui sufficiant pro regulari observantia, statim transferri possunt ad statum sæcularem.*

1 INTER QUATUOR. Locus religiosus debet reformari de religiosis dumtaxat, non de sæcularibus, nisi in defectu religiosorum. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Cardin. Abb. & Jo. de Anan. Distinguit duo membra, & secundum prosequitur ibi, *Sed si:* & pars hujus c. *Inter quatuor, de cleric. peregr. de maior. & obedient. & de cler. non resident.*

2 Nota ex hoc text. regulam, & casum ab eo exceptum: regula est quod nullus citra Papam potest monasterium regularium ad statum sæcularem reducere, etiamsi in eo regularis disciplina sit collapsa, sed reformari debet per ipsosmet regulares, ut in prima parte textus. Concordat c. *Pervenit, il secondo, 18. quæst. 2.* cap. *Quæ semel dedicata sunt monasteria. 19. qu. 3.* cap. *Relatum, Ne cler. vel Monach.* cap. *Possessiones, de rebus ecclesiæ non alien.* & cap. *Ex qua, de stat. Monach.* hic alleg. in glos. *unica.*

Rationem hujus regulæ assignant nonnulli, quia quæ semel Deo sunt consecrata, mundanis usibus deputari non debent, ut legitur, & notatur in cap. *Ad hæc, supra eodem.* Sed hæc ratio non placet Hostiensi *hic num. 2.* Quia clerici sæculares non sunt insacrati, imo sunt Dei milites, cap. *Eò libentiùs, de serv. non ordin.* Ratio igitur est, ne in via Dei, in qua de virtute in virtutem ascendendum est fiat descensus, sed potius ascensus, l. *Ut gradatim, ff. de muner. & honorib.* cap. *Legimus, in fin. 93. dist.* cum concord. *hic* allegatis per Hostien.
3 *in princip.* Cum quo transeunt Jo. Andr. *num. 1.* Abb. *in 1. notab.* & alij communiter. Et cum ratio generalis sit ad omnes regulares, consequens est, ut proposita regula locum habeat non tantum in monasterijs Monachorum, de quibus loquitur hæc Decretalis, sed etiam Canonicorum Regularium, & aliorum religiosorum, prout firmant Hostien. & Jo. Andr. *loco citato.* Card. *num. 2.* & Jo.
4 de Anan. *in primo notab.* Casus à regula exceptus est cum regulares non reperiuntur qui possint monasterium reformare; tunc enim potest reduci ad statum sæcularem, ut patet in littera ibi, *Sed si regulares defuerint:* & notant Abb. *hic num. 1. vers. Casus exceptus*, Jo. Andr. Butr. Card. & omnes *in summario textus.*

6 Oportet tamen in hoc servare certos gradus cum hæc littera indefinitè dicat, quando per regulares: ut scilicet reformetur locus religiosus per regulares ejusdem monasterij. Secundò in eorum defectum per regulares districtioris vitæ aliorum monasteriorum ejusdem ordinis. Tertiò, ijsdem deficientibus deveniatur ad regulares alterius ordinis; & ad extremum in defectum omnium regularium instituantur ibi clerici sæculares, quia necessitas legem non habet. Et in hoc ultimo casu servanda erit exceptio hic posita in 2. membro, quem ordinem posuit hic glos. *unica*, & Hostien. *num. 2. in verb. Defectum*, & distinctius Joann. Andr. *eod. num. in verb. Ordinari.* Butr. *num. 4.* Cardin. *in fin.* Abb. *num. 1. vers. Oportet tamen*, & Joann. de Anan. *num. 2. vers. Et considero*, Henric. Boich. in cap. *Ad audientiam, il secondo, de eccles. ædificand. circa med. vers. Aut quæro utrum è contra.*

Nec

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nec obstat si dicatur: Monasterium videtur potius debere, & posse converti in ecclesiam sæcularium, quàm è converso: nam cœtus clericorum præeminet, cap. *Legi*, 7. q. 1. Quoniam secundum Laurentium uterque præeminet alijs diversis respectibus: nam Monachi præeminent in contemplatione, clerici in prærogativa officiorum, ut notat Archid. in cap. *Si Episcopus unam*, 12. q. 2. num. 2. & sequitur Henric. Boich. in d. cap. *Ad audientiam, in fin.*

Et per prædicta in Sac. Congregatione rerum Consistorialium habita *die* 17. *Decemb.* 1648. rejecta fuit supplicatio Monachorum monasterij S. Victoris Massiliensis Ordinis S. Benedicti, qui petebant sæcularizationem dicti monasterij, & reductionem Monachorum ad statum Canonicorum sæcularium: nam etsi in eo monastica disciplina plurimum esset collapsa, tamen cum dicatur esse caput Congregationis, & inter cæteras Abbatias, & Prioratus à se dependentes habeat quatuor monasteria aggregata, & unita Congregationi Sancti Mauri ejusdem ordinis, in qua benedicente Domino regularis observantia præclarè, & mirificè per totam Galliam instaurata est; & sic non desint Monachi ejusdem ordinis, qui possint hujusmodi monasterium reformare, non est aliquatenus ad sæculares clericos transferendum, ut hic pater, & in concordantibus supra citatis n. 2. Quod si per Monachos ejusdem ordinis reformari nō posset, tunc illis ejectis fratres alterius ordinis in illud essent inducendi, ut labores impiorum justi edant, dicit textus in d. cap. *Relatum, ne cler. vel Monach.* nec clerici sæculares essent in eo instituendi, nisi in defectum omnium Regularium, secundum gradus, quos supra distinximus, *num.* 5.

8 Fuit etiam ponderatum quod refert Cardinalis Baron. *ad annum Christi* 996. in hæc verba. (Contigit ipso in tempore ut Imperator Otho III. ad quorumdam suggestionem Monachos pravè degentes in ecclesia, & monasterio Sancti Pauli de Urbe expellere cogitaret, ut Canonicos in eodem loco servituros, prout ei suggestum fuerat, substitueret. Cum hoc appeteret implere decretum, apparuit, ei noctu per visum Beatissimus Apostolus Paulus atque eundem Imperatorem hujusmodi monere curavit: Si verè inquit, zelus divinæ servitutis optimi operis te adurit, vide ne hujus propositi institutum præsumas in Monachis immutare expellendis; non enim expedit cujusque ecclesiastici ordinis, quamvis ex parte depravati, propositum unquam abjici, seu immutari; In eo namque unusquisque judicandus est, in quo se primo vovit Deo servire. Reemendari enim tantum licet corruptio cuique in eadem propriæ vocationis sorte. Taliter monitus Imperator retulit suis quæ audierat ab Apostolo, curamque agens qualiter eorum institutum, scilicet Monachorum, quivisset in melius reformare, non expellere à loco.) Hæc Baronius.

9 Demum omissis alijs ponderatum fuit exemplum monasterij S. Vincentij Metensis civitatis ordinis S. Benedicti, de quo in litteris fel. recor. Urbani VIII. tenoris infrascripti videlicet (Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilecti filij moderni Præsidentis, & Visitatoris Congregationis SS. Vittoni, & Nidulphi ordinis S. Benedicti, quod Monachorum monasterij S. Vincentij Metensis civitatis ejusdem ordinis eò usque devenit morum relaxatio, ac vita scandalosa, ut Religiosæ observantiæ immemores sæcularem statum anhelare, illumque à Sede Apostolica postulare non erubuerint, maximo cum scandalo totius civitatis, cum gravi dispendio temporali, & spirituali monasteriorum dictæ Civitatis, & ordinis in hoc interesse habentis, & contra mentem fundatoris dicti monasterij, quibus, & alijs gravioribus causis mota Sedes Apostolica præfatam sæcularitatem hujusmodi eis denegavit. Quia verò indecens est habitum gestare religiosum, & dissimilem ab eo vitam ducere: Idcirco Præsidens, & Visitator præfatus de dictorum Monachorum salute, regulari observantia, ac rei divinæ augmento sollicitus laudabilem vitæ reformationem ad instar aliorum in primo dictum monasterium nostro, & sedis ministerio introduci cupiens, Nobis humiliter supplicari fecit, ut supra præmissis ut infra de benignitate Apostolica opportunè providere dignaremur. Nos igitur dicti Præsidentis, & Visitatoris votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotijs Regularium præpositorum consilio fraternitati tuæ frater Episcope, qui, ut accepimus venerabilis fratris Episcopi Metensis suffraganeus in præsens existis, ac discretioni vestræ filij Cantor, & Archidiacone, & vestrum cuilibet per præsentes committimus, & mandamus, ut prædictum monasterium S. Vincentij Metensis, ejusque religiosos auctoritate nostra omni appellatione remota visitetis, seu aliquis vestrum visitet cum facultate illos citandi ad comparendum coram vobis, aut vestrum quolibet, sub excommunicationis, privationis officiorum, & dignitatum, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, examinandi abusus, & vitam scandalosam corrigendi, & in dicto monasterio S. Vincentij Metensis propositam reformationem introducendi, prout in monasterijs S. Arnulphi, & Clementis ejusmodi civitatis introducta reperitur. Si verò prior, & Monachi professi præfati monasterij reformationem hujusmodi admittere renuerint, vos, & vestrum quilibet Religiosos reformatos Congregationis prædictæ SS. Vittoni, & Nidulphi in possessionem dicti monasterij omniumque bonorum, & redditum mensæ Conventualis illius, quam ab Abbatiali nunc separatum Monachi dicti monasterij S. Vincentij possident, immittatis, seu quilibet vestrum immittat, Monachosque ipsam reformationem recipere recusantes ab eodem monasterio dimittatis, seu quilibet vestrum dimittat, suscepto per eos habitu clericorum sæcularium, ac singulis eorum arbitrio vestro congrua fructuum portione assignata pro illorum sustentatione illorum vita durante. Novitios verò juxta eandem reformationem professionem emittere faciatis, seu quilibet vestrum faciat, vel si renuerint, è monasterio ejiciatis, seu quilibet vestrum ejiciat, mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ Monachis dicti monasterij S. Vincentij Metensis, illiusque Superioribus, & personis quibuscumque, ut vobis, & cuilibet vestrum in præmissis omnibus, & singulis promptè pareant, & obediant, vestraque salubria monita, & mandata suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procu-

rent.

rent, alioquin sententiam, sive pœnam, quàm ritè tuleritis, seu statueritis, seu quilibet vestrum tulerit, seu statuerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem, ut si quæ graviora in hujusmodi visitatione reperietis, seu aliquis vestrum repererit, necnon informationes omnes desuper sumendas sub vestro, vel cujuslibet vestrum sigillo clausas ad Nos quam primum diligenter transmittatis, seu aliquis vestrum transmittat, & quicquid in illis statuendum fuerit, matura consideratione adhibita determinabimus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac monasterij S. Vincentij Metensis, & ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis monasterio S. Vincentij Metensis, illiusque Monachis, Superioribus, & personis prædictis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, & aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris die 13. Octobris 1634. Pontificatus nostri año duodecimo.)

10 Nec visæ fuerunt relevantes rationes per Monachos adductæ. Nam quoad propugnacula, & turres, & hospitationes militum in eodem monasterio, multa sunt alia monasteria quæ subjacent huic incomodo, & in individuo in Congregatione S. Mauri extant monasteria Sancti Michaelis in Periculo maris in Normandia, Sancti Andreæ de Villa nova è regione Auenionis, & Sancti Honorati Lerinensis in Provincia, & in Congregatione SS. Vittoni, & Nidulphi ejusdem ordinis est monasterium Sancti Vittoni in Civitate Verdunen. intus quod constructa est arx, quam appellant la Cittadella, & Monachi seorsim habitant in suo claustro. Unde sic fieri poterit in monasterio S. Victoris, cum habeat ampla ædificia. Nec talis videtur justa causa illud reducendi ad statum sæcularem, cum præsertim hoc insigne sit monasterium, & supra mille annos erectum, & in eo requiescat corpus Beati Pontificis Urbani V. Monachi ejusdem monasterij, qui inibi sepeliri voluit in habitu monastico; sæcularizatio à centum annis, & amplius à Monachis petita fuit semper denegata per Sedem Apostolicam. Item verendum esset ne hoc exemplo alij quoque regulares eandem sedem inquietarent pro similibus sæcularizationibus obtinendis. Olim similiter petebatur, ut in monasterio Sancti Dionysij Parisiensis ejusdem ordinis plurimum depravati Canonici sæculares instituerentur, sed tandem in eo per monachos Congregationis Sancti Mauri regularis vita, observantia, & reformatio exactè introducta est cum ædificatione totius Galliæ.

11 Limita nunc notabiliter regulam superius propositam *n.* 2. qua firmatum est monasteria non esse transferenda ad Clericos sæculares, sed esse reformanda per ipsosmet regulares ejusdem, vel alterius Ordinis, ut locum non habeat in monasteriis in quibus vel ob redituū tenuitatem, vel ab aëris intemperiem, vel ob infestationes flagitiosorum hominum, vel aliam ob causam actu non sustentantur, nec sustentari possunt tot Religiosi quot sufficiant ad observantiam Regularis disciplinæ. Talia enim monasteria, cum sint incapacia reformationis, statim transferri possunt ad statum sæcularem, nec servandi sunt gradus, de quibus supra *n.* 5. ut plenè probavimus in c. *Relatum, à nu.* 8. *usque ad n.* 21. *infra Ne Clerici, vel Monachi*, & propterea san. mem. Innocentius X. suppressit, & ad statum sæcularem reduxit parvos ejusmodi conventus in tota Italia, & insulis adjacentibus, ut in ejus Bulla, quæ incipit *Instaurandæ*, edita *anno* 1652. *idibus Octobris*, cujus tenorem unà cum historia totius rei gestæ retulimus in prædicta Decretali relatum, *à num.* 41. *usque in finem.*

1 CONSTITUTUS. Ecclesia sita in diœcesi Episcopi, tenetur ei in Episcopalibus respondere, nisi appareant remissa, & potest Episcopus remittendo spiritualia censum sibi retinere. Hoc dicit secundum Jo. Andr. collect. Bellam. Butr. Cardinal. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. sunt duæ partes in prima facti, vel causæ narratio. In secunda ipsius diffinitio, ibi, *Cum autem.* Prima subdividitur in tres, in quarum prima actoris petitio: in secunda ibi, *Verum*, Reorum defensio: in tertia ibi, *Cæterum*, actoris replicatio, & est pars c. *Constitutus, infra de pœn.*

Pro intelligentia hujus textus vide quod scripsi in c. *Cum pridem, num.* 38. *sup. de pactu.*

De Religiosis domibus,

Cap. Cum dilectus.

SVMMARIVM.

1 *Monasterium subiectum est Episcopo, in cuius diœcesi situm est, nisi probetur exemptum, & num.* 12.

2 *Nuncius, & Procurator in quibus differant.*

3 *Nuncius simplex non admittitur ad agendum, vel defendendum.*

4 *Procurator si faciat aliquid ut Nuncius, non valet quod agitur.*

5 *Et factum à Nuncio an possit validari ratihabitione.*

6 *Nuncius est veluti organum, & pica domini sui.*

7 *Et confert verba in personam domini, eique acquirit directè.*

8 *Substituere prohibitus potest explicare per Nuncium.*

9 *Procurator substantiat contractum in se, licet procuratorio nomine; & domino cedere tenetur.*

10 *Sententia censuræ lata post appellationem etiam extraiudicialiter interpositam est ipso iure nulla.*

11 *Sententia in exemptum lata non valet ex defectu iurisdictionis.*

Dia-

12 *Diœcesis tota est unum corpus, cujus caput est Episcopus.*
13 *à Capite non decet membra discedere.*
14 *Exemptionem monasterij allegans, probare debet, dummodo ante Episcopus probaverit illud intra suæ diœcesis fines existere.*
15 *Praxis procedendi cum controvertitur, inter Episcopum, & inferiorem ad quem spectet iurisdictio in aliquo territorio.*
17 *Monasteria ferè omnia in Congregationem redacta exempta sunt à iurisdictione Episcopi etiam in tribus casibus*, cap. Volentes, de privileg. in 6.
18 *Nisi illis cura animarum immineat personarum sæcularium.*
19 *Abbatia de Balneo an sit nullius diœcesis, vel exempta, & an Episcopus Burgi S. Sepulcri possit iure Ordinario illam visitare, & num. seq. usque in finem.*
20 *Status dictæ Abbatiæ consideratur iuxta tria tempora.*
21 *Nullius diœcesis status non constituitur nisi procedatur per viam dismembrationis territorij.*
22 *Pontificalia in aliena diœcesi ab Episcopo exerceri non possunt.*
23 *Territorium proprium non fit inferioris Prælati, nisi tam ipse, quàm Clerus, & populus eximatur à iurisdictione Episcopi.*
24 *Census solutio subiectionem arguit.*
25 *Causæ matrimoniales exigunt maiores Iudices, nec sunt tractandæ ab inferioribus Prælatis sine speciali concessione.*
26 *Prælatus inferior non constituitur in statu nullius diœcesis, nisi habeat in loco omnimodam iurisdictionem Episcopalem, vel quasi excluso Episcopo.*
27 *Et sit liberatus etiam à iure reverentiali.*
28 *Enunciativæ infra centum annos non dicuntur antiquæ, nec probant saltem contra tertium.*
29 *Enunciativæ elidantur contrarijs præsumptionibus.*
30 *Res inter alios acta inducit saltem præsumptionem contra tertium.*
31 *Et secundum aliquos facit semiplenam probationem.*
32 *Ecclesiæ Regulares Curatæ, in quibus viget regularis observantia, visitari non possunt ab Episcopo iure delegato, sed iure ordinario tantum.*
33 *Visitare potest Episcopus proximior ut Sedis Apostolicæ delegatus ecclesias nullius Diœcesis sæculares, non autem regulares.*
34 *Visitatio censetur facta iure Ordinario, quando fieri non potest iure delegato.*
35 *Castrum de Balneo exemptum est à iurisdictione Episcopi Burgi S. Sepulcri.*
36 *Iurisdictio Episcopalis ex quibus censeatur translata in inferiorem Prælatum privativè ad Episcopum.*
37 *Dictio*, omnimodè, *quid importet.*
38 *Reservatio in aliquibus arguit concesionem in reliquis.*
39 *Iurisdictio in favorem certarum personarum censetur tributa privativè, non autem cumulativè.*
40 *Idem in iurisdictione acquisita per præscriptionem.*
41 *Monasterium curatum exemptum visitari potest ab Episcopo iure ordinario in concernentibus curam animarum.*
42 *Concilium Tridentinum tribuit iurisdictionem Episcopis tamquam Apostolicæ Sedis delegatis, ubi voluit exemptorum privilegia vulnerare.*
43 *Visitari possunt ab Episcopo ecclesiæ sæculares exemptæ etiam curatæ, & à monasterio dependentes, vel unitæ; sed iure delegato tantum.*
Idque expressè ab Episcopo declarandum, ibid.
44 *Visitari cur possint iure Ordinario monasteria curata; sæculares verò ecclesiæ exemptæ iure delegato.*
45 *Gravatus in uno, in alio relevatur.*
46 *Episcopus visitans ecclesias monasterio Casinensi unitas an sit admittendus ad visitationem plenariam.*

1 CUM DILECTUS. Monasterium subjectum est Episcopo, in cujus diœcesi situm est, nisi probetur exemptum. Hoc dicit quoad titulum. Et tres habet partes secundum Hostiensem. In prima instruitur delegatus qualiter super sententijs pronunciet. In 2. & 3. qualiter pronunciare debeat super subjectionem. Secunda, ibi, *Quod si.* Tertia, ibi, *similiter.*

2 Nota primò, ex illis verbis, cum Nuncius monasterij super procuratione litteras non haberet, inter Nuncium, & Procuratorem hanc esse differentiam, quod Nuncius dicitur qui mandatum non habet; Procurator verò, qui aliena negotia mandato domini administrat, ut l. 1. *ff. de Procur.* secundum Cardin. *hic in 1. notab.* Unde simplex
3 Nuncius non admittitur ad agendum, arg. cap. 1. *supra de Procurator.* & cap. *Cum dilecti, de dolo, & contum.* & notat gloss. in cap. *Bona, il primo, in ver. Nuncium*, & ibi etiam Hostien. *num. 30. in eo-*
4 *dem ver.* & Jo. Andr. *num. 54. de elect.* Et si ille, qui est Procurator, fecit ut Nuncius, non valet quod agitur, ut l. *Multum, C. Si quis alter, vel sibi*, & l. *Eum qui*, §. *Iulianus, ff. de constit. pecun.* & notat
5 Bart. in l. *Qui autem*, §. *Constituere, num. 5. ff. eod.* nec validatur ratihabitione quod gessit Nuncius, si mandatum non præcessit, ut ex mente Petri refert, Cyn. in d. l. *Multum*, & Bartol. in d. §. *Constituere, num. 6.* Et hoc tenent communiter omnes Doctores excepto Jacobo de Arena, ut Bal. l. testatur in d. l. *Multum, num. 8. ubi n. 10. 13. & 15.* hanc partem latissimè tuetur. Porrò, ut inquit, gl. in l. *Et licet*, per illum textum, *ff. de constitut. pecun.* &
6 Bart. in d. §. *Constituere, n. 3.* Nuncius est quoddam organum, quo mediante vadit vox unius ad aliũ, sicut per epistolam; & sicut aliquis loqueretur per picam aliquam, seu buccinam, & hoc modo vocem suam ad alium transferret. Unde fit ut non
7 quæratur nuntio, & per nuntium domino, sed directè quæratur domino, cum nuncius conferat verba in personam domini, ut ibi per Bart. *in 3. &*
8 *4. notab.* Unde prohibitus substituere, potest nihilominus explicare per nuncium, ut notat Bald. in *rubr. C. de exercit. act.* Easdem differentias posuit glossa in d. l. *Multum, in ver. Potes*, ubi dicit, Nuncius est veluti pica, & organum domini, & in persona domini debet verba contractus concipere. Et ita domino quærit, per seipsum, non per alium, & concipit verba sic, Vendis illi, ut in d. §. *Consti-*
9 *tuere.* Si autem est procurator, tunc verba contractus debet concipere in sua persona, & sibi quærit, ut l. *Qui aliena in fine, C. Si quis alteri, vel sibi.* Sed domino cedere tenetur, ut l. *Possessio quoque*, §. *Etsi possessio, ff. de acquir. possess.* Procurator

tor enim substantiat contractum in se, licet procuratorio nomine, ut Bald. inquit in d. l. *Multum, num. 10.* ubi *à num. 17.* has differentias inter nuncium, & procuratorem latè prosequitur, & Angel. post eum in *cons. 44.* incip. *Pater quidam, circa med. vers. Et pro hoc potissimè facit.*

10 Secundò nota ibi, *iudicetis illas sententias non tenere*: duos casus, in quibus sententia censuræ est ipso jure nulla secundum Hostien. *sub num. 1. vers. Item habes hic duos casus.* Butr. & Cardin. ambo *in 2. & 4. notab.* Abb. *in 1. & 2. notab.* & Joan. de Anan. *num. 3.* Primus est cum sententia fertur post appellationem legitimè interpositam etiam extrajudicialiter, concordat cap. *Dilecti, il primo, supra de appellat.* cap. *Cum contingat, de off. deleg.* cap. *Per tuas*, & cap. *Licet, de sent. excomm. lib. 6.* unde Abb. *num. 2. in 1. notab.* docet bonam practicam ut subditus, qui timet ne injustè excommunicetur à Superiore, extrajudicialiter appel-
11 let à gravamine verisimiliter futuro. Secundus casus nullitatis est cum sententia fertur contra exemptum etiamsi nulla præcesserit exempti appellatio, cum textus loquatur alternativè: nam per exemptionem subditus eripitur à jurisdictione Superioris, arg. cap. *Quia frater, 16. q. 1.* secundum Abb. *hic num. 3.* Atque ita sententia est nulla ipso jure ex defectu jurisdictionis tamquam lata à non suo judice, cap. *At si clerici, de iudic. cap. 3. de consuet.* & scripsi in cap. *Tuarum, num. 46. infra, de privileg.* & fusiùs in cap. *Quod super his, supra de maior. & obed.* Alij casus nullitatis excommunicationis notantur in cap. *Præsenti, de sent. excomm. lib. 6.*

12 Ultimò nota monasteria de jure communi esse Episcopo subjecta, in cujus diœcesi existunt, quamdiu ex privilegio, vel canonica præscriptione non probentur exempta, ut hic est casus secundum Jo. Andr. Butr. Cardin. & omnes: concordat text. in cap. *Abbate*, ubi glos. *in ver. Episcoporum*, & in cap. *Monasteria, 18. quæst. 2.* in cap. *Tua nobis*, ubi Dec. *num. 16. de confirm. util. vel inutil.* cum alijs allegatis per Hostien. in cap. *De Xenodochijs, sub num. 6. in ver. Persollicitudinem, supra eod.* & resolvit Rota *decis. 78. num. 1. par. 1. divers.* Tota enim diœcesis est unum corpus, cujus caput est Episcopus, cap. *Scire debes, 7. q. 1.* cap. *Quoniam in plerisque*, §. *Prohibemus, supra de off. ordin.*
13 Non decet autem à capite membra discedere, c. *Cum non liceat, supra de præscript.* c. 1. *12. dist.* cap. *Celebritatem, de consecr. dist. 3.* & in Authen. *de eccles.*
14 *tit. in princ.* Unde cum Episcopus de jure habeat intentionem fundatam super jurisdictione spirituali in omnibus ecclesijs, & locis pijs tam sæcularibus, quàm regularibus, quæ intra suæ diœcesis fines consistunt, ut in d. cap. *De Xenodochijs*, & in c. *Constitutus*, & c. *Cum venerabilis, supra eod.* cum alijs præallegatis, ei, qui dicit monasterium exemptum, onus probandi incumbit, c. *Ex ore de privi-*
15 *leg.* cap. *Cum olim, de præscript.* cum concord. Adverte tamen, quia ante omnia Episcopus probare debet ecclesiam, seu locum religiosum, de cujus subjectione agitur intra suæ diœcesis fines existere; alioquin ecclesia posset excipere, Quoad te liberas ædes habeo.

Sed probata existentia intra fines, illico succedit assistentia juris communis pro Episcopo, ut in
16 juribus supracitatis: & ita observat Rota: nam cum controvertitur inter Episcopum, & inferiorem Prælatum super jurisdictione spirituali in aliquo territorio, mandat ut prius probetur ex parte Episcopi, an territorium illud sit intra fines suæ diœcesis, ut in *Anconitana Bonorum, seu Attentatorum, 6. Novembris 1562.* coram Orausno, & in *Syracusana Abbatissatus, die 1. Decembris 1597.* coram Corduba; & in *Lucensi, seu nullius iurisdictionis 4. May 1598.* coram Cardinali Seraph. in impressis *decis. 1278.* & in practica Episcopi consueverunt probare in Rota existentiam intra fines, eaque probata adeunt Sacr. Congregationem Concilij, à qua statim obtinent declarationem super visitatione, cognitione causarum matrimonialium, & criminalium, licentia prædicandi, approbatione ad confessiones, & alijs id genus, donec inferior statum nullius diœcesis, vel jurisdictionem spiritualem, & temporalem in clerum, & populum probaverit per tres sententias conformes, vel unicam, quæ in rem judicatam transierit, ut scripsi plenius in cap. *Cum olim, à num. 36. supra de*
17 *præscript.* Hodie monasteria ferè omnia saltem in Congregationem redacta ad præscriptum c. *In singulis, infra, de statu Monach.* & Concilij Tridentini *cap. 8. sess. 25. de Regular.* exempta sunt à jurisdictione Episcopi Diœcesani etiam in tribus casibus exceptis in cap. *Volentes, de privil. lib. 6.*
18 ut dixi latissimè in cap. *Tuarum, infra eodem tit.* nisi monasterijs cura animarum incumbat personarum sæcularium; quia tunc subsunt Episcopo, in cujus diœcesi sita sunt in his, quæ dictam curam, & Sacramentorum administrationem concernũt ex decreto Concilij Trid. *cap. 11. sess. 25. de Regular.* Quod plenius hodie sancitum est in Constitutione Gregorij XV. *de exempt. privileg.* ut dixi in cap. *Cum capellæ, de privil.*

19 Ex facto quæsitum est an Abbatia, seu monasterium de Balneo sit nullius diœcesis, vel exemptum. Et an Episcopo Burgi S. Sepulcri competat jure Ordinario facultas illud visitandi unà cum ecclesijs eidem subjectis.

20 Status hujus ecclesiæ, qui colligitur ex scripturis exhibitis, potest considerari juxta tria tempora. Primum est ante erectionem Burgi S. Sepulcri in Episcopatum. Et in hoc statu manifestum est dictam ecclesiam numquam fuisse diœcesis Burgi S. Sepulcri, quæ nondum erat in rerum natura; ideoque in litteris erectionis oppidum de Balneo dicitur esse nullius diœcesis. Secundum tempus est ab anno 1520. quo tempore Leo X. erexit Burgum in Cathedralem, usque ad concordiam posteà initam anno 1581. inter Archintum Episcopũ Burgi, & Abbatem monasterij de Balneo, & à Gregorio XIII. confirmatam, in quo statu non videtur dubitandum quominus dicta ecclesia fuerit in diœcesi Burgi S. Sepulchri: nam Leo X. in litteris erectionis Episcopatus attribuit illi pro diœcesi castrum de Balneo unà cum suis ecclesijs his verbis: (Nec non Castrum Sanctæ Mariæ in Balneo nullius diœcesis, & singulas parochiales ecclesias prædictas cum omnibus juribus, & pertinentijs suis eidem ecclesiæ S. Sepulcri, & illius mensæ pro illius districtu, & diœcesi, necnon omnes, & singulos clericos sæculares, & ordinum quorumvis religiosos pro clero, incolasq; & habitatores dictarum civitatis, & diœcesis perpetuò applicamus.) Tertium tempus est à cõcordia prædicta, seu illius confirmatione usque in præsentem diem. Et in hoc statu quamvis res non

T sit

sit adeò clara, verius tamen videtur ecclesiam de Balneo remansisse in diœcesi S. Sepulchri, quemadmodum erat ante concordiam.

21 Primò, quia etsi Episcopus ad extinguendas lites, quæ sibi cum Abbate super jurisdictione intercedebant, transegerit ut ad Abbatem pertineret omnimoda jurisdictio, tamen non processit in concordia per viam dismembrationis territorij, quod requiritur ad constituendum statum nullius diœcesis, ad notata per Jo. Andr. in cap. *Nimis de iureiur.* & per Abb. in cap. *Cum contingat, num. 18. de foro compet.*

22 Secundò, quia Episcopus retinuit sibi facultatem in dicto castro Pontificalia exercendi, ecclesias reconciliandi, & Chrisma conferendi. Ergo locus remansit in sua diœcesi, cum hujusmodi munia non possint ab Episcopo in aliena diœcesi exerceri, Clem. *Archiepiscopo, de privileg.* Vitalin. in Clem. 1. *num. 17. de foro compet.* & hodie statutum est decreto Concilij Tridentini *c. 5. sess. 6.*

23 Tertiò, quia etsi Episcopus in concordia tribuerit Abbati omnimodam jurisdictionem; tamen nec ipsum Abbatem, nec locum, nec fortasse populum exemit à jurisdictione Episcopali: & tamen ad constituendum Prælatum in proprio territorio requiritur ut tam ipse Prælatus, quàm clerus, & populus eximatur à jurisdictione Episcopi, ut tradit in specie Gemin. post Jo. de S. Georg in cap. 2 *col. 4. vers. Quæro an inferiores Prælati habeant territorium*, atque ibi etiam Anch. sub *nu. 10. vers. Si verò per privilegium, de Const. lib. 6.*

Quartò, quia in recognitionem jurisdictionis Abbati attributæ transactum est, ut solveretur Episcopo annuus census duarum librarum ceræ. Solutio autem census subjectionem arguit, ut est textus in cap. 2. *de censib.* & in cap. *Recepimus*, ubi not. *de privileg. Mil. in repert. in ver. Episcopus* probat subjectionem ecclesiæ.

Quintò, Episcopus attribuit jurisdictionem
24 Abbati his verbis: (Idem Reverendissimus Episcopus omnimodam jurisdictionem, ac illius merum, & mixtum spirituale dominium, & potestatem eidem, illiusque successoribus Episcopis in castro, nec non monasterio hujusmodi forsan attributis; & si qua sibi competant pro faciliori Episcopi, & castri hujusmodi habitatorum comoditate tam in audiendis, & judicandis, quàm in exequendis tam civilibus, quàm criminalibus causis
25 per Abbatem exercendis concessit, &c.) Quæ verba cum videantur restricta ad causas civiles, prophanas, & criminales, non videntur comprehendere causas matrimoniales, quæ majores judices exigunt, *c. penult. vers. In matrimoniali, supra de in integr. restit. c. 1. infra de consang. & affinit.* nec sine speciali concessione ab inferioribus Prælatis cognosci possunt, ut est textus in c. *Accedentibus, infra de excess. Prælator.* egentque speciali expressione, cùm sint graves, ut per DD. in cap. *Causam matrimonij, de offic. deleg.* Et tamen ad constituendum inferiorem in propria diœcesi requiritur translatio omnimodæ jurisdictionis Episcopalis, vel quasi
26 excluso Episcopo, ut notat glos. in Clem. 1. §. *Verum, in ver. Diœcesanis*, quam sequuntur illic communiter DD. *de foro compet.* & confert decretum Concilij *cap. 20. vers. Ad hæc, sess. 24.*

27 Ultimò consuevit dici tunc demum inferiorem intelligi constitutum in statu nullius diœcesis, si nulla in parte Episcopi auctoritatem recognoscat ita ut à jure etiam reverentiali liberatus existat, de quo ex plena Rotæ decisio apud Achill. *decis. 14.* Et tamen Episcopus Archintus non solum in conventione reservat sibi auctoritatem instituendi, ac destituendi quoad vixerit in omnibus beneficijs dicti oppidi exceptis manualibus; item sacros Ordines conferendi, ecclesias, & cœmeteria reconciliandi, calices, & patenas benedicendi, Chrisma, Oleum sanctum, & Cathecumenorum, & cætera Pontificalia officia, & munera exercendi; sed amplius etiam in executionem dictæ concordiæ Abbas Nicolao Episcopo, qui immediatè successit Episcopo Archinto, obtulit se, & successores suos paratos eumdem Episcopum, & successores semper in dicto monasterio benignè recipere, ac debita per se, & Monachos in divinis, & alijs prout decet obsequia præstare; quæ omnia absque dubio excludunt statum nullius diœcesis. c. *Conquerente, de offic. ordin. c. Ex frequentibus, de institut. c. Perlectis, §. Ad Episcopum, 25. dist.*

Nec prædictis obstat quod monasterium nonnunquam nullius diœcesis enunciatum reperiatur: nam advertendum est plures enunciativas ex his, quæ dantur, emanasse ante erectionem Burgi S. Sepulchri in Episcopatum; & sic percutiunt primum statum, in quo dicta ecclesia erat nullius diœcesis. Cujus speciei est enunciativa Calixti III. Item alia Leonis X. quæ refertur à Puteo *decis. 360. in princ. & in fin. lib. 1.* Habet enim respectum ad tempus, quo Leo X. univit monasterium de Balneo Congregationi Camaldulensi; quod tempus præcessit erectionem Burgi in Episcopatum. Et hoc modo etiam respondendum ad litteras Innocentij II. super jurisdictione dicti castri confirmatas à Celestino III. & Alexandro IV. Post erectionem verò in Episcopatum quo tempore dictum castrum effectum fuit diœcesis S. Sepulcri, dantur duæ enunciativæ Nicolai Episcopi S. Sepulcri, quibus dictum castrum enunciatur nullius diœcesis. Item aliquot similes enunciativæ in litteris dimissoriis Episcopi Fesulani, & Clusini. Item enunciativæ Clementis VII.
28 Pii V. & Gregorii XIII. quarum tamen enunciativarum illæ quæ à Sede Apostolica emanarunt, habent clausulam, *Sicut accepimus*, & nulla excedit metam centum annorum. Imò pleræque emanarunt ab anno 1570. Unde non dicuntur antiquæ secundum opinionem Innocentij in cap. *Veniens, de verbor. signific. lib. 6.* quam dicit communem Cravett. *de antiq. tempor. in princip. num. 4.* Ideoque non probant saltem contra tertium, ut latissimè prosequitur in eodem tractatu, Cravett. *par. 1. §. Propositum nostrum, per tot.*
29 Præsertim cum ex litteris erectionis, & ex tenore concordiæ constet de falsitate enunciati. Receditur enim à præsumptione, quæ inducitur ex verbis enunciativis, [quotiescumque in contrarium urgent fortiores præsumptiones,] ut declarat Aret. in cap. *Per tuas, de probat. & cons. 13. col. fin. vers. Præterea ista confessio*, & Cravet. *loc. cit. n. 57.* Quæ enunciativæ magis etiam eliduntur ex laudo lato à Cardinalibus S. Severinæ, & Lancellotto, qui contra Episcopum Sarsinaten. pronunciavit dictum castrum esse jurisdictionis Episco-
30 pi S. Sepulchri. Et quamvis Abbas in eo judicio citatus non fuerit, tamen res inter alios acta inducit saltem præsumptionem contra tertium, ut per glos. & DD. in l. *Si duo patroni, ff. de iureiur.*

Et mul-

31 Et multi tenent facere semiplenam probationem ut per Crauett. *ibid. num. 23. & 29.*

Rursus cõquassantur dictæ enunciativæ etiam ex visitationibus, & alijs actibus jurisdictionalibus Episcoporum S. Sepulchri, cujusmodi sunt monitoria ad finem revelationis, executiones dispensationum matrimonialium, parochialium ecclesiarum concursus, & accessus Abbatum pro tempore ad Synodum Episcopi; quæ omnia ad Episcopum non pertinerent, si dictum castrum nullius diœcesis existeret, d. c. *Conquerente*, & cap.
32 *Cum Episcopus, de offic. ordin. lib. 6.* Nec dicatur visitationes censeri factas auctoritate delegata: quia respondetur Episcopum non posse visitare ecclesias regulares, in quibus viget regularis observantia, nisi jure ordinario ad præscriptum *c. 11. sess. 25. de regular.* ut latius patebit inferiùs: nam decre-
33 tum Concilij *c. 9. sess. 24.* quo tribuitur Episcopo proximiori facultas visitandi auctoritate Apostolica ecclesias nullius diœcesis, restringitur ad Ecclesias sæculares tantum, ut patet in littera; nec habet locum in regularibus, ut sæpius censuit Sa-
34 cra Congreg. ejusdem Concilij interpres. Cum ergo Episcopi dictam ecclesiam visitaverint, censentur illam visitasse tamquam diœcesani, cum alio jure non possint, ut in terminis tradit Feder. de Sen. *cons. 195. num. 5.*

Non obstat quod Abbates olim concesserint litteras dimissorias, Synodum congregaverint, & jurisdictionem exercuerint: nam ex his non concluditur status nullius diœcesis, ut superiùs dictũ est, sed solum jurisdictio, quæ non potest negari quin competat Abbati in vim prædictæ concordiæ à Sede Apostol. confirmatæ. Et quamvis aliquot testes olim examinati ad instantiam Abbatis deponant dictum castrum esse nullius diœcesis; non tamen intelligunt quid importet nullius diœcesis existere; neque hujus dicti causam sufficientem reddunt, & convincuntur de mendacio ex verbis transactionis, & alijs supradictis.

35 Cæterum etsi dictum castrum non sit nullius diœcesis, videtur tamen exemptum cum suis ecclesijs à jurisdictione Episcopi; quod probatur ex eadem concordia inita anno 1581. inter Episcopum, & Abbatem: nam cum Episcopus sub Sedis Apostolicæ beneplacito transtulit in Abbatem omnimodam jurisdictionem in dicto castro; utiq; censetur illam transtulisse privativè, & non cumulativè ex tribus fundamentis.

37 Primum est, quia Episcopus transtulit in Abbatem jurisdictionem adjecta dictione, *omnimodam*; Item merum, & mixtum, & spirituale dominium: ergo censetur transtulisse privativè. Si enim cumulativè sibi retinuisset, Abbas ab Episcopo præventus nullam posset jurisdictionem exercere: & sic Episcopus in eum omnimodam jurisdictionem non transtulisset contra naturam illius dictionis, *omnimodam*, quæ universalis est, & comprehendit omnia, ut *instit. quib. mod. ius patr. potest. solu. in princ. vers. Nam mortuo*, Decian. *cons. 35. num. 47. lib. 2.*

38 Secundum, quia Episcopus dum transtulit jurisdictionem, sibi retinuit tantum ea, quæ sunt ordinis, & facultatem Pontificalia exercendi, & in beneficijs instituendi. Ergo in reliquis sibi jurisdictionem non retinuit: reservatio enim, & exceptio in uno arguit concessionem in alio, c. *Qualis, vers. Quod enim de uno negatur, 25. dist.* l. *Cum Prætor. ff. de iudic.* Bart. in l. *Quæsitum, §. Denique, ff. de fund. instruct.*

39 Tertium quia Episcopus declarat se transferre jurisdictionem in Abbatem pro comoditate tam Episcoporum, quàm habitatorum dicti castri in audiendis, judicandis, & exequendis causis ne citra Alpes avocarentur: jurisdictio autem tributa in favorem certarum personarum censetur attributa privativè, non cumulativè, si redundet in illarum favorem ut sit privativa, ut hoc casu, in quo parum prodesset incolis jurisdictio Abbati attributa, si nihilominus ipsi cogerentur in Curia Episcopi causas agere; atque ita declarat Felin. in cap. *Pastoralis, col. 3. in 5. limit. de offic. ordin.* & Afflict. *decis. 41. num. 3. vers. Ut in simili, usque in finem*, ubi citat Bald. & alios, & plures cumulat ibi Ursill. eamdem decisionem sequutus.

Quæ omnia multò clariora fiunt ex observantia subsequuta, ad l. *Si de interpretatione, ff. de legib.* & c. *Cum dilectus, de consuet.* Nam Episcopi, quod constet, nullam jurisdictionem exercuerunt in dicto castro præter eam, quam sibi reservarunt in concordia, & eam quæ non potest exerceri ab exemptis, veluti concursus instituere, ut in decreto Concilij Tridentini *c. 18. sess. 24.* & monitoria ad finem revelationis decernere, ut in *cap. 3. sess. 25.*
40 Contra verò Abbas in reliquis semper omnimodam jurisdictionem illic dicitur exercuisse privativè ad Episcopum: jurisdictio autem per præscriptionem acquisita in dubio censetur privativa, cap. *Auditis*, & ibi Abb. *in 3. col. sub num. 7. vers. Aliud etiam singulare*, & cap. *Cum olim, de præscript.* & idem Abb. in cap. *Irrefragabili, in princ. de offic. ordin.* & Felin. in d. cap. *Pastoralis, num. 5. in 8. limit.* Quod indubitanter verum est, quando inferior solus exercuit, non autem Episcopus, ut scripsi latissimè in d. cap. *Auditis.*

41 Quibus ita se habentibus, ad secundam partem dubij videtur respondendum, quod pertinet ad ecclesiam Abbatialem S. Mariæ, Episcopum S. Sepulchri posse quidem illam visitare jure ordinario, sed in his tantum, quæ curam animarum, & Sacramentorum administrationem concernunt; alias verò ecclesias posse visitare in omnibus, sed auctoritate delegata dumtaxat.

42 Prima pars probatur decreto Concilij Tridentini in *cap. 11. sess. 25. de Regular.* ubi in monasterijs, seu domibus, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, tam sæculares, quàm regulares hujusmodi curam exercentes subjiciuntur immediatè visitationi, jurisdictioni, & correctioni Episcopi, in cujus diœcesi sita sunt, in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent; verba enim illa, *subsint immediatè iurisdictioni Episcopi, in cuius diœcesi sita sunt*, indicant Concilium de jurisdictione ordinaria loquutum fuisse; ideoque ibi non sunt apposita verba tamquam Sedis Apostolicæ delegati, ut consuevit Concilium apponere, ubi noluit privilegia exemptorum vulnerare, sed delegatam jurisdictionem attribuere, ut in *cap. 3. sess. 6. cap. 8. sess. 7. cap. 4. sess. 14. cap. 8. sess. 21. cap. 9. sess. 24.* & sæpe alibi, scripsi plenè in cap. *Tuarum infra, de privileg.* Ideoque jam S. Congregatio respondit facultatem visitandi, juxta d. c. 11. competere Episcopo ordinaria auctoritate.

43 Secunda verò pars, idest posse Episcopum visitare quoad omnia ecclesias sæculares à dicto mo-

naste-

nasterio dependentes sive Curatas, sive non, sed tamquam delegatum Sedis Apostolicæ, & non aliàs, probatur decreto *cap. 8. sess. 7.* in illis verbis: (Locorum Ordinarij ecclesias quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, & opportunis juris remedijs providere ut quæ reparatione indigent, reparentur, & cura animarum, si quæ illis imineat aliisque debitis obsequijs minimè defraudentur. Ad hoc ergo ut Episcopus prohibeatur jure Ordinario visitare, non requiritur status nullius diœcesis juxta *cap. 9. sess. 24.* sed satis est sola exemptio ab Episcopi jurisdictione. Ideoque cum de hoc olim actum esset in Sacra Congregatione Concilij quoad ecclesias sæculares curatas exemptas monasterijs Cassinensibus unitas, vel subjectas; Congregatio re diligenter examinata censuit licere Episcopis dictas ecclesias visitare, sed delegata tantum auctoritate, idque expressè ab eis declarandum.

44 Quod si quæratur cur Concilium vulneraverit privilegia Regularium concedendo Episcopis facultatem visitandi illorum monasteria auctoritate Ordinaria, cum tamen sæculares e clesias exemptas non permiserit visitare, nisi auctoritate delegata.

Poterit responderi hoc ideò factum fuisse, quia monasteria regularium noluit visitari posse, nisi in ijs, quæ ad dictam curam animarum, & Sacramentorum administrationem pertinent. At verò ecclesias sæculares voluit posse visitari etiam in alijs

45 quæ ad curam animarum non spectant. Unde cum has magis gravaverit, quàm monasteria Regularium, voluit etiam relevare in hoc ut visitari non possent nisi auctoritate Apostolica, arg. *l. 1. in fine, C. de his, qui ante apert. tabul. & l. fin. C. de institt. & substit. l. Qui libertinus, ff. de oper. libert. l. Quid ergo, ff. de ri qui not. infam.* Præsertim verò, quia quoad curam animarum non attribuit Episcopo tolam facultatem visitandi, sed etiam examinandi Curatos, & alios, quos auctoritate ordinaria ab Episcopis absolvi oportebat, cap. *Cum satis, de offic. Ar-*

46 *chid.* Quam interpretationem videtur olim sequuta S. Congregatio in eadem causa Cassinensi. Nam postea quam declaravit Episcopum non posse visitare ecclesias sæculares Congregationi Cassinensi unitas nisi auctoritate delegata; postea consulta an Episcopi essent admittendi ad visitationem plenariam, an verò tantum quoad ea, quæ concernunt curam, respondit esse admittendos ad visitationem plenariam, præterquam in locis, in quibus viget regularis observantia, & cura imminet ecclesiæ monasterij, juxta *cap. 11. sess. 25. de regular.* tunc enim restringitur visitatio ad ea, quæ concernunt curam animarum, & Sacramentorum administrationem.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

Cap. In Ecclesijs.

SVMMARIVM.

1 *Commendatarij monasteriorum S. Benedicti, vel S. Basilij, quibus cura animarum incumbit an teneantur personaliter residere, & curam per seipsos exercere, & num. seq. usque in fin.*

Commendatarius monasterij, cui imminet jurisdictio temporalis tantum, non tenetur sacris initiari, nec residere, ibid.

2 *Commendatarius, cui jurisdictio spiritualis incumbit in foro contentioso, an arctetur ad sacros ordines suscipiendos, & personaliter residendum.*

3 *Jurisdictio spiritualis in foro contentioso an efficiat proprie monasterium Curatum.*

4 *Commendatarius, cui incumbit cura animarum in foro pœnitentiali, an teneatur ordines sacros suscipere, & residere. & num seq. usque in fin.*

5 *Commendatarij hodie habentur pro veris titularibus, & num. 22.*

6 *Commendatarij monasteriorum non sunt cogendi sacros ordines suscipere, nec residere, si cura animarum, Sacramentalis incumbat ecclesiæ, vel monasterio, non autem personæ Commendatarij.*

7 *Monachi prohibentur curam animarum exercere.*

8 *Abbas monasterij cui cura animarum personarum sæcularium incumbit, obtinens pronotoriatum infra annum non incidit in pœnam, cap.* Licet canon. de elect. lib. 6.

9 *Monachi de jure communi an possint præfici Parochialibus secularibus.*

10 *Monachus claustralis non potest assumi ad curam populi monasterio incumbentem, & cur.*

11 *Monachus sine monasterio caret vita, sicut piscis sine aqua.*

Intellectus Abb. ad hunc textum refellitur, ibidem vers. Sed obijcies.

12 *Abbas monasterij curati an habeat saltem curam habitualem.*

13 *Possibile non dicitur quod fieri non potest absque dispensatione.*

14 *Cura habitualis an, & quando obliget ad residentiam.*

15 *Cura animarum in monasterio, ubi est Congregatio Monachorum non incumbit Abbati, & Monachis, sed monasterio seu ecclesiæ ipsorum.*

16 *Commenda non mutat statum beneficij.*

17 *Commenda cessante per obitum Commendatarij beneficium non vacat per obitum, sed eo modo, quo vacabat ante Commendam.*

18 *Abbas a Commendatarius nullius diœcesis non potest visitari à proximiori Episcopo.*

19 *Commenda non est verè titulus.*

20 *Commendatarius non est propriè Prælatus, sed quasi depositarius.*

21 *Possidens nomine alieno non potest præscribere, nec novum statum beneficio imprimere.*

Dispensationes matrimoniales committuntur Abbati nullius Diœcesis, sed non commendatario, quia non est Abbas ibid. vers. Et alijs.

22 *Abbates titulares in Synodo, & alijs functionibus præcedunt Commendatarios.*

23 *Commendatarius subrogatus est in locum Abbatis titularis etiam quoad jura personalia.*

24 *Beneficia regularia commendata a quibus cura animarum incumbit non subiacent formæ examinis per concursum.*

25 *Vicarius amovibilis an arguat curam esse penes deputantem.*

26 *In monasterijs à prima institutione curatis cura exerceri debet per Vicarios ad nutum amovibiles.*

27 *Residentia eorum qui deservire non tenentur, inanis, & num. 28.*

29 *Consuetudo non residendi in monasterijs commendatis arguit curam animarum non incumbere ipsis Commendatarijs.*

30 *Actus, qui referri potest ad bonum, & malum in dubio referri debet ad bonum.*

IN ECCLESIIS. Ad curam populi monasterio incumbentem non Monachi, sed sæculares Clerici præficiuntur, & Episcopis subsunt. Hoc dicit. Breve est, & unicam habet structuram, & ideo non dividitur secundùm Jo. Andr. & Butr. sed secundùm Cardin. & Abbat. Primò ponit dictum. Secundò ampliat, ibi, *Itaut.*

Nota primò quamvis Monachi de jure communi præfici possint Parochialibus ecclesijs sæcularibus, ut in c. *Quod Dei timorem*, scilicet tit. 2. tamen nec decens esse, nec possibile de jure communi, ut Monachus claustralis præficiatur curæ incumbenti ecclesiæ regulari. De hoc latius infra *n. 7.* Quod tamen secundum Jo. Andr. *hic n. 6. in prima glos.* Cardin. *n. 1.* malè servatur. Imò videmus in monasterijs habentibus curam populi, Monachos claustrales ad mandatum Abbatis, vel Episcopi circuire Parochiam, & ministrare populo Sacramenta, & Petr. de Anchar. *n. 1.* refert se ita vidisse observari Venetijs in monasterio S. Gregorij habente parochiam. Et forte ad hanc observantiam, seu potiùs ad indulta Apostolica respiciens Concilium Tridentinum in *cap. 11. sess. 25. de regular.* statuit ut in monasterijs, seu domibus quibus imminet animarum cura personarum sæcularium tam Regulares, quàm sæculares hujusmodi curam exercentes subsint jurisdictioni Episcopi Diœcesani in ijs quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent; & sic admittit Concilium esse possibile, ut Regulares exerceant curam populi monasterijs incumbentem contra textum hic. In hoc enim casu loquitur hoc decretum Concilij, quando scilicet cura imminet ipsi monasterio. Nam de Parochialibus monasterio unitis loquitur, *c. 7. sess. 7.*

Secundò nota, in monasterijs ubi Monachi vivunt in congregatione curam populi non incumbere Abbati, vel Monachis, sed ipsi ecclesiæ, vel monasterio, quod patet hic. Nam si cura incumberet Abbati, & Monachis non adstringerentur ad eam exercendam per Prælatum sæcularem, ut deciditur in textu, sed deberent, aut saltem possent ipsi per se illam exercere, ut in Clem. *Ne in agro. §. Cæterum, de Statu Monach.* de quo infra *n. 7. & 15.* Unde infertur, ut Commendatarij monasteriorum non teneantur per seipsos exercere curam animarum monasterio imminentem, & consequenter nec personaliter residere, aut sacros ordines suscipere. Nam cum ipsi Commendatarij suffecti sint in locum Abbatis Titularis; quemadmodum Abbas non obstringitur ad hujusmodi curam exercendam per seipsum, ita nec Commendatarius, per regul. *Subrogatorum.* Nec refragatur decretum Concilij Tridentini in *cap. 1. sess. 6.* quia non arctat quoscumque Commendatarios ad personalem residentiam, sed illos tantùm qui in commendam obtinent beneficia personalem residentiam exigentia de jure, seu consuetudine. Decretum verò, *cap. 8. sess. 21.* tantummodo præcipit, ut cura animarum, si quæ monasterijs commendatis, vel eorum annexis immineat, rectè exerceatur, nec aperit à quibus personis id præstari debeat, sæcularibus scilicet an regularibus, de quo tamen articulo dicam latissimè in quæstione proxima.

1 QUÆRO igitur posito Tridentini Concilij decreto in d. *cap. 2. sess. 6.* an Commendatarij monasteriorum Ordinis S. Benedicti, vel S. Basilij quibus cura animarum incumbit personarum sæcularium, teneantur personaliter residere, & curam hujusmodi per seipsos exercere.

Pro clariori quæstionis solutione duo casus sunt distinguendi.

Primus est cum cura monasterio, vel Commendatario incumbens est jurisdictionalis. Et hoc primo casu si jurisdictio sit tantum temporalis, certum est monasteria hujusmodi, seu Abbatias, vel Prioratus haberi pro beneficijs simplicibus; & propterea Commendatarios non tenere initiari sacris nec personaliter residere, glos. in extravag. *Execrabilis, in ver. Visitare de præb.*

2 Si verò jurisdictio in foro contentioso sit spiritualis, & Commendatarius illam actu exerceat sive in Conventum, sive in illius subditos sæculares, ut excommunicare, interdicere, absolvere, suspendere, visitare, inquirere, & alia, de quibus per glos. in d. extravag. tunc proposito olim arti-

3 culo in S. Congregatione Concilij *die 27. Octobris 1575.* ex undecim Cardinalibus sex dixerunt Commendatarios non teneri Sacros ordines suscipere, nec residere, quia tunc monasterium non dicitur propriè curatum, sed ex larga significatione, ut notant Innoc. Jo. Andr. Butr. Abb. & DD. in cap. *Dudum, il secondo, de elect.* glos. in Clem. *Dudum, de Sepultur.* ubi quod habens jus excommunicandi non habet curam animarum, Innocen. & alij in cap. *Cum satis, de offic. Archid.* & in cap. *De multa, de præb.* Staphil. *de stat. & qualit. num. 20.* Unus Cardinalis Senonensis ait, quidquid sit de jure in Gallijs, Commendatarios esse cogendos à Sanctissimo: Reliqui verò quatuor senserunt teneri per text. in d. cap. *Dudum, il secondo, §. Licet. vers. Sed cum in iure*, ibi. Evidenter apparet quod curam animarum habet de elect. Ita ponderat Abb. *ibid. num. 7. & 8.* & quamvis, *num. 7.* subdat non esse propriè curatum, & idem asserat Joann. Andr. Butr. & Apost. ad Abb. tamen textus in d. cap. *Dudum*, clarus est, & clarior in cap. *Super eo, de præb. in 6.* & in d. Extravag. *execrabilis in fin.* ad quem textum non videntur respexisse DD. sed respexit Cardin. in Clem. *1. q. 20. de off. Vicar.* ubi citat dictam extravag. Quamobrem si cura jurisdictionis spiritualis efficit beneficium curatum: ergo intrat dispositio Clem. *Ne in agro, §. Cæterum, de Stat. Monachor.*

Tandem omnes censuerunt excepto Cardinali Aleiato Commendatarios non teneri residere ex Concilio, itaut teneantur illis pœnis de quibus in *cap. 1. sess. 23.* sed tamen teneri residere de jure veteri ad terminos d. cap. *Super eo, de præb. in 6.* d. cap. *Dudum, §. Licet*, ut extravag. *Execrabilis §. Quantum autem*, ad quod jus vetus videtur Concilium respexisse in *cap. 2. sess. 6.* ut scilicet si aliquis Commendatarius reperiatur habere illam jurisdictionem, de qua ibi, possit cogi residere, prout ante Concilium poterat, & hanc posteriorem Sacr. Congregationis sententiam Gregor. XIII. ad se relatam approbavit.

4 Secundus casus ad quem propriè restringitur quæstio superiùs proposita est, cum cura animarum

monasterio, vel Commendatario incumbens est Sacramentalis, & in foro pœnitentiali; & hoc casu regula constituitur contra Commendatarios, ut scilicet teneantur initiari sacris, & personaliter
5 residere. Quod constat tum ex cap. *Nemo, de elect. in 6*, tum quia Commendatarij hodie pro veris titularibus habentur tam in Gallijs, quàm extra; & jura omnia de Abbatibus, & Prioribus loquentia habent etiam locum in hisce Commendatarijs, Prob. *ad Monach.* in d. cap. *Nemo, num. 11. & 23. de elect. in 6.* Rebuff. *in tract. de pacif. possess. num. 47.* Cassan. *in consuet. Burgund. rubr. 9. §. 9.* & Gomes *de infir. resign. q. 13. num. 7.* de Triennali, *q. 5. num. 11. de publ. resign. q. 4. num. 29.* & de Idiomate, *q. 5. nu. 6.* Sed veri Titulares Prioratuum, & aliorum hujusmodi beneficiorum regularium curam animarum Sacramentalem habentium obligantur ad sacros ordines suscipiendos, & ad personaliter residendum d. Clem *Ne in agro, §. Cæterum de Stat. Monach.* Ergo & Commendatarij.

6 Verum hæc regula declaratur procedere si cura animarum incumbat personæ ipsius Commendatarij, secus verò si incumbat monasterio, vel Conventui, quia tunc nec ad ordines suscipiendos, nec ad residentiam tenetur; quemadmodum re diligenter examinata ac Gregorio XIII. approbante similiter respondit S. Congreg. Concilij.

Solutio igitur præsentis quæstionis pendet ab inspectione. An hoc casu cura animarum incumbat personæ ipsius Commendatarij, vel potius ecclesiæ, seu monasterio.

Et quidem cum dubium proponatur de monasterijs ordinis S. Benedicti, & S. Basilij manifestum videtur curam non Commendatarijs, sed monasterijs incumbere. Nam inspecto tempore quo monasteria hæc nondum cœperant commendari, sed adhuc ibi erant Abbates, & Monachi, manifestum est curam non fuisse penes Abbatem & Monachos, sed penes ecclesiam, vel monaste-
7 rium tantum, quia Monachi viventes in Congregatione ex eorum instituto prohibentur de jure curam animarum personarum sæcularium exercere, textus est clarus hic, in c. *unic. eod. tit. lib. 6. c. 1. cum pluribus seqq. 16. q. 1.*

8 Et propterea non habet locum contra Abbatem dispositio, cap. *Licet canon. de elect. in 6.* privans omni jure obtinentes beneficia curata non promotos infra annum ut per Jo. Monach. *ibi num. 6.* Vitalin. in Clem. *unica, n. 24. de offic. Vicar.* Rebuff. *in praxi tit. de non promotis infr. annum n. 28.*

9 Neque obstant textus in c. *Doctos, c. in parochia,* & cap. *Vos autem, 16. q. 1.* nam respondetur dicta jura procedere in Parochialibus sæcularibus à monasterio distinctis, de quibus quia Concilium Lateranense in c. *Monachi, de Statu Monach.* statuit ne Monachi singuli per villas, & oppida per quascumque Parochiales ponantur ecclesias; DD. admodum se torquent in intellectu dictorum canonum. Quidam enim putant Monachum de jure comuni promoveri posse ad Parochialem ecclesiam sæcularem absque dispensatione, dummodo cum eo habitet alius saltem Monachus juxta text. in d. cap. *Monachi,* & cap. *Quod Dei timorem,* ubi ita communiter teneri testatur Abb. *num. 7. vers. Aut est curata.* Alij verò censent Monachos de jure communi præfici non posse prædicti Parochialibus, nisi dispensativè ex causa necessitatis, idest in defectum Clericorum sæcularium, juxta text. in cap. *Cum pro utilitate,* & cap. *Qui verè* ibi: nisi forte jubeantur propter urgentes necessitates, 16. q. 1. & cap. *Priscis, 55. dist.* & hanc opinionem sequitur glossa Joannis in d. cap. *In parochia, in ver. Cum diaconum,* eamque latè tuetur Abb. *hic sub num. 4. vers. In glos.* Alij, ut Vincentius, dicunt de jure communi Monachum non posse assumi ad Parochialem ecclesiam gubernandam etiam ex causa necessitatis, quamvis olim propter necessitatem, & defectum Clericorum sæcularium antiqui Canones ex dispensatione permitterent Monachos ad ecclesias assumi, quod hodie cessat cum Clerici sæculares non desint. Alij demum alia sentiunt, quorum opiniones referunt Anton. de Butr. in d. cap. *Monachi, num. 16.* & plura hac de re habentur in *decis. Rotæ 254.* relata à Panorm. in d. cap. *Quod Dei timorem, num. 7. de stat. Monach.* Aliàs est *decisio 262.* incip. *In religioso, & est supra de iure patr. in nov.*

10 Verum hæc opinionum varietas, ut diximus procedit tantum in Parochialibus sæcularibus à monasterio distinctis. At verò si cura populi incumbat ipsi monasterio ubi est Congregatio Monachorum, ut in casu de quo agitur, conveniunt omnes Monachum claustralem non posse ad eam curam assumi, quia de hoc est textus clarus *hic.* Quem ita intelligunt glos. & DD. ut per Butr. *num. 6. vers. Oppono.*

Non obstat si dicatur: Si in ecclesiis sæcularibus à monasterio distinctis Monachus præfici potest curæ saltem cum socio ordinis, ut in d. cap. *Monachi,* & cap. *Quod Dei timorem, scilicet de statu Monach.* fortius debet posse assumi, & curam exercere in proprio monasterio, cum hoc casu concurrat favor ecclesiæ, & cura animarum, & habeat nedum sociam, sed socios. Item magis obligatur monasterio suo, quàm ecclesiæ sæculari. Ergo longe magis est censendus idoneus ad curam imminentem proprio monasterio, quam ecclesiæ foris sitæ.

11 Id inquam non obstat; nam ut Monachus claustralis præfici possit curæ monasterio incumbenti peculiarem habet rationem, ne scilicet inter illos de Congregatione notetur diversitas, & regulariter viventes habeant occasionem vagandi circumeundo Parochiam, ut ait hic Butr. *in 2. notab. post glos. in ver. Monachos,* nevè habeant materiam visitandi domos mulierum pro confessionibus, & aliis secundum Abb. *num. 6.* Unde Eugenius Papa: Nullus inquit Monachorum præsumat pœnitentiam dare, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neque ad ecclesiam sæcularem transire: Sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio Monachus. Sedeat itaque solitarius, & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit: Agnoscat nomen suum; Monos enim Græcè, latinè est unus, achos Græcè latinè tristem sonat, inde dicitur Monachus unus tristis. Sedeat ergo tristis, & officio suo vacet, ut infertur in c. *Placet, 16. q. 1.*) Quæ prohibitio habetur etiam in Nicæna Synodo relata in *c. 1. eadem cau. & quæst.* in cap. *Monachus,* & cap. *Alia causa,* ubi refertur illud S. Hieronymi: Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, & alia causa est Monachorum, alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor.

Sed objicies, Major videtur indecentia, ut Mo-

nachus eximatur à monasterio, & degat inter sæculares, quam ut existens in monasterio exerceat curam nomine Collegii, nec per hoc notatur diversitas, quamvis facit cuius nomine fit, ut in c. *Cum quis de sent. excomm. lib. 6.* & in cap. *Cum venissent, de instit.* Quibus fundamentis Abb. *hic n. 5. vers. Sed ego non possum,* dicit se non posse concipere quomodo hæc facilis ratio, ne scilicet in Congregatione notetur diversitas, sit sufficiens ad impediendum privilegium tributum curæ, & propterea dat novum intellectum ad hunc textum, ut scilicet procedat secundum jura antiqua & consideratio mero statu religiosorum. Nam regulariter Monachus secundum cum non debet præfici curæ etiam Ecclesiæ sæcularis, sed propter necessitatem fuit institutum ut posset præfici, & ita propriè debet intelligi hæc decretalis, sed in defectum sæcularium satis potest sustentari primus intellectus glossæ, ut scilicet Monachus præfici possit curæ si eligatur à populo, & ab Episcopo instituatur.

Cæterum salvando communem intellectum responderi potest imò magis indecens esse, ut per singulos dies exeat è monasterio, & circumeat parochiam Monachus vivens in Congreg. quàm ut semel tantum Monachus eximatur à claustro, & præficiatur parochiali sæculari, sicut videmus magis repugnare S. Canonibus, ut Monachus quamdiu remanet Monachus sit solutus à voto paupertatis, vel castitatis, quam ut prorsus eximatur à regula, & de Monacho efficiatur non Monachus: unde secundum opinionem Vincentii, & Jo. in hoc secundo casu dispensat Papa, non autem in primo, ut notatur in c. *Cum ad monasteriū in ult. gl. de stat. Monach.* Itē quamvis per fictionē, seu intellectum juris omnes Monachi censeantur exercere curam, eo quod exerceatur per monachum nomine totius Collegii, & secundum hoc non videatur inter eos esse diversitas, tamen veritate inspecta negari non potest quin inducatur difformitas in vita monastica, quia revera unus tātum vagatur & discurrit inter sæculares; reliqui vero vivunt in claustro in silentio, & solicitudine, quod repugnat S. Canonibus, quia dignum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam, ut in cap. *Recolentes, infr. de stat. Monach.* Neque hæc ratio est levis, seu facilis, ut dicit Abb. imò est gravis, & fortis, qui absonum est, ut Monachus in claustro cum cæteris convivat, & eorum usibus & institutionibus se non conformet, ut ibi, Turpis est enim omnis pars quæ suo non congruit universo c. *Quæ contra mores, 8. dist.* Hostien. in d. c. *Recolentes, num. 12.* Præsertim verò quia cum Monachus ad curam exercendam non debeat solus exire, sed cum socio sui ordinis, ut in d. c. *Monachi,* & cap. *Quod Dei timorem, de stat. Monachor.* & in cap. *fin. infr. eod.* posset modo unum, & modo alium sibi socium adjungere; quod esset occasio illis de Congregatione vagandi extra claustra, & domos mulierum visitandi: unde plurimum relaxari posset rigor monasticæ disciplinæ; nec favor curæ in hoc debet attendi, quia æquè bene, & magis cōgruè potest illi satisfieri per Presbyterū sæcularem, ut hic. Tene igitur in monasteriis ubi est Congregatio Monachorum curam populi non incumbere Abbati, vel ipsorum collegio, sed ecclesiæ, seu monasterio; & propterea exercendā esse per clericum sæcularem, non autem per Monachum: & ita intellige hunc textum prout DD. communiter intelligunt.

12 Quod si insistas: saltem penes Abbatem residere curam habitualem, cujus ratione obligatur ad residentiam ut in parochiali habitu censent Innoc. Abb. Antiq. Calderin. Jo. Andr. Anchar. & Imol. in cap. *De multa, de præb.* Archid. & alij in c. *Licet canon, de elect. in 6.*

Respondetur primò hanc assertionem quod cura habitualis sit penes Abbatem, nec jure, nec ratione ulla probari posse: quia cum Abbates, & Monachi claustrales nunquam habuerint curam actu, nec habere possint ob illorum incapacitatem, frustra esset potentia numquam reducibilis ad actum, Host. *in Summa, de pœnit. & remiss. §. Cui,*
13 Bald. *cons. 377. Quæstio subtilis est, n. 4. vers. Quandoque significat, lib. 3.* Nec refert quod reduci possit ad actum ex dispensatione Apostolica, quia quod potest per dispensationem dicitur fieri non posse, ut post Inoc. in cap. *Pastoralis, de causa possess. & propriet.* in puncto de quo agitur tradit Abb. in d. c. *Quod Dei timorem, num. 8. vers. Item adduco, de statu Monach.* & propterea Butr. *hic in 2. notab.* dicit nec decens esse, nec possibile de jure communi, ut Monachus in Congregatione præficiatur curæ subjectæ ecclesiæ regulari.

14 Deinde respondetur contra doctrinam Innoc. & aliorum *loc. cit.* sentire glos. Host. & Butr. qui testatur de comuni in d. c. *De multa.* Quapropter in hoc opinionum conflictu S. Congregatio aliàs approbavit sententiam mediam Collectarij in d. c. *De multa, num. 6.* quam & Rota sæpius sequuta est, distinguentis an subsit spes, ut habitus curæ brevi reducatur ad actum per reversionem Parochianorum, an non; ut primo casu teneatur Parochus ad residentiam, in secundo non teneatur; atque ita in specie respondit in causa cujusdam Parochi Illerden. diœcesis. Sed & Gregorius XIII dum olim respondit secundum sententiam Cancellariæ appellatione parochialis comprehendi etiam illam quæ tantum habitu sit, eam rationem reddidit, quoniam in horas singulas potest fieri actu si revertantur Parochiani. At certum est nos versari in primo casu: siquidem nulla subest nec subesse potest spes, ut habitus curæ ad actum reducatur stante juris prohibitione, & incapacitate Monachorum claustralium exercendi curam animarum monasterio incumbentem.

15 Certum est igitur ante commendam, quo tempore in monasterio erat Congregatio Monachorum curam non fuisse penes Abbatem, & Monachos, sed penes monasterium, idque expressè adnotavit Abb. *hic n. 5.* his verbis: Nam cura animarum non est collata ipsi Collegio Monachorum, cum sint ibi: non ut exerceant curam, sed regulariter vivant: unde cura est potius ecclesiæ ipsorum, sequitur Mandos. *cons. 20. n. 9.* & Rota in *recent. decis. 53. n. 2. in fin. par. 2.*

16 Atque hinc necessariò sequitur ut idem sit dicendum posteaquam monasterium fuit comendatum, quia commenda statum beneficii non mutat, Sarnen. *in reg. de infirm. quæst. 13.* Put. *decis. 25. lib. 1.* Gassad. *decis. 5. de privil. num. 2.* Rota *decis. 587. num. 2.* & *decis. 4. par. 4. divers.*

17 Quod adeò verum est, ut etiamsi per mille años beneficium fuerit commendatum semper, temen remanserit in eo statu in quo erat ante commen-

dam, eaque cessante non dicatur vacare per obitum, sed duret antiqua vacatio quæ erat tempore primæ commendæ, Gemin. post Ferder. de Senquem citat *cons. 8. num. 8. vers. Quia non est necesse.*

28 Et ob hanc rationem S. Congregatio aliàs respondit Archiepiscopum Vrbinaten. tanquam proximiorem posse quidem visitare Ecclesias territorij Abbatiæ Castri Durantis nullius Diœcesis, sed Abbatiam ipsam, quæ regularis est nō posse Archiepiscopum visitare, utcumque personis sæcularibus commendari contigerit; nimirum quia Episcopus ex *cap. 9. sess. 24.* potest visitare Ecclesias nullius diœcesis sæculares tantum, non autem regulares, & per commendam status regularis Abbatiæ immutatus non fuit.

Et propter eandem rationem S. Congregatio consulta An facultas uniendi beneficia seminario quam habet Ordinarius vigore *cap. 18. sess. 23.* se extendat ad beneficia regularia conventui tamē currentia, & in commendam tradi solita, respondit non se extendere, quia scilicet per commendam non defierunt esse regularia.

29 Hujus Conclusionis ratio est, quia commenda non est verè, & propriè titulus, cap. *Qui plures, 21. q. 1.* ubi est text. quod nemo duas Ecclesias in titulum tenere potest, tamen potest vnam in titulum, & aliam in commendam, & ita notat ibi gl. 30 Hugo, & Laurentius. Nec Commendatarius dicitur propriè Prælatus, sed quasi depositarius, & non habet proprietatem, nec possidet nomine proprio, Rom. *cons. 350. in casu.* Socin. *cons. 32. n. 7. lib. 1.* Inter Commendatarium, & Ecclesiam non contrahitur matrimonium, sicut inter Ecclesiam, 31 & Abbatem. Gemin. *d. cons. 8. nu. 5.* Et propterea tamquam possidens nomine alieno nullo unquā tempore potest præscribere, aut novum statum beneficio imprimere, cap. *Si diligenti*, ubi Joan. Andr. & Abb. notant *de rescript.*

Ideoque non intrat dispositio cap. *Cum de beneficio, de præben. in 6.* quia ille textus procedit in verò titulari, qui proprio nomine possidet, ut colligitur ex illis verbis: Sæcularibus clericis institutis in eo Rectoribus, & illic declarat glos. Archid. Joan. Monach. Jo. Andr. ac cæteri.

Et quamvis commendæ nostri temporis sint ad instar titulorum, & jura omnia de titularibus loquentia habeant locū in his Commendatarijs ut per Cussanæum qui examinat formulas *in Comment. consuet. Burgund.* & dictum est supra. Id tamen procedit potius per extensionem, & ex verisimili mente, cum materia est favorabilis, quā ex proprietate, cum verè Commendatarij non possideant, nec habeant titulum; ita declarat Rota *decis. 760. lib. 3. par. 3. divers.*

Et certè cum etiam monasteria, in quibus viget regularis observantia dentur in cōmendam perpetuam, ut colligitur ex *c. 20. sess. 25. de Regular.* & patet hodie in monasteriis Cryptæ Ferratæ Ordinis S. Basilij, Fatfensi, & Sublacensi Ordinis S. Benedicti, & Fossæ Novæ, Ordinis Cisterciensis, quæ Cardinal. lib. sunt commendata; utiq; si præter Abbatem etiam Commendatarius esset ibi Prælatus, in eadem Ecclesia, vel monasterio essent duo capita contra tex. in *c. In Apibus, 7. q. 1.* 32 & cap. *Quoniam in plerisque, 5. de offic. Ordin.* Et propterea Abbates tanquam Prælatos, & Sponsos Ecclesiæ in Synodis, & alijs publicis functionibus præcedere Cōmendatarijs censuit S. Congregatio. Et aliàs cum Cardinalis Vercellen. obtinens in Commendam duas Abbatias habentes temporalem, & spiritualem jurisdictionē, & jura Episcopalia cum totali exemptione à jurisdictione Ordinariorum, adisset S. Congregationē, ut sibi committerentur executiones litterarum Apostolicarum: Congregatio censuit verbum faciendum cum Sanctissimo, qui annuit eam rationem adducens, quia privilegia sunt concessa Abbatibus, ipse autem est Commendatarius, & ex stylo Concilij commenda, & titulus accipiuntur tamquam diversa, ut patet in *cap. 4. sess. 7. & cap. 17. sess. 24.* Ideoq; de residentia Commendatariorum quasi in decretis generalibus super residentia aliorum titularium non essent inclusi, Patres ediderunt speciale decretum in *c. 2. sess. 6.*

Hæc igitur conclusio, quod commenda etiam secundum formulas hodiernas non mutet statum beneficij, verissima est, & receptissima tam apud scribentes, quam in S. Congregatione, & in Rota. Et propterea hinc necessariò infertur, ut cura animarum non residcat penes Commendatarium, sicut non residebat penes Abbatem, in cujus locum Commendatarius est subrogatus.

Quod si urgeas, Idcirco ante commendam cura non incumbebat Abbati, quia repugnabat ejus statui curam animarum exercere, ut dictum est supra. Hoc autem impedimentum cessat post commendam, quia Commendatarius tamquam sæcularis non prohibetur curam animarum exercere per seipsum: ergo & dispositio cessare debet quam rationem in puncto consideravit Rota co- 23 ram Cardinali Millino in *Tudertina Prioratus.* Respondetur hanc rationem impedimenti cessantis hoc casu non valere, quia cum Commendatarius successerit in locum titularis incapacis curæ animarum non habetur ratio capacitatis ipsius Commendatarij, sed Abbatis dumtaxat cujus vices Commendatarius gerit per regulam subrogatorum, quæ procedit etiam quoad jura personalia juxta text. in l. *fin.* ubi Bart. d. cap. *proxim. sacr. scrin. lib. 12.*

24 Exemplum clarum patet in concursu; nam monasteria, quibus cura animarum incumbit nō subjacent hanc formæ, quia quæ præscribuntur à Concilio in *c. 18. sess. 24. de edictis proponendis*, & de quibuscumque addere volentibus observari non possunt inter regulares tamquam Prælatis obedientiarios: tamen quamvis hæc ratio cesset cum monasteria cōmendantur clericis sæcularibus, inter quos servari potest forma Concilii; nihilominus S. Congregat. articulo diligenter discusso in causa Tudertina Prioratus hanc rationem Rotæ infirmā existimavit, censuitq; eo casu non requiri hanc formam examinis per concursum: quam decisionem approbavit Clemen. VIII. Similiter S. Congreg. nulla habita ratione impedimenti cessantis aliàs declaravit Cōmendatarium monasterii curam animarum habentis quam exercet per clericos sæculares non posse cogi: accedere ad Synodum diœcesanam Episcopi, sed sat esse, ut ad eam mittat clericum qui curam exerceat: ergo eodem modo quamvis in Commendatariis cesset ratio incapacitatis curæ; tamen quia commenda statum non mutat, Cōmendatarius obstringi non debet ad onus exercendi curam, ad quod titularis non tenebatur: nam jura loquentia de Monachis habent etiam locū in hujusmodi Commendatarijs. Prob. in d. c. *Nemo, n. 10. & 23. de elect. in 6.* & dictum est supra.

Præterquā quod decisio Rotæ loquitur in terminis longè diversis, videlicet in commenda Parochialis, seu Prioratus à monasterio distincti, juxta text in *c. Nemo de elect., in 6.* Atque ita in casu decisionis cura incumbebat Priori. Unde non procedit nisi in casu, in quo etiam beneficium quod commendatur, si conferretur in titulum provisus cogi posset ad curam animarum per seipsum exercendam.

25 Non obstat quod cum in dictis monasterijs cura animarum plerūq; exerceatur per Vicarios ad nutum amovibiles, id arguat curam esse penes deputantem; & sic penes Commendatarium, ad quem jus deputandi pertinet, sicut pertinebat ad Abbatem in Ecclesia sibi pleno jure subjecta juxta distinctionem Archid. in cap. *De Capellis 16. q. 2.* Host. Jo. Andr. & Butr. *hic.* Respondetur enim id non procedere in deputante, qui sit prohibitus curam exercere sicuti est Abbas per jura superius allegata: vel succedit prohibito sicut est 26 Cōmendatarius. Præsertim verò quia Innoc. IX. olim Cardinalis SS. Quatuor adnotatum reliquit in *c. 5. & 8. sess. 7.* Concilij Tridentini in monasterijs à prima institutione curatis habere locum dispositionem *c. 11. sess. 25. de Regular.* & cura per Vicarium amovibilem exerceri possit, & testatur ita per S. Congreg. fuisse resolutum. Unde patet ex eo quod Vicarius sit amovibilis, non bene inferri ut cura non incumbat monasterio.

Cum igitur ex prædictis liqueat evidenter curam animarum incumbere monasterio, non autē illius Abbati; ac proinde nec Commendatario qui in Abbatis locum succedit, necessario sequitur ut intret decisio S. Congregat. superius relata, n. 6. atq; à Gregorio XIII. approbata ut scilicet Commendatarij non teneantur residere. In- 27 anis enim esset residentia eorum qui deservire non tenentur, cap. *Quis nonnulli, & c. Conquerenti de Cler. non resid.* Cardin. Turrec. in *c. Pervenit, n. 2. q. 1.* Jo. Andr. in *d. c. Licet Canon. n. 4. de elect. in 6.* Abb in cap. *Non liceat, n. 8. de Cler. non resid.* Gigas *de residentia Episcopi c. 3. n. 3.*

Quibus accedit communis observantia. Nam ejusmodi monasteria passim commendantur Cardinalibus, & Prælatis, qui non residunt, nec curam exercent per seipsos. Quod arguit curam eis non incumbere, ut per glos. in Clem. *Dudum. §. Statuimus in verb. Impendant, de Sepultur.* & ibi Cardinal in §. *Ac inde, num. 9.* Vitalin. *in §. Verum, n. 3. & seq.* Abb. in cap. *Dudum, il seconde, num. 8. & 9. de elect.* & in cap. *Demulta, num. 24. de præben.* Dec. in cap. *Ad aures, nu. 19. de rescript. vers. Et Curatum*, latè Sarnen. *in regula, de Idiomate, q. 11.* Nam illi quibus hujusmodi cura incumbit, tenentur deservire per seipsos eum sit electa industria personæ, cap. *Cum sit de ætat. & qualit.* Archid. in cap. *Sacerdotibus, 11. q. 1.* Abb. in d. cap. *Non liceat, num. 8.* Dec. in cap. *Cum omnes, in secunda lect. in 1. not. de Constit.*

28 Alioquin præsumeremus delictum in omnibus Commendatarijs, in Ordinarijs, & Visitatoribus Apostolicis, qui hoc viderunt, permiserūt, & approbarunt: cum tamen ubi actus potest referri ad bonum, & malum, & ad causam permissam, vel nō improbatam semper referri debeat ad bonum, & præsumatur legitimè factum, l. *Meritò, ff. pro Socio.* Abb. in d. c. *Non liceat de Cler. non resid.* Dec. in cap. *In præsentia, n. 52. de probat.*

Ex quibus omnibus videtur posse generaliter responderi si monasteria sint ordinis S. Benedicti, vel S. Basilij, & dentur in commendam: quamvis habeant curam animarum personarum sæcularium Commendatarios non teneri in eis residere, aut curam animarum per seipsos exercere, sed eā curam esse per vicarios Presbyteros sæculares exercendam, quemadmodum in aliquibus castris particularibus jam respondit S. Congreg. & præsertim in causa inter Episcopum, & Commendatarium monasterij S. Benedicti Terræ Gualdi Nucerinæ Diœcesis. Et ita responsum.

De Capellis Monachorum.

Cap. Ex parte.

SVMMARIVM.

1 *Constitutio edita à Papa in Concilio an dicatur Conciliaris, quoad hoc ut contraria rescripta, vel privilegia non valeant, nisi Concilio fuerit derogatum, & num. seq. usque in finem.*

2 *Constitutionibus Papæ, vel decretalibus epistulis in privilegijs non est opus ullatenus derogare, & in rescripto sufficit derogatio generalis.*
Declaratur, n. 21.

3 *Privilegium est lex privata, & contra ius commune, & ex sua natura derogat legi.*
Clausula derogatoria, non obstante, *non requiritur quando Princeps rescribit per viam privilegii, ibidem vers. Ac propterea.*

4 *Rescriptum contra legem regulariter non valet, non tamen requiritur specialis derogatio, sed sufficit generalis, nisi lex sit conciliaris.*

5 *Constitutiones edita à Papa in Concilio appellantur simpliciter Constitutiones Papæ.*
Contrarium, n. 1. Declaratur, n. 21.

6 *Episcopi nō habent facultatem dispensandi contra Constitutiones Conciliares, sicut nec legati.*

7 *Secus si Constitutiones sint editæ à Papa in Concilio.*
Contrarium, n. 22.

8 *Concilia generalia habent tacitè clausulam annullativam eorum, quæ in contrarium fiunt, & num. 26.*

9 *Concilio generali in contrarijs rescriptis, & privilegijs cur debeant specialiter derogari.*

10 *Concilium unde dictum.*

11 *Humani moris est illum vereri, cuius voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur.*

12 *Papa sententia prævalet, discrepantibus sententijs inter Papam, & Concilium.*

13 *Intellectus cap.* Nonnulli, de rescript, *& n. 26.*

14 *Constitutionibus Conciliaribus debet specialiter derogari in contrarijs privilegijs, & litteris gratiæ, & num. 27.*

15 *Canones editi à Papa in Concilio dicuntur Conciliares quoad effectum derogationis, & num. seq.*

16 *Intellectus cap.* Eam te, de stat & qualit.

17 *Constitutiones edita à Papa, & Concilio simul sunt maioris authoritatis, quam Constitutiones, solius Concilij.*

18 *Collatio Apostolica facta pupillo coram Papa existenti de dig-*

de dignitate Cathedralis ecclesiæ, non tenet, nisi in litteris fuerit derogatum contrarijs Constitutionibus editis à Papa in Concilio.

19 *Privilegium exemptionis à decimis prædialibus concessum religiosis Societatis Iesu absque derogatione, cap. Nuper, de decimis, validatur à Gregorio III.*

20 *Constitutio edita à Papa Sacro approbante Concilio dicitur Conciliaris.*

21 *Constitutiones in Concilio edendæ sunt nomine Papæ, & ab ipso tanquam digniori, & principaliori sunt denominandæ.*

22 *Cardinalium cœtus dispensare non potest contra Constitutiones editas à Papa in generali Concilio.*

23 *Episcopus dispensare non potest cum sibi subdito vero bigamo ad primam tonsuram, & beneficia simplicia.*

24 *Papæ præsentia in generali Concilio Patrum libertatem non minuit in sententijs proferendis.*

Viennensis Concilii tractatus ad clamorem Ioan. Andreæ ibid.

25 *Constitutio edita à Papa contradicente Concilio valet, sed non est Conciliaris, nec eget speciali derogatione in contrarijs rescriptis, & privilegiis.*

26 *Verborum inculcatio etiam superflua admittitur ad tollendam sophisticam malignorum interpretationem.*

1 EX PARTE. Non valet rescriptum impetratum per Monachos, ut soli maneant in capellis, si de lateranensi Concilio non faciet mentionem. Hoc dicit. Dividitur in duas partes; in prima ponitur consultatio; in secunda responsio ibi, *Cum autem.*

Nota primò Monachos non debere singulis in Prioratibus, seu capellis commorari, ut *hic*, & infra *in cap. proximo*, etiamsi facultates monasterij pluribus alendis non suppetant, ut in vers. *Si pluribus*. Nec obstat c. 1. *supra de instit.* quia loquitur in Conventualibus, qui non debent in monasterijs constitui in majori numero, quam reditus monasterij patiantur; concordat Concilium Tridentinum in *cap. 3. vers. In prædictis, sess. 25. de Regular.* Item non obstat cap. *Auctoritate, de instit.* & c. *Quoniam de vita, & honest. Cleric.* quia hæc jura loquuntur in clericis sæcularibus, qui in ecclesijs institui non debent ultra modum facultatum secundum Host. *hic n.* 1.

Secundò nota ibi, *nulla mentio*. Litteras Apostolicas contra generale Concilium non valere nisi de Concilio fiat mentio: & in hoc est textus apertus hic, qui non habetur alibi ita clarè. Ad idem cap. *Eam te, supra de ætat. & qualit.* & est receptissima omnium sententia, ut dicam infra *num.* 14.

QUÆRO, An Constitutio edita à Papa in Concilio dicatur Conciliaris quoad effectum, ut contraria rescripta, vel privilegia Apostolica non valeant, nisi Concilio fuerit specialiter, & expressè derogatum.

Hæc investigatio ad multa prodesse potest in practica: nam ferè innumeræ sunt decretales editæ à Summis Pontificibus in Concilijs generalibus, & in specie Constitutiones pleræque insertæ in Clementinis tribuuntur Clementi V. in generali Concilio Viennensi, & septuaginta capita Concilij Lateran. IV. in corpore juris clausa ferè omnia tribuuntur Innoc. III. in generali Concilio ut in c. 1. *in inscript.* & ibi dixi *in princ. sup. de summa Trinit. & fid. Cath.* in c. *Quidam de renunc.* in cap. *Ut debitus, cum duob. cap. seqq. infra de appell.* & passim alibi. Unde plurimum interest scire an rescripta, indulta, & privilegia, quæ aliquando ex justis causis conceduntur à Sede Apostolica contra hujusmodi decretales, sint irrita ex defectu specialis derogationis.

Opinioni negativæ videtur adhærere, Dec. in cap. 1. *de iudic.* ubi posteaquam in principio firmavit Constitutionem censeri Conciliarem, quando editur immediatè à Concilio generali, secus verò si edatur à Papa in Concilio, *n.* 8. dicit hanc investigationem non esse sine effectu, qui Constitutioni Concilij non ita de facili derogatur; nō enim tollitur à summo Pontifice per clausulā generalem, *Non obstante*, ut est dictum notab. Archid. in cap. 1. *de Const. lib. 6.* Sentit ergo Decius Constitutionem editam à Papa in Concilio non censeri Conciliarem quoad effectum derogationis. Idem ante eum apertius tenet Cardin. in Clem. 1. *col. 3. vers. Tertiò quæro, de censib.* ubi post Lapum concludit valere privilegium concessum religiosis contra dictam Clementinam; licet de illa non faciat mentionem; secus si daretur privilegium religiosis Mendicantibus contra c. *unicum, de excess. Prælat. lib. 6.* Non facta mentione de illo capitulo, quia non teneret; & hoc quia ibi exprimitur, ut in privilegijs, & concessionibus, Apostolicis debeat fieri plena, & expressa mentio illius prohibitionis. Atque ita Lap. & Card. censent illi Clementinæ, quæ edita fuit à Clem. V. ut Concilio Viennensi, non esse derogandum in privilegijs, sicuti est derogandum Constitutionibus habentibus clausulam derogatoriam ad contrarias futuras dispositiones; quamvis revera Lap. & Cardin. non considerent dictam Clementinam tamquam editam à Papa in Concilio, neque ad id advertant, sed illam considerent tamquam jus commune, dum subdunt privilegia derogare juri communi, etiam non facta de ipso mentione.

2 Probari potest primò hæc sententia, quia Cōstitutionibus Papæ, vel Decretalibus epistolis in privilegijs Apostolicis non est opus ullatenus derogare: & in rescriptis, & litteris gratiæ sufficit derogatio generalis. Sed Constitutiones editæ à Papa in Concilio sunt Constitutiones Papæ: ergo illis non est opus ut supra specialiter derogare.

3 Major patet quoad primam partem, quia privilegium est lex privata, & contra jus commune, cap. *Privilegia, 3. dist.* gloss. 1. in cap. 1. & gloss. *fin.* in cap. *fin. supra de rescript.* & sic de sui natura derogat legi, & debet aliquid operari ultra jus commune etiamsi non exprimat, cap. *In his, de privil.* cap. *Abbati, vers. quia cum privilegium, de verbor. significat.* gloss. *fin.* in cap. *fin. de transl. Episc.* & gloss. in c. *Causam in ver. Procedat, de rescript.* Ac propterea quando Princeps rescribit per viā privilegij: non esse necessariam clausulam derogatoriam *Non obstante*, scripsit Hostien. *in summa in tit. de rescript. §. Quas vires, in 4. col. vers. Sed potest distingui*, Io Andr. & Gemin. in cap. *unde excess. Prælat. lib. 6.* Cardin. post Lap. in dicta Clem. *unica in 3. quæst. de censib.* Mil. *in repertor. in ver. Privilegium, in 3. col.* Idem tenet Bald. in l. *Item Lapilli, in 2. col. num. 8. vers. Ego dico, ff. de rer. divis.* dicens eo ipso, quod Princeps vocat ipsum

sum privilegium, & bullatur bulla privilegiorum, non esse necessariam aliam clausulam, quia satis apparet eum velle infringere jus commune, per l. *Quidam consulebant, ff. de re iudic.* & dictum Baldi sequuntur Martin. Lauden. *in tract. de privil. §. 39.* & Felin. in cap. *Nonnulli, num. 11. vers. Fallit secundò prædicta regula, de rescript.*

4 Quo verò ad secundam partem ejusdem propositionis quamvis rescriptum contra legem etiam non habentem clausulam derogatoriam regulariter non valeat, sicut pro regula supponunt Joan. Andr. Gemin. & Anch. in c. cap. *unico, de excess. Prælat. lib. 6.* & Felin. in d. cap. *Nonnulli, num. 9. vers. Secunda regula*: tamen in eis non requiritur derogatio specialis, sed sufficit generalis, non obstante aliqua lege in contrarium, nisi lex esset Conciliaris, quia requireretur specialis derogatio. Ita post Archid. quem citat in cap. 1. *de Const. lib. 6.* tradit Bald. in l. *Humanum, num. 1. vers. Tertiò nota, C. de legib.* Joan. Andr. in d. cap. *unic.* & alij plures relati à Felin. in d. cap. *Nonnulli, num. 10. vers. Fallit novem modis, de rescript.*

5 Minor probatur in cap. *Statutum, de elect. lib. 6.* ubi cap. *Licet canon, eod. tit. & lib.* editum à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi, appellatur simpliciter statutum Gregorij X. Ad idem est text. in d. cap. *Licet canon*, ubi canon editus ab Alexand. III. in Concilio Lateranensi relatus in c. *Cum in cunctis, de elect.* dicitur similiter canon editus ab Alexandro III. absque ulla Concilij mentione: & idem habetur in *cap. 4. sess. 7.* Concilij Tridentini. ubi Constitutio, c. *De multa, de præb.* quæ ut patet ex illius inscriptione edita fuit ab Innocentio III. in Concilio generali appellatur Constitutio Innocentij nulla facta mentione Concilij.

Quinimò quamvis Constitutiones ferè universæ insertæ in Clementinis editæ fuerint in generali Concilio Viennensi, & nonnullæ ipsarum inscribantur, Clemens V. in Concilio Viennensi, & nonnullæ, Idem in eodem: tamen pleræque inscribuntur simpliciter per dictionem, *Idem*: & in specie sic inscribitur Clem. *Quia contingit, de relig. domib.* licet in corpore dicatur edita hoc sacro Concilio approbante: ergo Constitutiones editæ à Papa in Concilio sunt simpliciter, & absolutè Constitutiones Papæ.

6 Secundò principaliter probatur eadem sententia, quia Episcopi facultatem non habent dispensandi contra Constitutiones Conciliares, glos. in cap. *Cum dilectus, in ver. In ætate*, & ibi Abb. *in 5. col. num. 10. de elect.* glos. in cap. *Quisquis, in ver. Fiat, eod. tit.* Idem Abb. in cap. *Significasti, in 2. col. eod.* & in cap. *At si clerici, §. De adulterijs, infra hoc tit.* Felin. in cap. *Nonnulli, num. 3. de rescript.* Quemadmodum nec legatus, cap. *Dilectus, il primo, infra de præb.* juncto cap. 2. *de concess. præb.*

7 Felin. *ubi supra.* Sed contra Constitutiones editas à Papa in generali Concilio Episcopi ex urgenti causa possunt dispensare, ut per Felin. in cap. 1. *num. 5. vers. Ex quo colligi potest, infr. de spons.*

8 & Dec. in cap. 1. *num. 9. de iudic.* Ergo Constitutiones editæ à Papa in generali Concilio non censentur Conciliares quoad effectum dispensationis: & consequenter neque ad effectum derogationis. Etenim tam impotentia dispensandi, quàm necessitas derogandi provenit ex eo, quia Concilia generalia habent tacitè clausulam annullativam eorum, quæ in contrarium fiunt, Archid. in cap. 1. *in verb. Noscatur, in fin.* ibi: vel dic plenius *de Const. lib. 6.* Bald. in l. *Humanum, in 3. not. C. de legib.* Oldrad. *cons. 326. Quod articuli, & cons. 328.* Ad idem Felin. & post alios in d. cap. *Nonnulli, num. 2. vers. Et nota quod omnis Constitutio, de rescript.*

9 Tertiò generalibus Concilijs in contrarijs privilegijs, & litteris gratiæ debet specialiter derogari ob rationem maturitatis, & ponderis, quam in se habere præsumuntur Constitutiones originatæ à Concilio propter concursum multarum sententiarum in idem cap. *De quibus, 20. dist.* & cap. *Prudentiam*, cum ibi not. *de offic. deleg.* Oldrad.

10 *dicto cons. 326. num.* 1. Dicitur enim Concilium à con, & cilium, quia ibi omnes congregantur, ut conveniant, sicut cilia oculorum dum clauduntur conveniunt, secundum Hugon. & Ar-

11 chid. in cap. *Canones, num. 1. 15. dist.* At hæc ratio, ut observat Felin. in d. c. 1. *num. 5. vers. Ex quo colligi potest, de spons.* cessat in his, quæ à Summo Pontifice proponuntur in Concilio, in quibus non videtur esse tanta maturitas, & libertas ad deliberandum; tum ob illius reverentiam, cap. *116. qu. 2.* ibi: Humani moris est illum vereri, cujus judicio, & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur, & cap. 1. *8. q. 2.* ibi: Voluntatibus obedire reverentia exigente compellitur: notat Innoc. & Bald. in cap. *Quod super his, de maior. & obed.*

12 Tum quia discrepantibus sententijs inter Papam, & Concilium, prævalet sententia Papæ, glos. in cap. *In istis, 4. dist. in ver. Iubeant.* glos. in cap. *Quodcumque, 24. q. 1.* Felin. in cap. 1. *num. 1. de Pact.* & in cap. 1. *num. 14. in 3. ampl. de Const.* & dixi latius in d. cap. 1. *de pact.*

13 Ultimò pro hac sententia videtur text. in d. c. *Nonnulli, de rescript.* ubi statuitur, ut non valeant rescripta, quæ à Sede Apostolica impetrantur à partibus contra illam Constitutionem de duabus dietis editam ab Innoc. III. in generali Concilio, nisi ejusdem constitutionis fecerint expressam mentionem. Hæc enim clausula esset superflua si Constitutio ex hoc ipso quod edita esset in Concilio generali, haberet clausulam derogatoriam ad cōtrarias futuras dispositiones. Atque ita hunc textum licet ad alium affectum, expendit ibi Felin. *sub n. 31. vers. Tertiò, quod si illud esset verum.*

Sed his non obstantibus adhæreo contrariæ opinioni ex fundamentis infrascriptis.

14 Et primò quia Constitutionibus Concilij generalis in contrarijs rescriptis, & privilegijs Apostolicis debet expresse, & specialiter derogari, alioquin non valent, text. est hic, ubi notat glos. *in ver. Nulla mentio*, & fuit sententia Archid. in d. cap. 1. *de Const. lib. 6. in ver. Noscatur, sub num.* 2. quem ibi sequuntur Joan. Monach. Joan. Andr. Gemin. Anch. & alij communiter, imò totus mundus, ut inquit Felin. in d. cap. *Nonnulli, num. 3. de rescript.* Non quidem ex defectu potestatis, sed voluntatis, ut notat Gemin. in d. c. 1. *in 6. col. vers. Ego credo*, Oldrad. *cons. 326. num. 4. & cons. 328. n. 1.* Felin. in d. cap. *Nonnulli, num. 5. in 6. ampliat.* & ibi

15 latius scripsi *num. 34. & 44.* Sed Constitutiones editæ à Papa in Concilio dicuntur Constitutiones Concilij generalis: ergo illis debet expresse, & specialiter derogari.

Probatur minor per textum in cap. *Innotuit, de elect.* in illis verbis: (Canon Lateranensis Concilij ab Alexandro Prædecessore nostro editus,) quæ osten-

ostendunt Canonem editum à Papa in Concilio appellari Canonem Concilij. Idem apertius probatur in cap. *Ecclesia vestra, ii secundo, eodem tit.* ubi Constitutio edita ab Innoc. III. in Concilio generali *cap.* 24. de qua in cap. *Quia propter, de elect.* appellatur statutum generalis Concilij nulla facta mentione Pontificis, ut ibi Statutum generalis Concilij, idest d. cap. *Quia propter*, secundum expositionem gloss. & Doct. Ad idem sunt text. in cap. *Quanquam*, & in cap. *Sicut, eod. tit. lib. 6.* cum concor. & Quinimò Constitutio Clem. *Ut ij, de ætat. & qualit.* tribuitur simpliciter Clementi V. absque mentione Concilii, ut patet in illius suprascriptione; & in corpore similiter de Concilio nulla fit mentio & nihilominus quia fuit edita in Concilio Viennensi, Tridentina Synodus illam innovat & simpliciter appellat Constitutionem Concilij absque ulla Pontificis mentione in c. 4. *sess.* 22. ibi: Iuxta Constitutionem Concilii Viennensis, quæ incipit, *Ut ij*, & eodem modo appellat clem. *Quia contingit, de relig. domib.* in *cap. ult. sess.* 7. & in *cap.* 8. *sess.* 25. Et propterea Hostien. in cap. *Cum laicis, de reb. eccl. non alien.* dicit illud capitulum esse Concilium generale, & ideo observandum sicut Evangelium, juxta c. *Sicut*, 15. *dist.* & tamen fuit editum ab Innoc. III. Sacri approbatione Concilij, ut illic patet in fine.

16 Secundò pro hac sententia videtur tex. ni fallor, irrefragabilis in cap. *Eam te, de ætat. & qualit.* ubi inhibetur, ut etiam litterarum Apostolicarũ obtentu ad regimen Ecclesiarum non instituantur, nisi habentes qualitates à Concilio requisitas. Pondero enim primo verbum, *Concilio*, quod secundum gloss. & DD. refertur ad Constitutionem, cap. *Cum in cunctis, de elect.* quæ edita fuit ab Alexandro III. in Concilio Lateranensi, ut constat ex illius inscriptione, & tamen idem Alexander illius conditor in d. cap. *Eam te*, illam appellat simpliciter Concilium. Deinde, & fortius pondero verba illa, litterarum nostrarum obtentu, quæ clarè ostendunt non valere litteras Apostolicas contra Concilium, ut ex eo textu Doctore, communiter colligunt. Ergo si pro Concilio intelligitur ibi Decretal. Cum in cunctis, quæ edita fuit à Papa in Concilio, ut supra proximè dictum est: necessariò sequitur, ut litteræ Apostolicæ non valeant contra Constitutionem editam à Summo Pontifice in Concilio: intellige nisi Cõcilio fuerit specialiter derogatum, juxta tex. in d. c. *Nonnulli*, & ibi Felin. *n.* 2. *de rescript.* in *c. fin. eod. tit. lib. 6.* & in cap. *unico* ubi Joan. Andr. Gemin. & DD. *de excess. Prælat. eod. lib.* Nõ enim negatur potentia derogandi, ut inquit Gemin. in c. 1. *col. 6. vers. Ego credo, de Const. lib. 6.*

17 Tertiò probatur hæc sententia, quia præsentia Romani Pontificis non minuit, sed auget robur, & authoritatem decretis, quæ fiunt in generali Concilio, arg. c. *Significasti, de elect.* Majoris enim authoritatis sunt Constitutiones Papæ cum Concilio, quam Constitutiones solius concilij, ut not. in c. *Cum dilectus, eod. tit.* & patet ex traditis per Abbatem in cap. 1. in *ult. not. supra de pact.* & per Felin. in cap. 1. *n.* 4. *vers. Et ideo Dominus Abbas, infr. de spons.* Ergo si decretis à solo concilio editis oportet specialiter derogare, ut ostensum est supra, multo magis derogari debet decretis editis à Papa, & concilio simul, facit tex. in c. *Medicamentum, de pœnit. dist.* 1. & in c. 1. *supra de Treug. & pace*, & quod notat Alex. *cons.* 245. *alias ult. n. 4. in fin. & n. 5. lib. 6.* ubi quavis solus pupillus, vel solus tutor non possit compromit[illegible] lidè, tamen hoc non procedit si compromissum fiat ab utroque quia magis operatur actus amborum, quam alterius, alioquin inducta ad majorem firmitatem actus operentur ejus infirmationem, contra regul. l. *Legata inutiliter, ff. de adimen. legat.* & notata per eumdem Alex. *cons.* 79. *n.* 8. *vers. Circa septimum, lib.* 1.

18 Postremò tenet hanc sententiam Oldrad. *d. consil.* 326. *Quod articuli*, ubi late consuluit nullam esse collationem Apostolicam de dignitate ecclesiæ Rothomagensis factam pupillo coram papa existenti contra, c. *Cum in cunctis, de elect.* editum ab Alex. III. in concilio Lateranensi, & contra c. *Nihil*, §. *Episcopi eodem.* & c. *Grave, de præb.* edita, ab Innoc. III. in generali concilio, cum in litteris non fuisset eisdem constitutionibus expressè derogatum, quia inquit cum per sacra concilia fuerit introductum, ut personatus, & dignitates ecclesiasticis personis talem defectum patientibus non conferantur, ut in prædictis iuribus, non sufficit proponi papam etiam scienter fecisse cõtra concilia, nisi in litteris gratiæ contineatur expressè, quod id facit non obstantibus concilijs supradictis: & paulo post subnectit rationem, quia præsumi non potest, ut Dominus papa iuri nedum publico, sed quasi divino cum solemnitate, videlicet in sacris generalibus concilijs promulgato, sub tali taciturnitate voluerit derogare. Sentit ergo Oldrad. constitutiones editas à Pontificibus Maximis in Generalibus concilijs, censeri conciliares ad effectum derogationis, licet non tangat in individuo punctum, quod editæ fuerint non immediatè à Concilio, sed à papa in Concilio. Idem tenet Ioan. de Anan. *cons.* 95. *Visis, & diligenter consideratis*, ubi respondit non valere rescriptum habilitans spurium, & incestuosum ad successionem, nisi faciat expressam mentionem Constitutionis editæ ad Innocent. III. in generali Concilio, de qua in c. *Cum inhibitio de cland. despons.* & cum eo transit Felin. in d. c. *Nonnulli, num.* 3. *vers. Et propter dictum, de rescript.*

19 Et eodem modo Rota Romana sæpius decidit privilegium exemptionis à decimis prædialibus non valere, nisi facta fuerit expressa mentio Concilij generalis, idest Constitutionis, cap. *Nuper, de decim.* editæ ab Innocent. in generali Concilio, ut *decis.* 122. *par.* 1. *divers.* & apud Cardin. Seraph. *decis.* 1380. *num.* 3. Et propterea cum Religiosi Societatis Jesu obtinuissent à Paulo III. & Pio IV. indultum exemptionis à decimis etiam prædialibus, & præpositus generalis dubitaret litteras Apostolicas de subreptionis, ac nullitatis vitio notari posse, eo quod in eis facta non esset expressa, & specifica mentio de Constitutione Innocentij Papæ III. in Concilio generali super decimis edita, quæ incipit *Nuper*, Gregor. XIII. eidem societati concessit, ut prædictæ litteræ valerent perinde ac si in illis de Constitutione Innoc. prædecessoris, & seu Concilij generalis hujusmodi specifica, & expressa mentio facta, eique specialiter, & expressè derogatum fuisset, ut patet in Constitutione quæ incipit, *Pastoralis officij edita die 1. Ianuarij*, 1578. in Bullar. *tom.* 2. *pag.* 421.

20 Et in individuo Constitutionem editam à papa approbante Concilio ad effectum derogationis esse

habendam pro Conciliari, respondit Gemin. *cons.* 44. *Dominus noster Papa Martinus, num.* 3. ubi sic ait. (An Papa, qui non intendit tollere Constitutiones Concilii Constantiensis, nec contra illas facere, dicatur contra facere si concedit novam exemptionem non servata forma illius Constitutionis, & dico quod Papa non debet facere contra Constitutiones Concilii; nam prima pars illius Constitutionis quæ continet revocationem exemptionum, fuit facta per Papam sacro approbante Concilio, ut ibi patet *circa fin. vers. Sacro, &c.* Unde respectu istius partis dici debet Conciliaris; quia omnia nostra facimus, quibus authoritatem impartimur, cap. *Si Apostolica*, & cap. *Si eum, de præb. lib. 6.* & l. 1. *C. de veter. iur. enucl.*) Hæc Gemin.

Nec contrarium tenet Jo. Mon. in cap. *Ubi periculum, num. 2. in verb. Concilio, de elect.* Non enim dicit hæc verba, *Sacro approbante Concilio*, non probare Constitutionem fuisse editam in Concilio, prout illum referunt Gemin. *ibi in fine vers. Quæro ultimo an hæc Constitutio fuerit edita in Concilio*, & Felin. in cap. 1. *num. 7. in fin. vers. Et unum nota, de spons.* Etenim verba Jo. Monach. hæc sunt: (Gregorius consensum Cardinalium in hoc casu non habuit, sed approbationem Prælatorum existentium in Concilio requisivit, & habuit.) & ita fideliter eum refert Jo. Andr. *num. 2. in ver. Approbante.* Qui amplius miratur de Guil. qui dixit prædictam Constitutionem, ubi periculum, cap. *Licet, extra eod.* & cap. *Si Canonici, de off. ordin. lib. 6.* edita fuisse per Concilium. Quia licet de ultimo possit verum dicere, cum non habeat illa verba, *approbante Concilio*, tamen de aliis non. Itaque Ioan. Mon. & Joan Andr. tantummodo sentiunt Constitutionem editam approbante Concilio non censeri editam à Concilio, quod & nos affirmamus; quia hoc casu Constitutio editur nomine Papæ, non autem Concilii. Sed non dicunt Constitutionem non esse editam in Concilio, quia contrarium apparet ex eodemmet. c. *Ubi periculi.* Quod etsi fuerit editum Concilio approbante, tamen inscribitur, Gregorius X. in generali Concilio Ludunensi. Et eodem modo inscribuntur, cap. *Cum laicis, de reb. Eccles. non alien.* c. *Antiqua, de privil.* cap. *Sacro approbante Concilio, de sent. excomm.* & alia complura. Idemque apertius convincitur ex Concilio Tridentino, c. *ult. sess.* 7. & cap. 8. *sess.* 25. ubi Clem. *Quia contingit, de relig. domib.* edita hoc Sacro Concilio approbante, appellatur simpliciter Constitutio Concilij, ibi: Constitutionis Concilij Viennensis, quæ incipit. *Quia contingit.* Undè meritò Hostien. dicit d. cap. *Cum laicis*, esse Concilium generale, ut dictum est supra, *num. 15. vers. Et propterea Host.*

21 Nec obstant fundamenta in contrarium adducta. Ad primum enim respondetur declarando majorem propositionem. Quod enim dicitur Constitutionibus Apostolicis nullatenus esse derogandum in cõtrariis privilegiis, & in rescriptis sufficere generalem derogationem, procedit si Constitutiones sint solius Papæ ut sunt Epistolæ Decretales, & extravagantes, ut per Gemin. *d. cons. 44. n. 3.* Et ita procedunt jura, & authoritates in contrarium adductæ. At Constitutiones editæ à Papa in Concilio non sunt Constitutiones solius Papæ, sed Papæ, & Concilii simul. Et quamvis sæpe appellentur simpliciter Constitutiones Papæ, ut in juribus citatis, *n.* 5. hoc tamen procedit solum respectu denominationis: fateor enim Constitutiones in Concilio, cui Papa præsidet, nomine Papæ edendas esse, & ab eo tamquam digniori, & principaliori esse denominandas, nisi ipse ex humilitate consentiat, ut tribuantur Concilio, ut dixi latè in c. 1. *supra de Pact.* Sed hinc non sequitur, quin sint Cõstitutiones Conciliares, quia ad hoc satis est ut in illarum editione Concilium quoque concurrat quoquo modo sive præstando authoritatem, sive approbationẽ, sive consensum, sive consilium, secundum ea quæ scripsi in d. c. 1. *in princ.* & patet ex dictis *supra n. 15. & seqq.*

22 Ad secundum respondetur negando Episcopos posse dispensare contra Constitutiones editas à Summo Pontifice in Concilio generali. Contrarium enim colligitur ex Clemen. *Ne Romani de elect.* ubi reprobatur opinio, quæ adstruebat cœtum Cardinalium posse dispensare contra Constitutionem editam à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi. Et ita tenet glos. in Clem. 1. *in ver. Eligatur, eod. tit.* per quam Abb. affirmat Episcopum non dispensare contra Concilium, idest contra Constitutionem editam à Papa in Concilio, de qua text. loquitur, & per hæc Felin. dicit se non audere primam opinionem firmare in d. cap. 1. *num.* 5. *vers. Sed in contrarium, de sponsal.* Addo text. ad quem si Felin. advertisset à priori sententia liberius discessisset, text. inquam, in Extravag. *Sanctæ Romana Io. XXII. de religios. domib.* Ibi enim expressè deciditur Episcopos non posse dispensare contra Concilium, ut in vers. *Quidam autem*, ibi: Quos nec eis [idest Episcopis] vel eorum Superioribus concedere licuit contra formam Concilij generalis & tamen pro Concilio generali intelligit Constitutionem, c. *Ne nimia, supra tit. proximo.* quæ non fuit edita immediatè à Concilio sed ab Innoc. III. in Concilio generali, ut ex illius inscriptione apparet.

23 Hinc etiam S. Congregatio Concilij declaravit Episcopum nõ posse dispensare cum sibi subdito vero Bigamo ad primam tonsuram, & beneficia simplicia, cùm hoc adversetur generali Concilio Lugdunensi, ut in c. *unico, de Bigam. lib. 6.* & tamen nec illa Constitutio emanavit à Concilio immediatè, sed edita fuit in Concilio à Gregorio X. ut pariter constat ex illius suprascriptione.

An autem magna ex causa Episcopi possint dispensare contra generale Concilium, non est præsentis indaginis, sed dixi in c. *fin. num. 3. & num. 11. usque in fin. supra de fil. presbyt.*

24 Ad tertium respondetur imo præsentiam Romani Pontificis in Concilio nullo modo minuere omnimodam libertatem, quam Episcopi habent proferendi sententiam, & ex actis Conciliorum constat etiam eo præsente articulos fuisse summa cum maturitate, & deliberatione discussos; Et Episcopos quotiescumque oportuit, aut libuit libere contradixisse. Et in specie refert Jo. Andr. in c. *Inter cætera, num. 13. de off. ordin.* se pluries clamasse in tantum quod factus fuit sermo in Concilio Viennensi, ut Curia Romana reciperet vigesimam redditum Clericorum totius orbis ad sustentationem Papæ, & Cardinalium, & nihil exigi, vel recipi posset pro servitiis Prælatorum, quos promovet, exceptis taxatis salariis laborantium, puta scriptorum, & similium, & tunc provideret Legatis, & Nunciis, quos mittit, de prædicta quota,

ta, & abstineret ab exactione fructuũ primi añi, ex actionibus decimarum, & similibus, quæ tunc pullulabant: Sed prælati existentes in Concilio deliberarunt non facere. Et subjicit rationem, quæ multum adstruit libertatem Patrum in Concilio, quam tamen consultò omittimus. Dictum Jo. Andr. refert, & valde exaggerat Card. *ibi circa med.* Abb. *num.* 3. & Bellam. *ad fin.* In Concilio item Florentino, in quo præsedit Eugen. IV. apparent ingentes Græcorum contradictiones; & tamen inter cætera agebatur de articulo, quo nihil magis intereat Eugenij. Nam ex erroribus Græcorũ unus erat præcipuus, quod Ecclesia orientalis, & Constantinopolitana non esset sub Ecclesia Romana, nec Patriarcha Constantinopolitanus esset inferior Romano Pontifice, & idipsum constat ex historia, & Actis Concilij Constantiensis, in quo præsedit Martinus V. & in Cõcilio Lateranensi novissimo in præcipuo articulo abrogationis pragmaticæ sanctionis, quam Leo X. meritò urgebat, eo quod Romani Pontificis libertati, & authoritati enormiter detraheret, nõ defuit, qui cõtradiceret, ut patet *sess.* 11. *tom.* 9. *Concil. pag.* 154. *col.* 1. *littera* F. Quæ multo magis vendicant sibi locũ stante antiqua, licet irrationabili, & erronea altercatione de Primatu, & Superioritate inter Papam, & Concilium, circa quam Platina in vita Jo. XXIII. relatus à Felin. in c. *Nonnulli, n.* 3. *vers. Sed pro maioritate Papæ, de rescript.* dicit fuisse decisum in Concilio Constantiensi Concilium generale legitimè congregatum habere statim potestatem à Christo, quo fundamento concesso, asserebant Summum Pontificem eidẽ subjici. Quamvis hoc decretum nullum, atq; irritũ fuerit ex defectu potestatis, ut dixi in c. *Significasti supra de elect.* ubi etiam retuli decisionem, cujus meminit Platina, & Felin. *locis citatis.*

25 Nec refert, quod in varietate opinionum prævaleat sententia Romani Pontificis. Nam si Pontifex decernat contradicente Concilio, decretum illud erit quidem validum, ut patet ex dictis, *num.* 12. Sed non erit Conciliare; & ideo non erit opus illi specialiter derogare in contrariis privilegiis, & litteris gratiæ, secundum ea, quæ dicta sunt supra in primo argumento contrario. *num.* 1. Quod si Concilium tandem consentiat Pontifici, jam constitutio erit quidem Conciliaris, sed potius edita cum majori deliberatione propter conflictum opinionum, arg. l. *fin.* §. *mixta, ff. de muner. & honor.* & extrav. *Quia nonnunquã, Jo. XXII. vers. Nos autem attendentes, de ver. signif.* cum concord. de quibus, ibi per glos. *in verb. Aperitur.* & *in verb. Disputare*, & consequenter illi multo magis erit derogandum, quàm si à Concilio tantum edita fuisset.

26 Ad ultimum respondetur clausulam derogatoriam in d. c. *Nonnulli, de rescr.* fuisse appositam ad abundantiorem cautelam: non enim est novum in jure, ut aliquando exprimantur ea, quæ tacitè insunt ad majorem declarationem, ut est text. in cap. *Quamquam, 23. dist.* & notat Calder. *cons.* 221. *n.* 2. *vers. Ad idem facit, alias* 1. *de Cler. non resid.* Ideoque inculcatio verborum admittitur etiam superflua ad tollendam sophisticam malignorum interpretationem, secundum Jason. in l.
27 *Eum qui ita, §. Te, & Titium, num.* 4. *vers. Sed advertere, ff. de verb. obligat.* Præsertim verò quia quamvis opinio illa, quod Concilia generalia tacitè habeant clausulam derogatoriam ad sequentes contrarias dispositiones, in se vera sit, & ferè ab omnibus recepta, tamen in contrarium videtur stare authoritas Innocentij in d. c. *pen. in eodem*; ejusque sententiam veriorem putat Felin. in d. c. *Nonnulli, sub num.* 3. *vers. Sed non videtur verum, de rescr.* Unde inutilis non fuit expressio illius clausulæ ad evitandas Doctorum controversias. Et propterea ex stylo in privilegiis, & rescriptis prædictæ Constitutioni de duabus dictis semper consuevit specialiter derogari. Post hæc reperi Dominos de Rota *in causa Ulixbonen. Decimarum,* 5. *Novembris* 1574. coram Robusterio disputasse ex professo hunc articulum an Constitutio, c. *Nuper, de decim.* edita ab Innocent. III. in generali Concilio dicatur Papalis, vel Conciliaris ad effectum, ut requiratur derogatio; & re maturè discussa resolvisse Dominos esse Conciliarem ad effectum prædictum, & non fuerunt ferè ex fundamentis, quæ superius tetigimus, ut videre est *decis.* 123. *par.* 1. *divers.*

De jure Patronatus.

Cap. Perlatum.

SUMMARIUM.

1 *Ob patronorum discordiam cessat Ecclesia à Divinis, tolluntur inde reliquiæ, & ostia clauduntur.*
2 *Ius patronatus inter hæredes dividi non potest.*
Declaratur, ut n. 3. *& seqq.*
3 *Patroni inter se convenire non possunt, ut unus habeat patronatum in una parte Ecclesiæ, alius in alia.*
4 *Nec fructus, & possessiones Ecclesiæ possunt inter se dividere.*
5 *Possunt tamen inter se pacisci de Rectore alternis vicibus præsentando.*
6 *Etiam sine consensu Episcopi.*
7 *Item si habeant plures patronatus convenire possunt ut unus præsentet in una Ecclesia, & alius in alia.*
8 *Ius patronatus est individuum, & est insolidum penes unumquemque hæredem.*
9 *Etiamsi ex diversis, & in equalibus partibus sint hæredes.*
10 *Incorporalia dividi non possunt.*
11 *Ius patronatus alicubi ex consuetudine dividitur per uncias.*
12 *Ius patronatus est transitorium etiam ad extraneos hæredes.*
13 *Non tantum masculos, sed etiam fœminas.*
14 *Licet fuerit institutum per modum maioratus.*
15 *Ius patronatus gentilitium an extincta familia transeat ad extraneos hæredes, & num. seqq. usque in fin.*
16 *Ius patronatus concessum filijs videtur denegatum extraneis hanc qualitatem non habentibus.*
Contrarium, n. 19.
Declaratur, n. 23. *& n.* 26.
17 *Relictum filijs masculis, in eorum defectum non transit ad fœminas, sed Ecclesia remanet libera.*
Contrarium, n. 19.
Declaratur, n. 23. *& n.* 26.

Con-

18 *Concessum universitati non potest transferri in eos qui sunt extra universitatem, & n.* 27.
19 *Provisio hominis regulariter non tollit provisionem iuris communis in eodem casu.*
20 *Casus omissus in fideicommisso relinquitur dispositioni iuris communis.*
21 *Provisio legis quotiescunque facta est in defectum provisionis hominis, tunc silet lex ubi loquitur homo.*
22 *Provisio hominis non facit cessare provisionem legis etiã specialis, & extraordinariæ, quando concurrunt circa diversa.*
23 *Ius patronatus reservatum illis de familia taxativè, ad extraneos hæredes non transit.*
24 *Patronatus in fundatione Ecclesiæ potest remittere ius patronatus in totum aut pro parte, prout ei libuerit.*
25 *Ius patronatus concessum illis de familia sine taxatione, in eorum defectum transit ad hæredes extraneos, non ex provisione hominis, sed ex provisione legis.*

---

1 PERLATUM. Propter discordiam patronorum cessat Ecclesia à divinis, tolluntur inde reliquiæ, & ostia clauduntur. Hoc dicit cum c. seq. secundum Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar. & Imol. Sed per se sic summari potest. Jus patronatus est individuum inter hæredes patroni; & si ob eorum simultates Rector Ecclesiæ non possit suo officio fungi, & aliter Ecclesiæ provideri nequeat, cessandum est à divinis, donec patroni ad concordiam redeant. Dividitur ut per Joan. Andr. & de intellectu hujus capit. Patronis discordantibus vide plenam in c. *Si plures, in verb. Auferri,* 16. *q.* 7.

2 Nota primò ex principio textus jus patronatus inter hæredes dividi non posse. Quod tripliciter potest intelligi secundum Jo. Andr. *hic num.* 2. Butr. *num.* 5. & Abb. *num.* 6. Primò scilicet, ut patroni inter se convenire non possint, ut unus habeat patronatum in una parte Ecclesiæ, alius in alia: & hunc intellectum posuit Vincentius. & magis consonat antiquæ, quæ sic se habet: [Relatum est ad sanctam Synodum, quod inter hæredes etiam Ecclesiæ in rebus propriis constitutæ dividantur, & tanta per eandem divisionem simultas oriatur, ut de altari tres partes fiant, & singulæ partes singulos habeãt Presbyteros; quod sine discordia, & simultate nullo modo fieri potest; unde nobis visum est, quod hujusmodi Ecclesiæ inter hæredes dividi nõ debeant.
4 Refertur ab Anton. Augustin. *in prim. collect. decretal. lib.* 3. *tit.* 33. *c.* 1. Secundò potest intelligi, ut fructus, & possessiones Ecclesiæ nequeant patroni inter se dividere: & hic intellectus fuit Petr. de Sampf. & Abb. Antiq. Tertiò intelligi potest, ut ipsummet jus patronatus dividi non possit inter hæredes, prout intellexit Host. & quilibet intellectus est in se bonus, secundum Abb. d. *num.* 6.

5 Cæterum hoc intelligas quoad substantiã jurispatronatus, non autẽ quoad ejus pertinentias: nam patroni bene possunt inter se pasci de Rectore ab eis alternis vicibus præsentando: argum. l. *Quoties, ff. de usufruct.* & l. *Via, in fin. ff. de servit.* & hic tenẽt gloss. 1. Tancred. Vincentius, Philipp. & Goffred. Licet Innocent. in hac vacillaverit; aliquando enim absolutè improbavit hujusmodi conventionem in juribus Ecclesiæ, ut *hic, &* 1. *vers. Hoc tamen nobis non placet*: aliàs verò existimarit patronos posse sic convenire, de consensu tamen Diœcesani, & non aliàs, ut in cap. *Quari-*
6 *moniam post princ. in ver. Et vicissitudines, infra eodem.* Sed hodie prima opinio glossæ est approbata, & utraque opinio Innocentij reprobata in Clem. 2. *vers. Et facilius, de iurepatr.* & ibi notat gloss. *in ver. Et ut.*

7 Quod si patroni habeant plures patronatus, eodem modo possunt ad invicem convenire, ut unus præsentet in una Ecclesia, & alius in alia, ut sic quemadmodum permittitur divisio ratione temporis in præsentando alternis vicibus, ita & ratione loci secundum Anton. de Butr. *hic nu.* 5. & Abb. *n.* 6. *vers. Etsi habent.*

8 At verò ipsum jus patronatus est individuum, ut hic patet, & est insolidum penes unumquemq; hæredũ; & hoc ideo est, quia cum sit res simplex,
9 & indivisibilis, pervenit ad quemlibet hæredum in solidum, etiamsi ex diversis, & inæqualibus partibus sint hæredes, arg. l. *Via, ff. de servit.* l. *Si sepulcrum, C. de relig. & sumpt. funer.* l. 1. §. *Si usufructus, ff.* ad l. *Falcid.* & l. *Usus, ff. de usu, & habitat.*

10 Incorporalia enim dividi non possunt, cap. *Nihil,* 7. *q.* 1. & ita hic firmant gloss. *prima* Innoc. *num.* 1. Host. *in princ. & num.* 2. & Abb. *num.* 7. dicens hanc opinionem tenere communiter Doctores.

11 Goffredus tamen refert in quibusdam locis, sicut Neapoli, jus patronatus dividi per uncias; & asserit illam consuetudinem posse excusari, quasi ejusmodi divisiones non fiant respectu jurispatronatus, sed respectu patronorum, secundum quas hæredes successerunt patrono uni, vel pluribus, & non respectu portionum, quas contulerunt Ecclesiam construendo, vel dotando, & potest esse aliqua utilitas harum divisionum, ut Ecclesia in alendo, & in honorib⁹ magis teneatur ei, à quo plus recepit: sed actus præsentandi comunis erit omnibus, & cum his dictis Goffred. transit hic simpliciter Jo. Andr. *num.* 10.

12 Secundò, nota ibi, *Inter hæredes patroni*, Jus patronatus esse transitorium ad quoscunq; hæredes, & sic etiam ad extraneos, cum hæc littera de hæredibus indistinctè loquatur, Abb. *hic n.* 2. gloss. *unic.* in cap. *Considerandum,* 16. *q.* 7. Cardin. in Clem. *fin. in* 6. *qu.* & ibi etiam Anchar. *num.* 7. & Imol. *num.* 15. *de iurepatr.* Aretinus in cap. *Significarit, col.* 3. *de testib.* Covar. alios referens *var. resol. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 6. Card. Seraph. *decis.* 364. *n.* 3.

13 Quinimò non tantum transit in hæredes masculos, sed etiam in fœminas. Jura enim in hac materia jurispatronatus inter masculum, & fœminam non distinguunt Imola post Paulum de Leazer. in dicta Clem. *final. num.* 15. *vers. Idem dicit Paulus,* Abb. *hic nu.* 3. *& cons.* 54. *Videtur primò, n.* 4. *vers. Nec est distinguendum, lib.* 1. Rocch. de Curt. *in tract. de iurepatr. in verb. Competens, nu.* 1. *& in verb. Ipse velis, quæst.* 6. Lambertin. *in eod. tract.* 2. *par. lib.* 1. *in secunda quæstione principal. art.* 14. Facit cap. *fin. supra de conces. præben.* & cap.
14 *Ex litteris, infra eod.* etiamsi jus patronatus fuerit institutum per modum majoratus, itaut deveniat ad unum tantum, scilicet majorem natu, seu primogenitum: nam nihilominus succedunt

 se-

fœminæ, nisi expressè sint exclusæ, Covar. *practic. quæstion. cap. 38. num. 13.* Molin. *de Hispan. primogen. lib. 1. cap. 1. num. 26. & 27.* & *lib. 3. cap. 6. num. 41. & cap. 7. num. 19.* Nicol. Garz. *de benefic. par. 5. cap. 9. num. 145.*

15 QUÆRO an juspatronatus gentilitium, idest reservatum illis de familia, & agnatione fundatoris, extincta agnatione sit transitorium ad extraneos hæredes.

16 Ad partem negativam inducitur auctoritas Baldi cons. 400. circa primum, *num. 1. & 2. vol. 2.* Ubi consuluit jus patronatus concessum filiis post eorum obitum non transire ad extraneos hæredes, ea præcipuè motus ratione, quod cum jus patronatus fuerit à fundatore concessum filijs, videtur denegatum extraneis hanc qualitatem non habentibus, arg. l. *Cum Prætor, ff. de iudic.* & in authent. *de non alien. §. Emphyteusin.* Et in iisdem ferè terminis Gemin. *cons. 45. Descendo per ordinem, n. 70. in 3. dubio* : respondit jus patronatus relictum filijs masculis, in eorum defectum non transire ad fœminas, sed extingui, & Ecclesiam remanere liberam. Nempe quia expressio masculorum censetur facta ad exclusionem fœminarum : ergo eodem modo expressio illorum de familia hoc casu censetur facta ad exclusionem aliorum hanc qualitatem non habentium. Ad idem facit Card. *cons. 48. Quidam nobiles, n. 1.* & Rocch. de Curt. *in tract. de iurepatr. in verb. ipse velis, q. 33. in fin.*

18 Et confirmatur exemplo jurispatronatus concessi universitati, quod non potest transferri in eos, qui sunt extra universitatem, Lambertin. *in tract. huius titul. part. 1. lib. 1. in 2. quæst. princip. art. 9. num. 12.*

19 Ad contrarium sic arguitur. Provisio hominis regulariter non tollit provisionem juris communis in eodem casu, l. *Si cum dotem in princ.* & ibi Bartol. *l. 1. fin. ff. sol. matrim.* l. *Extraneus, ff. de condict. ob caus.* l. 4. §. *Si ex commissione*, ibi : Cum accesserit aliquid rei judicatæ, non videtur à re judicata recessum, *ff. de re iudicat.* Joan. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de locat. §. Nunc aliqua, vers. 35.* cum aliis allegatis per Ant. Gabr. commun. *conclus. de reg. iuris concl. 8. nu. 4.* Sed jus patronatus ex provisione juris communis est transitorium ad extraneos hæredes, ut hic patet, & notat Joan. Andr. in cap. *Cum sæculum, num. 6. infr. eod.* & dictum est supra *in 2. notab. num 12.* Ergo provisio hominis in reservando jus patronatus illis de familia non tollit, quin illis deficientibus ex provisione legis ad extraneos hæredes transeat. Quo potissimum fundamento pro hac parte plenè consuluit Petr. de Anchar. *cons. 81. Prima facie videretur, per totum*, & ante eum Calderin. *cons. 4. Titius habens, de iure patronatus* : ubi similiter est casus, & sequuntur Rocch. de Curt. *in tract. huius tituli, in verb. Competens, nu. 2. vers. Et præmissum*, dicens se non reperijsse aliquem tenentem contrarium Curt. junior *cons. 157. n. 2.* & *cons. 323. num. 2. lib. 3.* Paris. *cons. 48. num. 11. & 21. lib. 4.* Dec. *cons. 149. num. 2.* Cassad. *decis. 1. num. 3. de iurepatr.* & hanc opinionem Ancharani esse communem, & veram magistraliter deducunt DD. de Rota coram Robusterio *in causa Cremonen. iurispatronatus, decis. 385. per totam, parte prima divers.*

20 Facit etiam pro hac parte, quod quando in fideicommisso aliquis casus est omissus, relinquitur dispositioni juris communis, l. *Centurio, §. fin. ff. de vulg. & pupill.* & d. l. *Si cum dotem, ff. solut. matrim.* Sed casus deficientis familiæ fuit à testatore omissus : ergo juris communis dispositioni est relinquendus, quo cautum est, ut jus patronatus transeat ad extraneos hæredes. Sic enim provisio hominis convenit cū provisione legis, & utraque servatur in suo casu, videlicet provisio hominis quamdiu superit aliquis de familia; pro-

21 visio autem legis ubi familia defecerit. Quotiescumque autem provisio legis facta est in defectū provisionis hominis, tunc silet lex, ubi loquitur homo; sed ubi ex diverso fonte, & nova radice, procedit lex, ut formaliter inquit Bald. in l. *Certi*

22 *iuris num. 1. C. Locati* : nec provisio hominis facit cessare provisionem legis etiam specialis, & extraordinariæ, quando concurrunt circa diversa, Bart. in d. l. *Si cum dotem*, & in l. *Si constante, ff. solut. matrim.* Rota d. *decis. 385. n. 5.*

23 Pro solutione videtur sic distinguendum. Aut fundator voluit jus patronatus esse illorum de familia taxativè, itaut ad eos tantum pertineat, nō autem ad eorum hæredes : & tunc jus patronatus ad hæredes extraneos minimè transit, sed extinctum remanet extincta agnatione, & ecclesia fit libera & in hoc casu loquuntur Card. & Rocch. initio quæstionis allegati, prout eos declarat Pa-

24 ris. *cons. 48. num. 6. lib. 4.* Potest enim patronus in fundatione Ecclesiæ remittere jus patronatus in totum, vel pro parte, & limitativè illud inducere in præjudiciū descendentium, vel extraneorum hæredum, prout ei libuerit, cap. *Significavit, de testib. cap. 1. de iurepatr. lib. 6.* ubi Archidiacon. & alii.

25 Aut jus patronatus fuit concessū illis de familia simpliciter, ac sine ulla taxatione: & hoc casu transit etiā simpliciter, ac sine ulla taxatione : & hoc casu transit etiā ad extraneos hæredes nō ex provisione hominis, sed ex provisione legis, cui provisio hominis non adversatur; & procedunt rationes adductæ pro secunda opinione quicquid in oppositum tenuerint Bald & Gemin. initio citati, qui loquuntur contra communem.

26 Ex quibus patet etiam responsio ad objecta; sed nihilominus singillatim respondendo, nō obstat quod jus patronatus fuerit reservatū illis de familia; quoniam verba illa stant demonstrativè, secundum Calder. & Anchar. *locis citatis*; & quatenus taxationem aliquam importarent, illa tamen intelligitur durante familia, nō autem ea deficiente, ut ex dictis constat.

27 Rursus non obstat simile de jure patronatus universitatis : quia similitudo in hoc consistit, quod quandiu supersunt aliqui de familia, non admittuntur extranei; sed familia extincta, casus à fundatore omissus regulari debet juxta juris dispositionem, & in hoc nō procedit simile universitatis, seu collegij, quorum non datur hæres, vel successor, sicut datur ultimo de familia.

Et ita in terminis resolvit Rota *in d. causa Cremonen. iurispatr. die 6. Iunij 1578.* coram Card. Seraph. ut in eius impressis *decis. 364.* quæ postea fuit confirmata *sub die 21. Novembris eiusdē anni, ut decis. 378.* & concordant allegatæ *decis. Robusterij 385. part. 1. divers.* & Cassad. *decis. 1. n. 3. de iurepatron.* & hæc est veritas.

DE

De Iure patronatus.

Cap. In singulis.

SVMMARIVM.

1 Patronis discordantibus præferendus est præsentatus, qui plures habet voces.

2 Ius patronatus ex fundatione acquiritur : quod si plures sint fundatores, omnes efficiuntur patroni.

3 Ius patronatus est transmissibile ad quoscumque hæredes.

4 Ex fundatione, vel dotatione non acquiritur mero iure, sed ex gratia, & concessione ecclesiæ.

5 Ecclesia etiam per laicos fundata cum dotibus suis olim ad ordinationem pertinebant Episcoporum.

6 Iuris patronatus origo, & prærogativa, & num. 31.

7 Patroni quicquid iuris habent in ecclesia, totum ex gratia procedit, & de speciali gratia toleratur.

8 Laicus circumscripta dispensatione ecclesiæ, non est capax iuris patronatus, quod est spirituali annexum.

9 Papa si velit, potest liberè disponere de beneficijs patronatus laicorum etiam invitis patronis.

10 Sed non expedit ut sic disponat, ne laici à fundationibus retrahantur.

11 Papa non censetur velle patronatui laicorum derogare, nisi hoc exprimat.

12 Iuris patronatus concessio postquam redacta est in corpore iuris, non dicitur gratia, sed iustitia.

13 Præsentatio facta à maiori parte patronorum etiam respectu numeri valida est, licet non sit facta à maiori parte omnium.

14 Patronus unus ex duobus potest alterum præsentare, licet ex duobus eligentibus unus non possit alium eligere.

15 Præsentatus à pluribus in discordia patronorum præferendus est si sit idoneus, licet alius præsentatus sit dignior.

16 Ius conferendi ecclesiam liberè ad Episcopum devolvitur si quæstio super patronatu laicali infra quadrimestre, aut ecclesiastico infra semestre non fuerit terminata.

17 Sive quæstio sit super quasi possessione præsentandi, sive super proprietate.

18 Quod procedit si quæstio inter compatronos vertatur; secus si inter Episcopum, & patronum, quia tunc Oeconomum deputabitur.

19 Item secus si lis vertatur inter ipsos præsentatos aut inter patronos, & præsentatos.

20 Item secus si quæstio sit super idoneitate præsentati, aut patroni concordare non possint in persona præsentanda.

21 Eligendi potestas ad Superiorem non devolvitur, licet quæstio super iure eligendi infra tempus ad eligendum præfixum non fuerit definita.

22 Ius præsentandi in omnibus differt à iure eligendi.

23 Ius patronatus an acquiratur ex sola fundatione, an verò etiam requiratur constructio, & dotatio ecclesiæ, & num. seq. usque ad n. 50.

24 Fundare quid sit.

25 Constructionis nomine includitur etiam fundatio.

26 Fundans non efficitur patronus si nemo alius ecclesiam construat, & dotet; nec construens si nemo alius dotem assignet; nec dotans si nullus ecclesiam fundet, & construat, contra Lambertinum, & num. seq. usque ad num. 49.

27 Ius modicū non efficit quem patronum.

28 Ius patronatus ex tribus causis acquiritur.

Declaratur, num. 49.

29 Patronus efficitur qui ecclesiam de non esse deducit ad esse.

Declaratur, num. 46.

30 Ecclesia vel Basilica appellari non potest nisi in constructione sit eo usque processum, ut possint ibi divina officia celebrari.

31 Ius patronatus quid sit.

32 Ius patronatus amittitur si ecclesia funditus destruatur, & num. 56. & 58.

33 Retentio facilius datur, quàm nova acquisitio.

34 Ecclesia ædificari non debet nisi prius assignentur quæ necessaria sunt pro luminaribus, pro custodia, & pro stipendiis ministrorum.

35 Et de facto constructa sine dotis assignatione consecrari non debet nisi prius fundator illam dotet.

36 Consecrans ecclesiam indotatam tenetur eam competenter dotare.

37 Et in defectum Episcopi consecrantis tenetur fundator.

38 Fundator, qui compulsus ecclesiam dotat, an ex fundatione efficiatur patronus.

39 Commodum non debet quis consequi ex eo, quod facit invitus.

40 Dotans ecclesiam prius fundatam, & constructam de consensu Diœcesani ius patronatus acquirit.

Et fingitur ab initio eam dotasse num. 48.

41 Ius patronatus est individuum, & semel quæsitum ex una causa, non potest ex alia causa acquiri.

42 Meum ex una causa, ex alia meum fieri non potest, nisi desinat esse meum.

43 Ex præsentatione secunda non potest alicui ius competere, si competat ex prima.

44 Matrimonium carnale vel spirituale constare non potest ex consensibus iteratis.

45 Ius patronatus quomodo intelligatur acquiri ex tribus causis alternativè, & num. 49.

47 Ecclesia sine substantia rerum deserviri non potest.

48 Dotis constitutio de Diœcesani consensu retrotrahitur ad tempus fundationis, & constructionis ecclesiæ.

49 Ius patronatus acquiritur si unus det fundum, alius ecclesiam construat, & alius assignet dotem, & omnes in solidum efficiuntur patroni.

50 Ius patronatus an acquiratur ex readificatione, seu refectione ecclesiæ, & num. seqq. usque ad num. 61.

Quid si ecclesia non sit funditus destructa, n. 52.

Et quid si à fundamentis sit diruta, ita ut egeat nova consecratione.

Et quid si readificetur ex ijsdem cæmentis n. 58.

51 Servitutem non recipit quod humani iuris esse desijt.

53 Readificans ecclesiam funditus dirutam sine Diœcesani consensu non efficitur patronus.

54 Ecclesiam consecratam readificare favorabilius est, quàm de novo construere.

55 Ecclesia per totalem destructionem remanet execrata.

56 Ius patronatus per totalem destructionem ecclesiæ radicitus amittitur, & num. 58.

 57. Patro-

57 *Patronus antiquus requirendus est, & præferendus extraneo in reædificatione ecclesiæ dirutæ.*

58 *Obligatio semel extincta in perpetuum non reviviscit.*

59 *In patronatum ecclesiæ, quæ dotem, vel fundum amisit, acquiritur ei, qui de novo dotat, aut fundat, non autem patrono antiquo.*

60 *Jus patronatus surgens ex dotatione, vel fundatione non amittitur ex sola destructione ecclesiæ, cujus reædificatio eriguntur tres patroni ex diversis causis.*

61 *Gratificari an possit Episcopus alteri ex præsentatis in discordia, an vero teneatur instituere digniorem nominatum.*

62 *Concursus an requiratur in Parochiali ecclesia, quam Episcopus confert jure devoluto ob lapsum temporis patroni laici ad præsentandum præfixi, respective.*

1 QUONIAM. Si patroni discordant, ille præficitur si sit idoneus, qui plurium patronorum voces habet. Si hoc sine scandalo esse non potest, vel si patroni intra tempus debitum non præsentant, Episcopus ordinabit Ecclesiam. Hoc dicit. Et dividitur in duas partes. In prima ponit abusum patronorum, qui fuit Constitutionis causa. In secunda Constitutionem ibi, *decerni*. & hæc secunda subdividitur in tres, prout sunt tria dicta. Secunda, ibi, *si autem*. Tertia, ibi, *& idipsum*.

2 Nota primò ibi, *fundatores*. Jus patronatus acquiri ex fundatione ecclesiæ, ut hic, & in c. Filiis, 16. q. 7. in cap. Consuluit, & in cap. Nobis, infra eodem. Quod si plures sint fundatores, omnes efficiuntur patroni, ut notatur in cap. 1. supra eod. & per Butr. hic n. 2. Sed hoc fusius explicabitur infra in prima quæstione.

3 Secundò nota ibi, *aut hæredes eorum*. Juspatronatus esse transmissibile ad quoscumque hæredes, & sic jure hæreditario deferri, concordat textus in cap. 1. *supra eod.* & in Clem. 2. *eodem tit.* & tenet gloss. in cap. *Consideravimus*, in ver. *Cohæredes*, 16. *quæst.* 7. Feder. de Sen. *cons.* 111. *Quæstio talis est*, *num.* 9. *vers. Sed contra videtur*. dicens ita communiter notari per omnes in cap. *Cum seculum*, infra eodem, & in d. Clem. 2. Butr. *hic num.* 5. De communi etiam testantur Cardinal. Abb. Aretin. & alii apud Covarr. *var. resolut. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 6.

4 Tertiò nota ibi, *sustinuit*. Fundatoribus ecclesiarum jus patronatus acquiri, non ex mero jure, sed ex gratia, & permissione quadam, & tolerantia ecclesiæ, ut hic, & in cap. *Si quis episcoporum*, ibi, hæc gratia reservetur, 16. q. 5. & hic notant Host. num. 5. in ver. *Sustinuit*, Jo. Andr. num. 2. Butr. num. 4. Abb. in 1. notab. & reliqui omnes.

5 Nam, ut inquit Gemin. *cons.* 45. incipien. *Descendo per ordinem*, *in princ.* laici de jure antiquo in ecclesiis etiam per eos ædificatis, vel dotatis nullum jus habebant, sed statim ecclesiæ ipsæ cum dotibus suis ad ordinationem pertinebant Episcoporum, cap. *Decretum*, cap. *Regenda*, & cap. *Neverint*, 10. q. 1. & notatur in cap. *Piæ mentis*, 16. *quæst.* 7.

6 Verum tempore succedente consultum ecclesiis, ut ipsi potius haberent in ecclesiis certa jura, videlicet jus defensionis, ut in cap. *Filijs* 16. *quæst.* 7. quod [illegible] Card. cons. 123 num. 5. Item honorem processionis, ut in inch. cap. *Piæ mentis*, *eadem causa*, & *quæstione*, & in cap. *Nobis*, *infra eodem*. Item jus alimentationis ut d. cap. *Nobis*. Item jus præsentandi, ut cap. *Decernimus*, 16. *quæst.* 7. Et hæc laicis concessit ecclesia ut ad fundandas, & dotandas ecclesias inducerentur, ut notat Hugo in d. cap. *Piæ mentis*, Goffred. in cap. *Sacrosancta*, *de elect.* & gloss. ult. in Clem. *fin. post med. vers. Et fuit*

7 *forte motivum*, *de rescript.* Quamobrem quidquid juris habent patroni in ecclesia, totum ex gratia procedit, & de speciali gratia toleratur. Hoc ipsum firmat idem Gemin. *cons.* 50. *Quæritur an Episcopus*, *in princ.* Petr. de Ancharr. *cons.* 113. *Ius a qua dependeat*, *in princ.* Bellam. *cons.* 10. *Factum est tale*, *num.* 10. *in fine vers. Nec obstat quod fundator*, & Abb. *cons.* 49. *Attingam*, *vol.* 2. *num.* 3. *vers. Item præsupposito*, *vol.* 2.

8 Ratio est quia cum jus patronatus sit spirituale, vel spirituali annexum, cap. *Quanto*, *de judic.* *de his in regere*. & circumscripta dispensatione, & privilegio ecclesiæ, laicus hujusmodi juris capax non est, cap. *Decernimus*, *eod. tit.* & est simile in cap. *Prohibemus*, *infra de Decim.* & in cap. *Cum Apostolica*, *de his quæ fi. a Prælat.* Quam rationem adducunt hic Hostien. Joann. Andr. & alii supracitati, num. 4. & Abb. d. *cons.* 59. *eodem num.* & *vers. Et in sua quæst.* 5. incipien. *Angerio*, *vol.*

9 *primum*, & *seq. vers. Ego autem*. Cum igitur juspatronatus quod laici in ecclesiis habent, gratiosum sit, eisque ecclesia in tali potestate ex gratia sustineat, ut hic dicitur: hinc inferunt Hostien. Joan. Andr. & Abb. ut Papa si velit, possit liberè conferre beneficia juris patronatus laicorum, etiam invitis patronis, ut notatur in cap. *Cum dilectus*, *in gloss. in ver. Præsentare*, *infra eod.* & in cap. *Dilectus de offic. leg.* in gl. *in ver. Concessione*, quæ dicit hanc potestatem soli Principi competere, non autem legato, & in Clem. 2. in gloss. in ver. *Apostolicis*, *de præben.* & per Archid. in cap. *Filijs*, 16. *quæst.* 7. & in cap. *Hortamur*, 81. *dist.* Non tamen expedit

10 ut Papa liberè disponat de Ecclesiis jurispatronatus, ne laici a fundationibus retrahantur, secundum Hostien. *hic num.* 5. & Joan. Andr. *num.* 2.

11 unde fit, ut quamvis possit, non tamen censeatur velle patronatui laicorum derogare, nisi hoc exprimat, secundum gloss. præalleg. in d. Clemen. 2. Gemin. *cons.* 58. *Pro clarioris*, *num.* 13. *vers. Ex quo satis patet*. Et Felin. *in tract. Quando litter. Apost. præjudic. patron. in princ.* Quinimo Hostiensis *in Summa*, *sub num.* 5. *de offic. legati*, testatur se vidisse litteras per Papam scriptas Prælatis Angliæ continentes hanc suam protestationem quod quando scribit pro aliquo beneficiando, non est intentionis suæ ut conferatur ei ecclesia aliqua, in qua laicus obtineat jus patronatus. Unde, ut inquit, Lap. *alleg.* 96. incipien. *Beneficia vacantia*, *num.* 3. Nec obstat, non disputatur hic de potentia Papæ, quis planum est quod potest, si vult, sed disputatur de ejus intentione an velle præsumatur hoc non expresso, & dicitur non præsumi propter rationes prædictas; & nimiam cupiditatem in collationibus ostenderent Prælati ecclesiastici, si suo jure laicos privarent, potissimè cum reservato jure laicorum plus habeant in confirmatione, & institutione,

12 quàm laici in præsentatione. Hæc Lupus. Et adde Feder. de Sen. *cons.* 234. *Super primo puncto*, *nu.* 3. *vers. Non obstat*, 16. q. 5. ubi ait, habendo respectum ad jura antiquissima, nempe ad c. *Decretum*, & c. *Neverint*, 10. q. 1. concessionem juris patronatus fuisse gratiosam, sed hodie cum per jura nova fuerit redactum in corpore juris, amodo non dici gratiam, sed justitiam, seu jus commune.

13 Quartò nota ibi, *& plurimorum approbatur assensu*, præsentationem factam a majori parte patronorum etiam respectu nominis validam esse, licet non sit facta a majori parte omnium, ut quia decem erant patroni, & quinque præsentarunt Cajum, tres Titium, & duo Sempronium præfertur enim Cajus præsentatus a quinque, & ita intrepidè esse tenendum per hanc decretalem, dicunt Jo. Andr. *num.* 3. & Card. hic. *in* 6. *quæst. num.* 9. post Vincent. & Bernard. Compostellan. qui hoc notant in cap. *Ecclesia*, *el primo*, *supra de elect.* Rota *decis.* 558. *num.* 2. apud Farinacc. *par.* 1. *recent.* Nec obstat textus in d. cap. *Ecclesia*. Quia loquitur in electione, quæ fit ab aliquibus ut a Collegio, & propterea non sufficit ut quis eligatur a pluribus partium comparatione numerum, sed requiritur major pars Collegii. Facit quod notatur in cap.

14 *Cum inter*, *supra de consuetud.* At secus est in præsentatione, ut hic. Unde infert Joan. Andr. *eodem num.* 3. ut si duo sint patroni, unus possit alterum præsentare, licet ex duobus eligentibus unus non possit alium eligere.

15 Quintò nota, ibi, *qui majoribus juvatur meritis*, ad hoc ut præsentatus in discordia patronorum sit præferendus, duo videri necessaria, videlicet ut sit dignior, & habeat plures voces, & ita videtur innuere hæc littera, & notant Abb. Antiq. *in princip.* & Butr. *in* 5. *notab.* Sed nihilominus communiter tenetur sufficere ut præsentatus a pluribus sit idoneus, licet alius sit dignior, atque ita sufficit major pars, licet illa non sit sanior, & sic comparatio numeri ad numerum, non autem zeli ad zelum, aut meriti ad meritum, ut hic firmat gloss. *in ver. Majoritate*; Hostien. *num.* 5. *in ver. eligitur*. Roch. de Curte *in tract. de jure patron. in ver. Honorificum*, q. 15. & 18. Lambertin. *in eodem tract. lib.* 2. *quæst.* 4. *art.* 2. & 3. Et hanc partem hodie non obscurè approbavit Concilium Tridentinum *in cap.* 18. *sess.* 24. Nam etsi in parochialibus liberæ collationis, & juris patronatus ecclesiastici jusserit digniorem eligendum, tamen in ecclesiis jurispatronatus laicorum voluit satis esse ut præsentatus ab examinatoribus Synodalibus examinetur, & idoneus repertus admittatur, ut ibi in vers. *Quod si jus patronatus*.

16 Ultimò nota ex fine litteræ jus ordinandi ecclesiam ad Episcopum devolvi cum quæstio super patronatu infra quadrimestre non fuit terminata, si jus patronatus sit laicorum, ut hic, & in cap. *Cum propter*, *infra eodem*, vel intra semestre si sit ecclesiasticum, ut in cap. *Cum te*, *infra eodem*. Quod proce-

17 dit sive quæstio sit super quasi possessione præsentandi, ut infra in cap. *Consultationibus*. Sive super proprietate, nec aliquis sit in possessione, secundum Innocen. *in ver. De jurepatronatus*.

Ex his collige unum, quod prima facie videtur mirabile secundum Abb. in cap. *Cum propter*, *in* 1. *notab. infra eodem*, ut scilicet non valenti præsentare propter impedimentum litis, currat tempus ad præsentandum contra juris regulas: nam tempora hujusmodi non currunt nisi negligentibus, ut legitur, & notatur in cap. *Ne pro defectu*, *supra de elect.* & in cap. 2. *de concess. præben.* negligens autem dici non potest is, qui agit, l. *Contra majores*, *C. de inoffic. test.* *in* Jo. Andr. *hic num.* 9. *vers. Sed obstat*.

18 Unde hanc Constitutionem declara primò, ut procedat si quæstio super patronatu versetur inter compatronos, & propter illorum discordiam non fuerit decisa infra tempus a jure præfixum, in quibus terminis loquitur hæc decretalis. Secus si contentio sit inter Episcopum, & patronum, puta quia Episcopus prætendat ecclesiam esse liberæ collationis, & patronus asserat esse de jure patronatus, tunc enim tempus ad præsentandum non currit patrono, ut præsertim impedito, nec Episcopus ordinabit ecclesiam, sed ponet ibi Oeconomum quousque quæstio fuerit terminata, ut legitur, & notatur in cap. *Cum vos*, *supra de offic. ordin.* secundum Host. *hic num.* 7. *vers. Et hoc est verum*, & Abb. *num.* 7.

19 Declara secundò ut procedat si contentio hujusmodi sit inter compatronos, prout loquitur hæc littera: Secus si inter præsentatos, ut resolvit Rota *decis.* 585. *num.* 7. apud Farinacc. *in collect.* 1. *novissimar.* & idem dicendum si lis versatur inter patronos, & præsentatos; quia non habet locum devolutio, de qua hic, secundum Jo. Andr. in d. cap. *Cum vos*, *num.* 2. *vers. Unde iura*, *de offic. ordinar.* Butr. *ibidem*, *num.* 7. *vers. Iura ergo*, & Imolam, *num.* 7. *vers. Nec obstat*. Lap. *alleg.* 78. *num.* 15. Rotam apud Farinacc. *decis.* 81. *in fine part.* 1. *recentior.*

20 Declara tertiò ut procedat si contentio sit super patronatu, secus si super idoneitate personæ; quia non intrat hæc devolutio, ut post Jo. Andr. tenet Abb. *hic num.* 7. Et idem dicendum si patroni non possent inter se concordare de persona præsentanda, quia tunc haberet locum dispositio, cap. *Nulli*, *supra de concess. præben.* ut scilicet sex mensibus expectari debeat, secundum Innocent. *hic num.* 1. *in ver. Ordinet*.

21 Declara ultimò ut locum habeat tantummodo in quæstione juris præsentandi, non autem juris eligendi: nam si inter electores contendatur de potestate eligendi, & quæstio non terminetur intra tempus præfixum ad eligendum, potestas liberè ordinandi ecclesiam ad Superiorem non devolvitur, quia non est quod imputetur electoribus, cum per eos non stet quominus eligant, sed propter litem ibi motam. Unde cum contrarium non sit statutum nisi super præsentatione, ut hic, non debemus hoc jus extendere ad contentionem super electione, ita probatur in cap. 2. *de in integr. restit.* ubi diu super jure eligendi certatum fuit; & tamen eligendi potestas non fuit ad Superiorem devoluta, ut concludunt *hic* Hostien. & Jo. Andr. ambo, n. 7. *vers. Sed an in hoc casu*, &

22 Abb. *n.* 6. Præsertim verò quia inter jus præsentandi, & jus eligendi considerari potest multiplex ratio diversitatis: nam præsentatio sumitur gratia, ut dixi supra in 3. *notab.* electio verò juri communi, ut c. 1. *supra de elect.* Præterea jus pinguius habent electores, quàm præsentatores, ut colligitur ex gl. in cap. *Quanto*, 63. *dist.* juncto c. *Quod autem*, *infra eodem*. Ac demum de modico patronorum præjudicio agitur si lite pendente alius ab Episcopo instituatur; sed electoribus ex devolutione fieret magnum præjudicium, quia forte haberent quem non vellent, aut non expediret habere. Unde meritò aliud statuitur cum controvertitur de jure præsentandi, & aliud cum de jure eligendi, ut benè per Abb. *d. n.* 6.

23 QUÆRO, An ex sola fundatione acquiratur jus patronatus; an verò etiam requiratur constructio, & dotatio.

24 Ad evidentiam præmitto fundare ecclesiam strictè sumpto vocabulo nihil aliud esse, quàm fundum dare, ubi ecclesia est construenda, textus est in c. *Abbatem, il secundo*, ibi, Et possessionis dominus, 18. q. 2. & in cap. *Nobis*, ubi Joan. Andr. & alij notant, *infra eod.* Sed in latiori significatione, & communi usu loquendi dicuntur fundare etiam qui construunt, ut probatur in d. cap. *Nobis*, & in cap. *Nec quidem*, juncta expositione Jo. Andr. ibi, *de testam.* & declarant Roch. de Curte, *in tract. de iurepatr. in ver. Ecclesiam fundavit*, in 1. *quæst.* & Paul. de Citta din. *in eod. tract. in 3. quæst. principali, art.* 1. Unde Concilium Tridentin. in c. 9. *sess.* 25. dum statuit titulum juris patronatus esse ex fundatione, vel dotatione; sub nomine fundationis comprehendit etiam constructionem, seu ædificationem ecclesiæ; sicut etiam comprehen lit glos. in cap. *Generali, in ver. Fundatione. de elect. lib.*
25 6. & notat Abb. in cap. *Ad audientiam*, *el primo, in 3. notab. supra de eccles. ædifican.* & eodem modo sub nomine constructionis includitur fundatio, ut in cap. *Filij*, 16. q. 7.

26 Quibus præmissis ad propositam quæstionem respondetur duabus conclusionibus.

Prima conclusio est. Jus patronatus non acquiritur, nisi hæc tria copulativè concurrant, videlicet fundi collatio, ecclesiæ constructio, & dotatio authoritate Diœcesani. Hæc conclusio est Abbatis in *consl.* 106. *Prim iuxta ordinem*, *nu.* 2. *vers. Sed his non obstantibus*, & *vers. Præterea, lib.* 2. ubi firmat ex causa fundationis, constructionis, & dotationis posse effici tres patronos unius ecclesiæ si in his tribus simul concurrant; alias secus; In-
27 ducit ad hoc glos. *singular.* in cap. *Quicumque*, *in ver. Aliquid*, 16. *quæst.* 7. quæ dicit ex modica dote quem non effici patronum: ergo multò minus si nullam dotem contulerit: & sic secundum Abb. vult illa glossa, ut ex sola fundatione, & constructione sine assignatione dotis competentis non acquiratur jus patronatus.

Verùm Lambertin. *in tract. huius titul. lib.* 1. *par.* 1. *in* 3. *quæst. principali*, *nu.* 2. *vers. Est bene verum*; latè refellit doctrinam Abbatis. Primò quia illa glossa non loquitur de eo, qui ecclesiam construxit, sed de eo qui contulit modicam dotem ecclesiæ jam constructæ, qui absque dubio non efficitur patronus ratione dotis insufficientis. Deinde quia jura inferius vitanda in secunda conclusione dum disponunt de acquisitione juris patronatus, loquuntur alternativè, videlicet ex causa fundationis, vel constructionis, vel dotationis; & consequenter non requirunt, ut omnia simul concurrant. Ac demum pro hac parte inducit Innocent. *in rubr. huius tit.* ubi videtur sentire ex sola fundatione, vel constructione quem effici patronum, quia deduxit ecclesiam de non esse ad esse, licet dotem non contulerit, ut ibi latius per Lambertinum, qui ex his concludit, jus patronatus acquiri ex sola fundi collatione, vel ædificatione ecclesiæ, etiamsi nec ipse, nec alius dotem assignaverit: Ego existimo propositam conclusionem esse veram, & Lambertinum hallucinari.

28 Moveor primò ex auctoritate ipsius Innocentij *in rubr. huius tit. num.* 2. ubi determinat jus patronatus tribus ex causis acquiri, scilicet ecclesiæ constructione, ecclesiæ dotatione, & territorij ad ecclesiam fundandam collatione, & quemlibet istorum patronum esse, & rectè sic vocari, quia
29 sicut pater filium, ita patronus rem, idest ecclesiam de non esse deducit ad esse; Et mox subdit: Non enim potest fieri ecclesia nisi fundus, ubi fiat, assignetur, & ibi ecclesia ædificetur, & ante fundationem dos assignetur, ut cap. *Nemo, de consecr. dist.* 1. Sentit ergo Innocentius non posse quem effici patronum, nisi ecclesiam de non esse deducat ad esse, & ecclesiam fieri, seu quod idem est ad esse deduci non posse, nisi simul fundus conferatur, ecclesia ædificetur, & ante fundationem dos assignetur, & Innocentium sequuntur in cap. 1. *supra eod.* Host. *num.* 4. & Jo. Andr. *n.* 8.

Moveor secundò, quia ex eo quod quis assignet fundum pro ecclesia ædificanda, si nec ipse, nec alius illam ædificet, ecclesia non potest dici in esse producta, ut patet ad sensum, & probatur in d. c. *Nemo, de consecr. dist.* 1. Ergo fieri non potest ut ex sola fundi collatione quis efficiatur patronus, & acquirat jus patronandi in ecclesia, quæ non est in rerum natura, quia impossibile est prædicari de non ente, ut inquit Angel. *cons.* 390. *Carissime pa-*
30 *ter, n.* 1. Quinimò ut inquit Federic. de Senis *cons.* 129. *Casus talis est, n.* 2. (Si in opere ecclesiæ, seu capellæ non sit tantum processum, ut possint ibi divina officia celebrari; non potest adhuc ecclesia, vel basilica appellari, quia non sunt ibi substantialia; & sic cum non possit ibi adhiberi consecratio ecclesiæ non potest dici ecclesia, quæ non est in rerum natura.) Hæc Federicus.

31 Moveor tertiò, quia jus patronatus est jus honorificum, onerosum, & utile alicui in ecclesia competens pro eo quod de Diœcesani consensu illam fundavit, dotavit, vel construxit ipse, vel is à quo justam causam habet; ut diffinit Joan. Andr. rejectis antiquorum diffinitionibus *sup. in rubr. huius tit. num.* 3. *vers. Si tu igitur sine calumnia.* Cujus diffinitionem postea probarunt omnes, & latissimè explicarunt Roch. de Curte, Cæsar Lambertin. & alij, qui de hoc titulo tractatus ediderunt. Verba autem hujus diffinitionis nullatenus verificari possunt nisi ecclesia simul sit fundata, constructa, & dotata. Patet, quia verbum illud, *honorificum*, importat ut patronus honorificentius in ecclesia recipiatur, & studiosè eis ministris ecclesiæ deserviatur, & in processione præ alijs honoretur, cap. *Piæ*, & cap. *Frigentius*, 16. *qu.* 7. secundum Innocent. *in hac rubr. num.* 3. Quomodo autem poterit honorificentius recipi in ecclesia nondum ædificata? aut qui ministri sine stipendio in paupere esse poterunt, qui patrono deserviant? Similiter verbum, *onerosum*, designat ut patronus teneatur ecclesiam ab impugnatione defendere, & de rebus ecclesiæ sollicitudinem gerere ne fraudentur, c. *Constitutum*, 16. q. 1. & c. *Filijs*, q. 7. Quod pariter supponit ecclesiam jam constructam, & dotatam fuisse. Item illud verbum, *utile*, importat ut si patronus perveniat ad egestatem, alatur de bonis ecclesiæ, cap. *Quicumque*, 16. q. 7. & notat Innocent. *hic art.* At quomodo ali possit ex bonis ecclesiæ, quæ dotem non haberet? cum præsertim alimenta non sint patrono præstanda nisi ex proventibus, quæ ecclesiæ supersunt, q. *ult. ad finem*, 25. q. 2. & notat glos. in d. c. *Quicumque*, *in ver. Ad inopiam*. Cum igitur verba diffinitionis juris patronatus nullo modo conveniant ei, qui dedit fundum, nullo alio ecclesiam construente, & dotante; nec ei, qui construxit, si nec ipse, nec alius dotem assignavit: consequens est ut nec competat diffinitum, ut l. 1. §. *Dolum*, *ff. de dolo*, cap. *Cum causam, infra de raptor.* & notant glo. Hostien. Joan. Andr. Cardin. & alij *in rubr. supra de summa Trinit. & fide Cathol.*

32 Moveor quartò, quia jus patronatus jam acquisitum amittitur si ecclesia funditus destruatur, cap. *De fabrica, de consecr. dist.* 1. & latius patebit infr. *in* 2. *quæst.* Item perditur dote penitus perempta, ut post alios fusè probat Lambertin. *in tract. huius tit. lib.* 1. *part.* 1. *in* 6. *quæst. principali art.* 3. *num.* 13. & *lib.* 3. *in* 7. *quæst. principali art.* 1. *num.* 1.
33 ergo multò fortiùs non acquiritur si ecclesia nondum sit constructa, & dotata; quia facilius datur retentio, quàm nova acquisitio, l. *Per retentionem, C. de usufruct.* & l. 2. & ibi Bald. *in* 3. *notab. C. de fideicomm.* & turpius ejicitur quam non admittitur hospes, ut dicit textus in cap. *Quemadmodum, supra de iureiur.*

34 Moveor quintò, quia jura prohibent ecclesiam ædificari nisi prius assignentur quæ necessaria sunt pro luminaribus, pro custodia, & pro stipendiis ministrorum, cap. *Nemo, de consecr. dist.* 1. & in authen. *Vt nulli, ædific. orator. dom. in rubro, & nigro*, & notat glos. 1. in cap. *Quicumque*, 16. *quæst.* 7. Fusè Lambertin. *in hoc tract. lib.* 1. *part.* 1. *in* 5. *quæstione principali, art.* 10. Quinimò ante ipsam fundationem dos assignari debet secundum Innocent. *supra in rubr. num.* 2. & Cardin. *num.* 4. *in* 5. *quæstione*: Ergo absurdum est, ut de facto construens ecclesiam sine dote ex facto per jus damnato consequatur præmium, & gratiam juris patronatus, unde potius deberet pœnam mereri, cap. *Legi*, 16. *quæst.* 1. l. *Sive hereditaria*, *ff. de negot. gest.* glos. in cap. *Quod ob gratiam, ad finem, de regul. iur. in* 6.

35 Moveor ultimò, quia etsi ecclesia construi non debeat ante dotis assignationem, ut in d. cap. *Nemo, de consecr. dist.* 1. tamen si de facto construatur, consecrari non debet nisi prius fundator illam dotet, ut sunt jura clara in cap. *Piæ mentis*, & in cap. *Frigentius*, 16. *quæst.* 7. & in cap. *Placuit*, 1.
36 *quæst.* 2. & tradit Lambertin. *in præcitata, quæst.* 5. *art.* 18. Quod si contra juris dispositionem ecclesia esset fundata, & consecrata sine competenti dote; consecrator teneretur eam dotare, ut tenet glos. unica communiter approbata in cap. *Cum sicut, sup. de consecr. eccles. vel altar.* exemplo Episcopi, qui ordinans aliquem sine titulo tenetur illi de suo providere, cap. 2. cap. *Episcopus*, & cap. *Cum se-*
37 *cundum*, *supra, de præben.* & in defectum Episcopi consecrantis, ut dicit illa glossa, fundator dotabit eam, & poterit ad hoc compelli, arg. d. cap. *Piæ mentis*, 16. *quæst.* 7. & l. *Qui liberos*, *ff. de ritu nupt.* quod latius prosequitur Lambertin. *d. art.* 18. *in*
38 *princip. vers. Si autem ecclesia.* In eo autem casu, in quo fundator compellitur ad dotandum, de rigore juris ex dotatione non efficitur patronus, ut videtur tenere Jo. Andr. *in rubr. huius tit.* secundum Cardin. *ibi in* 6. *quæst. num.* 5. *vers. Et ex hoc videtur*: sicut non detrahit Trebellianicam, qui compulsus adiit ut restituat, ut l. *Nam quod*, §. *Qui*
39 *compulsus*, *ff. ad Trebell.* & generaliter non debet quis commodum consequi ex eo, quod facit invitus, cap. *Quam præposterum*, cum concordan. de quibus ibi in glos. *ult.* 13. *qu.* 2. glos. *penult.* in cap. *Ad fidem*, 23. *quæst.* 5. licet Cardin. subdat æquius esse ut efficiatur patronus, de quo plenius per Lambertin. *lib.* 1. *par.* 1. *in* 3. *quæst. principali num.* 4. *vers. Vnum tamen reperi.* Ergo Doctores supponunt pro indubitato eum, qui de facto fundavit, & construxit ecclesiam sine assignatione dotis, non acquisivisse jus patronatus: aliàs enim ineptum fuisset inquirere an dotans ex necessitate efficeretur patronus, si jam patronus esset ex
40 fundatione, & constructione præcedenti: & quidquid sit de illo, qui compulsus contulit dotem ecclesiæ jam fundatæ; certè negari non potest quin efficiatur patronus si illam conferat spontè, prout concludit Innocent. & Cardin. *supra in rubr.* & idem Cardin. *hic num.* 6. & Abb. *num.* 9. & Lambertin. *lib.* 1. *par.* 1. *in* 3. *quæst. principali art.* 1. Ergo necesse est fateri ex sola fundatione, & constructione eum non acquisivisse jus patronatus: nam si acquisivisset, quidquid dicat Lam-
41 bertin. *d. q.* 3. *num.* 4. *vers. Sed ad hoc potest responderi*: utique ex dotatione non potuisset illud de novo acquirere cum jus patronatus sit individuum, & semel quæsitum ex una causa, non possit ex alia acquiri, arg. l. *Via, ff. de servit.* l. *Si sepulcrum, C. de relig. & sumptib. funer.* l. 1. *ff. ad leg. Falcid.* l. *Vsus, ff. de usu, & habitat.* Incorporalia enim dividi non possunt, cap. *Nihil*, 7. *quæst.* 1. & notat Hostien. in cap. 1. *num.* 1. *supra eod.* & Archid. in cap. 1. *post princ.*
42 *eod. tit. lib.* 6. & Bald. in cap. *Quanto*, *de iudic.* & quod meum est ex una causa, ex alia meum fieri non potest, nisi desinat esse meum, ut cap. *Inter dilectos*, §. *Cæterum, de fide instrum.* l. 3. §. *Ex pluribus*, *ff. de acquiren. possess.* & l. *Cum res*, *C. de contrahen. empt.* Abb. *cons.* 3. Nitar. *col.* 2. *in princ. vers. Item quod meum est, lib.* 2. Socin. *reg.* 25. *Dominus semel amplius effici non potest.* Facit textus in *cap. Vt quod dat*, *de elect. lib.* 6. & quod notat Lap. *allegat.* 8. *per ut am.*
43 Præsertim *num.* 4. ubi dicit ex secunda præsentatione non posse alicui jus competere si competit ex prima, quia Quod meum est ex una causa, &c.
44 & matrimonium carnale sicut spirituale constare non posse ex consensibus iteratis, quia cum sit individuum, aut ex primo consensu tenuit, & sic nihil addit secundus; Aut non tenuit, & potest consistere ex secundo, allegat glos. in cap. *fin. de translat. Episc.* & Jo. Andr. hoc dicentem *in addit. ad Speculat. in tit. de rescript.* §. *Ratione autem causæ, vers. Item obtentum est.*

45 Non obstant jura, quæ dicunt jus patronatus posse acquiri ex pluribus causis alternativè; quoniam loquuntur in casu secundæ conclusionis, de qua *infra num.* 49. idest cum unus dat fundum, alius construit, & alius assignat dotem: nam unusquisque alternativè ex una causa efficitur patronus. Sed hinc non sequitur quin respectu ecclesiæ debeant simul concurrere fundatio, constructio, & dotatio.

46 Item non obstat quod ex sola fundatione, & cōstructione ecclesia de non esse deducatur ad esse, ac proinde fundans, & cōstruens efficiatur patronus, ut ex Iñocentio prolixè deducit Lambertin. Nam respondetur ecclesiam deduci quidem ad esse etiam dote nondum assignata, sed incompletè, & contra juris prohibitionem: unde ex tali fundatione, & constructione patronatus, & jus præsentandi rectorem non acquiritur, quia sine substantia rerum non potest ecclesiæ deserviri, ut c. *Si quis abiecerit*, 1. q. 3. & fuit dictum Innocentij supra

supra in rubr. num. 2. vers. Posset tamen dici, & Hostien. in cap. 1. num. 4. vers. Potest tamen dici contrarium, supra eod. Et patet ex dictis Feder. de Sen. supracitatis, num. 30.

Et ex his considerationibus, ad quas Lambertinus non advertit, arbitror concludendum ex sola fundatione non acquiri jus patronatus, si nemo alius ecclesiam construat, & dotet; neque ex sola constructione, si nemo alius dotem assignet; neque ex collatione dotis, si nullus ecclesiam fundet
48 & construat, sed hæc tria debere copulativè concurrere ab initio; quod intelligo verè, seu per juris fictionem: nam si à principio, licet malè, sine dote fuisset fundata, & ædificata, & consecrata ecclesia, qui postea illam dotaret de Diœcesani consensu patronus esset, quia favore ecclesiæ fingeretur actus iste præcessisse, ut formaliter inquit Jo. Andr. in d. cap. 1. num. 8. vers. Potest tamen dici, & sic constitutio dotis retrotrahitur, & ecclesia videtur dotata ante consecrationem, sicut in matrimonio, cap. Tanta. Qui fil. sint legit. & per Abbat. hic num. 9. in fine. Quidquid contra scripserit idem Abbas in prææleg. cons. 106. num. 2. lib. 2.

49 Secunda conclusio est, ad acquirendum jus patronatus non requiritur ut una, & eadem persona fundet, construat, & dotet ecclesiam; sed satis est ut unus det fundum, alius ædificet, & alius assignet dotem de consensu Diœcesani, & omnes in solidum efficiuntur patroni. Probatur hæc conclusio ex cap. Piamentis, cap. Frigentius, cap. Quicumque, & cap. Filijs, 16. q. 7. ex cap. Abbatem, il secondo, 18. q. 2. & cap. Nobis, infra eod. & ex Concilio Tridentino, cap. 9. sess. 25. quibus in locis prædicti modi acquirendi jus patronatus ponuntur tamquam diversi, & cum dictione alternativa in medio, & consequenter non requiritur omnium concursus, sed ex quolibet ipsorum jus patronatus acquiritur, c. Inter cæteras, supra de rescr. & reg. In alternativis, de reg. iur. in 6. & ita intelligi debet gl. 1. in d. c. Piamentis, dum firmat jus patronatus acquiri ex tribus causis, & recitat versum.

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Idem apertius tenet Innocen. supra in rubr. dum primò ponit hos tres modos acquirendi patronatum, & postea subdit, quilibet autem ipsorum patronus est. Idipsum clarè voluit Archid. in cap. 1. post princ. de iurepatr. lib. 6. ubi ait posse effici plures patronos ex diversis causis, puta quia unus est patronus ex fundi datione, alter ex dotatione, alter ex constructione, & sequitur Cardin. supra in rubr. in 4. quæst. & cons. 122. Quidam habens quoddam fundum, col. 2. vers. Ad quod respondeo, Abbas cons. 39. Quidam Dominus Iacobus, post princ. lib. 2. & alij apud Lambertinum asserentem hanc esse communem omnium Doctorum sententiam in tract. huius tit. lib. 1. par. 1. in 3. quæst. principali art. 1. num. 1.

50 Secundò QUÆRO, an ex reædificatione, seu refectione ecclesiæ acquiratur jus patronatus.

Negat Laurentius, & post eum Innocen. hic in princ. arg. l. Prætor, §. Vicinales, ff. ne quid in loco publ. melius dixissent, § Viarum, vers. Vicinales, ubi vicinalis via dicitur privata, si ab initio facta sit à privatis, publica si solum reficiatur expensis privatorum, atque ita quod publicum est, ex simplici refectione non desinit esse publicum. Inducunt
51 etiam rationem, quia quod humani juris esse desiit, servitutem non recipit, l. Caveri, ff. Commun. prædior. & arg. cap. Ad hæc, in fine supra de relig. domib. cum suis concordan.

52 Verum glossa Bernardi hic in ver. Fundatores, distinguit sic. Aut ecclesia non est funditus destructa, & ex refectione, seu reparatione jus patronatus non acquiritur. Et in hoc casu vera est
53 opinio Laurentij de qua supra. Aut ecclesia est prorsus diruta ita ut egeat nova consecratione, juxta text. in cap. De fabrica, de consecr. dist. 1. & hoc 2. casu, aut quis ecclesiam reædificat sine consensu Episcopi Diœcesani, & nullum jus acquirit, arg. l. Vsufructuarius, ff. de usufr. ubi patet usufructuarium non posse immutare formam rei, etiamsi aliàs non possit uti. Et est expressum in Authen. ut null. fabric. orat. dom. §. 1. collat. 5. Nam quemadmodum à principio non licet ecclesiam construere sine consensu Episcopi, ut in cap. Nemo, de consecr. dist. 1. ita nec postea illam reædificare ut acquiratur jus patronatus, ut benè per Abb. hic num. 8. Aut ecclesiam prorsus dirutam reædificat de Diœcesani consensu; & acquirit jus patronatus, quia perinde est ac si ecclesiam ab initio
54 construxisset, cap. Consuluit, infra de Iudæis, ubi habetur favorabilius esse reædificare constructam, quàm de novo construere, & est casus in d. auth. Vt null. fabric. orat. dom. §. 1. Per totalem enim
55 destructionem ecclesia remansit execrata d. cap. De fabrica, de consecr. dist. 1. cap. Proposuisti, & cap. In ligneis, de consecr. eccles. vel altar. Secundum Jo. Andr. sup. in rubr. num. 3. vers. Sed non placet hæc reprehensio. & prior patronus, qui per primam ædificationem ecclesiæ acquisivit jus patronatus, per
56 totalem illius destructionem radicitus ipsum jus amisit, ut tenet Bernard. hic in fine primæ glossæ, & Hostien. post eum num. 3. Joann. Andr. num. 12. Henric. Boich. prope finem, vers. Prior verò patronus,
57 Cardin. quæst. 3. & reliqui omnes. Æquum tamen est ut antequam Episcopus extraneo de consensu suo ædificare volenti consentiat, antiquum patronum super hoc requirat, & ipsum cuilibet extraneo præferat, arg. cap. Cum Apostolica, de his quæ fi. à Prælat. cap. Potuit, de locat. & condu. & c. Ad hæc in fine de offic. Archid. secundum Hostien. & alios præallegatos, & concordat quod notat idem Hostien. in cap. Nobis, infra eod. Supradictam glossæ distinctionem probarunt hic Tancred. Host. Joan. Andr. & Henric. Boich. locis citatis, & Abb. num. 1. & 11. Staphil. de litter. grat. tit. de mod. & form. impetr. §. Sequitur videre, num. 6. Butsatt. cons. 310. à num. 3. vol. 3. Lambertin. de iure patr. lib. 1. p. 1. in 6. quæst. principali art. 3. Menoch. cons. 90. sub num. 24. & 25. Rota decis. 306. à num. 3. p. 3. divers. & apud Cardin. Seraph. decis. 555. n. 2.

58 Procedit autem hæc conclusio etiamsi reædificatio fiat ex iisdem cæmentis, seu materia; adhuc enim reædificans de Diœcesani consensu acquirit jus patronatus, non autem ille, qui ab initio illam construxit, & per totalem destructionem desiit esse patronus, ut proximè dictum est. Nam obligatio semel extincta in perpetuum non reviviscit, l. Qui res, §. Aream, ff. de solut. & cap. Quæris, de consecr. dist. 4. Ad hoc textus optimus in l. Quid tamen, §. penult. ff. quib. mod. usufruct. amitt. ubi si navis fuerit per partes refecta, durat usufructus; sed si ex toto destructa fuerit, & postea restaurata, licet ex eisdem tabulis, usufructus extinctus est. Sicut si domus ex iisdem cæmentis, tignisque fue-

rit restituta, usufructus extinguitur, & pro hac parte post multa concludit glos. 1. hic vers. Item quid si reædificata est, Hostien. nu. 2. in eod. vers. Butr. n. 17. Cardin. n. 7. in 3. quæst. Abb. n. 11. & plerique alij. Neque obstant jura contraria allegata in glossa, ex quibus arguitur ecclesiam reædificatam censeri eamdem ecclesiam, & loco prioris succedere. Quoniam loquuntur in eo casu, in quo semper remanet materia, ut respondet Jo. Calderin. & post eum Cardin. ubi supra.

59 Rursus procedit eadem conclusio non solum in jure patronatus surgente propter ædificium, sed etiam propter dotem, vel fundum. Nam quemadmodum si ecclesia sit à fundamentis destructa, ex reædificatione alterius etiam ex iisdem cæmentis antiquus patronus non recuperat jus patronatus: eodem modo si dos, vel fundus omninò pereat; antiquus patronus ex nova dotatione, vel fundatione non recuperat jus patronatus; sed illud acquirit qui novam dotem, vel fundum assignat, ut benè per Cardin. num. 7. in fine, vers. Pro-
60 cedit autem hæc quæstio. Fateor tamen patronatum surgentem ex dotatione, vel fundatione non amitti ex sola destructione ecclesiæ. Nam si dos salva sit, aut fundus; etiam destructa ecclesia, qui dotavit, vel fundavit, remanebit patronus, & ita post ecclesiam reædificatam erunt tres patroni ex diversis causis, secundum Abb. num. 11. vers. Ego intelligo, qui ad hoc inducit regulam, §. Affinitatis. Instit. de nupt.

61 Tertiò cum hic dicatur in discordia patronorum esse præferendum præsentatum à majori parte si sit idoneus; investigandum esset quid juris sit si patroni sint pares in præsentando, an scilicet inter præsentatos instituendus sit dignior, an verò sit locus gratificationi Episcopi. Sed hanc materiam plenè examino in cap. Cum autem, infra eod. in 1. & 2. q. à n. 20. usque in finem.

62 Quartò cum similiter hic dicatur jus ordinandi ecclesiam ad Episcopum devolvi, si quæstio super patronatu inter compatronos laicos non fuerit decisa infra quatuor menses ad præsentandū præfixos; quærendum esset numquid Episcopus parochialem ecclesiam juris patronatus laicorum conferens jure devoluto, teneatur servare formā examinis per concursum præscriptum à Concilio in d. c. 18. in parochialibus liberæ collationis. Sed de hoc quoque articulo latè disserui in c. Cum propter, in 1. q. num. 7. infra eod.

De Iure patronatus.

Cap. Ex litteris.

SVMMARIVM.

1 Ius patronatus consistens in aliqua universitate temporalium transit cum ipsa universitate, & num. 3. & 35.
2 Etiamsi universitas transeat tantum quoad utile dominium, & num. 11. & 15.
Nisi ius patronatus specificè sit exceptum, n. 2. & n. 17. vers. Limitatio regulæ.
3 Ius patronatus transit in quemcumque cum universitate, cui adhæret, etiam sine auctoritate Episcopi, & num. 45.
4 Villa est quid universale, & n. 23. 25. & 38.
5 Ius patronatus prohibetur transferri per contractum non gratuitum, nisi talis contractus celebretur super aliqua universitate, & n. 45.
6 Ius sepulcri accedit emptioni universitatis.
7 Decimæ, & alia iura merè spiritualia cum universitate non transeunt.
8 Donans Episcopus villam cum omnibus, quæ illic habet, non transfert iura spiritualia.
9 Decimæ in generali donatione non includuntur.
10 Nisi tale ius donetur ecclesiæ quod habeat in se temporalia, & spiritualia iura, ut præbenda.
12 Ad firmam dare, idest ad annuum censum concedere, seu locare etiam ad longum tempus, & num. sequen.
13 Ius præsentandi non transit in conductorem villæ ad modicum tempus.
14 Conductor ad modicum tempus nullum dominium habet, nec possessionem, sed nudam detentionem.
15 Ius patronatus ut transeat cum universitate non sufficit civilis, vel naturalis possessio, sed omnino requiritur, ut universitas transferatur quoad dominium directum, vel utile.
16 Ius patronatus non transit in creditorem, qui tenet villam pignori obligatam.
17 Præsentatio est fructus iuris patronatus.
18 Ius patronatus quando dicatur transire cum universitate, & num. seqq. usque in fin.
19 Quid si quis vendat fundum, vel palatium, intra cuius fines ecclesiam habeat, nunquid ius patronatus transeat in emptorem.
Et quid si sit talis fundus, qui universitatem constituat, num. 21.
Et quid si quis vendat omnia iura, quæ habet in aliqua villa, n. 22. & n. 47.
Et quid si vendat omnia bona, quæ habet in tali loco, num. 24.
Et quid si dicat simpliciter, vendo omnia bona mea, num. 27. & 50.
Et quid si dicat, vendo omnia bona mea, iura, & actiones, num. 33. & seqq. usque ad num. 53.
Et quid si vendat hæreditatem, n. 36. & 53.
20 Ius sepulcri, ad quod non patet aditus, nisi per fundum, transit in emptorem ipsius fundi.
23 Ius patronatus ut veniat in contractu non gratuito, sequitur ut res, quæ alienatur, sit talis, quæ sine expressione universitatem, vel ius patronatus in se contineat, & num. 40.
Vniversitas verbalis resolvitur in singularitates, ibidem, & n. 25. & 39.
Realis secus, num. 41.
26 Ius patronatus ut transeat cum universitate requiritur ut universitas sit realis, non verbalis, & num. 41.
28 Bonorum appellatio universitatem continet, sicut hæreditas, & n. 29. & 46. & 56.
30 Bonorum appellatione veniunt etiam iura, & actiones.
31 Præsertim si adsit dictio universalis omnia.
32 Etiam in materia odiosa, ut confiscationis bonorum omnium.
34 Rotæ decisio in Lucana iuris patr. refertur, expenditur, n. 47. & seqq. usque ad n. 53.
36 Ius patronatus transit ad hæredes quoscumque mediante titulo universali hæredis.
37 Item transit in emptorem hæreditatis.
38 Ius patronatus non transit mediante venditione, seu

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

seu cessione etiam omnium bonorum, iurium, & actionum, nisi sub dicta cessione tale quid universale verè comprehendatur, cui ius patronatus adhæreat.

Contrarium, num. 44. & seqq. usq. ad n. 53.

42 *Ius patronatus particulariter donari potest de consensu Ordinarij.*

43 *Ius patronatus non potest dici de bonis laici.*

45 *Ius patronatus transit cum universitate temporalium sine consensu Episcopi, sive contractus sit gratuitus, sive non.*

47 *Bonorum omnium, ac iurium appellatio non continet universitatem quando est restricta ad certum locum; alias secus, & num. seq.*

48 *Universitas quando dicatur verbalis, & quando realis.*

49 *Ius patronatus transit cum hæreditate vendita, etiamsi in ea nil aliud sit, quàm ius patronatus.*

50 *Mea, hæc dictio est dominij significativa.*

51 *Patronus non est dominus iuris patronatus nisi abusivè.*

52 *Ius patronatus transit cum universitate non ministerio hominis, sed ministerio iuris tanquam accessorium rei venditæ.*

53 *Hæreditas est quid universum.*

54 *Ius patronatus competens filijs, & successoribus dicitur translatum per cessionem à filio factam de omni iure, quod in hæreditate habebat.*

55 *Ius patronatus venit in legato omnium bonorum.*

56 *Legatum omnium bonorum intelligitur universale.*

57 *Ius patronatus magis competit usufructuariæ omnium bonorum, quam hæredum.*

58 *Præscribens universitatem an præscribat ius patronatus ei immixtum.*

59 *Ius patronatus an transeat si exprimatur in venditione universitatis, & num. seqq. usq. in finem.*

Quid si exprimatur declarativè, num. 61.

Et quid si coniunctivè, ibid. & num. 62.

Et quid si vendatur villa cum iure patronatus, num. 63. & num. seq.

Et quid si vendatur villa, & ius patronatus, n. 64.

Patronus in fine instrumenti venditionis universitatis fateri potest se desiisse esse patronum.

---

1 EX LITTERIS. Ius patronatus consistens in aliqua universitate temporalium transit cum ipsa universitate, etiamsi universitas transeat tantum quoad utile
2 dominium, nisi jus patronatus specificè sit exceptum; Hoc dicit, Jo. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Imol. Abb. Jo. de Anan. & Bero, & est casus notabilis, & quotidie allegatur secundum Abbat. Dividitur in duas partes. In prima ponitur querela Episcopi. In secunda dantur ei judices, & instruuntur quomodo debeant diffinire ibi: *Mandamus*, Jo. Andr.

Nota ex textu regulam cum ampliatione, & limitatione.

3 Regula est: Jus patronatus transit in quemcunque cum universitate temporalium, cui adhæret etiam sine auctoritate Episcopi, ut patet in text. ibi, Si vobis constiterit, quod præfato militi
4 præscripta villa, &c. nam villa est quid universale, ut l. *Pupillus. §. Territorium. ff. de verb. signific.* secundum Innoc. Hostien. & omnes *hic*: & per hanc litteram notat Abb. in c. *Illud*, n. 4. *inf. eod.* Federic. de Senis, *cons. 225. Si opinio, num. 1.* & Lambertin. *in tract. de iurepatr. lib. 1. par. 2. in 2. quæst. princip. art. 2. & 3.* & *in 5. quæst. princip. art. 11. num. 3.* Mantic. *decis. 140. num. 2.* Rot. *decis. 207. num. 16. par. 6.*
5 *recent.* Et sic quamvis contractus non gratuitus prohibeatur super jure patronatus, ut cap. *Quia Clerici*, *supra eod.* Tamen si hujusmodi contractus non gratuitus celebretur super aliqua universitate temporalium, jus patronatus in ea consistens transit ex illo titulo non gratuito, quia contractus videtur initus super rebus temporalibus, & non super jure patronatus, quod transit accessoriè, & non principaliter, ut hic per Abbatem in 1. *notab.* Et hanc regulam ponunt *hic* glos. post casum, Innoc. *num. 2. vers. Nam ad hoc*, & *vers. Si tamen sit aliquod ius universale*, Hostien. *num. 4. in vers. Non excepto, & num. 5. vers. Nam ad hoc*, Joan. Andr. Card. & omnes *in summario text.* Covarr. *var. resol. lib. 2. cap. 18. num. 8.* Lambertin. & Mantica *locis supracit.*
6 Et quod dictum est de jure patronatus idem intelligas de jure sepulcri, quod à laicis possidetur; accedit enim emptioni universitatis, ut l. *In modicis, ff. de contrah. empt.* & l. *Si mercede, §. Si eum fundum, ff. de action. empt.* secundum Innoc. *hic nu. 1. in verb. Non excepto*, cujus opinio communis est, teste Covar. *var. resol. lib. 1. cap. 13. num. 3.* Lambertin. *in tract. huius titul. pag. 2. lib. 1. in 5. qu. princ.*
7 *art. 5.* Secus autem est in decimis, & alijs juribus merè spiritualibus, quia non transeunt cum universitate: & est ratio diversitatis, quia cum jus patronatus non sit merè spirituale, non est mirum si annectatur temporalibus. Sed decimæ, & alia jura hujusmodi merè spiritualia cum in nullo communicent temporalibus, consequens est, ut nec eis annecti possint, nec cum universitate ipsorum transire valeant, etiamsi dicatur vendo, vel dono villam cum omnibus juribus suis, quia spiritualia
8 non sunt jura temporalia. Quinimo etiamsi Episcopus diceret dono tibi villam, & omnia jura, quæ illic habeo, non tamen intelligeretur donare decimas, & alia merè spiritualia, quia hoc nomen universale, *omnia*, referri non debet ad ea, quæ sunt penitus alterius juris, vel naturæ, quàm ea, quæ principaliter donantur, prout est hoc casu. Certum est enim merè spiritualia esse prorsus al-
9 terius juris, quam temporalia. Quocirca si vult decimas donare, expressam de illis mentionem faciat, aliquin in generali donatione non includuntur. Ita Innoc. *hic n. 1.* cum quo transeunt Abb. Antiq. *n. 2.* Host. *num. 4. vers. Secus in decimis*, Jo. Andr. *num. 3. eod. vers.* Butr. *num. 6. vers. Sed non transit*:
10 & alij communiter. Fatetur tamen Innoc. & cæteri post eum, ut si tale sit jus, quod pariter habeat in se, & temporalia, & spiritualia jura, ut est præbenda, quæ quandoque habet & possessiones, & decimas, & donetur alij ecclesiæ; tunc jura omnia, scilicet temporalia, & spiritualia simul transferantur; quia nimirum omnia spiritualia sunt, & spiritualibus annexa.
11 Ampliatio regulæ est, ut locum habeat etiamsi universitas transierit solummodo quoad utile dominium; adhuc enim cum ipsa transit jus patronatus, veluti si talem contractum inter se partes celebraverint, per quem utile dominium transierit in Conductorem, puta emphyteusim, vel locatio-
12 nem ad longum tempus, ut innuit littera hujus textus ibi: Fuerit ad firmam concessa; nam etsi
verba

verba ad firmam: exponantur, idest ad annuum censum, secundum Jo. Andr. in cap. 2. *de locat.* & regulariter importent locationem ad modicum tempus, ut in *d. c. 2.* & in aliis inductis per Bero, *hic num. 1.* Tamen sicut locatio, ita & concessio ad firmam pro subjecta materia est apta importare etiam locationem perpetuam, seu ad longum
13 tempus, prout importat hic; alias enim si locatio fuisset ad modicum tempus, conductor villæ non potuisset præsentare; quoniam ita demum jus patronatus transit cum universitate, si universitas transferatur quoad dominium dire-
14 ctum, vel utile. Ex locatione autem ad modicum tempus nullum dominium, imò nec naturalis possessio transfertur in conductorem, sed nuda detentatio, & jus percipiendi fructus, ut notatur in l. *Sint certum. §. Si duobus, ff. Commodat.* & in l. 3. §. *Ex contrario, ff. de acquir. possess.* & per Cardin. in Clement. 1. §. *Verum in 2. quæst. de reb. ec-*
15 *cles. non alien.* & Bero. *hic num. 2.* Præterquam quod nec civilis, nec naturalis possessio ad hoc sufficeret, quia omnino requiritur translatio dominij directi, vel utilis, ut hic patet, & in cap. *Cum Bertholdus, supr. de re iud.* & notat Bero. *hic num. 43.* Concordat cap. *Cum sæculum, infra eodem*, ibi: Cum ratione feudorum emptorum, aliterve acquisitorum jus patronatus in ecclesiis parochialibus acquisieritis: ubi hoc tenet glos. 1. communiter approbata, & firmant hic Innoc. *in princip.* Abb. *num. 5. vers. Sed in contractu locationis*, Joann. Andr. Butr. Cardin. & omnes *in summario text.* Bero. *num. 1.* dicens Doctores ita communiter intelligere hunc text. & *num. 42.* ubi hunc intellectum pluribus comprobat, & dicit esse veriorem Paulus de Castro *cons. 262. Venerabilis vir, num. 2. vol. 1.* Roch. de Curte *in tract. huius tit. in verb. Ipse velis, quæst. 26. num. 57. in fin.* Lambertin. *in eodem tract. art. 2. quæst. 8. princ. par. 1. lib. 1.*
16 Quo fit ut secus sit dicendum in eo, qui tenet villam pignori obligatam; nam in creditorem non transit jus patronatus, ut legitur, & notatur in d. cap. cum Bertholdus, *resp. 1. & §. fin.* Nimirum quia in eum nec directum, nec utile dominium rei pignoratæ transfertur; & ita hic tenet glos. 1. Innocen. *in princ. vers. Secus in creditorem*, Hostien. *num. 4.* & communiter DD. aliam rationem reddit Abb. *num. 5.* quia scilicet creditor tenetur restituere fructus omnes, quos percepit ex re pignorata, ut in cap. *Cum contra, supra de pignor.* & in cap. 1. *infr. de usur.* Sed si creditor præsentaret, & sequeretur præsentati institutio, non postea illum fructum restituere, scilicet præsentationem, quæ
17 est fructus juris patronatus, ut notant Innocen. Butr. Abb. & alii in cap. *Consultationibus, infr. eodem* glos. *ultim.* & DD. d. cap. *Cum Bertholdus, de re iudicat.* Rota *decis. 10. de iurepatron. in novis*, & sic lucraretur fructum illum contra naturam pignoris, cum mutuum debeat esse gratuitum, cap. *Consuluit, de usur.*

Limitatio regulæ est, nisi jus patronatus fuerit nominatim exceptum; tunc enim minimè transit cum universitate, ut patet in text. ibi, Non excepto jure patronatus: & notant omnes *in summario, & in ver. Non excepto*, glos. 1. & DD. in c. *Cum sæculum, infr. eod.* Lambertin. *de iure patron. part. 2. lib. 1. in 5. quæst. princip. art. 11. num. 3. vers. Nisi ius patronatus.*

18 Nunc pro explicatione textus inquirendum est quando jus patronatus dicatur transire cum universitate.

19 Et primò QUÆRO. Si quis vendat fundum, vel palatium, intra cujus fines ecclesiam habeat, numquid jus patronatus transeat in emptorem. Respondeo non transire; quia jus patronatus titulo venditionis transferri non potest, nisi cum universitate, juxta communem intellectum hujus capituli, & dicti cap. *Cum sæculum, infr. eod.* fundus autem, vel palatium non est universitas, & ita *hic* firmant Innoc. *num. 3.* Hostien. *num. 7.* Jo. Andr. *num. 3. vers. Quod si quis habeat ecclesiam*, Abb. *num. 14.* quorum opinio communis est, ut testantur idem Abb. *in sua quæstion. 5.* incipien. *Augerius, num. 5.* Rocch. de Curt. *in tract. de Iure patron. in verb. Ipse velis, quæst. 23.* Lambertin. *in eod. tract. par. 2. lib. 1. quæst. 5. art. 17.* etiam Covar. *var. resol. lib. 1. c. 13. n. 3.* cõfert quod notat Bald. in l. Diu. *fin. col. penult. num. 58. vers. Idem si habeo, C. de edict. Adrian. toll.* ubi quod si dono tibi fundum meum, in quo ecclesia sita est, nõ venit ecclesia, quia non est ejusdem rationis, & conditionis, cujus dictum sequitur Rota *dec. 1152. num. 4. par. 3. lib. 3. divers.* & originaliter tenuit Innoc. *hic num. 3.*

20 Non obstat text. in l. *Si mercedem, §. 1. ff. de action. emption.* ubi Si vendidisti fundum, in quo sepulchrum habuisti, cui non patet aditus ex via publica, sed per ipsum privatum fundum, jus sepulchri transit in emptorem; per quem text. idem esse in jure patronatus tradiderunt ibi Bart. & Paul. de Castr. Roman. *Singular. 6.* Sylvester *in verb. Ius patronatus quæst. 5.* Henric. Boich. & Cardin. *hic num. 18. & 19.* & idem Cardin. in cap. *Cum sæculum num. 5. vers. Quoad quæstionem infr. eod.* Abb. *d. quæst. 5. num. 5.*

Quoniam, ut respondit Innoc. *hic num. 3.* aliud est in jure sepulchri, aliud in jure patronatus, quia sepulchrum cum nihil valeat, nisi venditor ad illud portetur, & in eo sepeliatur, esset illi prorsus inutile si emptor fundi ingressum prohiberet, cum ad illud non pateat aditus, nisi per fundum. At secus est in jure patronatus, quia venditor illo uti potest præsentando, quamvis ecclesiam non ingrediatur. Sequitur Abb. *hic num. 14. vers. Nec obstant*, & Covar. *var. resol. lib. 1. cap. 13. num. 3. vers. Non obstat ratio.*

21 Conclude igitur vendito fundo non venire jus patronus per supradicta, nisi sive ad ecclesiam pateat aditus per ipsum fundum, sive non; prout ex distinctione Abb. *d. q. 5. num. 5.* & Roman. *d. singular. 6.* post mult. concludit Lambert. *in tract. huius titul. par. 2. lib. 1. in 5. quæst. princip. art. 16. num. 2. prope fin. vers. Ego hanc limitationem*, nisi tamen esset talis fundus, qui universitatem constitueret, juxta l. *Cum fundus, ff. de leg. 2.* & est text. secundum inductionem Card. in cap. *Cum Bertoldus, supra de re iudicat.* nam curia illa, de qua text. loquitur, fundus est universitatem constituens. Unde non mirum si jus patronatus transierit in emptorem. Quo fit ut si quis haberet fundum, quem Hispani appellant *herediamiento*, intra cujus fines haberet jus patronatus vendito fundo Jus patronatus hujusmodi bene transiret in emptorem, ut per Covar. *d. num. 3. vers. Tertio.*

22 Secundò QUÆRO. Si quis vendat omnia jura, quæ habet in aliqua villa, in qua certos tamen fundos habeat, vel certa jura, nunquid in tali venditione transeat jus patronatus.

Respondeo non transire si villa non sit sua; nam ad hoc ut transeat, oportet ut res, quæ ven-
23 ditur, sit talis quæ etsi sine expressione universitatem, vel jus patronatus in se contineat, sicut est villa, vel castrum, quæ in se continent jurisdictionem, honorem, & jus patronatus, sed cum dico, Vendo tibi omnia jura, hæc universalis est resolvenda in singulares, idest vendo tibi hoc, & illud. Cum autem jus patronatus vendi non possit, sub hac generali venditione nullatenus comprehenditur. Ita formaliter Innoc. *hic num. 2.* cui consentiunt Hostien. *num. 5. vers. Sed quid si quis obliget* Joan. Andr. *num. 3. vers. Dixit etiam Innoc.* Henrich. Boich. *num. 3.* Butr. *num. 6. vers. Tertia regula*, Cardin. *num. 16. quæst. 11.* Anchar. *n. 11.* Abb. *eod. num.* Bero. *num. 55.*

24 Tertiò QUÆRO. Si quis donet, aut vendat omnia bona, quæ habet in tali loco, nunquid jus patronatus veniat in hoc contractu. Respondeo sub distinctione: nam aut ille, qui donat, vel vendit omnia bona, quæ habet in tali loco, reperitur ibi habere universitatem, puta villam, vel castrum; & tunc in tali contractu utique venit jus patronatus, ex quo universitas ibi reperitur, quæ jus patronatus includit, ut *hic*, & in c. *Cum sæculum infr. eod.* Aut in tali loco quis nullam habet universitatem, sed aliqua bona particularia dumtaxat: & hoc casu non venit jus patronatus, quia non reperitur ibi aliqua universitas, cum qua transire possit. Ita distinguit Decius in c. *Sedes, num. 8. supr. de rescript.* & est ex mente Innoc. *hic num. 2.* dum dicit in venditione omnium jurium, quæ aliquis habet in tali villa, non venire jus patronatus, si villa non sit sua, quia tunc non est ibi aliqua universitas: oppositum sentiens, si sit dominus villæ, quia tunc censetur vendidisse universitatem, cum qua bene transit jus patronatus, ut dixi in præcedenti quæstione.

Et per hoc cum N. vendidisset omnia bona, quæ habebat in dominio Januen. arbitratus sum in tali contractu non transiisse jus patronatus Cappellæ, quod eidem competebat in Parochiali
25 ecclesia Sarzanen. diœcesis, quia cum in dominio Januensi nullam haberet universitatem, cum qua transire posset jus patronatus, puta villam, Castrum, vel feudum, talis venditio non fuit universalis, sed particularis verbis generalibus concepta, quæ resolvitur in suas singularitates, perinde ac si dictum fuisset, Vendo talem, & talem fundum, quos habeo in ditione Januensi, secundum Innoc. & alios citatos in hac, & in præcedenti quæstione. & hæc est communis opinio, in qua paucis exceptis omnes conveniunt, & deducit Lambertin. *in tract. hujus titul. par. 2. qu. 5. art. 13.* quam etiam pluries sequuta est Rota, *ut dec. 1152. par. 3. divers.* Put. *decis. 351. num. 1. vers. Sed quia*
26 *erat particularis lib. 1.* Seraphin. *dec. 745.* Quamvis enim venditio facta fuisset verbis generalibus; hæc tamen generalitas restricta fuit ad certa loca, & ratione hujus restrictivæ non fuit universalis. Ad hoc autem, ut in venditione universitatis veniat jus patronatus, requiritur, ut universitas sit realis, non verbalis, ut inquit Federic. de Sen. *cons. 225. Si opinio num. 2.*

27 Quartò QUÆRO An in venditione omnium bonorum veniat jus patronatus.

28 Doctores non conveniunt. Nam Abb. *hic n. 12.* quamvis dicat Innocent. & Jo. Andr. sentire in venditione omnium bonorum suorum non venire jus patronatus; tamen ipse tenet contrarium per tex. in l. *Bonorum, la seconda. ff. de verb. signific.* ubi dicitur: Bonorum appellatio, sicut hæreditatis, universitatem quandam, ac jus successionis: & non singulares res demonstrat. sequitur Felin. in cap. *Causam, num. 8. supra de præscript.* & est communis opinio, ut inquit Decius *cons. 127. Plura dubia, num. 3. vers. Sed ad ista.* Verum ipsemet Decius in c. *Sedes, n. 7. vers. Et idem,* si dicitur sibi parum cõ-
29 stans, testatur communem opinionem esse contra Abbatem. Nec obstat tex. in d. l. *Bonorum,* quia, ut respondet Decius *loco proximè citato num. 8. vers. Non obstat.* Loquitur quando quis reperitur habere universitatem, ad quam dicta verba referuntur, non autem quando quis haberet solum bo-
30 na particularia, ut hoc casu.

Sed tu adverte quia appellatione bonorum veniunt etiam jura, & actiones, l. *Bonorum, la prima, in fin. ff. de verb. significat.* Abb. *cons. 43. Videtur primo, num. 3. lib. 1.* Cravetta, *cons. 213. Ad primum quæsitum num. 6.* Tiraquell. in l. *Si unquam, in ver. Bona, num. 8. & 9. C. de revocan. donat.* ubi ferè in numeros
31 citat, & *num. 12.* asserit ita omnes tenere exceptis paucis, quos ibi adducit. Præsertim si adsit dictio universalis, *omnia*, ut in casu hujus quæstionis. Tunc enim absque dubio jura, & actiones includuntur, ut idem Tiraquell. tradit *de retract.*
32 *lign. §. 1. glos. 7. num. 20. & seq.* etiam in materia odiosa, ut confiscationis bonorum omnium; quia veniunt jura, & actiones activæ, & passivæ, Imol. *cons. 35. In casu præmisso num. 24. vers. In contrarium facit:* unde cum paria sint vendere omnia bona, ac vendere omnia bona, jura, & actiones: solutio præpositæ quæstionis pendet omnino ab his, quæ
33 statim dicam in quæstione sequenti.

Quintò igitur QUÆRO, Si quis dicat, vendo omnia mea bona, jura, & actiones, an ex tali contractu jus patronatus transeat in emptorem? Solutio. Aut venditor habet in bonis suis aliquam universitatem, puta castrum, villam vel feudum: & tunc nemo dubitat quin jus patronatus transeat cum tali universitate, per ea, quæ dicta sunt supra *in 3. quæst.* Aut hujusmodi universitatem
34 non habet, & res non transit sine magna difficultate. Doctores enim non videntur convenire, & Rota ipsa variavit: aliquando enim censuit in hujusmodi venditione non transire jus patronatus, ut *in Lucana iuris patronatus die 6. Novembris 1598.* coram Litta, cujus hæc sunt verba: [Domini tenuerunt quod jus patronatus, de quo agitur, non transivit in Michaëlem vigore cessionis factæ per Nicolaum q. Lazzari de Guinisiis anno 1439. ad favorem D. Michaëlis, de quo
35 in sum. Alexandri Guinisii sub *num. 1.* ea moti ratione, quia licet vigore cessionis, & alienationis, quæ fit ex titulo universali, transeat jus patronatus, ut tradunt Lambertin. *de iure patron. lib. 1. par. 2. art. 7. quæst. 5. principali, num. 4.* Molin. *de primog. lib. 1. cap. 24. num. 7. & seq.* Doct. in cap. *Ex litteris,* ubi Abb. *in 1. notab.* & in c. *Cum sæculum de iure patron.* Decius *cons. 127. num. 1. & num. 3.* qui ad med. d. n. testatur de communi: &
36 transeat ad quoscumque hæredes mediante titulo universali hæredis, ut per Covar. *lib. 2. var. cap. 18. num. 6.* Jas. in l. 1. *num. 71. ff. de leg. 1.* & in l. *Venia, num. 2. C. de in ius vocan.* ubi etiam Decius, *n. 2.* Tiraq. *de primogen. q. 36.* Paul. Fusc. *singul. 114. littera I.* *de*

de communi, Gigas *cons. 50. num. 3.* Joan. Fab. *in rubr. instit. de rerum divis. num. 2.* Bartholom. Amada *lib. 8. tit. 13. p. 1. glos. 4. num. 2. fol. 106.* Didac. Perez *lib. 1. tit. 6. lib. 1. pag. 139. in glos. de var. suc-*
37 *cedendi &c.* Et similiter transeat in emptorem hæredis, ut tenet Covar. *lib. 2. var. cap. 13. num. 3.* & *lib. 2. cap. 18. num. 81.* Bernard. Diaz *in reg. 401.* Paul. Fusc. *singul. 115. littera I.* Abb. in cap. *Querelam, de Simon. num. 4.* ubi Anan. *num. 6.* & Felin. *num. 3. vers. In glos. verb. Non potui,* Rocch. de Curt. *de iure patr. in verb. Ipse, vel a. num. 46.* Emanuel Costa, cap. *Si pater, in 2. par. In ver. Trebell. num. 7.* late Petr. Omoz *tract. de contract. in tit. de emption. & vendit. n. 41. vers. Sed quæro,* Paulus de Cittadinis *de iure*
38 *patron. q. 1. num. 11.* Non per hoc transit mediante venditione, seu cessione etiam omnium bonorum jurium, & actionum verbis generalibus, & universalibus facta, nisi sub dicta cessione tale quid universale verè comprehendatur, cui adhæreat ipsum jus patronatus, ut puta villa, castrum, hæreditas, feudum, vel quid simile, ut bene declarat Innoc. in d. cap. *Ex litteris, num. 2.* quem sequitur Hostien. *num. 5. vers. Sed quid si quis obliget, vel vendat.* Jo. Andr. *nu. 3. vers. Dixit etiam Innocentius,* Boich. *num. 3.* Card. Zabarell. *num. 16. qu. 11.* Butr. *num. 6. vers. Tertia regula,* Anchar. *num. 11.* Bero. *num. 55. de iure patron.* Federic. de Senis, *cons. 225. num. 2.* Bald. *cons. 32. lib. 1.* Dec. in cap. *Sedes, de rescript. nu. 7. in fin. & num. seq.* qui de communi cum aliis hic per informantes relatis, quos brevitatis
39 gratia non refero. Et rationem hujus conclusionis post Innocent. Anchar. & alios ubi supra assignat Bald. *cons. 1. num. 5. lib. 3.* Et est, quia quando fit cessio, vel alienatio universalis respectu verborum tantum, tunc talis universalitas resolvitur in singularitates, & non plus importat generalis illa expressio, quàm enumeratio specierum. Et ideo sicut jus patronatus de per se vendi
40 non potest, cap. *De iure, de iure patron.* ita etiam non potest vendi sub ista universitate verbali: aliàs fieret fraus legi, cum ille qui nihil haberet, quàm jus patronatus, aut parum plus, posset sub prætextu venditionis universalis omnium bono-
41 rum ipsum jus patronatus vendere. At secus est quando fit cessio, vel alienatio universalis respectu rei, ut quia fiat venditio de hæreditate, de Curia, de feudo, de castro, & de similibus, quæ sub se verè universitatem continent. Et ratio differentiæ est quia cum talis universitas non resolvatur in singularitates ad tex. in l. 1. C. *de evict.* non mirum si cum ea transit jus patronatus, cum de per se hoc casu non dicatur vendi, sed potius in quandam necessariam consequentiam rei venditæ, cui adhæret: & multa in consequentiam necessariam permittuntur fieri, quæ principaliter prohibentur, vulg. l. 1. *ff. de auct. tutor.* Hancque opinionem videtur sequuta Rota apud AA. ut habetur in *decis. diversor. 1152. lib. 3. par. 3.* dum ibi concluditur in cessione omnium jurium non fuisse comprehensum jus patronatus ea ratione, quia cessio generalis verbalis, quæ resolvebatur in suas species, & non universalis ratione rei prout requiritur. Et licet Abb. d. cap. *Ex litteris, num. 11.* & alij qui eum sequuntur contrarium teneant, & signanter Dec. qui in hoc parum constans est, in *d. cons. 127.* Attamen sententia Innocentii, quàm nuper, & aliàs amplexa fuit Rota, & auctoritate plurium, & quidem gravissimorum virorum, & firmiori ratione
42 fulcita videtur. Nec decisio Putei 351. *lib. 2.* in aliquo repugnat, cum & donatio particularis juris patronatus accedente consensu Ordinarij fieri possit, ut per Lambertin. *de iure patron. 2. part. lib. 1. quæst. 1. principali, art. 1. & 2.*

43 Ultra quod in casu de quo agitur eò faciliùs admitti debet ea sententia; Tum quia cessio prædicta est de bonis omnibus ipsius Nicolai, & tamen jus patronatus non potest dici de bonis laici ad effectum prædictum. Bald. *cons. 335. n. 2. vers. Ad evidentiam, lib. 1.* Bene Put. d. *decis. 351. in fin.* Tum etiam quia cedens, & cessionarius voluerunt bona, & jura data in solutum haberi pro designatis, nominatis, & specificatis per eorum nomina, confinia, & vocabula. Ex quibus verbis manifestè constat non fuisse factam cessionem tanquam de universo, sed tanquam de rebus particularibus, quo casu non ambigitur jus patronatus non comprehendi. Ad illud autem quod deducebatur per informantes pro Alexandro Guinisio circa præsentationes post dictam cessionem factas in executione illius tantum temporis spatium, quo prætendi potest Michaëli, & descendentibus illius fuisse si non vigore dictæ cessionis, saltem mediante præscriptione acquisitum jus præsentandi: fuit responsum non esse præsentis speculationis, sed de eo in alia positione particulariter agendum esse. Hactenus verba decisionis.

44 Contrariam opinionem idest in venditione omnium bonorum, jurium, & actionum venire jus patronatus tenuerunt Decius *cons. 127. Plura dubia, num. 2. & num. 3. vers. Sed ad ista,* ubi firmat in concessione bonorum, ac jurium transire etiam jus patronatus, Put. *decis. 251. num. 1. lib. 2.* Seraphin. *decis. 745.* ubi resolvit in donatione omnium, & quorumcumque bonorum mobilium, & immobilium, jurium, & actionum similiter venire etiam jus patronatus. Rota in *recent. decis. 207. num. 11. 12. 13. & 16. par. 6.*

45 Et quamvis præcitatæ decisiones loquantur in terminis donationis: tamen non fundant se in eo, quod donatio facta fuerit de consensu Diœcesani: Tunc enim quæstio esset de indubitabili cum jus patronatus donari possit etiam particulariter, & nominatim accedente ordinarii consensu, ut supponit Rota in prædicta decisione litteræ, sed fundant se in eo, quod donatio omnium bonorum, jurium, & actionum universitatem continet, cum qua indistinctè transit jus patronatus absque consensu Ordinarii, sive contractus sit gratuitus, sive nõ, ut ostensum est supra *n. 3.* Quinimò in *d. decis. 207. n. 14. & 15.* disertis verbis dicitur non obstare, quod in donatione non intervenerit consensus Ordinarij, sine quo jus patronatus donari non potest, quia hoc procedit in particulari donatione, secus autem est in donatione universali omnium bonorum & jurium, in qua consensus Ordinarii minimè requiritur. Eidem sententiæ adscribi possunt authores omnes, qui in fortioribus terminis voluerunt, ut si quis dicat, Vendo tibi omnia bona mea, nulla facta mentione jurium, & actionum, nihilominus veniat jus patronatus, inter quos, Abb. *hic n. 12.* Felin. c. *Causam, n. 8. de præscript.* & Decius, qui de communi testatur d. *cons. 127. n. 3. vers. Sed ad ista.*

46 Et hanc secundam opinionem ego puto veriorem, & in practica amplectendam. Tum quia negari non potest, quin appellatio omnium bono-

rum,

cum, jurium, & actionum universitatem quandam designet, at à fortiori probatur in d. l. *Bonorum, La seconda, ff. de verb. significat.* Nam intellectus Decij, de quo supra *num.* 29. divinat, cum ille text. generaliter loquatur; ac proinde inevitabiliter probat hanc opinionem, ut inquit Rocch. de Curt. *in tract. huius tituli, in verb. Ipse vel is.* Tum quia suprascripta Decisio Lucana juris patronatus præcipuè nititur auctoritate Innocentij *hic nu.* 2. qui tamen nō loquitur in venditione omnium bonorum, vel jurium simpliciter, & absolutè, ut in casu quæstionis propositæ, sed in venditione omnium jurium restituta ad certum locum. Sic enim ait: [Si quis obliget, aut vendat omnia jura, quæ habet in aliqua villa, cum non sit sua, sed ibi certos tantum fundos habeat, vel certa jura, nunquid in tali contractu transit jus patronatus? Resp. non] Hæc Innoc. qui, ut vides, loquitur in venditione omnium jurium restricta ad certum locum, unde trahi non potest ad casum nostrum; quia magis universum est vendere omnia bona jura, & actiones simpliciter, & absolutè, quàm vendere omnia, seu omnia jura, quæ quis habet in tali villa, cum primum sit totum, secundum verò pars. Neque hoc casu valet argumentum à toto ad partem, cum rationes sint diversæ, nempe quia cum universitate transit jus patronatus, cum non universo non transit, ut inquit Lambertin. *de iure patronatus, par. 2. lib. 1. in 5. quæst. principali art. 14. num. 4. vers. Considero tertio*, licet Abb. *hic num.* 12. dicat & male, Innocent. & Jo. Andr. sentire, ut si quis vendat omnia bona sua non transeat jus patronatus, quod dictum Abbatis multis errandi causam præbuit, qui ad verba Innocentij non adverterunt. Nec verum est quod dicitur in d. *decis.* Seraphin. 725. *num.* 2. *vers. Sed contrarium*, nempe doctrinam Innocentij non esse receptam, imò enim in suo casu, ideſt in venditione omnium jurium limitata ad certum locum, seu villam sequaces habet Hostien. Jo. Andr. Butr. & alios complures in decis. Littæ allegatos. Quinimo cum ipso paucis exceptis conveniunt omnes, & ipsamet Rota, ut dixi supra *in 2. q. num.* 23.

47 Conclusio igitur in venditione omnium jurium, & actionum sine ulla limitatione loci absque dubio transire jus patronatus, etiamsi venditor in suis locis nullam habeat universitatem, puta villam, vel castrum, quia ipsa bona, jura, & actiones sunt universitas, sicut peculium, & hæreditas, ut l.

48 *Item* §. *Non solum, ff. de petition. hered.* Nec talis dicitur universitas verbalis, quæ resolvitur in singularitates, ut dicitur in decisione Littæ, imò est realis, cum qua bene transit jus patronatus. Et ideo non obstat Bald. *cons. 1. n. 5. lib. 3.* in decis. allegatus, imo declarat mentem Innocentij juxta explicationem nostram per hæc formalia verba: (Dicit Innocentius, quod cum re certa, puta cum fundo Botriano non transeunt jura mixta, sicut est jus patronatus, sed cum universitate distinguit. Aut est quid universale ratione signi universalis, aut ratione rei universalis. Primo casu, ut cum dico, Vendo omnes possessiones talis villæ, & jura, quæ ibi habeo, non transit jus patronatus. Secundo casu transit ut nomine hæreditatis.) Hæc Bald. qui ut vides, intelligit universitatem ratione signi universalis, quando est restricta ad certum locum: ratione verò rei universalis, quando nullis finibus circumscribitur, sicut hæreditas, l. 3. §.

49 *Hæredit. ait, ff. de bon. poss.* Rursus non obstat motivum, quod jus patronatus per se vendi non posset, & si transiret cum ista universitate posset fieri fraus legi, cum ille qui nihil haberet in bonis, quam jus patronatus, vel parum plus posset sub prætextu venditionis omnium bonorum, ac jurium sibi competentium vendere ipsum jus patronatus. Nam respondetur hanc considerationem non esse attendendam, quando venditur ipsa universitas realis, aliùquin sequeretur, ut si aliquis venderet hæreditatem ad se delatam, in qua nihil aliud esset nisi unicum jus patronatus cum tali hæreditate ipsum jus patronatus non transiret. Sed absit ut tales subtilitates secundum Canones considerentur, ut ait Feder. de Sen. *cons.* 225. *Si opinio, num. 2. vers. Et non est dubium*, quod ille qui solum jus patronatus habet. Sicut igitur hæc consideratio non attenditur in venditione hæreditatis, ita nec in venditione omnium bonorum, quia ita continet universitatem venditio omnium bonorum, sicut venditio hæreditatis, ut voluit Bald. in l. 1. *num.* 7. C. *de bon. liber.* & Abb. *hic num.* 12. & constat ex jam dictis.

50 Demum non obstat Doctrina Baldi in l. *fin. num.* 59. C. *de edict. D. Adr. toll.* ubi determinat, ut siquis dicat Dono tibi omnia jura mea, non transeat jus patronatus, quia dictio, *mea*, est dominii significativa, l. *Quintus*, §. *Argento, ff. de aur. & arg. legat.* Sed patronus non est dominus nisi abusivè, ut l. *Tale*, §. *fin. ff. de hared. instit.* & idem si dicat Omnia jura quæ habeo: nam sermo iste generalis per suas species intelligitur, ut l. *Si chorus, ff. de leg.* 3. Sed in speciebus dinumerandis non potest dinumerari jus patronatus, quare non includitur. Sequitur Lambert. *de iure patronat. par. 2. lib. 1. in 5. q. princip. art. 14. num. 5. vers. Tertius casus.*

Id inquam non obstat, quia hæc doctrina non est vera, cùm se fundet in illa particula, *mea*, quæ nihil facit; ut deducit Rebuff. in d. l. *Bonorum, La seconda, ff. de verb. signific.* & alii, quos sequitur Rota apud Card. Seraphin. *d. decis. 725. num. 1. vers. Neque opinio Lambertini.*

52 Ad rationem Baldi posset responderi nihil obstare, quod illud pronomen, *mea*, sit dominii significativum, & patronus non sit dominus, quia dictio, *mea*, non refertur ad jus patronatus, aliòquin contractus esset Simoniacus, cum jus patronatus, per se vendi non possit, cap. *Quia clerici*, & ibi glos. *ult. supra eod.* & infr. cap. *De iure.* Sed refertur ad ipsam universitatem, cum qua non ministerio hominis, sed ministerio juris transit jus patronatus tanquam accessorium, & in quandam necessariam cōsequentiam rei venditæ, cui adhæret, ut dicitur in decis. Littæ. Et quemadmodum si quis dicat: Vendo tibi villam meam, illed pronomen, *meam*, non impedit transitum juris patronatus, ut hic admittunt Innoc. & omnes: ita nec impedire debet si dicat; vendo omnia bona mea; quia neutro casu transit ex vi pronominis *mea*, sed ex vi universitatis, cui accedit.

Præterea inepta videtur differentia, quàm constituit Rocch. *ubi supra* inter venditionem omnium bonorum factam simpliciter, & factam cum illa dictione *mea*. Quoniam ad praxim deduci nō potest ut quis vendat universaliter omnia bona, nisi ea demonstret per illud pronomen, *mea*, vel aliud æquipollens, ut animadvertit, Lambertin. *dict. q. 5. art. 14. vers. Considera sextò.*

Sex-

53 Sextò QUÆRO, An vendita hæreditate transeat jus patronatus.

Respondeo transire, quia hæreditas est quid universum, ut in d. l. *Bonorum, La seconda, ff. de verb. sign.* & in l. *Hæreditas*, & l. *Item*, §. *Non solum, ff. de petit. hæredit.* & ita communiter tenetur, ut dicit

54 Abb. *hic num.* 13. Ideoque jus patronatus competens filiis, & successoribus, dicitur translatum cum universitate per cessionem à filio factam de omni jure, quod in hæreditate habebat. Achill. de Grass. *decis. 9. de iure patr.*

55 Septimò QUÆRO. An jus patronatus veniat in legato omnium bonorum.

56 Respondeo affirmativè, quia hujusmodi legatum intelligitur universale, l. *Quoties*, §. *ult. ff. de usuf.* juncta l. *Cogi. in princip.* cum l. *precedent. ff. ad Trebellian.* & l. *Pœnis mea, ff. de usufr. legat.* Ideoque jus præsentandi magis pertinet ad uxorem relictam usufructuariam omnium bonorum quàm ad hæredem, ut post prolixam disputationem concludit Lambertin. *de iure patr. par. 2. lib. 1. quæst. 10. princip. art. 3.* ubi etiam *num. 22. vers. Posset etiam dici, cum seqq.* refert Anton. Cotf. qui postea fuit Rotæ Auditor, & Christophorum Albam Juris consultos primarius legentes in studio Patavino ita consuluisse, & in civitate Calabriæ sic judicatum fuisse: & eum sequuta fuit Rota coram Cardinali Mantica, *decis. 140.*

58 An autem præscribens universitatem bonorum præscribat jus patronatus ei immixtum, plenè examinat Felin. in d. cap. *Causam, num.* 8. *de præscription.*

59 Octavò, & ultimò QUÆRO pro complemento materiæ, an transeat jus patronatus cum venditur talis universitas, cum qua de jure transiret, si in hujusmodi venditione jus patronatus exprimatur: veluti si vendatur castrum cum omni jurisdictione, & jure patronatus.

Joann. Andr. in cap. *unic. num.* 1. *vers. Quæro*, de quo dubitari vidi *infra eod. lib.* 6. disputat latissimè hanc quæstionem in utramque partem, & *num.* 3. *vers. Item audivi*, refert pro parte affirmativa fuisse in Curia sententiatum in venditione, quam fecerat Capitulum Heroipolen. Decano, & Capitulo S. Stephani Maguntini de villa Ingilem. exprimendo Curiam, agros, vineas, decimas, census

60 jus patronatus cum omnibus juribus, &c. Sed nihilominus eod. *num.* 3. *vers. Propter quæ*, consulit tanquam certum, ut nunquam fiat expressio juris patronatus venditioni conjuncta: & per quam dici possit illud expressè venditum, sed in fine instrumenti fateatur venditor se desiisse esse patronum, & omne possessionis commodum, & animum deposuisse.

Gemin. verò in d. c. unico referendo Jo. Cald. dicit posse concludi sub hac distinctione, videlicet aut expressio sit declarativè, ut Vendo villam cum omnibus juribus, ideſt jurisdictione, jure patronatus, &c. & tunc transit, quia talis declaratio non inducit novam, vel singularem venditio-

62 nem, arg. l. *Hæredes palam. ff. de testam.* Aut expressio sit non declarativè, sed conjunctivè, ut Vendo villam, & jus patronatus: & hoc casu jus patronatus non transit ex notat. per Jo. Andr. *ubi supra.* Addit Franc. in eod. cap. *unico, num.* 3. *vers. Sed imò*,

63 Quod etsi expressio juris patronatus fiat continuativè, tamen si fiat eo modo, quo tacitè ineſt, itaut appareat illud non venire principaliter, sed accessoriè, velut si vendatur castrum cum jure patronatus, & tunc transeat cum accessoriè veniat.

64 Fatetur tamen hoc pendere ab inspectione, an dictio, *cum*, conjungat principaliter, an accessoriè. Abb. Marian. Socein. & alij in cap. *Querelam, de simon.* distinguunt: An dicatur, Vendo castrum cum jure patronatus, vel Vendo castrum, & jus patronatus, ut in primo casu transeat cum universitate; in secundo autem non: sed hanc distinctionem reprobat ibi Felin. *in ult. col.* concludens neutro casu jus patronatus transire in emptorem: & hanc opinionem sequitur, & validissimis fundamentis comprobat Lambertin. *de iure patronat. 2. part. lib. 1. in 5. quæst. princip. art. 20. num.* 12. *usque in finem art.* quæ & mihi magis placet, tum quia conformior dictis Jo. Andr. Tum quia firmioribus rationibus fulcitur; tum demum, quia tutior est propter periculum simoniæ: & ideo in dubio amplectenda, cap. *Iuvenis, instit. de sponsa.* & cap. *Ad audientiam, de homicid. cum concordant.*

De Iure patronatus.

Cap. Consultationibus.

SVMMARIVM.

1 Præsentandi potestatem conferunt possessio, & communis credulitas, & num. 3.

2 Institutus ad præsentationem eius, qui tunc ius patronatus possidebat, & credebatur patronus, non removetur, licet illud ius ab eo postea evincatur.

3 *Gesta non sustinentur ex titulo putativo, & communi errore, nisi concurrat possessio, vel quasi.*

Præsentatio ut sit valida non requiritur, ut præsentans sit patronus sed satis est; ut tempore præsentationis sit in quasi possessione præsentandi, & communiter reputetur patronus, ibidem, & num. 4. & 14.

Et quid post Concilium Tridentin. num. 8. & *seqq. usque in fin.*

5 *Præsentatio est fructus iuris patronatus.*

6 *Fructus pertinent ad bonæ fidei possessorem, non ad proprietarium.*

7 *Collatio facta ab existente in quasi possessione conferendi sustinetur, licet ius conferendi non habeat.*

8 *Iuris patronatus titulus bodie probari debet ad præscriptum Concilij Trident. nec sufficit possessio præsentandi, & num. seqq.*

9 *Tridentinum Concilium circa probationem iuris patronatus locum habet tam in petitorio, quam in possessorio.*

10 *Patronus potest à sua quasi possessione repelli, nisi patronatum probaverit iuxta formam Concilij, et iam si Ordinarius post Concilium admisisset præsentationem sine causæ cognitione.*

11 *Etiam si patronus probaverit se per quadraginta annos præsentasse.*

12 *Ius patronatus non probatur ex præscriptione nisi illa sit immemorabilis.*

13 *Ad immemorabilem conficiendam computari debent anni elapsi usque ad tempus controversiæ motæ.*

15 *Præsentatus à bonæ fidei possessore de iure communi debet institui, & præferri præsentato à proprietario: secus ex Conc. Tridentino.*

16 *Nisi agatur de sola pertinentia iuris patronatus inter præsentatos, quia tunc Concilium non intrat, & præfertur præsentatus à possidente.*

17 *Præsentandi quasi possessio ex unico etiam actu acquiritur.*

1 CONSULTATIONIBUS. Possessio, & communis credulitas potestatem conferunt præsentandi. Hoc dicit secundū Abb. Antiq. & Jo. de Anan. vel aliter secundum Jo. Andr. & alios post eum. Institutus ad præsentationem ejus, qui tunc jus patronatus ecclesiæ possidebat, removeri non debet, licet illud jus ab eo postmodum evincatur; secus si non possidebat, sed tantum credebatur esse patronus. Dividitur in duas partes; secunda ibi, *Si verò.*

2 Nota primò ex priori parte textus, duo esse necessaria, ad hoc ut sustineatur institutio ad præsentationem ejus qui patronus non est, videlicet ut communiter reputetur patronus, & sit in possessione præsentandi, prout hic notant glos. 1. Hostien. *num. 1. in ver. Credebatur.* Abb. Antiq. &
3 Jo. de Anan. uterque in summario. Et hinc collige notabilem limitationem ad l. *Barbarius, ff. de off. Prætor.* & ad consimilia jura, quæ disponunt gesta à non habente potestatem, sustineri ex titulo putativo, & communi errore: procedunt enim dummodò cum communi errore concurrat possessio, vel quasi proprietatis, seu potestatis: & ita post Innoc. singulariter limitant prædicta jura Anton. de Butr. *hic num. 4.* Abb. *in 2. not.* & Jo. de Anan. *num. 2.* Alias declarationes ad d. l. *Barbarius*, posui in cap. *Quod à Prædecessore, infr. de schismat.* & in cap. *Super eo de crimine falsi.*

4 Secundò nota ibi, *Ius patronatus ecclesiæ possidebat*: ad validitatem præsentationis non requiri, ut præsentans habeat titulum, & proprietatem juris patronatus, sed satis esse, ut tempore actus præsentationis sit in quasi possessione juris præsentandi: & ad hoc communiter allegatur hoc
5 capitulum secundum Anton. de Butr. *in primo notab.* Et ratio hujus decisionis est, quia præsentatio est fructus juris patronatus, cap. *Ex lit-*
6 *teris, supr. eod.* Fructus autem pertinet ad bonæ fidei possessorem, non ad proprietarium, cap. *Gravis, supra de rest. spoliat.* & §. *Si quis à non domino, instit. de rerum divis.* Unde quamvis postea jus patronatus ab alio evincatur, tamen institutus ad præsentationem bonæ fidei possessoris non removetur, ut in textu: quia factum legitimè non retractatur, etiamsi devenerit ad casum, à quo incipere non potuit, cap. *Præcepta, 55. dist.* & l. 2. *ff. de itin. actuque privat.* & ita hic notat Innoc. *in ver. Possidebat*, cui Host. *num. 3. in eod. ver.* Jo. Andr. *n. 2.* Abb. *in 1. not. & num. 3. vers. Sed ratio decidendi*, Jo.
7 de Anan. *num. 1.* & cæteri subscribunt. Et idem juris est in quasi possessione eligendi, ut est casus in cap. *Querelam, supra de elect.* Abb. *hic num. 2.* & in quasi possessione juris conferendi, ut c. *Cum olim, supra de caus. possess. & propriet.* & tradit Bald. *cons.* 437. incipien. *Ex quo Abbas, in princ. lib. 2.* & Rota, *decis. 308. num. 6. par. 1. recent.*

QUÆRUNT hic Doctores an existens bona fide in quasi possessione juris patronatus, si sibi moveatur quæstio super proprietate, pergere possit in sua quasi possessione præsentandi etiam post litem contestatam: anve sic præsentatus sit instituendus, ut latè prosequitur Innoc. *in eodem ver. Possidebat*, Hostien. & Joan. Andr. *locis citatis*, & reliqui post eos.

8 Verum hujusmodi quæstiones, & consimiles hodie sunt fermè inutiles, & ideò illas non prosequor, quia dispositio hujus decretalis hac in parte corrigitur à Concilio Trid. *sess. 25. c. 9.* ubi statuitur, ut (titulus juris patronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis jure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus supra hominum memoriam, aliasve secundum juris dispositionem. In iis verò personis, vel universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, immemorabilis non aliter suffragetur, quàm si præter reliqua ad eam necessaria præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes, & privilegia concessa tam in vim patronatus, quàm alio quocumque jure nominandi, eligendi, & præsentandi, exceptis iis, quæ ad supremos Principes pertinēt, vel in favorem generalium studiorum concessa sunt, in totū prorsus abrogata, & irrita cum quasi possessione inde sequuta intelligantur.)

9 Ponderanda enim sunt hæc posteriora verba, *cum quasi possessione inde sequuta*, quæ apertè ostendunt ad validitatem præsentationis, vel institutionis non sufficere, ut præsentans communiter reputetur patronus, & sit in quasi possessione juris præsentandi, nonnisi doceat de titulo, & proprietate juris patronatus ad præscriptum Concilii: cujus contrarium statuitur hic, & in d. c. *Querelam, de elect.* Unde S. Congregat. Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum alias censuit decretum *d. c. 9. sess. 25.* circa probationem juris patronatus, habere locum etiam in petitorio, & in possessorio: ideoque admittendum non esse præsentationem, nec præsentati institutionem faciendam esse, nisi probato prius jurepatronatus ad præscriptum e-
10 jusdem Concilij. Imo etiam si post Concil. Ordinarius admisisset præsentationem simpliciter, & absq; causæ cognitione, posse prætensum patronum à sua quasi possessione repelli, nisi patronatū legitimè probaverit, juxta formam Concilii: quod etiam decidit Rota *in Volaterrana Capellaniæ*, 28. *Aprilis* 1595. coram Cardinali Blanchetto relata à
11 Nicolao Garzia *de beneficijs part. 5. cap. 5. num. 159.* Quin etiam cum esset quæsitum An si quis probaverit se per quadraginta annos præsentasse, & in possessione, vel quasi præsentandi fuisse, admitti debeat ad præsentandum, non obstante decreto Concilii Tridentini *cap. 9. sess. 25.* ibi, [aliasve se-
12 cundum juris dispositionem: S. Congregat. censuit non debere admitti, atque illa verba, *aliasve secundum iuris*, &c. ita intelligenda esse, ut non respiciant tempus, de quo jam supra expressè Concilium disposuit, & voluit esse immemorabile, sed respiciant alias causas, & alios modos, quibus secun-
13 dum jus vetus probari potest jus patronatus. Item censuit ad conficiendum antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, computandos esse annos elapsos usque ad terminum controversiæ motæ, & non tantum tempus decursum usque ad publicationem Concilii. Rursus proposito dubio an asserenti sibi competere jus patronatus ex dotatione, seu fundatione, necesse sit ipsum documentum dotationis, seu funda-

datio-

dationis exhibere: an verò satis sit: si una, aut altera præsentatione de anno 1554. & 1561. quæ effectum sortitæ fuerint, ostendatur enunciatū fuisse competere sibi jus patronatus ex dotatione,
14 vel fundatione: *Die 26. Ianuarij* 1581. responsum est, non esse satis. Ex his patet hodie deferendū non esse Autoribus, qui scripserunt existentem in quasi possessione juris patronatus, seu præsentandi, validè præsentare, & ejus præsentationem esse admittendam, ita ut institutio sequi debeat, licet titulus juris patronatus non ostendatur: inter quos Oldrad. *cons. 212.* incipit *Thema qu. n. 2. vers. Et dato*, Lap. *allegat. 95. in fine*, Duenn. *reg. 282.* Couarr. *practicar. quæstion. cap. 14. num. 2. vers. Tertium*, & cap. *36. num. 5. vers. Quinto, col. 2.* Navarr. *cons. 19. in tit. de præben. in antiq.* Mantica *decis. 86. num. 1.* Rota *decis. 224. num. 1. part.*
15 *1. recent.* Quemadmodum nec deferendum est aliis qui dixerunt, cum duo sunt præsentati, unus ab existente in possessione præsentandi, alter verò ab habente proprietatem juris patronatus, instituendum esse præsentatum à bonæ fidei possessore, Feder. de Sen. *cons. 234.* incip. *Super primo puncto, nu. 3. vers. Sed in casu proposito*, Oldrad. *dicto cons. 312.* Cardin. *cons. 69. Quoad dubium, sub nu. 4.* Abb. *hic in ult. not. & cons. 54. Videtur primo num. 2. vol. 1.* Decius *cons. 117. Et pro tenui facultate, sub num. 2. vers. Et in tali præsentatione*, & *cons. 134. in 1. dubio*, Mandos. *cons. 41. in causa Asculana, num. 4.*

His inquam, Autoribus hodie non est deferendum: nam pleriq; ipsorum scripserunt ante Concilium Tridentinum: qui verò scripserunt postea loquuntur in terminis juris communis, allegantes hoc cap. *Consultationibus*, & cap. *Querelam, de elect.* nec respexerunt ad dispositionem Concilij cum de illo nullam fecerint mentionem. Tene igitur hodie præsentationem non esse admittendam, nec præsentatum instituendum quantumcumque præsentans sit in quasi possessione præsentandi, nisi prius legitimè doceat de titulo, & proprietate juris patronatus, juxta formam à Concilio præscriptam in *d. c. 9.* & ex duob' præsentatis præferendum esse præsentatum à proprietario, non autem præsentatum ab eo, qui possidet sine titulo: quod etiam post Concil. observat Nicolaus Garzia *de benefic. part. 5. c. 5. n. 137.*

16 Admonendi tamen sumus, dispositionem Concilij locum non habere si quæstio sit super pertinentia juris patronatus inter plures præsentatos: puta quia vacante beneficio Ordinarius cognovit de jure patronatus, & servatis servandis pronunciavit de eo constare ad præscriptum Concilii, & sententia justificatur ex actis, & sic non controvertitur amplius de titulo, & proprietate juris patronatus; sed solum vertitur quæstio inter duos, vel plures præsentatos, ad quem ex præsentantibus jus præsentandi pertineat, veluti si controvertatur quis eorum successerit in jure patronatus: & tunc non intrat decretum Concilii, cum illi jam satisfactum fuerit per verificationē patronatus juxta formam ibi præscriptā: sed servari debet hoc capitulum, & cap. *Querelam, de elect.* Ideoque inter præsentatos præferendus est præsentatus ab eo, qui est in pacifica, & immediata possessione juris præsentandi: & ita resolvit *in Tirasonen, iuris præsentandi. 16. Octobris* 1592. coram Blanchetto impressa apud Garz. *de benef. in ult. part. c. 2. num. 241.* & *in Pisana Capellaniæ 20. Maij* 1594. coram eodem Blanchetto, ubi inter cætera Domini dixerunt, sententiam de partibus in ea causa latam esse confirmandam: cum enim indubitatum sit hanc Capellaniam esse de jure patronatus, & solum controveratur pertinentia illius ad effectum, de quo agitur, attenditur solū quasi possessio, c. Consultationibus, de jure patronatus, & infra dixerunt non obstare, quod quasi possessio non debeat attendi post Concil. Trid. nisi fuerit adhibita causæ cognitio juxta decisionem S. Congreg. quia decisio procedit quando est controversia super libertate beneficii, secus quando agitur inter præsentatos super pertinentia juris patronatus: nam hoc casu Concilium nihil innovat, ut apud eundem Garziam *part. 5. c. 5. num. 141.* Idipsum resolvit eadem Rota *in Pampilonen. Vicariæ de Ataun. 12. Maij* 1595. coram Penia, in qua censuerunt Domini præsentatum à Philippo de Lezeano esse instituendum, & præferendum præsentato ab incolis, cum non agatur de canonizatione juris patronatus, nec Ordinarius se opponat, sed tantum agatur quis ex præ-
17 sentatis veniat instituendus; & ad hunc effectum satisfit, istos de Lezeano, & eorum domum, & familiam esse in quasi possessione præsentandi, quæ ex unico etiā actu acquiritur: præferenda enim est præsentatio illius, qui reperitur in quasi possessione, & status ultimus est attendendus: allegant: hoc c. *Consultationibus cum aliis*, &c. ut latius apud eundem Garz. *d. c. 5. num. 142.*

De Iure patronatus.

Cap. Cum autem.

SUMMARIUM.

1 *Patronus laicus uno præsentato potest alium præsentare: clericus hoc non potest.*

2 *Gratificatio datur Episcopo inter plures successivè præsentatos à Patrono laico, sed inter præsentatos ab Ecclesiastico potior est primò præsentatus.*

3 *Advocatus sumitur pro patrono, & ius advocationis pro iure patronatus.*

4 *Patronus tenetur Ecclesiam tueri ab omnibus oppressionibus.*

5 *Patronus laicus potest duos præsentare successivis temporibus, & plures simul eo modo ut Episcopus alterum eligat, & admittat.*

6 *Patronus laicus potest secundum præsentare accumulativè, non autem ex toto recedendo à primo.*

7 *Et præsentatio simpliciter facta de secundo intelligitur facta cumulativè, non privativè*

8 *Patronus laicus potest semel tantum variare.*

9 *Nisi prima præsentatio sit nulla, quia tunc potest præsentare tertium accumulando cum secundo, & num. seqq.*

10 *Patronus potest ex toto recedere à prima præsentatione invalida, & nu. 24.*

11 *Præsentatio nulla in numero præsentationum non computatur.*

12 *Patronus laicus an possit recedere à præsentatione facta de indigno, & alium præsentare.*

13 *Cap. 1.* Ut lit. pendent. lib. 6. *an habeat locum in duobus præsentatis.*

X 4 *Gra-*

14 *Gratificari potest episcopus alteri ex præsentatu à patrono laico si merita sint æqualia, & n. 27.*

15 *Patronus Ecclesiasticus non potest variare præsentando alium etiam accumulativè.*

16 *Spiritualia debent esse firmiora.*

17 *Sacerdotis verbum aut sacrum, aut sacrilegum.*

18 *Præsentatio clerici patroni habet vim electionis.*

19 *Præsentatio secunda patroni ecclesiasticis non tenet prima non cassata.*

20 *Episcopus an inter plures præsentatos à patronis laicis teneatur instituere dignorem, an verò possit alteri gratificari, & num. seq. usque ad num. 30. & num. 31.*

Quid si duo sint præsentati à duobus patronis, vel à duobus partibus patronorum, num. 22. usque ad n. 29.

Et quid si duo simul, aut successivo temporibus sint præsentati ab eodem patrono, n. 29.

21 *Iudicij verbum sapit discretionem, & arbitrium boni viri.*

23 *Præsentatio de duobus facta à pari numero patronorum non valet, & neutri acquiritur ius petendi institutionem.*

24 *Et possunt patroni aliam præsentationem facere, etiam ex toto recedendo à prima.*

25 *Episcopus inter duos præsentatos à duobus patronis laicis potest alteri gratificari, nisi & de extraneo providere si lapsi sint quatuor menses.*

26 *Idem si patronus ab initio promiserit non variare. Aut consenserint ut Episcopus habeat gratificationem, num. 28.*

27 *Patronus laici non possunt recedere à promissione de non variando, maximè si fit iurata.*

29 *Institutio de digno omisso dignore inter duos præsentatos à patronolaico quamvis à principio fieri non debeat, tamen facta tenet, & num. 33.*

30 *Declaratur.*

31 *Concursus Decisio S. Congregationis Concilii quod in Parochialibus patronatus laicorum non requiratur forma examinis per concursum, an habeat locum quando plures à patrono laico sunt præsentati, & n. seq. usque in finem.*

32 *Patroni laici an teneantur præstare dignorem.*

1 CUM AUTEM. Laicus patronus uno præsentato potest alium præsentare, Clericus hoc non potest. Hoc dicit secundum Jo. Andr. & Anchar. & Jo. de Anan. Vel aliter, secundum Anton. de Butr. Laicus patronus uno præsentato potest alium accumulare, clericus nō. Vel specialis secundum Abb.

2 In pluribus successivè præsentatis à patrono laico Episcopo datur gratificatio; sed in præsentatis à persona ecclesiastica potior est primo præsentatus. Partes per se patent. Secunda ibi, *verum.*

3 Nota primò advocatum sumi pro patrono. ut exponunt Innoc. Hostien. Jo. Andr. & Gardin. omnes *in princ.* Sicut jus advocationis sumitur pro jure patronatus, ut supra in c. *prox.* & ibi per Host. *in princ. in ver. Advocationis* Propterea autem

4 dicitur advocatus, seu defensor, ut idem Hostien. ait *in summa huius tit. in §. Quid competat. in 2. col. vers. Sequitur prædicta*, quia teuetur pro viribus ecclesiam ab omnibus oppressionibus defendere, cap. *Filius*, & cap. *Decernimus*, 16. q. 7. Idem notat Gayl. *in repet. cap. fin. in 18. col. de elect. lib. 6.* dicens patronum habere onus defendendi. & tuendi ecclesiam, & ideò dici habere advocatiam, seu guardiam, ut in c. *Præterea, supra eodem*, & sequitur Lambertin. alios cumulans *in tract. huius tit. lib. 3. q. princ. art.*

5 Secundò nota ibi, *possimodum*, patronum laicū posse duos præsentare successivis temporibus, & hanc esse communem omnium Doctorum sententiam testatur Lambertin. *in tract. huius tit. lib. 2. par. 2. in 3. quæst. princip. art. 21. num. 4.* Quod si potest successivis temporibus, ergo multo magis potest simul præsentare plures à principio, ut scilicet Episcopus alterum eligat, & admittat, Clem. *Plures*, §. *fin. de iurepatron.* secundum Jo. Andr. *hic in ver. possimodum* Cardin. *in princip.* & Anchar. *in 3. not.* glossa, Cardin. Anchar. & Imola. post antiquos in d. §. *fin.* An autem ille textus vendicet sibi locum etiam in patrono Ecclesiastico, sunt opiniones; Vide Lambertin. *in eodem tract. lib. 2. par. 2. in 3. quæstione princip. art. 6.* & latius *art. 7.*

6 Tertiò nota, *eo non refutato*, patronum laicum posse variare præsentando secundum non absolute sed accumulativè, non enim potest ex toto primum refutare; quod non obscurè probatur *hic* secundum Jo. Andr. *n. 6. vers. In gl. 1.* & Abb. *n. 2.* Nam si posset ex toto recedere à priori, non daretur facultas Episcopo illum instituendi. Cujus contrarium hic decidit, eum detur illi optio instituendi quem maluerit. Sed tu adverte, quia hic intellectus non videtur sufficienter deduci ex hac littera. Nam hic recitatur factum patroni, qui præsentavit secundum primo non refutato. Et supposita hac præsentatione accumulativa, textus decidit esse locum gratificationi Episcopi. Sed quid juris sit si patronatus præsentasset secundū refutando primū, an ei hoc licitum esset, an vē eo casu Episcopus haberet gratificationem, necnè, textus non determinat, & gl. 1. sentit patronum posse variare etiam recedendo à primò, ad exemplum illius, qui plures constituit procuratores diversis temporibus, l. *Si quis cum procuratorio*, §. *ult. ff. de procurator. &c. Non iniuste, supra de procurat.* Quod etiam tenuit Goffred. *in summa huius tit. in 2. col. vers. Sed si laicus.* Sed nihilominus primum intellectum communiter probarunt Doctores, nempe Hostien. *num. 1.* Jo. Andr. *ubi supra*, Butr. *n. 2.* & 7. Gardin. *n. 3.* Anchar. *col. num.* Abb. *d. n. 2.* & Jo. de Anan. *n. 1.* Idem voluit Jo. Andr. *in reg. In re communi, in fine quæst. de regul. iur. lib. 6. in Mercurial.* Joan. Calderin. *cons. 9. Hoc tit.* Archid. in cap. *unico, in 2. col. vers. Verum, infra eod. lib. 6.* Henric. Boych. in c. *Pastoralis, circa finem. vers. Vnde hac quæstio, infra eodem*, Roch. de Curte *in hoc tract. in ver. Honorificum, in princ. 9. qu.* Nec dissentit Goffred *loco cit.* nam etsi primò dixerit cum glossa patronum per secundam præsentationem recedere à prima; tamen postea subdit, & tunc videtur arbitrio Episcopi relinquendum quis eorum alteri præferatur. Et ita Goffred. videtur à priori sententia recedere. Nam si relinquitur arbitrio Episcopi quis ex duobus præsentatis instituatur: ergo prima præsentatio non fuit revocata; alioquin Episcopus non posset primum instituere. Ac demum hanc opinionem amplectitur omnis schola Canonistarum, & Legistarum, in hac materia loquentium, ut aliis relatis testatur Lambertin. *in hoc tract. lib. 2. par. 2. in 7. quæst. princip art. 21. num. 4.*

Re-

Ratio huius conclusionis est secundum Host. cui cæteri subscripserunt, quia quod à patrono fit, non est ratum donec Episcopus admittat, ut cap. *Quod autem, primo responso, supra eodem*, & sic est locus pœnitentiæ quoad patronum, non quoad Diœcesanum, qui potest quem maluerit instituere, & alterutri gratificari authoritate hujus capituli.

7 Itaq; potest patronus laicus variare non recedendo à primò sed accumulando. Quod si simpliciter præsentaverit secundum, nec expresserit an privativè, vel cumulativè, nec aliundè apparet eū voluisse à priori præsentatione resilire, tunc censetur voluisse uti facultate sibi attributa ex dispositione juris; & præsentasse cumulativè, non privativè, ut sic actus potius valeat, quam pereat, ut contra Lapum *allegat. 78.* incipien. *Vacuerat ecclesia*, pluribus probant Roch. *in tract. huius tit. ver. Honorificum q. 13.* & Lambertin. *in eodem tract. lib. 2. par. 2. in 3. qu. princip. art. 22.* licet Lapus loquatur in eo casu in quo patronus laicus præsentavit secundum, non simpliciter, sed narrando se velle variare, idest à prima præsentatione recedere; unde non contradicit.

8 Non tamen intelligas ut patronus laicus accumulando possit variare toties, quoties voluerit, sed semel tantum: nam jura loquuntur de duobus successivè, & non de pluribus, ut patet ex hac littera ibi, *alium aque idoneum præsentavit*, necnon ibi, *quis eorum alteri præferatur*, ut cap. *Quod autem, supra eod.* & infra ex c. *Cum dilectus*, & c. *Pastoralis*, & efficaciter probat Jo. Calderin. *cons. 16. An laicus, hoc tit.* Roch. *in hoc tract. q. 10.* Lambertin. *in præalleg. quæst. 3. art. 23.* Francis. Marc. *decis. 478. post nu. 6. par. 1.* & Nauar. in c. *Placuit, n. 167. & seqq. de pœnit. dist. 6.*

9 Sed hoc ultimum limita ut non procedat, si prima præsentatio esset nulla, veluti si facta esset coram non habente potestatem instituendi, quia tunc sicut patronus potest præsentare secundum

10 ex toto recedendo à primo. arg. cap. *Cum laici, supra eodem*, per quem textum ita tenet Abbas in c. 1. super gl. *in ver. Placere, supra de iudic.* & Roch. *in tract. huius tit. in ver. Honorificum. q. 9. vers. Tertia suborsitur quæstio.* Eodem modo potest præsentare tertium accumulando eum secundò. Prima enim præsentatio nulla in numero præsentationum non computatur; & sic secunda præsentatio erit prima; quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, cap.

11 *Quod autem, supra eod.* cap. *Bona, il secondo*, & c. *Congregate, de elect.* & in hac specie tradit Lambertin. *in hoc tract. lib. 2. par. 2. in 7. qu. principali art. 21. num. 6. vers. Ex quibus dicerem unum novum*,

12 Quæ limitatio procedit etiamsi patronus laicus primo loco præsentaverit indignum; quia si teneamus ex hoc eum non esse privatum pro illa vice facultate præsentandi, secundum opinionem Jo. Andr. & Cardin. in cap. *Cum vos, supra de offic. ordin.* poterit facere secundum præsentationem ex toto recedendo à prima: item poterit facere tertiam accumulando eam secundæ, ut ex dictis constat. Si verò teneamus contrariam opinionē Hostien. quam tuetur, & verissimam dicit Abb. in d. c. *Cum vos*, *num. 5.* tunc ut dicunt *hic* Host. *n. 1.* Jo. Andr. & Cardin. *n. 3.* Si primus præsentatus est minus idoneus, & secundus idoneus, meritò pœnitet patronum, arg. l. *Nominatum*, *de collat. bonor.* Sed & meritò tunc Diœcesanus admittit secundum repulso primo, qui tamquam malè meritus dignus est qui publica egestate laboret, ut l. *Bona fides*, *ff. Depositi*, & eo casu Episcopus admittendo secundum intelligitur facere gratiam patrono. Nam ex quo patronus præsentavit indignum posset Episcopus jure suo ecclesiam ordinare, ut in authen. *de Sanctiss. Epis. §. Si quis oratorij domum, collat. 9.* & notatur in d. cap. *Cumpres de offic. ordinar.*

13 An autem lite pendente inter præsentatos liceat patrono collitigantem præsentare, & sic an c. 1. *Vt lite pendent. lib. 6.* habeat locum in duobus præsentatis, vide ibi per Jo. Andr. & DD. Roch. *in tract. huius tit. in ver. Honorificum, q. 23.* Lambertin. *in eod. tract. lib. 1. par. 2. in 6. quæstione principali art. 12.* Covarr. *practicar. quæst. cap. 36. num. 7. vers. Tertiò*, quandoque, & Rota apud Farinac. *decis. 216. num. 7. p. 1. recent.*

14 Quattò nota ibi, *aque idoneum*, ita demum esse locum gratificationi Episcopi inter plures præsentatos à patrono laico, si merita sint æqualia. Secus ergo si unus sit dignior altero. Sed an, & quando hoc sit verum, latius dicam infra in prima quæstione.

15 Ultimò nota patrono Ecclesiastico non esse licitum variare alium præsentando etiam accumulativè, ut hic est casus in vers. *Verum si collegiū.* Ratio autem diversitatis cur id liceat patrono laico, & non Ecclesiastico, multiplex à Doctoribus assignatur. Glossa penultima dicit hoc id eo esse, quia Clerici patroni pingvius jus habent, quam laici, arg. c. *Si quis Episcoporum, 16. q. 5.* ideſt ex præsentatione Clerici plus juris tribuitur præsentatio, quàm ex præsentatione laici, ut explicat Cardin. *n. 4. vers. Quæro qua est ratio*, & patebit infra. *n. 18.* Deinde dicit glossa hoc statutum esse in odium Clericorum, quibus variatio est in-

16 terdicta. Sed hoc nihil est. Imò secundum Host. num. 2. hoc potius statutum est in favorem Clericorum, quia per hoc cœtus Clericorum tamquam spiritualis declaratur dignior, quam laicorum tanquam temporalis: nam spiritualia debent esse firmiora, ut c. 2. *de transl. Epis.* & facit Clem. *Cum illustre, de renunc.* Unde pactio, sive locutio, vel dictum etiam cujuscumque firmius est si agatur in foro ecclesiæ, ut notatur in cap. 1. *& 3. de pactis.* Ad quod conferunt illa verba Psalmi, *Quæ proce-*

17 *dunt de labijs meis non faciat irrita*, cap. *Psalmista*, 23. *dist.* Et quod ait Beatus Bernardus, Verbum

18 Sacerdotis, aut sacrum, aut sacrilegum. Vel formalius secundum Innocent. *hic in fine*, idcirco Clericis variatio est interdicta, quia illorum præsentatio vim habet electionis, quod numquam

19 tradas oblivioni. Unde infert Host. *n. 6.* ut sicut non tenet secunda electio prima non cassata, c. *Considerauimus*, & cap. *Auditis, supra de elect.* ita nec secunda præsentatio, Clerici, de quo per Compostell. in cap. *Capitulum, nu. 61. de rescript.* & in his consentiunt *hic* Jo. Andr. *n. 7.* Butr. *n. 9.* Gardin. *ubi supra.* Anchar. *nu. 5.* & Abb. *num. 7.*

20 QUÆRO, an inter plures præsentatos à patronis laicis Episcopus teneatur instituere digniorem, an verò possit alteri gratificari.

Glossa *hic in ver. Iudicio Episcopi.* Dicit tunc esse locum gratificationi cum dubitatur quis potior sit in jure, vel cum aliquis non potest subveni-

nit e utrique, ut hic, & in l. *Si quis ingrati*, §. *Si cum omnes*, ff. *ad Syllan.* aliàs secus, ut hic in fine in l. *Permutque*, C. *de oblat.* & in l. *Generaliter*, §. *Quid ergo*, ff. *de fideicomm. libert.* Ergo sentit glossa ita demum inter plures præsentatos posse Episcopum alteri gratificari, si res sit dubia, & sic merita sint æqualia. Secus ergo si unus sit dignior altero. Quod apertius tenet Abb. *num.* 5. per text. in cap. *Si forte*, 63. *dist.* ubi si vota eligentium sint paria, metropolitani judicio præferendus est is, qui majoribus studiis juvatur, & meritis. Item per cap. *Quoniam*, *supra eod.* ubi in discordia patronorum præfertur qui majoribus juvatur
21 meritis, & plurimorum approbatur assensu. Item per hanc litteram, dum ponderat quod secundò præsentatus erat æque idoneus. Secus ergo si fuisset magis idoneus. Et ex his infert Abbas, ut si dignior posttergaretur, appellare posset ab irrationabili Episcopi judicio: nam præfectio committitur hic judicio Episcopi: tamquam boni viri, cum verbum, *judicium*, sapiat discretionem, & boni viri arbitrium, ut legitur, & notatur in cap. 2. *supra de corp. vitiat.* & in l. *Fideicommissa*, §. *Quamquam*, ff. *de legat.* 3. & Abb. sequuntur Paul. de Castrin. in *hot tractat. 6. par. quæst. 6.* & Roech. de Curte, qui latè hanc partem tuetur in *ver. Honorificum. in 15. quæst.*

Sed oppositum tenent hic Hostien. *in princip.* Jo. Andr. *num.* 2. Cardin. *num.* 4. in 3. *oppos.* qui exponunt verba, *æque idoneum*, scilicet non in quantitate idoneitatis, sed in qualitate: sufficit enim ut non sit malus, ut notatur in cap. *Quoniam, in glos. in ver. Qui majoribus, supra eod.* Ad hoc cap. *Monasterium, in fine*, & ibi glos. *ult. 16. quæst.* 7. & sequuntur hic Anton. de Butr. *num.* 3. Petr. de Ancharan. *num.* 4. & Jo. de Anan. *num.* 2. adduot Jo. Andr. & Cardin. illud verbum *æque*, aliàs in textu non reperiri.

22 Pro solutione duo casus videntur distinguendi. Primus est cum duo sunt præsentati à duobus patronis, vel à duabus partibus patronorum, eo quod una pars præsentavit unum, altera alterum. Secundus est cum duo simul, aut successivis temporibus sunt à patrono laico cumulativè præsentati. Quos casus recenset tamquam diversos Lambertin. *in tract. huius tit. lib. 2. par. 2. in 7. quæst. principali, art. 25. num. 3. & 4.*

In primo membro Jo. Andr. *hic n.* 3. post eum Cardin. *n.* 4. & Abb. *n.* 8. dicunt ex duobus præsentatis à duobus patronis Episcopum posse alteri gratificari, atque ita non diversificant hunc casum ab eo, in quo plures sunt præsentati cumulativè. Sed reverà non loquuntur explicitè in eo casu, in quo unus ex præsentatis est dignior altero; quin potius videntur supponere eos esse æque idoneos, cum sumant argumentum ab hoc capitulo, quod de talibus loquitur: & in hoc casu etiam loquitur Innocent. in cap. 1. *in fine*, *supra eod.* quem Abb. allegat ubi supra: ait enim patronis discordantibus, si merita præsentatorum sint paria, esse locum gratificationi, juxta textum hic. Sed expressius idem Cardin. in Clem. *Plures*, 5. *in princ. in 4. tel.* dicit, Si duo patroni præsentant duos, esse admittendum magis idoneum; Si autem æqualiter sunt idonei, locum esse gratificationi, allegat notata in c. 1. *supra eodem.* Quam opinionem clarè etiam tenet ibi Joan. de Imola, & est ex mente glossæ 1. in §. *Si plures*, 16. *quæst.* 7. quæ aperte dicit in discordia patronorum Episcopum teneri eligere dignioremsi sine scandalo id fieri possit; Si verò præsentati sint pares meritis, Episcopum posse gratiam facere cui velit. Et hanc partem pluribus probant Roch. *in hoc tract. in verb. Honorificum, in 15. quæst.* & Lambertinus *d. art.* 26. ea præcipuè ratione, quia hoc casu Episcopus est Judex inter duos præsentatos. Ergo justitiam ministrare debet: alioquin non diceretur Judex, c. *Eorum, de verborum significa.* Sed utique justitiam non ministraret si minus dignum præligeret posthabito digniori. Et sic putant hoc habere locum in utroque foro, ita ut etiam liceat postposito appellare; Sed præcipuè in foro conscientiæ, ex notatis in c. *Constituto, supra de appellat.*

Verum Petr. de Ancharr. *hic n.* 4. & post eum Jo. de Anan. *n.* 2. dicunt opinionem Jo. Andr. quod inter duos præsentatos à duobus patronis sit locus gratificationi, non esse veram, quia si patroni sint discordes, aliter providetur, quàm per gratificationem, ut in cap. 1. 2. & 3. *supra eodem.*

23 Tu adverte, quia cum duo sunt præsentati à pluribus patronis in pari numero, neutri acquiritur jus præsentandi institutionem, cum ad hoc requiratur ut præsentatio sit facta à majori parte patronorum, textus est clarus in cap. *Quoniam*, & ibi dixi *in 4. not. ab. supra eod.* Quo fit ut Episcopus minimè teneatur dignioreminstituere, quia ad hoc requiritur ut præsentatus in discordia patronorum non solum majoribus juvetur meritis, sed etiam plurimorum approbetur assensu, quæ sunt verba d. c. *Quoniam*: unde patet sustineri non posse quod dixerunt Roch. & Lambertin. supracitati, videlicet ex duobus præsentatis à duobus patronis Episcopum teneri instituere magis idoneum. Imò enim, ut ait Caspar. de Calderin. *hic*, Forte posset Episcopus de alio providere, ut cap. *Eam te. cap. Si verò*, & d. cap. *Quoniam*, *supra eodem.* Ergo fortius potest gratificari alteri ex præsentatis: quod placet Cardin. *hic num.* 4. Quia, inquit, ex quo neuter præsentatorum est præsentatus à pluribus, neutra præsentatio tenet, arg. d. c. *Quo-*
24 *niam*, *A contrario.* Sed hoc ultimum de provisione extranei, & gratificatione non transit absque difficultate; quia licet præsentatio in pari numero patronorum non valeat, tamen non propterea jus ordinandi ecclesiam devolvitur ad Episcopum nisi lapsum sit quadrimestre patronis laicis à jure præfixum, ut in d. c. *Quoniam, in fine*, & in cap. *Cum propter*, *infra eod.* Imò infra dictum tempus stante nullitate primæ præsentationis licitum est patronis laicis variare, & aliam præsentationem facere, etiam ex toto recedendo à prima, cap. *Cum laici. supra eod.* & dixi supra *in 3. not. ab. vers. Sed hoc ul-*
25 *timum, n. 9.* Unde concluderem inter duos præsentatos à duobus patronis Episcopum non solum non teneri dignioreminstituere, sed nec posse alteri eorum gratificari, & multò minus de extraneo providere nisi in duobus casibus. Primus est si lapsi sint quatuor menses; quia tunc cum præsentatio illa non valeat, jus conferendi est ad Episcopum liberè devolutum. Unde cum sit in facultate ipsius de extraneo providere, multò magis potest si voluerit, alteri ex præsentatis gratificari; & in hoc casu procedat opinio Casp. Calderini,
26 & Cardinalis. Secundus est cum patroni ab initio promiserunt non variare, nec aliam præsentare;
27 nam contra talem promissionem venire non possunt,

sunt, cum à jure non sit reprobata, ut Clem. *Plures*, *in fine hoc tit.* Et firmat Lap. *allegat.* 78. *Vacaverat Ecclesia, num. 6. vers. Item quia secundum præsupposita*, præsertim si sit juramento vallata, ut per Lambertin. *lib. 2. part. 2. in 7. quæst. principalis art.* 18. Unde hoc casu absque dubio licebit Epi-
28 scopo alteri ex præsentatis gratificari etiamsi lapsi non sint quatuor menses; nà & licebit de extraneo providere, secundum Calderin. & Cardin. Et idem esset si patroni consentirent ut Episcopo haberet gratificationem. Et fortè in hoc casu loquuntur Innoc. Jo. Andr. & alij prælegati. Alias non video quomodo durante adhuc quadrimestri Episcopus possit instituere alterum ex duobus nulliter præsentatis, & præripere patronis jus quod habent recedendi à prima præsentatione, invalida, & aliam præsentandi. Nec obstat textus, in cap. *Venerabilem*, §. *Quod autem de elect.* quia loquitur in eo casu, in quo electores discordes sunt moniti, & expectati.

In secundo membro principali, cum scilicet duo simul; aut successivis temporibus sunt ab eodem patrono cumulativè præsentati juxta terminos hujus c. & Clem. *Plures, eod. tit.* existimo veram esse distinctionem, quam ponunt Doctores per illum textum in cap. *Constitutis, supra de appellat.* ut scilicet à principio non sit locus gratificationi, sed Episcopus omnino teneatur præeligere dignioremm, adeo ut peccet contra justitiæ distributivam eligendo minus dignum: nam ante electionem omnia jura clamant meliorem, & sanctiorem esse eligendum, cap. *Licet ergo. 8. qu. 1.* cum concordan. de quibus per gl. in c. 2. *in ver. Sanctiones de offic. cuiusd.* Sed post factum sustineatur electio de digno, omisso digniori, nec liceat postposito appellare, ut litium occasiones amputentur. Quam dictionem probarunt S. Thom. & alij, quos retuli in cap. *Cum dilectus*, *n.* 19. *supra*
29 *de conjuct nd.* & in terminis nostris eam probavit, Dec. *in cons.* 129. *Pro tenui, in princ. 2. col.* ubi vult ut quamvis dignior sit instituendus inter plures cumulativè præsentatos, tamè hoc procedat ante factum, sed post factum valeat institutio de digno, omisso digniore, & eum sequitur Lambertin *in hoc tractatu lib. 2. par. 2. in 7. qu. principali,*
30 *art. 26. num. 4. & seqq.* qui tamen limitat nisi alter ex præsentatis ante institutionem allegasset se digniorem, idque se probaturum obtulisset, & à futura institutione appellasset; quia tunc non teneret institutio etiam in foro judiciali secundùm n. 5. & Abb. hic per notata in c. *Pastoralis*, *infra eodem.*

31 Successivè QUÆRO, an decisio S. Congregationis Concilii, qua declaratum fuit in Parochialibus de jure patronatus laicorum nõ requiri formam examinis per concursum à Concilio Trident. præscriptam, *cap. 18. sess. 24* vendicet sibi locum quando plures à patrono laico sunt præsentati.

Jam censuit S. Congregatio speciale esse in jure patronatus laicorum ut non requiratur ejusmodi concursus qualis ex Conc. & Constitutione Pij V. necessarius est in provisionibus Parochialium liberis, nec non illis, quæ de jure patronatus Ecclesiastico existunt, hic enim vacantibus proponuntur edicta ad vocandos quoscumque etiam extraneos, ne dum præsentatos. Et secundum hunc intellectum ad propositam consultationem videtur respondendum non esse institu-
endum concursum, in quo liberum sit etiam aliis non præsentatis dare nomina, ut examinentur, prout loquitur Concilium Trid. in d. c. 18. *in ver. Liberum sess.* 24. nam si hujusmodi concursus nõ sit quando unus tantum a patrono laico præsentatur, juxta declarationem alias editam; multo minus videtur necessarius quando plures præsentantur, ex quibus facilius potest Episcopus idoneum, vel magis idoneum eligere, & secundum hunc sensum declaratio S. Congreg. procedit etiam quando sunt plures præsentati. cum nec eo casu proponi debeat edictum ad vocandos quoscumque qui volent examinari. Sed remanet dubium an saltem omnes præsentari debeant examinari ad effectum ut ex illis Episcopus obligat dignioré, quem instituere teneatur. Et quamvis propriè nõ dicatur concursus de quo Concilium intelligitur; nihilominus ut satisfiat dubitationi quoad hanc partem.

Præmittendum est in illa disputatione an de jure communi pluribus à patrono laico cumulativè præsentatis teneatus Episcopus digniorem eligere, vel liberum sit cui velit gratificari, de qua per Doctores *hic* & in Clem. *Plures, eod. tit.* non deesse authores pro utraque sententia. Nam Dec. *cons.* 129. dicit communem opinionem esse cum Joan. Andr. *hic* ut institutio facta de minus idoneo valeat quasi ad relinquatur judicio, & conscientiæ Episcopi, qui dummodo idoneum eligat, gratificari potest, secundum eum intelligendo verbũ, *æque*, hic positum verificari non in quantitate bonitatis, sed tantum in qualitate, ut latius explicavimus præcedenti quæstione. *nu. 21. vers. Sed oppositum.* Et hanc opinionem sequuta est Rota coram D. Brauo, reprobata opinione Abbatis sentientis Episcopum teneri digniorem instituere, & ab institutione minus idonei appellari posse juxta notata in cap. *Pastoralis*, *infra eod.* Verumtamen opinio Abbatis, quam alij sequuntur relati per Lambertin. *in tract. de iure patr. lib. 2. par 2. in 7. q. principali art.* 26. videtur magis congruere rationi, & menti Concilij Tridentini, imo & textui nostro, qui permittit electionem judicio episcopi eo casu, in quo sunt plures æque idonei. Ergo data inæqualitate meritorum non est locus gratificationi.

Cæterum qui quid sit de jure communi, in cujus terminis advertendum est contra autem opinionem, de qua Dec. testatur, procedere casu do alter ex patronis præsentat unũ, & alter alium. Quem casum uti diversum à præsenti distinguit Lambertin. *ubi supra*, & nos distinximus in quæstione præcedenti, *nu.* 22. certè hoc casu ex mente Concilij & Bullæ Pij V. vi fetur dicendum ex pluribus præsentatis digniorem esse instituendũ. Et cum de cujusquam meritis, & idoneitate non possit nisi per examen judicari, propterea omnes præsentatos examini subjiciendos esse planè intentio Conc. colligitur tum ex modo, quem præscribit servandũ in collatione parochialium, qui alio nõ tendit, quã ut parochiales nonnisi dignioribus conferantur: tum quia illis casibus, quibus electio competit Episcopo, semper decernit digniorẽ eligi debere ibi, (Ex hisce Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri collatio fiat.) Quin eriã illudidem disponit quando electio spectat ad pa-
tro-

32 tronum ecclesiasticum. Et quamvis ubi Ecclesiæ sunt de jurepatronatus laicorũ, noluerit astringere patronos ad præsentandum plures, neq; ad præsentandum digniorem, cum alias dubitarent Doctores an in foro conscientiæ ipsi patroni tenerentur perquirere, & præsentare digniorem ex pluribus, quos præsentare, ut latissimè per Lambertin. *in hoc tract. lib. 1. par. 2. in 10. quæst. princip. art. 3.* ideoq; satisfiat Concilio si idoneus præsentetur: Si tamen contingat ut plures præsententur, quod est Ecclesiæ utilius, vel verisimile non est Concilium voluisse Episcopo liberũ arbitrium eligendi minus dignum, cum esset eo casu favor patroni, & ratione retrahantur laici à fundatione, & dotatione Ecclesiarum, ob quam declaratum est nõ requiri concursum, ne scilicet laici compellantur plures præsentare, neve extranei concurrents quippe magis digni judicati ipsis præferantur. Imò verò patroni quotiescumque plures præsentant, censendi sunt ea mente id facere, ut dignior ex illis eligatur.

Constitutio Pij V. adhuc apertiùs protestatur mentis suæ, ut Parochiales non solum dignis, sed magis idoneis conferantur, Ac propterea concedit appellationem à mala electione ordinarij, & vult rejecto licere ad novum examen provocare ipsum prælectũ coram Judice appellationis.

33 Quamvis autem Constitutio videatur intelligenda cum juxta formam Concilij faciendum est examen per concursum; ratio tamen dictat idem juris esse hoc casu ex præsumpta mente legis.

Quamobrem ad dubium responderi potest declarationem *S.* Congregat. non excludere hunc concursum sed ex mente Concilij, & Constitutionis omnes præsentatos examinandos esse, eumque instituendum esse, quem ex cæteris approbatis magis idoneum ad ecclesiam gubernandam Episcopus judicaverit.

Cæterum an institutio de minus digno facta hoc casu irrita sit, & an quod disponitur de appellatione habeat locum in proposita specie, videtur maturius deliberandum. Et ita responsum Rotæ de hac dubitatione consulenti.

De jure Patronatus.

Cap. Nobis.

SUMMARIUM.

1 *Jus patronatus acquiritur ex constructione Ecclesiæ facta de consensu Episcopi.*
Etiamsi construens explicitè ius patronatus, sibi non reservaverit, dummodo expressè illud nõ remiserit, n. 4.
2 *Patronus non eligit Prælatum in Conventuali Ecclesia, sed in capella sic, & n. 14. & 28.*
3 *Patrono debetur processionis honor, & alimentatur ab Ecclesia si vergat ad inopiam, & n. 17. & 25. cum seqq.*
5 *Mulier Ecclesiam construens de Diœcesani consensu acquirit ius patronatus.*
6 Si quis *verbum tam masculos, quam fœminas complectitur ex propria significatione.*
7 *Judæus, vel Paganus non acquirit ius patronatus, si Ecclesiam fundet, vel construat.*
Tenetur tamen eam dotare, n. 9.
8 *Judæus, vel Paganus puerum baptizans, aut levans de sacro fonte non contrahit cognationem spiritualem.*
10 *Hæreticus baptizando, aut levando de sacro fonte acquirit cognationem spiritualem, sed Ecclesiam construendo non acquirit patronatum.*
11 *Ius patronatus an veniat in confiscatione bonorum.*
12 *Excommunicatus Ecclesiam construens de consensu Episcopi, quamvis non debuerit admitti, tamen efficitur patronus, sed exercitium non habebit ante absolutionem.*
14 *Ius Patronatus, seu præsentandi Prælatum in Ecclesia Conventuali, seu Collegiata non acquiritur ex fundatione, vel constructione Ecclesiæ sine privilegio Apostolico.*
15 *Ecclesia Conventualis appellatione comprehenditur omnis collegiata.*
16 *Collegiata Ecclesia quæ dicatur, remissivè.*
17 *Patrono debetur processionis honor, & ius consequendi alimenta ab Ecclesia si ad inopiam deveniat.*
18 *Patronus an in Ecclesia iuris patronatus in sessionibus, & aliis actibus temporali domino loci sit præferendus, & num. seqq. usque in fin.*
19 *Patrono triplex ius competit in Ecclesia patronata utile, onerosũ, & honorificum.*
20 *Ius honorificum in quibus consistat, & n. 25.*
21 *Honorari præ cæteris debet qui maiorem habet iurisdictionem & n. 24. & 30.*
22 *Dominus temporalis, si Superiorem non recognoscit æquiparatur Principi, si recognoscit, Præsidi.*
23 *Læsæ maiestatis crimen committitur etiam à conspirantibus in Baronem.*
24 *Barones etiam extra locum Baroniæ præferuntur nobilibus iurisdictionem non habentibus.*
25 *Honor processionis qui debetur Patrono, quotuplex, & num. seqq.*
26 *Patrono ad ecclesiam venienti an, & quousque Clerici obviam exire teneantur.*
27 *Patronus in sessionibus, & aliis actibus an sit cæteris præferendus, & n. 29.*
28 *Patrono debetur honor processionis, idest præsentationis, & n. 29.*
30 *Parlamenti Domini quamvis primam Sedem obtineant, hoc tamen non intelligitur respectu Consiliariorum, qui in eas habent iurisdictionem.*
31 *Rector Ecclesiæ præ aliis honorari debet.*
32 *Sublimes personæ quibus verbis à iure comprehendi consueverint.*

1 NOBIS. Ex constructione Ecclesiæ facta de consensu Episcopi acquiritur jus patronatus. Hoc dicit primò. Patro-
2 nus non eligit prælatum in Conventuali Ecclesia, sed in Capella sic. Hoc secundo, Patrono debetur processionis honor, & alimentatur
3 ab Ecclesia, si vergat ad inopiam. Hoc tertiò Jo. Andr. But. Cardin. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. Et sunt tria dicta. Secunda, ibi, *Cæterum*, Tertia ibi. *Pro fundatione.*

4 Nota primò ibi, *Si quis Ecclesiam cum assensu Diœcesani construxit.* Ex constructione Ecclesiæ acquiri juspatronatus construenti, dummodo tamen id faciat de consensu episcopi Diœcesani, ut hic est casus secundum omnes in summario text. Quod locum habet etiamsi in constructione, vel fundatione ecclesiæ jus patronatus sibi explicitè non reservaverit, quia nihilominus ei acquiratur juris ministerio, dummodo expressè illud non remiserit, ut c. *Significavit de testibus*, & satis probat hæc littera, quæ simpliciter dicit jus patronatus acquiri ex ipsa constructione, nec ullam facit mentionem reservationis. Et ita declarat Joan. Andr. Bald. Butr. Cardin. Imol. Abb. Aretin. & Felin. in d. cap. *Significavit*, Archid. Jo. Andr. Gemin. & Franc. in c. 1. *de iure patr. lib. 6.* Roch. de Curte *in hoc tract. in ver. Ecclesiam fundavit, q. 8. nu. 12.* Latè Lambertin. *eodem tract. lib. 1. qu. 2. art. 4. & eodem lib. part. 1. 5. art. 2. quæstionis principalis. num. 12.* Rota *decis. 167. n. 4. part. 2. divers.* ubi attestatur hanc esse receptissimam conclusionem, & *in recen. decis. 421. n. 2. par. 2.* An autem ad hoc sufficiat sola constructio Ecclesiæ, an verò etiam requiratur fundatio, & dotatio, dic ut plene scripsi in cap. *Quoniam, à n. 23. usque ad nu. 50.*
5 *supra eodem.* Item pondera latitudinem illius verbi, *Si quis*, ex hoc enim infertur ad quæstionem Numquid mulier, infidelis, hæreticus, vel excommunicatus acquirat jus patronatus ex constructione Ecclesiæ.

6 De muliere concluditur affirmativè, quia, verbum hoc, *Si quis*, tam masculos, quam fœminas complectitur, dicit textus in l. 1. *ff. de ver. signif.* ubi Bart. *n. 2. vers. Ego dico*: ponderando verbum Complectitur, dicit hoc non contingere ex interpretatione extensiva, sed ex propria significatione, c. *Generali*, & ibi gloss. 1. Jo. Monach. & & Canonistæ, *de elect. lib. 6.* & c. *Si quis suadente, 17. q. 4.* juncto c. *Mulieres, de sent. excom. eod lib.* Ad hoc inducitur bonus textus in c. *final. de concess. preben.* ubi fit mentio juris patronatus Comitissæ Flandren. & in cap. *Ex litteris, supr. eod.* & in cap. *Quoniam investituras*, & ibi gl. *in ver. Vel fœmina, 16. q. 7.* cum similibus, ut per Abb. in c. *Cum secubna. n. 4. supra eod.* & hic firmant Jo. Andr. *num. 2. in fin. in verb. Siquis*: cum quo cæteri concordant, ut dicam infra *nu. 13.* Calder. *cons. 1. hoc tit.* Rocch. *de iure. patr. in ver. Competens, q. 1.* Lambert. *in eod. tract. 1. par. lib. 1. qu. 7. art. 2. num. 30.* Cassador. *decis. 1. de iure patr.*

7 De infideli Judæo, vel pagano dic contra, quia ver. *Si quis*, exponitur id est fidelis, secundum Jo. Andr. *hic nu. 3.* Unde infidelis ex constructione, vel fundatione ecclesiæ jus patronatus non acquirit, ut cap. *Piementis in fin.* c. *Quicumque, in princ.*. & cap. *Frigentius, in fin. 16. q. 7.* ubi glos. *in ver. Qui Christianis*: dicit, Ergo Judæus non ef-
8 ficeretur patronus, licet fundaret aliquam ecclesiam; Et est simile in cognatione spirituali, quam infidelis non acquirit, si puerum baptizet aut levet de sacro fonte, ut firmat Jo. Andr. in c. *Ex eo,*
9 *n. 5. & 8. de regul. iur. lib. 6.* tamen Paganus, vel Judæus de facto fundaret Ecclesiam, teneretur eam dotare sicut tenetur dotare filiam ad fidem conversam, & Ecclesia esset liberæ collationis, ut probat Lambertinus *par. 1. lib. 1. qu. 5. art. 8. n. 1. & 2.*

10 De hæretico idem dicendum, quia etsi cognationem spiritualem acquirat, ut notat Jo. Andr. in d. c. *Ex eo, num. 3. vers. Dicit Palmerius, de reg. iur. lib. 6.* tamen patronatum non acquirit, quia cum eius bona ipso jure sint confiscata, c. *Cum secundum, de haret. lib. 6.* utique de suo dare non potest fundum, dotem, vel ædificium. Facit

11 cap. 2. §. *fin. eod. tit.* Et quatenus etiam esset patronus, tamen illud jus confiscatum esset, secundum Jo. Andr. *hic num. 3. vers. De hæretico.* Facit c. *Maximum, 1. q. 7.* Et nota hoc dictum, quia jus patronatus transit cum confiscatione bonorum, ut *hic* per Abb. *num. 2. vers. De hæretic.* Sed quo ad hoc tu vide DD. de Rota *in Lucana iurisdictionis* coram Coccino *decis. 232. & decis. 298. & decis. 351.* quibus in locis distinguitur, an confiscatio facta fuerit per judicem laicum, an per Ecclesiasticum.

12 De excommunicato autem dicit Jo. Andr. *hic num. 3. vers. De excommunicato male fecisse Episcopum, qui eum admisit*, sed tamen si Episcopi consensu Ecclesiam construxit, patronus erit, sed exercitium non habebit ante absolutionem, cap. *Cum dilectus, de consuetudine*: nam cum religionem profiteatur, matrimonium contrahat, & alia faciat, quæ enumerantur à Jo. Andr. in cap. *Dolo facit, in secunda parte quæstionis, vers. 3. de regul. iur. lib. 6.* Ergo & jus patronatus acquirit: & facit quod notatur in cap. *Veritatis, de dolo, & contumacia*, & in cap. *Decernimus, de sent. excom.* in novella, & cum excommunicato liceat Ecclesiam ingredi ad audiendum verbum Dei, & orandum c. *Responso, de sent. excom.* Ergo etiam licebit
13 Ecclesiam construere. Facit cap. *Quoniam, de sentent. excomm. lib. 6.* commendabile enim est ædificare templum Dei, cap. *Aurum, 12. q. 2.* Itaque mulier ecclesiam construens de Diœcesani consensu acquirit jus patronatus habitu, & actu: Infidelis, & hæreticus neque habitu, neque actu: excommunicatus habitu tantum, sed non actu ante absolutionem: & cum his dictis Jo. Andr. concordant *hic* Collectar. *n. 4. & 5.* Henric. Boich. *n. 1. in fin. vers. Qui etiam dicit, & n. 2. & 3.* Butr. *n. 9. 10. & 11.* Cardin. *nu. 7. 8. & 9.* Anchar. *in 1. not.* Abb. *num. 3.* & Jo. de Anan. *n. 3. & 4.*

14 Secundò nota ibi, *In conventuali Ecclesia*, ex constructione Ecclesiæ conventualis, seu collegiatæ etiam de Diœcesani consensu non acquiri construenti jus patronatus, seu præsentandi Prælatum absque privilegio Apostolico, ut hic & in c. *Hinc est etiam, 16. qu. 1.* Put. *decis. 366. num. 4. & seqq. lib. 2.* Rota *decis. 421. n. 2. par. 2. recent.* Quod locũ habet sive ecclesia Collegiata sit, sæcu-
15 laris, sive regularis, juxta tex. in Clem. *Ut ij de ætat. & qualit.* Nam sub nomine Ecclesiæ conventualis, de qua loquitur ista littera, comprehenditur etiam Ecclesia Collegiata, licet de consuetudine hoc verbum referatur ad Ecclesias religiosorum, ut *hic* per Abb. *n. 3. in 2. notab.* Quæ autem
16 dicatur Ecclesia Conventualis, seu Collegiata, vide hic pulchrè per Host. *n. 2.* & Jo. Andr. *nu. 8. 22. & 24.* & per Innoc. in c. *Postul. in princ. infr eod.*

17 Ultimò nota ex textu tria jura, quæ acquiruntur patrono in acquisitione juris patronatus. Primum est jus potestatis præsentandi: Secundum est honorificentia processionis: tertium est jus consequendi alimenta ab Ecclesia, si ad inopiam deveniat, ut *hic* per Butr. & Abb. *in ult. notab.* Primum est planum, de 3. vide Rocchum de Curte *in tract. huius tituli, in ver. Utile, à num. 1.* latissimè Lambertinus *in eod. tract. lib. 3. in 3. q. principal. art. 1. cum pluribus seq. usq; ad articulum 16.* Surdum *de aliment. tit. 1. q. 54. per totam*, & not. *dec. 494. p. 4. divers, & in recent. dec. 454. part. 2.*

18 Quo ad secundum ultra ea quæ tradunt Docto-

tes hic, & Rocch. de Curte *in hoc tract. in verb. Honorificum*. Quæro an patronus in Ecclesia juris patronatus in sessionibus, & aliis actibus temporali domino loci præferri debeat.

19 Pro patrono contra dominum temporalem videntur sentire DD. supra *in hac Rubrica*, & post Host. Lambertinus *in tract. de iure patr. in princ. tertij libri*, dum scribunt patrono simplex jus in
20 Ecclesia patronata competere, nempe jus utile, onerosum, & honorificum; & omittendo alia duo iura, quæ ad præsentem quæstionem non pertinent, jus honorificum in eo consistere, ut patronus primus in processionibus incedat, & præ cæteris laicis in Ecclesia patronata honoretur: quod etjam tradunt hic DD. idque habere locum ne dum in processionibus, sed etiam in sessionibus, & aliis quibuscumque actibus, notant Hostien. *n.* 3. Joan. Andr. *num.* 15. Butr. *num.* 21. & alii communiter: & quamvis de domino temporali mentionem non faciant; cum tamen illi non distinguant, nec nos distinguere debemus, l. *De pretio, ff. de publica. cum vulgar.*

21 Contrarium tamẽ verius videtur, nempe temporalem dominum loci etiam in patronata ecclesia patrono præcedere debere; cum enim in cæteros jurisdictionem contentiosam habeat, sequitur, ut longe maior ei, quam cæteris, præsertim sibi subditis, honor debeatur, magis namq; honorari debet, qui majorem habet jurisdictionem,
22 Abb. *cons.* 21. *n.* 1. *lib.* 1. *per tex.* in c. *Statuimus*, §. *fin.* 17. *dist.* At dominus loci contentiosam, & perpetuam habet jurisdictionem, ita ut si superiorem non recognoscat, æquiparetur Principi; si verò recognoscat, Præsidi, Constan. post Jason. in *Catalog. Glor. Mund. in* 5. *par. consider.* 52. Ergo ad instar Principis, vel Præsidis omnibus aliis, & consequenter etiam Ecclesiæ patrono debet an-
23 teferri. Imo etiam si esset Baronibus, qui limitatam valde jurisdictionem habent, omnibus tamẽ aliis præferendus esset, cum dicatur habere majestatem, & subditi in eum conspirantes crimen læsæ majestatis committant, Archid. in c. *Felicis*, *n.* 13. *in ver. læsæ Maiestatis, de pæn. lib.* 6. Ægyd.
24 Bellon. *cons.* 15. Quinimo Barones præ aliis honorantur non solum in locis eorum jurisdictioni subjectis, sed etiam ratione Baroniæ, & vasallorum quos habent, & ubique cæteris nobilibus jurisdictionem non habentibus præponuntur, Cassan. *dicta* 5. *par. consider.* 56.

25 Non obstat contrarium, nam respondetur Doctores vario modo intelligere honoris processionem, de quo loquitur hoc c. ut *hic* per Host. *num.* 3. Joan. Andr. *num.* 15. Butr. *num.* 21. Cardin. in §. *Pro fundatione, num.* 4. *vers. Quæro qualis est honor processionis, qui debetur Patrono*, Anchar.
26 *num.* 14. Abb. *num.* 5. *vers. Nota tria iura*, & Joan. de Anan. *num.* 9. Quidam enim dicunt honorem processionis in hoc consistere, ut Patrono ad Ecclesiam venienti processionaliter occurratur, dũmodo tamen sit talis, & tantus, puta Rex vel magnus Princeps; Explicant Anchar. Abb. & Joan. de Anan. in Duce Venetiarum Patrono Venerabilis Ecclesiæ Sancti Marci, cui obviam exeunt Primicerius, & Canonici, Quod servari potest secundum Joan. Andr. usq; ad ambitum Ecclesiæ; non autem usque ad portas Civitatis, quia fieri debet tantum Papæ vel Cardinali secundum Ant. de Butr. Item si sæpius hoc eveniret, fieri non deberet, sed solum quando raro, secundum eum.

27 Quidam dicunt honorem processionis, consistere in hoc, ut patronus primum locum teneat in processionibus, vel in Ecclesia, vel inter laicos, secundum Host. & sedebit juxta Prælatum, se-
28 cundum Joan. de Anan. Alij verò dicunt processionem hic poni pro præsentatione, ut notatur in cap. *Piæ mentis*, in gloss. 1. *vers. Sunt autem tria*, 16. *q.* 7. quia in præsentatione patronus procedit ad Episcopum cum eo, quem præsentat in ecclesia non Collegiata, vel in præbenda Collegiatæ, cap. *fin. supra de concess. preben.* Primum placet Cardinali; Primum, & secundum Antonio de Butr. Licet fortè Codex sit mendosus, quia ponderata illius ratione, videtur potius probare tertium; sed utrumque videtur posse sustineri, ut dicit Abbas: & omnia tria simul complectitur Innoc. *supra in hac rubrica n.* 3. *vers. Item honor*, ubi ait, ex patronatu provenire honorem, quia patronus honorificentius recipitur, & studiosè ei servitur, & in processione præ aliis honoratur, cap. Piæ mentis, & cap. *Frigentius*, 16. *q.* 7. Et si ecclesia non esset Collegiata, præsentat ibi Sacerdotem cap. *Decernimus, ead. caus. & quæst.* unde Host. & Cardin. supracitati ponunt versus:

Patrono debetur honor, onus, emolumentum:
Præsentet, præsit defendat, alatur egenus.

In 3. tamen intellectu, quod processio ponatur hic pro præsentatione, videntur residere Host. Jo. Andr. & Jo. de Anan. *in locis supracit.* cum eũ ponant ultimo loco. Honor igitur processionis est quem habet patronus in præsentando Rectorem, vel Clericum, quia sine præsentatione non potest Episcopus regulariter institutionem facere: quod latissimè prosequitur Roch. de Curte
29 *in tract. huius tituli in ver. Honorificum, à n.* 1. *usque ad n.* 98. Et quamvis opinio, quod patronus sit aliis præferendus, videatur communis, tamen fundata est in d. c. *Piæ mentis*, & c. *Frigentius*, 16. *q.* 7. & in hoc c. Qui textus non probant communem opinionem: nam in c. *Piæ mentis*, & c. *Frigentius*: dicitur præter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil proprii juris in Ecclesia patronata patrono reservari: quibus verbis nihil præcipui patrono tribuitur, quod cæteris quoque Christianis non competat. Hoc autem c. quamvis apertius exprimat fundatori processionis honorem reservari, tamen cum disponat in materia antiqua, debet recipere declarationem à Canonibus de eadem materia loquentibus, ut l. 2. C. *de Noxal.* l. *In contractibus*, §. *Præterea. C. de non numer. pecun.* Pet. Brixien. *in Repert. in verb. Interpretatio, vers. Lex noviter*, Jas. in l. *Sciendum, in princip. ff. Qui satisdare cogantur*; quare dum text. reservat patrono honorem processionis, Hæc verba, ut non pugnent cum cap. *Piæ mentis*, & cap. *Frigentius*, quibus probatur patronum in patronata Ecclesia nihil habere præcipui, non sunt intelligenda quoad hoc, ut patronus aliis in processionibus præferatur, sed de honore præsentationis, qui debetur omni Christiano Ecclesiam fundanti, non autem infideli, prout ex illis juribus deducunt gloss. Jo. Andr. & communiter DD. supracitati *num.* 7.

30 Secundò respondetur, quod DD. generaliter tradunt, scilicet patronũ præ aliis laicis honorari debere esse sic accipiendũ, ut non contineat evidentem absurditatem: & sic ut ei non debeatur ho-

honor major quàm domino temporali, qui in eum habet jurisdictionem, ut in simili docet Boer. *de auctor. Magni consilij, num.* 42. ubi tradit privilegium Dominorum Parlamenti ut primam Sedem obtineant, & si generaliter loquatur, non esse intelligendum respectu Consiliariorum, qui in Dominos Parlamenti habent jurisdictionem. Sic etiam etsi Rector ecclesiæ in sua Parochia præ aliis honorari debeat, Cassan. *d. par. consider.* 81. Hoc tamen non ita intelligendum est, ut præferatur Episcopo, qui omnibus suis Diœcesanis præeminet, ut notatur in c. *Solitæ, de maior. & obed.* Et sanè dominus temporalis erat speciali nota dignus. Quod si jura voluissent patronum in patronata ecclesia temporali domino loci præferri, id utique vel expressissent, vel usa fuissent verbis universalibus, ut puta cujuscumque gradus, conditionis præeminentiæ, & similibus: ita enim canonicæ sanctiones loqui consueverunt, cum etiam sublimes personas comprehendere voluerũt, ut observat Gomes, *in proœm. Regul. Cancell. par.* 4. *n.* 1. *&* 2. Barbat. *cons.* 23. *num.* 8. *in* 1. *vol.*

De Iure patronatus.

Cap. Nobis.

SUMMARIUM.

1 *PAtroni laici si ad ecclesiam vacantem intra quatuor menses non præsentant, Episcopus ordinabit ecclesiam, & num.* 9.
2 *Patronus laicus habet quadrimestre tempus ad præsentandum, ecclesiasticus verò semestre, etiamsi patronatum à laico acquisiverit.*
3 *Tempus ad præsentandum præfixum currit etiam patronis non valentibus præsentare propter litis impedimentum.*
4 *Et an currat patronis ignorantibus.*
5 *Quæstio super patronatu laicali infra quatuor, super ecclesiastico infra sex menses est decidenda.*
6 *Temporis cursus ubi non fundatur super negligentia, ad Superiorem devolvitur ipsum ius, non autem modus ordinandi ecclesiam.*
7 *Concursus an requiratur in parochialibus patronatus laicorum, quarum collatio ob lapsum tempus ad præsentandum præfixum ad Episcopum est liberè devoluta, & n. seqq. usque ad n.* 13.
8 *Concursus non requiritur in parochialibus ad Sedem Apostolicam devolutis ob lapsum temporis Episcopo ad providendum præfixi.*
10 *Concursus fieri debet inter plures ab eodem patrono laico ad parochialem vacantem, cumulativè præsentatos.*
11 *Tempus Episcopo præfixum ad nominandum clericos idoneos, vel edictum apponendi in parochialibus devolutis, quando incipiat.*
12 *Et quid in bimestri Episcopis præfixo ad instituendum ex Bulla Pii V. patronis non præsentantibus infra legitima tempora.*
13 *Patronus laicus, & ecclesiasticus in quibus differant, & num. seq. usq. ad num.* 21.
14 *Patronus laicus præsentans scienter indignum an privetur ea vice iure præsentandi, sicut patronus ecclesiasticus.*
15 *Præsentari potest clericus per Rectorem ecclesiæ ad totum beneficij, etiam invito patrono laico.*
16 *Et quid invito patrono ecclesiastico.*
17 *Ius patronatus donari potest personæ ecclesiasticæ sine diœcesani consensu, sed non sæculari.*
18 *Collecta si imponatur Episcopo pro se, & clericis patronis pro se, ecclesia debet contribuere simul cum clericis, non autem cum Episcopo.*
19 *Parochialium iuris patronatus ecclesiastici provisio qua forma fieri debeat ex Concilio Tridentino.*
20 *Et quid in parochialibus iuris patronatus laicorum.*
21 *Concursus à Concilio Tridentino præscriptus in parochialibus iuris patronat. ecclesiastici an sit etiam observandus in parochialibus patronatus, partim ecclesiastici, partim laicalis, & num. seq. usque ad num.* 39.
Et quid in parochialibus iuris patronatus quod origine erat totum laicale, sed pro duabus tertijs partibus ex donatione laicorum effectum postea fuit ecclesiasticum, num. 39. *num. seq. usq. ad nu.* 74. *& num.* 80.
22 *Ius patronatus mixtum regulatur ut ecclesiasticum quando ecclesiæ, vel personæ ecclesiasticæ magis prodest.*
Declaratur, num. 37.
23 *Collatio beneficij reservati facta per Papam absque derogatione iuris patronatus habet locum etiam si beneficium pertineat ad præsentationem clerici, & laici simul.*
Contrarium, num. 32.
24 *Magis dignum trahit ad se minus dignum ubi est favor magis digni ut trahat, & non trahatur, & n.* 33.
25 *Iuri patronatus merè laicali Papa indistinctè derogat pro medietate, mixto derogat in totum, beneficia verò patronatus ecclesiastici confert absque ulla derogatione, & n.* 30. *&* 38.
26 *Ius patronatus mixtum cum dubitatur an sit laicale, vel ecclesiasticum, attendenda est qualitas magis privilegiata, & magis favens patronatui, & num.* 30.
27 *Privilegiati naturam sortitur non privilegiatus propter communionem, & num.* 41.
28 *Ius patronatus mixtum censetur totum ecclesiasticum quoad præscriptionem.*
29 *Item quoad tempus præfixum ad præsentandum.*
30 *Sed quoad derogationem censetur totum laicale.*
Item quoad reservationem, num. 32.
31 *Legatus de latere potest conferre beneficia patronatus ecclesiastici, non autem mixti, & num.* 51.
32 *Regulæ reservatoriæ non intrant in beneficijs patronatus mixti.*
34 *Concursus est præiudicialis patronis, quorum libertas in præsentando restringitur, num.* 37.
35 *Laicus propter mixturam clerici non debet privari iure suo, & num.* 42.
36 *Mixtum assumit naturam speciei, per quam iuri alterius minus derogatur, & num.* 42.
40 *Ius patronatus origine laicale, si ex donatione laicorum transeat in ecclesiam, efficitur ecclesiasticum.*
41 *Ius patronatus mixtum quoad formam examinis per concursum cur censeatur potius laicale, quam ecclesiasticum.*
43 *Laici à fundatione ecclesiarum non sunt retrahendi.*
44 *Mixtum ex duabus naturis assumit sibi naturam à potentiori, & digniori.*

res hic, & Roch. de Curte *in hoc tract. in verb. Honorificum*. Quæro an patronus in Ecclesia juris patronatus in sessionibus, & aliis actibus temporali domino loci præferri debeat.

19 Pro patrono contra dominum temporalem videntur sentire DD. supra *in hac Rubrica*, & post Host. Lambertinus *in tract. de iure patr. in princ. tertij libri*, dum scribunt patrono simplex jus in
20 Ecclesia patronata competere, nempe jus utile, onerosum, & honorificum; & omittendo alia duo iura, quæ ad præsentem quæstionem non pertinent, jus honorificum in eo consistere, ut patronus primus in processionibus incedat, & præ cæteris laicis in Ecclesia patronata honoretur: quod etjam tradunt hic DD. idque habere locum ne dum in processionibus, sed etiam in sessionibus, & aliis quibuscumque actibus, notant Hostien. *n. 3.* Joan. Andr. *num. 15.* Butr. *num. 21.* & alii communiter: & quamvis de domino temporali mentionem non faciant; cum tamen illi non distinguant, nec nos distinguere debemus, l. *De pretio, ff. de publica. cum vulgar.*

21 Contrarium tamē verius videtur, nempe temporalem dominum loci etiam in patronata ecclesia patrono præcedere debere; cum enim in cæteros jurisdictionem contentiosam habeat, sequitur, ut longe maior ei, quam cæteris, præsertim sibi subditis, honor debeatur, magis namq; honorari debet, qui majorem habet jurisdictionem,
22 Abb. *cons. 21. n. 1. lib. 1. per tex.* in c. *Statuimus*, §. *fin. 17. dist.* At dominus loci contentiosam, & perpetuam habet jurisdictionem, ita ut si superiorem non recognoscat, æquiparetur Principi; si verò recognoscat, Præsidi, Constan. post Jason. in *Catalog. Glor. Mund. in 5. par. consider. 52.* Ergo ad instar Principis, vel Præsidis omnibus aliis, & consequenter etiam Ecclesiæ patrono debet an-
23 teferri. Imo etiam si esset Baronibus, qui limitatam valde jurisdictionem habent, omnibus tamē aliis præferendus esset, cum dicatur habere majestatem, & subditi in eum conspirantes crimen læsæ majestatis committant, Archid. in c. *Felicis, n. 13. in ver. læsæ Maiestatis, de pœn. lib. 6.* Ægyd.
24 Bellon. *cons. 15.* Quinimo Barones præ aliis honorantur non solum in locis eorum jurisdictioni subjectis, sed etiam ratione Baroniæ, & vasallorum quos habent, & ubique cæteris nobilibus jurisdictionem non habentibus præponuntur, Cassan. *dicta 5. par. consider. 56.*

25 Non obstat contrarium, nam respondetur Doctores vario modo intelligere honoris processionem, de quo loquitur hoc c. ut *hic* per Host. *num. 3.* Joan. Andr. *num. 15.* Butr. *num. 21.* Cardin. in §. *Pro fundatione, num. 4. vers. Quæro qualis est honor processionis, qui debetur Patrono*, Anchar.
26 *num. 14.* Abb. *num. 5. vers. Nota tria iura*, & Joan. de Anan. *num. 9.* Quidam enim dicunt honorem processionis in hoc consistere, ut Patrono ad Ecclesiam venienti processionaliter occurratur, dūmodo tamen sit talis, & tantus, puta Rex vel magnus Princeps; Explicant Anchar. Abb. & Joan. de Anan. in Duce Venetiarum Patrono Venerabilis Ecclesiæ Sancti Marci, cui obviam exeunt Primicerius, & Canonici, Quod servari potest secundum Joan. Andr. usq; ad ambitum Ecclesiæ; non autem usque ad portas Civitatis, quia fieri debet tantum Papæ vel Cardinali secundum Ant. de Butr. Item si sæpius hoc eveniret, fieri non deberet, sed solum quando raro, secundum eum.

27 Quidam dicunt honorem processionis, consistere in hoc, ut patronus primum locum teneat in processionibus, vel in Ecclesia, vel inter laicos, secundum Host. & sedebit juxta Prælatum, se-
28 cundum Joan. de Anan. Alij verò dicunt processionem hic poni pro præsentatione, ut notatur in cap. *Piæ mentis*, in gloss. 1. *vers. Sunt autem tria, 16. q. 7.* quia in præsentatione patronus procedit ad Episcopum cum eo, quem præsentat in ecclesia non Collegiata, vel in præbenda Collegiatæ, cap. *fin. supra de conceß. præben.* Primum placet Cardinali; Primum, & secundum Antonio de Butr. Licet fortè Codex sit mendosus, quia ponderata illius ratione, videtur potius probare tertium; sed utrumque videtur posse sustineri, ut dicit Abbas: & omnia tria simul complectitur Innoc. *supra in hac rubrica n. 3. vers. Item honor*, ubi ait, ex patronatu provenire honorem, quia patronus honorificentius recipitur, & studiosè ei servitur, & in processione præ aliis honoratur, cap. *Piæ mentis*, & cap. *Frigentius, 16. q. 7.* Et si ecclesia non esset Collegiata, præsentat ibi Sacerdotem cap. *Decrevimus ead. caus. & quæst.* unde Host. & Cardin. supracitati ponunt versus:

Patrono debetur honor, onus, emolumentum:
Præsentet, præsit defendat, alatur egenus.

In 3. tamen intellectu, quod processio ponatur hic pro præsentatione, videntur residere Host. Jo. Andr. & Jo. de Anan. *in locis supracit.* cum eū ponant ultimo loco. Honor igitur processionis est quem habet patronus in præsentando Rectorem, vel Clericum, quia sine præsentatione non potest Episcopus regulariter institutionem facere: quod latissimè prosequitur Roch. de Curte
29 *in tract. huius tituli in ver. Honorificum, à n. 1. usque ad n. 98.* Et quamvis opinio, quod patronus sit aliis præferendus, videatur communis, tamen fundata est in d. c. *Piæ mentis*, & c. *Frigentius, 16. q. 7.* & in hoc c. Qui textus non probant communem opinionem: nam in c. *Piæ mentis*, & c. *Frigentius*: dicitur præter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil proprii juris in Ecclesia patronata patrono reservari: quibus verbis nihil præcipui patrono tribuitur, quod cæteris quoque Christianis non competat. Hoc autem c. quamvis apertius exprimat fundatori processionis honorem reservari, tamen cum disponat in materia antiqua, debet recipere declarationem à Canonibus de eadem materia loquentibus, ut l. 2. *C. de Noxal.* l. *In contractibus*, §. *Præterea. C. de non numer. pecun.* Pet. Brixien. *in Repert. in verb. Interpretatio, vers. Lex noviter*, Jas. in l. *Sciendum, in princip. ff. Qui satisdare cogantur*; quare dum text. reservat patrono honorem processionis, Hæc verba, ut non pugnent cum cap. *Piæ mentis*, & cap. *Frigentius*, quibus probatur patronum in patronata Ecclesia nihil habere præcipui, non sunt intelligenda quoad hoc, ut patronus aliis in processionibus præferatur, sed de honore præsentationis, qui debetur omni Christiano Ecclesiam fundanti, non autem infideli, prout ex illis juribus deducunt gloss. Jo. Andr. & communiter DD. supracitati *num. 7.*

30 Secundò respondetur, quod DD. generaliter tradunt, scilicet patronū præ aliis laicis honorari debere esse sic accipiendū, ut non contineat evidentem absurditatem: & sic ut ei non debeatur ho-

honor major quàm domino temporali, qui in eum habet jurisdictionem, ut in simili docet Boer. *de auctor. Magni consilij, num. 42.* ubi tradit privilegium Dominorum Parlamenti ut primam Sedem obtineant, & si generaliter loquatur, non esse intelligendum respectu Consiliariorum, qui in Dominos Parlamenti habent jurisdictionem. Sic etiam etsi Rector ecclesiæ in sua Parochia præ aliis honorari debeat, Cassan. *d. par. consider. 81.* Hoc tamen non ita intelligendum est, ut præferatur Episcopo, qui omnibus suis Diœcesanis præeminet, ut notatur in c. *Solitæ, de maior. & obed.* Et sanè dominus temporalis erat speciali nota dignus. Quod si jura voluissent patronum in patronata ecclesia temporali domino loci præferri, id utique vel expressissent, vel usa fuissent verbis universalibus, ut puta cujuscumque gradus, conditionis præeminentiæ, & similibus: ita enim canonicæ sanctiores loqui consueverunt, cum etiam sublimes personas comprehendere voluerūt, ut observat Gomes, *in proœm. Regul. Cancell. par. 4. n. 1. & 2.* Barbat, *cons. 23. num. 8. in 1. vol.*

De Iure patronatus.

Cap. Nobis.

SVMMARIVM.

1 PAtroni laici si ad ecclesiam vacantem intra quatuor menses non præsentant, Episcopus ordinabit ecclesiam, & num. 9.
2 Patronus laicus habet quadrimestre tempus ad præsentandum, ecclesiasticus verò semestre, etiamsi patronatum à laico acquisiverit.
3 Tempus ad præsentandum præfixum currit etiam patronis non valentibus præsentare propter litis impedimentum.
4 Et an currat patronis ignorantibus?
5 Quæstio super patronatu laicali infra quatuor, super ecclesiastico infra sex menses est decidenda.
6 Temporis cursus ubi non fundatur super negligentia, ad Superiorem devolvitur ipsum ius, non autem modus ordinandi ecclesiam.
7 Concursus an requiratur in parochialibus patronatus laicorum, quarum collatio ob lapsum temporis ad præsentandum præfixum ad Episcopum est liberè devoluta, & n. seqq. usque ad n. 13.
8 Concursus non requiritur in parochialibus ad Sedem Apostolicam devolutis ob lapsum temporis Episcopo ad providendum præfixi.
10 Concursus fieri debet inter plures ab eodem patrono laico ad parochialem vacantem, cumulativè præsentatos.
11 Tempus Episcopo præfixum ad nominandum clericos idoneos, vel edictum apponendi in parochialibus devolutis, quando incipiat.
12 Et quid in bimestri Episcopis præfixo ad instituendum ex Bulla Pii V. patronis non præsentantibus infra legitima tempora.
13 Patronus laicus, & ecclesiasticus in quibus differant, & num. seq. usq. ad num. 21.
14 Patronus laicus præsentans scienter indignum an privetur ea vice iure præsentandi, sicut patronus ecclesiasticus.
15 Præsentari potest clericus per Rectorem ecclesiæ ad titulum beneficij, etiam invito patrono laico.
16 Et quid invito patrono ecclesiastico.
17 Ius patronatus donari potest personæ ecclesiasticæ sine diœcesani consensu, sed non sæculari.
18 Collecta si imponatur Episcopo pro se, & clericis patronis pro se, ecclesia debet contribuere simul cum clericis, non autem cum Episcopo.
19 Parochialium iuris patronatus ecclesiastici provisio qua forma fieri debeat ex Concilio Tridentino.
20 Et quid in parochialibus iuris patronatus laicorum.
21 Concursus à Concilio Tridentino præscriptus in parochialibus iuris patronat. ecclesiastici an sit etiam observandus in parochialibus patronatus, partim ecclesiastici, partim laicalis, & num. seq. usque ad num. 39.
Et quid in parochialibus iuris patronatus quod origine erat totum laicale, sed pro duabus tertijs partibus ex donatione laicorum effectum postea fuit ecclesiasticum, num. 39. num. seq. usq. ad nū. 74. & num. 80.
22 Ius patronatus mixtum regulatur ut ecclesiasticum quando ecclesiæ, vel personæ ecclesiasticæ magis prodest.
Declaratur, num. 37.
23 Collatio beneficij reservati facta per Papam absque derogatione iuris patronatus habet locum etiam si beneficium pertineat ad præsentationem clerici, & laici simul.
Contrarium, num. 32.
24 Magis dignum trahit ad se minus dignum ubi est favor magis digni ut trahat, & non trahatur, & n. 33.
25 Iuri patronatus merè laicali Papa indistinctè derogat pro medietate, mixto derogat in totum, beneficia verò patronatus ecclesiastici confert absque ulla derogatione, & n. 30. & 38.
26 Ius patronatus mixtum cum dubitatur an sit laicale, vel ecclesiasticum, attendenda est qualitas magis privilegiata, & magis favens patronatui, & num. 30.
27 Privilegiati naturam sortitur non privilegiatus propter communionem, & num. 41.
28 Ius patronatus mixtum censetur totum ecclesiasticum quoad præscriptionem.
29 Itèm quoad tempus præfixum ad præsentandum.
30 Sed quoad derogationem censetur totum laicale.
Item quoad reservationem, num. 32.
31 Legatus de latere potest conferre beneficia patronatus ecclesiastici, non autem mixti, & num. 51.
32 Regulæ reservatoriæ non intrant in beneficijs patronatus mixti.
34 Concursus est præiudicialis patronis, quorum libertas in præsentando restringitur, num. 37.
35 Laicus propter mixturam clerici non debet privari iure suo, & num. 42.
36 Mixtum assumit naturam speciei, per quam iuri alterius minus derogatur, & num. 42.
40 Ius patronatus origine laicale, si ex donatione laicorum transeat in ecclesiam, efficitur ecclesiasticum.
41 Ius patronatus mixtum quoad formam examinis per concursum cur censeatur potius laicale, quam ecclesiasticum.
43 Laici à fundatione ecclesiarum non sunt retrahendi.
44 Mixtum ex duabus naturis assumit sibi naturam à potentiori, & digniori.

Declaratur, num. 65.

45 *Pars maior trahit minorem, & num. 50.*

Declaratur, num. 66.

46 *Ius patronatus concessum ex augmento dotis non censetur mixtum ex causa onerosa, & privilegio, sed absoluti ex privilegio.*

Et quæ sit ratio, num. 67.

47 *Ius patronatus competens universitati scholarium dicitur ecclesiasticum, si in ea sint plures clerici, quàm laici, & è converso.*

Declaratur num. 70.

48 *Universitas, in qua sunt plures laici, quàm clerici censetur laicalis, & subjicitur foro sæculari, & num. 70.*

49 *Ius patronatus ex dotatione bonorum laicalium, & ecclesiasticorum quale censeatur, & num. 71.*

50 *Patrono laico habenti unam vocem an inferatur præjudicium ex concursu, si ecclesia compatrona habeat duas voces, & num. 72.*

52 *Iuri patronatus etiam ecclesiastico quandoque derogatur, licet derogatio non sit necessaria.*

53 *Compromissum de causa Ecclesiastica fieri potest in duos laicos ob admonitionem unius clerici.*

54 *Excommunicatorum corpora non sunt exhumanda si à fidelibus discerni non possint.*

55 *Oleo non consecrato si modicum consecratum misceatur, totum fit consecratum.*

56 *Appellatio unius prodest omnibus si defensio sit communis, & eadem ratio vincendi.*

57 *Privilegium unius in individuo trahitur ad omnes.*

58 *Causæ individua plurium laicorum, & unius clerici agi debet coram ecclesiastico.*

59 *Præsentatio unius tantum ex compatronis omnium possessionem conservat, & num. 73.*

60 *Præfertur inter plures, qui certat de damno evitando.*

61 *Patrono laico præiudicari non debet ex donatione patronatus facta ecclesiæ à compatrono.*

62 *Ius patronatus est penes omnes patronos in solidum.*

63 *Ius patronatus plurium laicorum, & unius clerici censetur ecclesiasticum si hoc magis prosit patronatui.*

64 *Cancellaria derogat patronatui mixto unius laici, & plurium clericorum, & non dat de reservato.*

65 *In mixtis naturalibus indifferenter attenditur quoad potentius agit, in mixtis iuris quod est favorabilius.*

67 *Dotis augmentum non sufficit ad acquisitionem iuris patronatus, sed requiritur totalis dotatio.*

68 *Ius patronatus potest acquiri ex solo privilegio Apostolico.*

69 *Mixtionem non efficiunt multa paucis, & magna parvis apposita, & mixtio eorum non est, quæ sunt diversi generis.*

73 *Patrono ecclesiastico non præsentante infra legitima tempora instituendus est præsentatus à patrono laico.*

74 *In iure patronatus mixto septem officialium laicorum nomine universitatis laicalis, & trium ecclesiasticorum privato nomine præsentantium an requirantur probationes quas exigit Concilium Tridentinum in potentibus, & num. seq. usque in finem.*

75 *Mixtum assumit naturam simplicis, quod facit alium valere, & est favorabilius.*

76 *Qualitatibus duabus concurrentibus, quæ diversam habent naturam, attenditur illa, quæ magis favet iuri communi.*

77 *Ius patronatus de iure communi probatur ex immemorabili etiam in personis potentibus, & universitatibus.*

78 *Ius patronatus universitatis de iure communi an præsumatur ex usurpatione, & num. 87.*

79 *Parochiani in Italia cœperunt ius patronatus usurpare propter recessum Curiæ.*

80 *Concursus non requiritur in Parochiali iuris patronatus pro una parte laicalis, & pro duabus ecclesiastici.*

81 *Mixtum assumit naturam eius simplicis, per quod sui consortis conservatur.*

82 *Ius patronatus mixtum æquali portione universitatis, & familiæ privatæ non requirit probationes à Concilio Tridentino præscriptas in potentatibus.*

83 *Ius patronatus pro maiori parte universitatis non præsumitur ex usurpatione, & num. seq. usque in finem.*

84 *Præscriptio iuris patronatus contra privatum non improbatur à iure.*

85 *Usurpatio iuris patronatus, quæ in universitate præsumitur, privatæ personæ nocere non debet.*

86 *Immemorabilis est infinita, & capit omne tempus.*

1 CUM PROPTER. Si Patroni laici ad ecclesiam vacantem intra quatuor menses nō præsentant, Episcopus ordinabit ecclesiam. Vel sic. Si quæstio juris patr. laicalis non diffinitur infra quatuor menses, Episcopus ordinabit ecclesiam sine præjudicio evincentis. Hoc dicit. Primò ponit dictum. Secundò subjicit protestationem ibi, *Ita quod.*

2 Nota primò patronos laicos habere quadrimestre tempus ad præsentandum: nam de talibus loquitur hæc littera; ut patet ex parte decisa ibi. *laicorum*, idest patronorum, ut exponunt Hostiens. & Joan. Andr. Et hæc est una differentia inter ipsos, & patronos ecclesiasticos, qui habent semestre, etiamsi jus patronatus à laico acquisiverint, ut est casus in cap. *Unic. §. Verum. inf. eod. lib. 6.* Perplures alias differentias habebis infra in secunda quæstione.

3 Secundò nota tempus, ut præfertur, præfixum ad præsentandum currere etiam patronis non valentibus præsentare propter litis impedimentum, quod primo intuitu videtur mirabile, secundum Abb. in 1. *notab.* & contra juris regulam, ut cap. *Quia diversitatem, supra de concess. Prabend.* & cap. *Ne pro defectu*, cum concordan. de quibus ibi per glos. *in ver. impedimento. de elect.* An autem

4 quod hic statuitur in impedimentis habeat locum in patronis ignorantibus, Doctores non conveniunt Abb. *num. 2. & 3.* concludit non habere locum; quia regulariter tempus præfixum ad eligendum, vel conferendum non currit ignoranti, ut d. cap. *Quia diversitatem*, & dicit se reperisse postmodum ita tenere Federicum de Sen. *consil.* 124. aliàs est *cons.* 129. & incipit, *casus talis est num. 2.* sed re vera Federicus loquitur de patrono impedito, non autem ignorante, & text. in d. cap. *Quia diversitatem*, pariformiter disponit de patronis impeditis, ac de ignorantibus. Item allegat Joan. Andr. in cap. 2. *de supplen. neglig. Prælat.* qui *num.* 10. *in verb. Ex tunc*, simpliciter ait semestre tempus ad præsentandum currere à die notitiæ, & ita Abbas reprobat Petr. de Anchar. contrarium tenentem, *hic num.* 2. sed illum tuetur, & motivis Abbatis ser-

respondet Joan. de Anan. illius auditor, *num.* 3.

5 Tertiò nota quæstionem super patronatu laicali esse terminandam infra quatuor menses, ut *hic*, & in cap. *Quoniam, supra eod.* cum tamen quæstio super patronatu Ecclesiastico infra semestre sit decidenda, ut in cap. *Eam te*, ubi omnes notāt, *supra eodem.* Ratio differentiæ est, quia patronus laicus habet quadrimestre tempus ad præsentandum, ut dictum est in 1. *notab.* & propterea litis decisio non expectatur ultra quatuor menses; ecclesiasticus verò habet sex menses; & ideo exitus litis expectatur usque ad lapsum sex mensium, ut sic utroque casu reguletur à termino ad præsentandum præfixo, ut per Abb. *n.* 4. *vers. In glos.* 2. Ad quod tamen vide plures declarationes, quas posui in d. cap. *Quoniam in ult. notab.*

6 Ultimò nota, ubi, cursus temporis non fundatur super negligentia, ad superiorē devolvi ipsam jus ordinandi ecclesiā, non autem modū ordinādi, quia Episcopus non tenebitur instituere ad præsentationem patronorum, sed poterit liberè Ecclesiam conferre, ut hic per Butr. in 2. *notab.* & Jo. de Anan. n. 1. licet ex devolutione, & libera collatione hujusmodi nullum præjudicium patronis generetur in futuris vacationibus, ut hic deciditur in fine.

7 QUÆRO, An Episcopus Parochialem Ecclesiā juris patronatus laicorum conferens jure devoluto eo quod patroni infra quatuor menses nō præsentaverint, aut quæstio super patronatu infra dictum tempus nō fuerit decisa teneatur servare formam examinis per concursum à Concilio Trid. præscriptam, *cap.* 18. *sess.* 24. in Parochialibus liberæ collationis. Quod est quærere, posita decisione *S. Congreg.* qua declaratum fuit Parochiales juris patronatus laicorum non subjacere concursui, an idem procedat in huiusmodi Parochialibus, quarū collatio ob lapsum tempus patronis laicis ad præsentandum à jure statutum ad Episcopum est liberè devoluta.

Tria sunt quæ aliquale dubium facere videntur. Primum quia cum Parochiales juris patronatus laicorum statim cū vacant non subsint formæ concursus, nec patronis præsentatio auferatur; licet patronus postea non præsentaverit, & collatio ad Episcopum pertineat, videntur permanere in libertate, ut concursui non subjaceant ex eorum primordiali natura, quæ semper est attendenda, l. *Assumptio. in princ. ff. ad municipal. & de in col.* cum simil. Secundum, quia in hujusmodi Parochialibus non possunt habere locum verba Concilii inducentis formam concursus: nam Concilium *c.* 18. *sess.* 24. mandat Episcopo ut post vacationem intra decem dies, vel aliud tempus à se præscribendum idoneos aliquot clericos nominet, cum his, quæ sequuntur. Quæ sine dubio observari non possunt in his Parochialibus, in quibus post vacationē intra quadrimestre tempus competens patronis laicis ad præsentandū juxta hoc capitulum, & c. 1. §. *Verum, infra eodem, lib.* 6. nihil licet Episcopo attentare, quod ad dictum Parochialium concursum pertineat.

8 Tertium, quia in Parochialibus, quarum collatio ad episcopum pertinet, lapso tempore semestri à die vacationis, & non facta electione magis idonei, collatio devolvitur ad Sedem Apostolicam; & episcopus concursum amplius instituere non potest, juxta Constitutionem Pij V. quæ incipit, *In conferendis*, in Bullar. *tom.* 2. *pag.* 219.

9 Sed his non obstantibus verius esse videtur in hujusmodi Parochialibus d. tempore lapso, & non facta præsentatione, concursum esse ab Episcopo instituendum. Nam cum ob non factam in tempore præsentationem, collatio sit ad Episcopum liberè devoluta, ut hic, & in c. *Quoniam*, & c. *Si verò, supra eodem*, in hoc casu habent locum, & verba, & ratio Concilii. Verba quidem, quia Concilium loquitur de Parochialibus vacantibus conferendis. Ratio quia expedit animarum saluti hujusmodi Parochiales per magis idoneos gubernari, quæ est ratio à Concilio expressa in princ. *d. cap.* 18.

Non obstat, quod hæ Parochiales cum vacant non subjaceant concursui. Quia id procedit donec durat tempus patronis præfixum ad præsentandum, ne illis præjudicetur, & laici à fundationibus retrahantur, juxta notata in cap. 2. *in gloss. in verb. Collatio de præbend. lib.* 6. in c. *Dilectus supra, de offic. leg.* & in c. *proximo, infra eod.* Quæ ratio post tempus lapsum, præsentatione non sequuta, omnino cessat; cum tempus lapsum absorbuerit jus patroni laici, & illud in Episcopum transtulerit, ut hic, & in concordantibus supra allegatis. Unde patrono non præjudicatur non observando formam concursus, cui secundum præsentem Parochialis statum locus esse potest.

10 Et ad hoc optime facit decisio S. Congregationis, quæ Rotæ consulenti, an inter plures ab eod. patrono laico ad Parochialem vacāte cumulativè præsentatos esse deberet locus concursui: Respondit debere. Ex qua decisione colligitur etiam in his Parochialibus servandam esse formā concursus, ubi illa sine præjudicio patroni observari potest.

11 Similiter non obstat, quod in hujusmodi Parochialibus non possit Episcopus intra decem dies idoneos clericos nominare, vel edictum apponere. Quia respondetur id tempus incipere à die, quo ad Episcopum devoluta fuerit collatio, & cessaverit impedimentum, c. 2. cap. *Quia diversitatem.* & ibi gloss. *in ver. Intra sex. de concess. Præben.* gloss. 1. in cap. *Cum accessissent de Constit.* & sic forma ad unguem poterit observari.

12 Quæ responsio etiam satisfacit Constitut. Pij V. quia tempus bimestre institutioni Episcopi, & devolutioni ad Sedem Apostolicam præfixum incipere debet à die lapsi termini ad præsentandum, cum ante illud tempus nihil fit, quod Episcopo imperari possit, qui non potest illud coarctare, Felin. in cap. *Bertoldus, num.* 122. *de re iudic.* & sic ante illud tempus non est locus Constitutioni inducenti devolutionem ob negligentiam Episcopi, ut patet ex eius lectura, Facit tex. in c. *Super eo, de appell.* & in d. cap. *Quia diversitatem*, & quod notat, gloss. in cap. *Sæpe in ver. Careat, de Appellat.*

Prædicta tamen ita temperanda videntur, ut Episcopus si velit conferre Parochialem post dictum tempus absq; præsentatione lapsum teneatur servare formam examinis per concursum. Et ita decisum à S. Cong. Conc. 29. *Novemb.* 1600. nempe faciendum esse concursum pro Parochiali juris patronatus laicalis, cuius provisio ob negligentiam patroni non præsentantis intra quadrimestre devolvitur ad Episcopum. Cæterum an possit etiam lapso tempore admittere præsentationem

nem patroni laici ex gratia, juxta opinionem
Gaylius & Card. quos refert, & sequitur Lam
bertinus *in tract. de iure patr. in 2. par. 2. lib. in 27.
articulo, 1. quæst. princip. pag.* 273. terminare nunc
non est opus.

13 Secundò QUÆRO generaliter in quibus
differant patronus laicus, & ecclesiasticus.

Complures differentias recensent hic Host.
in princ. Joan Andr. n. 2. Henric. Boich. *in princ.*
Butr. n. 4. Cardin. n. 2. Anchar. n. 4. Abb. & Jo. de
Anan. ambo *n.* 5. quæ his carminib' cōtinentur.

Clericus, & laicus distant per plura patroni.
Pœnitet, & tempus, subiectio, pœnaque forsan:
Et ratio, titulus, donum coniungitur istis.

Pœniteat, quia laicus potest variare, & alium præ-
sentare, sed non Ecclesiasticus, ut legitur, & no-
tatur in cap. Cum autem, supra eodem. *Et tem-
pus* quia laicus habet quatuor menses ad præsen
tandum, ecclesiasticus sex, ut dixi supra in 1. *no-
tab. Subiectio*, magis enim astrictus est potestati
ecclesiæ patronus ecclesiasticus, quam laicus re-
spectu collationis, & derogationis, ut patet in eo,
quod legitur, & notatur infra in cap. *prox.* & in c.
Dilectus, supra de offic. leg. Pœnaque forsan: nam pa-
14 tronus ecclesiasticus præsentando scienter indig-
num privatur ea vice potestate præsentandi, ut in
c. 2. *de suppl. negl. Prælat.* laicus verò non, secundū
quosdam, Hostien. & Henric. Boich. idem in pa-
trono laico, & probatur secundum eos in Au-
then. *Ut Clerici, quia recedunt, §. fin. collat. 5.* & *de
Sanctiss. Episc. §. Si quis Oratorij domum, collat. 9.* &
de eccles. tit. §. Si quis ædificationem, in fin. collat.
9. Idem tenet Innocen. in cap. *Proposuit, de filijs
Presbyter.* Et hanc opinionem contra Jo. Andr.
Butr. & Card. latè tuetur, & verissimam dicit Ab-
bas in c. *Cum vos, num. 5. supra de offi. ordin.* ubi e-
tiam pro hac parte allegat Rotam *decis.* 205. &
Bart in l. *Cum quidam. ff. de leg.* 2. Sed quia in hoc
articulo sunt opiniones; idcirco dicitur, pœna-
que forsan. *Et ratio*, quia patrono ecclesiastico
redditur ratio de temporalibus, ut in cap. *Ex lit-
teris, in fin. supra eod.* & in cap. *Cum & plantare,
§. in Ecclesiis, infr. de Privileg.* non autem patrono
laico, cum hoc non reperiatur jure cautum. Neu-
ter tamen illorum debet se ingerere in percepti-
one fructuū, alioquin incidunt in pœnas à Con-
cilio Tridentino inflictas in *cap. 9. vers. Patroni au-
tem, sess. 25. Titulus*, quia invito patrono laico præ-
15 sentatur Clericus ad titulum beneficii per ipsum
Rectorem, ut in cap. *Postulasti*, cum ibi notatis,
infr. eod. secus invito Episcopo patrono, ut ibi in
16 gloss. 1. idem videtur in alio patrono Ecclesiasti-
co de quo tamen dic, ut ibi per Cardin. & Ab-
bat. *Donum*, quia jus patronatus potest donari
personæ Ecclesiasticæ sine consensu Episcopi; sed
17 non sæculari, ut in cap. *Illud, supra eod.* Hæc tamen
differentia quamvis communiter à Doctoribus
assignetur; tamen non est propria ad distinguen-
dum inter patronum ecclesiasticum, & patronum
laicum: nam nec patronus Ecclesiasticus potest
donare jus patronatus laico sine Diœcesani con-
sensu, ut in c. *Significasti*, & c. *Ex insinuatione, supra
eodem*, & advertit Card. *hic n. 2. in fin.* Supradictis
septem differentijs Abbas *hic* ad finem addit o-
ctavam; quia patronus ecclesiasticus habet cu-
stodiam ecclesiæ vacantis, & non sæcularis, ut in
18 c. *Bonæ, de appellat.* Item dicit novam differentiam
colligi posse ex dictis Innoc. in d. c. *Cum & plan-
tare, de privileg.* Nam si imponatur collecta Epi-
scopo per se, & Clericis patronis pro se, ecclesia
debet conferre, & contribuere simul cum Cleri-
cis, non autem cum Episcopo, ut ibi per Innoc.
n. 3. vers. Hac ratione videtur, & ita ecclesia patro-
nata debet patronum clericum in huiusmodi o-
neribus adjuvare; secundum Abb. qui tamen suc-
cinctè, & obscurè loquitur. Fortè intellexit ec-
clesiam teneri sublevare à collecta, & ut supra im-
posita patronos clericos, secundum Innoc. sed
non patronos laicos, cum hoc non reperiatur ju-
19 re cautum. Hodie decima differentia habetur in
decreto Concilii Trid. *cap.* 18. *sess.* 24. in provisi-
one Parochialium ecclesiarum. Nam si ecclesia sit
juris patronatus ecclesiastici, ac institutio ad E-
piscopum, & non alium pertineat; patronus eli-
git digniorem inter probatos ab examinatoribus
eumque præsentat Episcopo, ut ab ipso institua-
tur. Cum verò institutio facienda est ab alio, quā
ab Episcopo; tunc Episcopus solus ex dignis eli-
git digniorem, quem patronus ei præsentat, ad
20 quem spectat institutio. Sed si ecclesia sit juris
patronatus laicorum, patronatus præsentat quē
maluerit; & sic præsentatus examinari debet ab
examinatoribus deputatis, & ab Episcopo insti-
tui si idoneus repertus fuerit.

21 Tertiò QUÆRO, an forma examinis per cō-
cursum observanda in Parochialibus juris patro-
natus ecclesiastici ex decreto Concilij Trid. *d. c.*
18. *sess.* 24. *vers. Si verò observari etiam debeat in
Parochialibus iuris patronatus partim ecclesiastici, &
partim laicalis.*

Cum relatum fuerit S. D. N. antiquam decisi-
onem in S. Congreg. editam, qua declaratum
fuit in Parochialibus patronatus mixti observan-
dum esse formam examinis per concursum, di-
versas pati difficultates: Sanctitas sua mandavit,
idem articulus. in ead. Congregatione iterum
22 discuteretur. Cum hoc dubium tunc fuisset pro-
positum ad probandum in huiusmodi parochia-
libus observandam esse d. formam examinis per
concursum, allegabatur Felin. *in tract. quan. litt.
Apost. nac. patr. eccles. n. 6. prope finem*, ubi conclu-
dit patronatum mixtum regulari tanquam si es-
set totus ecclesiaticus, cum ecclesiæ personæ ec-
clesiasticæ magis prodest, magis autem prodest
ecclesiæ ut servetur forma examinis per concur-
sum; quia hoc pacto dignior, & magis idoneus ei
præficitur, ut in d. *cap. 18. in princ. sess.* 24. Ergo
attendenda est qualitas ecclesiasticitatis, ut for-
ma concursus observetur.

23 Id confirmari potuisset decisione Rotæ quæ à
nonnullis perperam allegabatur, 265. *tit. de grat.
& iurepatronat. in Antiquis*, alias est *decis. 46. in
tit. de præben.* In ea enim deciditur ut quamvis in
beneficiis de jure patronat. laicorum non intret
reservatio, de qua in cap. *Licet de præben. in 6.* ta-
men collatio facta per Papam de beneficio vacan-
te in Curia absque derogatione juris patr. vendi-
cet sibi locum etiamsi beneficium spectet simul
ad præsentationem Clerici, & laici quam decisio-
nem sequitur Staphil. *in tract. de litteris grat. tit.
de mod. & form. impetrand. §. Ius patr.* quomo-
do probetur, *n.* 3. Aeneas de Falcon. *in tract. de
Reservat. q. 4. effect.* 14. & Ferret. *cons. 132. nu.* 4.
24 Fundamentum decisionis est: quia magis dignū
trahit ad se minus dignum, cap. *Per tuas, de arbitr.*
l. 1. ff. de verb. signif. cum simul. Aliud fundamen-
tum adducit Æneas de Falcon. *loco cit.* argumen-
to sumpto ab usu patrisfamilias, & à stylo Curiæ,
videlicet quia Papa passim, & indistinctè derogat
patronatui mixto in totum, quod si tale jus patr.
judicaretur laicale, non derogaret nisi pro me-
diate. Ergo stylus Curiæ videtur interpretari tale
jus patronatus magis pro clericali, quàm laicali,
ex quo in totum derogat.

26 Contrarium tamen verius esse videtur: nam
cum quæritur an patronatus mixtus laicalis, vel
ecclesiasticus censeri debeat, ea est receptissima
distinctio, ut attendatur illa qualitas, quæ in casu,
de quo quæritur, est magis privilegiata, & magis
favet patronatui, Federic. de Sen. *cons. 65. num.* 2.
qui ab omnibus ad id allegatur, licet non ita ex-
plicitè id dicat, Felin. *in tract. quan. litter. Apost. n. 6.*
Lambert. *de iure patr. 1. quæst. princ. lib. 1. par. 1. art. 6.
num. 4. & 26.* Jo. de Sel. *in tract. de benef. par. 2. qu. 3.
num.* 47. Put. *decis. 157. num. 6. lib.* 3. Covarr. *pract. q.
cap. 36. num. 5. vers. Tertiò opportunè*, ubi testatur
hanc esse communem opinionem.

27 Et ratio est, quam tradit glos. ab omnibus ap-
probata in cap. 1. *in ver. Ecclesiasticum de iure patron.
in 6.* quod propter comunionem non privilegia-
tus sortitur naturam privilegiati, juxta textum in
28 l. *Si communem, ff. quemad. serv. amitt.* Et ideo si a-
gatur de præscriptione patronatus mixti, in qua
Ecclesia est magis privilegiata, quàm laicus; cen-
setur patronatus totus ecclesiasticus, ut requira-
tur ad ejus præscriptionem idem tempus, quod
requiritur contra ecclesiam, ut post Goffr. tradit
Jo. Andr. quem ibi omnes sequuntur, in d. cap. 1.
29 *de iure patr. in 6. prope finem.* Similiter cum patro-
nus laicus habeat ad præsentandum quadrime-
stre, ecclesiasticus semestre; si mixtus sit patro-
natus, uterque patronus habebit semestre, quia
hoc casu melior est conditio patronatus ecclesia-
stici, quàm laicalis, text. est in d. cap. 1. *in fin.* ubi
30 glos. & cæteri Doctores. E converso autem si ver-
semur in materia, in qua jus patronatus laicorum
sit firmius, & magis privilegiatum, quàm eccle-
siasticum, patronatus mixtus ex utroque totus
censetur laicalis. Et ideo cum in materia deroga-
tionis potentior sit patronatus laicalis, quàm Ec-
clesiasticus, cap. *Dilectus*, ubi Doctores *supra de of-
fic. Legati*, quamvis Legatus de latere possit con-
ferre beneficia juris patronatus ecclesiastici, ut
ibi deciditur: non tamen poterit conferre, quæ
sunt patronatus mixti; quia in hoc reputantur
ac si essent patronatus ex toto laicales; Federic.
de Sen. *dict. cons. 65. n. 1.* ubi testatur hanc esse com-
muniorem opinionem, quàm contrariam, Abb.
in cap. *fin. infr. eod.* ubi similiter ait hoc esse com-
mune dictum, Felin. *d. num.* 6. Roch. de Curte *in
tract. de iure patr. in ver. Ius, in 7. q. n.* 23. Jo. de Selv.
ubi supra, Put. *d. decis. n.* 2. Rebuff. *in tract. nominat.
q. 15. n. 6.* Achill. *decis. 306. n.* 3. ubi Anchar. in hanc
32 sententiam citat. Simonett. *in tract. de reservat.
q.* 3. ubi testatur ita servari. Sic etiam cum colla-
tio Papæ de beneficio reservato absque deroga-
tione comprehendat illud, quod est de jure pa-
tronatus ecclesiastico, non autem laicorum, &
ita etiam regula reservatoria octo mensium; si
beneficium fuerit patronatus mixti, censetur to-
33 tus laicalis. Hanc opinionem tenuit Rota cita-
ta per Felin. *d. num. 6.* licet non reperiatur. Cassad.
decis. 5. de iure patronatus num. 9. Rebuff. *d. q. 15. num.
6.* Puteus, *d. decis. 157. in fin.* ubi ex mente Docto-
rum, quos superius retulimus, declarat regu-
lam, Magis dignum trahit ad se minus dignum,
procedere ubi est favor magis digni ut trahat, &
non trahatur.

34 Itaque cum nos versemur in materia præjudi-
ciali patronatui, nempe in concursu, qui si ob-
servetur in beneficiis Patronatus mixti, infertur
præjudicium patronis, quorum libertas in præ-
sentando restringitur, & cum in hac parte jus lai-
corum sit potentius, & magis privilegiatum,
quia Concilium beneficia de jure patronatus lai-
corum concursui non subjecit: sequitur ut pa-
tronatus mixtus quoad concursum pro conser-
vanda patronorum libertate debeat reputari ac si
35 totus esset laicalis. Neque enim propter mixtu-
ram Clerici debet laicus privari jure suo, Abb.
36 Jo. de Selv. & alii supra citati. Et cum hoc casu
patronatus sit mixtus, & compositus, debet assu-
mere naturam illius speciei, per quam juri alte-
rius minus derogatur, ut in proposito perpendit,
Rebuff. *quæst. 15. num. 7.*

37 Neque obstat quod Felin. *in loco supra cit.* sen-
tiat attendi qualitatem ecclesiasticitatis, quando
magis prodest ecclesiæ, vel ecclesiasticæ personæ.
Nam inde non infertur ut ecclesia patronatus mi-
xti debeat conferri per concursum, quasi ei meli-
us provideatur. Quia Felin. non loquitur de uti-
litate ecclesiæ, ad quam fit præsentatio sed de uti-
litate ecclesiæ habentis jus præsentandi, cujus jus
magis præservatur excluso, quàm admisso con-
38 cursu. Rursus non obstat fundamentum Æneæ
de Falc. de quo supra, *nu.* 25. Quoniam, ut respon-
det Puteus in præallegat. *decis. 157. n.* 4. Papa quan-
do jus patronatus est merè laicum semper dero-
gat pro medietate; quando est mixtum non vult
admittere, & pro parte Clerici non est necessaria
derogatio. Ideo cum remaneat pars laici, quæ
indiget derogatione, deroget in totum. Decisio
Rotæ supracitata similiter non obstat; tum quia
non utitur validis rationibus; tum quia contra
eam est communis opinio, quam etiam eadem
Rota Antiqua sequuta est teste Felino *ubi supra*,
& postea apud Cassad. *d. decis.* 7. & Put. *loc. citat.*
Ideoque non erit mirum S. Congregationem de
veteri sententia decedere, cum & Rota in hac re
à se ipsa discrepaverit. Et ita resolutum. Et Sac.
Congregationis sententiam Sanctissimus ad se re-
latam approbavit. Unde cavendum est hodie à
declarationibus, quas refert Nicolaus Garzia *in*
39 *tract. de benefic. par. 9. cap. 2. num.* 278.

Quartò QUÆRO Posita posteriori decisione
S. Congregationis Concilii à Sanctissimo appro-
bata, qua declaratum fuit in institutione Paro-
chialium ecclesiarum juris patronatus partim ec-
clesiastici, partim laicalis non esse observandam
formam examinis per concursum.

An idem sit dicendum de Parochialibus juris
patronatus, quod origine erat totum laicale, sed
pro duabus tertiis partibus ex donatione laico-
40 rum effectum fuit postea ecclesiasticum.

Proposito hoc dubio mense Decembri 1616. S.
Congregatio non dubitavit quin jus patronatus
origine laicale immutaverit naturam, & effectum
fuerit in omnibus Ecclesiasticum si donatione,
vel alio legitimo titulo transierit in ecclesiam: ex-
tant enim hac de re jura aperta in cap. *unico, §. fin.
de iure patr. in 6.* & in cap. *Dilectus, il terzo, supra de
Preb.* & utrobique notant glos. & Doctores. Co-

vari. practicarum quæstionum, cap. 36. num. 5. vers. Illud. Seraph. decis. 1420. in princ. Sed in reliquis ob varias Patrum sententias jussit iterum examinari, An decisio de parochialibus juris patronatus mixti absque concursu conferendis habeat locum in patronatu pro tertia tantum parte laicali, & pro duabus ecclesiastico.

Cujus quæstionis solutio videtur pendere à ratione, ob quam in patronatibus mixtis prævalet qualitas magis favens patronatui, sive illa sit laicalis, sive ecclesiastica: nam si constiterit eam rationem habere locum in mixtura etiam inæquali, erit respondendum non requiri concursum in patronatu majori parte ecclesiastico, sicut non requiritur in mixto æquali portione. Sicut è converso si constiterit dictam rationem non habere locum nisi in mixtura æquali; respondendum erit parochialem patronatus majori parte ecclesiastici per concursum esse conferendam ob mixturæ inæqualitatem.

41 Ratio autem, cur in mixto prævaleat qualitas, quæ magis favet patronatui, est duplex, ut fusius explicavimus in quæstione præcedenti à num. 27. Altera desumpta ex l. Si communem. ff. Quemadmodum servit. amitt. ubi si non privilegiatus in materia individua concurrat cum privilegiato: illius privilegio utitur: quam rationem in his terminis assignat glos. in d. cap. unico, in verb. Ecclesiasticus, de iure patronat. in 6. & pluribus exornant Alex. consil. 122. num. 16. & seqq. lib. 4. & Jason. in l. Si emancipati, num. 5. & seq. C. de collat.

42 Altera ratio desumpta ex cap. Sacris, de sepult. ubi in præjudicialibus mixtum assumit naturam ejus simplicis, per quod jus alterius non tollitur. Cui regulæ non potest dari contraria instantia, ut ait Lambert. de iure patr. lib. 3. part. 2. q. 1. art. 9. & seq. & quæst. 9. art. 8. num. 2. Gabriel. cons. 197. num. 7. vers. Item assume: & Menoch. de præsumpt. lib. 3. q. 90. num. 18. Atque ita ob mixturam clerici non debet laicus privari jure suo, Abb. in dict. cap. Sacris, & Selu. de benefic. part. 3. quæst. 11. sub num. 69.

43 Cui alia ratio consequitur, ne scilicet laici retrahantur ab ecclesiis fundandis, quam dicit potissimam in hac materia Selu. loc. cit. post glos. magnam in fine, & Host. num. 10. in cap. Cum dilectus, infra eod. In priori ratione patronus certat de lucro, vel favore ex persona socij acquirendo: In posteriori de damno vitando, quod à socio pateretur si illius qualitas prævaleret.

Has autem rationes damni vitandi, & favoris consequendi ex persona compatroni non habere locum, nec esse attendendas in patronatu inæqualis mixturæ primo intuitu videntur suadere infrascripta.

44 Et primò ad hoc adducitur textus in l. Quæritur, ff. de stat. hom. ubi etsi virilis conditio magis prosit; hermaphroditus tamen æstimatur fœminei sexus, si magis in eo incalescat. Ergo similiter quamvis quoad concursum magis prosit patronis qualitas laicalis; patronatus tamen censeri debet ecclesiasticæ qualitatis si in ea prævaleat ratione majoris partis: nam, ut ait Socin. per illum text in cap. 1. num. 7. de foro compet. in mixtis minor pars, licet dignior, accedit majori, & mixtum à suo potentiori judicatur, quia attenditur quod potentius agit: quod ipsum repetit post Alex. in l. Continuus. 8. ff. de verbor. obligat. Gabriel cons. 50. num. 6. vol. 1. Idque proculdubio procedit in mixtis inseparabilibus, seu individuis, ut est jus patronatus, Ang. cons. 34. Quidam Manuel num. 2. vers. Et ubi non sunt separabilia. Unde in proposito dicit Abb. in cap. De iure, in 1. notab. vers. Item ex hoc, supra eod. mixtum ex duabus naturis assumere sibi naturam à potentiori, & digniori, ac proinde committi simoniam in jure patronatus, quod est partim spirituale, & partim temporale; perinde atque in merè spiritualibus: & sequitur Lambertinus in hoc tractatu, lib. 1. par. 2. in 4. q. princip. art. 3. num. 2.

45 Secundò, adducitur textus in l. Quod maior. ff. ad municip. ubi absolutè major pars trahit minorem, nec distinguitur an obsit, vel prosit. Federic. de Sen. cons. 1. in princip. vers. Hoc præsupposito: ad idem textus in l. Aliud, §. Refertur. ff. de regul. iur. in l. Si nemo, §. 1. ff. de testam. tut. cum multis similibus, pars enim in mixtis accrescit toto, minus majori, & ignobilis nobiliori, l. Sed si rem, §. 1. & l. Quicquid, §. fin. ff. de acquirendo rerum domin. & hanc regulam procedere etiam in præjudicium minoris partis, est textus in l. fin. §. 1. C. Qui bonis ced. poss. cum concordan. de quibus per glos. in d. l. Quod maior ad idem cap. Sedes, de rescript. cap. Cum inter, il terzo, & cap. Cum Dudum, il primo, de Electione.

46 Tertiò, adducitur doctrina Socini cons. 87. num. 12. lib. 3. ubi respondit jus patronatus concessum ex argumento dotis non dici mixtum ex causa onerosa, & privilegio, sed censeri omnino ex privilegio: & sequitur Rota diversor. decis. 57. num. 17. part. 1. Atque ita in patronatu prævalet qualitas, quæ nocet, si sit potentior.

47 Quartò, jus patronatus competens universitati scholarium dicitur ecclesiasticum si ibi sint plures clerici, quàm laici; & è converso, Joan. de Lign. in cap. Dilectus, il 3. de preb. Felin. in cap. Ex litteris, col. 1. de Const. quos refert, & sequitur Crescen. decis. 3. de iure patron. & Lambertin. in tract. huius tituli lib. 1. part. 1. in prima quæst. princip. art. 7.

48 num. 3. & 4. Sicut universitas, in qua sunt plures laici, quàm clerici, censetur laicalis, & subjicitur foro sæculari, Innoc. in cap. Dilecta, de excess. Prælat. Bart. in l. fin. col. 3. ff. de Colleg. illic. Abb. in cap. Cum ab ecclesiarum, col. 2. de offic. ordin. & ita tenent omnes, ut Decius testatur in d. cap. Ex litteris, sub num. 20. & 21. Unde patet ad cognoscendum an jus patr. sit laicale, vel ecclesiasticum non esse attendendam qualitatem, quæ prodest, sed qualitatem, quæ in numero prævalet.

49 Quintò allegatur Cons. ferè in terminis Paris. 128. num. 11. & 12. vol. 4. ubi consuluit jus patronatus dotatione mixta partim ex bonis laicalibus, partim ecclesiasticis censeri ecclesiasticum etiam ad effectum derogationis si bona ecclesiastica sint majoris valoris: adducit in arg. notat. in l. Aristo, ff. de donat. & in l. 1. ff. de æstimator. action. cum concord.

Ex quibus videtur colligi rationem glos. in c. 1. de iure patr. in 6. Quod propter communionem non privilegiatus sortiatur naturam privilegiati; & rationem Abbatis in cap. fin. infr. eodem, quod propter mixturam clericorum laici jure suo privari non debeant, non habere locum quoties clerici partibus inæqualibus concurrunt cum laico, quia tunc trahunt, non trahuntur ob qualitatem prædominantem.

50 Sexto hæc clariùs videntur procedere in casu hoc

hoc particulari, in quo patrono laico nullum infertur considerabile præjudicium, quia major pars vocum, quam ecclesia obtinet, satis est præsentato ad institutionem obtinendam, c. Quoniam, supra eodem, nec laicus potest alicui ex patronis ecclesiasticis accedere, cum jus patronatus de quo agitur, sit penes unam, & eamdem ecclesiam, seu Congregationem pro duabus partibus; ita ut proinde nec damnum, nec utilitatem aliquam ex præsentatione sentiat qui tertiam tantum obtinet partem in patronatu, quia velit nolit tenetur sequi ecclesiam præsentantem.

Ultimò hanc sententiam recenset inter alias Petr. de Anchar. hic prope finem: dicens jus patr. mixtum debere judicari ecclesiasticum, vel sæculare respectu portionum, ita ut habens majorem partem in dicto jure, & jus potentius præ-

51 feratur. Et apertè eam sequitur Gambar. in tract. de Auctoritate Legati à latere, lib. 3. sub num. 368. vers. Fallit tamen: ubi concludit legatum de latere, etsi non habeat facultatem conferendi ecclesias juris patr. mixti, posse tamen conferre si clerici habeant plures voces quàm laici. Pro eadem allegatur Crescentius decis. 3. de iure patr. ubi asserit, [Si in casu illo quatuor laici haberent separatim unusquisque unam vocem, & præpositus unam aliam, posse jus patr. dici laicorum: & inter alios allegat not. per Joan. de Lignan. in d. cap. Dilectus, il terzo, de præbendis, qui dicit jus patr. competens Universitati, in qua sint plures clerici, quàm laici, dici ecclesiasticum, & contra.] Atque ita Crescentius, quamvis obiter, apertè tamen videtur sentire jus patr. mixtum judicari ex majori parte patronorum. Idem, licet obiter, dicitur sensisse Rota coram Cardinali Cavallerio: neque aliud videtur censuisse Covar. pract. quæst. cap. 36. num. 5. vers. Quod si ius patr. nam paulò ante ibidem docuit jus patr. æqualis mixturæ ad effectum derogationis censeri laicale. Ac deinde subdit: quod si jus patr. ad laicum unum, & duos clericos pertineat, posse admitti hujus patronatus derogatio, quia major pars, quæ in præsentatione jura potiora obtinet, hujus conditionis est, ut derogationem admittere teneatur. Videtur itaque Covar. constituere differentiam inter jus patron. mixtum, cujus patroni utrinque sunt pares numero, & inter id, cujus pars major est clericorum, ita ut illud laicale, hoc verò ecclesiasticum cen-

52 seatur. Neque verò ex eo, quod ait patronos ecclesiasticos teneri derogationem admittere, videtur posse inferri ut sit laicale. Quia etiam patronatui merè ecclesiastico quandoque derogatur, licet derogatio non sit necessaria, Mandos. in prax. signat. grat. in verb. Derogationes iuris patronatum, vers. iuris patr. clericorum. Ex recentioribus verò idem probant Gonzal. ad reg. 8. Cancell. in glos. 18. sub num. 15. Azor. qui simpliciter refert Covar. instit. moral. part. 2. lib. 6. cap. 23. Sed quid si ius patr. ad duos ecclesiasticos, & unum laicum pertineat, & Granut. ad Simonet. de reserv. q. 9. num. 8. & nonnulli alij. In quam sententiam videntur etiam afferri posse Doctores omnes, qui censent jus patr. indistinctè censeri ecclesiasticum si sit mixtum æqualiter laicorum, & clericorum; quia magis dignum, &c. Hi enim à fortiori sentiunt patronatum esse ecclesiasticum si major pars sit clericorum, inter quos recensentur, Rot. in Antiquis, decis. 266. incipien. Nota quod Papa, & alij quamplures apud Ferrett. cons. 132. num. 4. vers. Contrarium, & Covarr. loc. cit.

53 Sed his non obstantibus contraria opinio est verior, pro qua affertur 1. text. in cap. Per tuas, de arbitr. ubi duo laici, in quos compromitti non potest de causa ecclesiastica, fiunt habiles propter adjunctionem unius clerici, quem text. ad hoc autem dicit Felin. in cap. 1. sub num. 6. post medium de præscr.

54 Secundò text. in d. c. Sacris, de sepult. ubi si cadavera excomunicatorum à fidelibus discerni non possint, exhumari non debent; quia, inquit, expedire non credimus, ut cum excomunicatorum ossibus corpora extumulentur fidelium.

55 Tertiò, cap. Quod in dubijs de consecr. eccles. vel altar. ubi si oleo non consecrato modicum consecratum misceatur, totum fit consecratum.

56 Quartò text. in l. Si qui separatim, §. fin. ff. de appell. ubi unius appellatio omnibus prodest si defensio communis sit, & eadem ratio vincendi: & concordat. l. 1. & 2. C. Si unus ex pluribus appell. quemadmodum rescriptum ab uno impetratum ratione communionis omnibus suffragatur, l. 1. C. de divers. rescript. Aym. cons. 45. Quidam, num. 2. & prodest omnibus victoria unius, l. Loci, §. Si fundus, ff. Si servit. vind. ubi glos. in ver. Proderit, dicit esse mirabile quod prosit, sed non noceat, ut l. Si de communi, ff. eodem.

57 Et generaliter in individuis privilegium uni ex socijs concessum trahitur ad omnes, secundum glos. final. in d. l. 1. C. de divers. rescript. & in l. fin. C. de muner. & honor. lib. 10. Ideoque restitutio competens uni ex muneribus extenditur etiam ad majores litis consortes, glos. fin. in l. unica, C. Si in commune ead. causa, Affl. decis. 213. per totam, & alia congerit Alex. cons. 122. sub num. 16. vers. Et iudicio meo, lib. 4. & Lambert. de iure patron. lib. 1. part. 1. quæst. 1. art. 7. sub num. 5. vers. Hoc sic consideratur. Et prorogatio fatalium unius ex consortibus excusat alios à desertione, Joan. de Tanis decis. 22. quem refert, & sequitur Lancellott. de attent. part. 2. c. 15. ampl. 11. num. 3.

58 Similiter causa individua plurium laicorum, & unius clerici agi debet coram judice ecclesiastico, ut notat Bart. in l. Præcipimus, §. eod. observando, num. 2. C. de appellat. Alex. loc. cit. Anton. de Prato veteri in l. 1. in fin. ff. quæ sententia sine appellat. rescind. Boss. in pract. crim. titul. de foro compet. num. 116. in fin. & alij apud Clarum in §. fin. quæst. 36. num. 46. vers. Evenit plerumque: & unus minor in inseparabilibus trahit majores etiam plures ad suum forum, Soc. cons. 82. num. 10.

59 lib. 3. Sicuti etiam ex præsentatione unius tantum ex compatronis omnium possessio conservatur, Abb. cons. 55. Videtur primò, col. 2. vers. Nec obstat si dicatur, lib. 1. & in cap. Cum ecclesia, col. 3. de causa possess. & propriet. Ferrett. cons. 132. num. 3. part. 1. Ratio est, quia individuis jus retinetur ex persona alterius, ut de jure patr. tradit Gemin. in cap. unico, §. fin. de iure patr. in 6.

Atque ex his patet in mixtis prævalere qualitatem magis faventem, & per quam jus alterius non læditur ex communione, etiamsi qualitates contrariæ sint numero plures, quia jura in materia mixturæ non constituunt differentiam an magis dignum sit in majori quantitate, vel numero, sed solum an sit mixtum cum minus digno, ut ait Lambert. lib. 1. part. 1. q. 1. art. 7. sub num. 5. vers. Potest etiam

etiam dici. Ergo in mixtura unius laici, & plurium clericorum præferri debet ad exclusionem concursus patronus laicus; tum quia hac ratione ejus favor aliis clericis compatronis communicatur; tum quia ipse non privatur præsentandi libertate sibi competente ex titulo oneroso fundationis, vel dotationis; præfertur enim inter plures qui certat de damno vitando, Anchar. *cons. 37. sub num. 2. vers. Cum dictus Laurentius.*

61 Præsertim quia jus patronatus de quo agitur, non est ecclesiasticum origine, quo casu forte patronus sibi imputare deberet quod una cum ecclesiasticis, qui subjacent concursui, fundasset, ac dotasset; sed à principio totum erat laicale, & postea ex donatione compatronorum laicorum effectum est pro duabus partibus ecclesiasticum absque illius consensu. Unde æquum non est, ut nulla ejus culpa privetur præsentandi libertate: quam rationem considerat Rota, *decis. 524. nu. 7. 8. & 9. par. 1. divers.*

62 Et confirmatur, quia jus patronatus est in solidum penes omnes patronos sive sint ex pluribus causis patroni, sive ex una, eademque causa, cap. 1. & ibi gloss. *supra eod.* Unde non est habenda ratio an sint plures numero, vel pauciores, ut advertit Lambert. *loc. cit.*

63 Quamobrem hanc opinionem in casu contrario, cum scilicet sunt plures laici, & unus clericus, attendendam esse qualitatem ecclesiasticam si illa magis faveat patronatui; atque ita jus patr. mixtum non ex numero vocum, sed ex qualitate, quæ prodest, judicari debere, probat Roch. *in verb. Ius num. 16.* & Lambert. *d. art. 7. per tot.* ubi asserit hanc quæstionem esse indubitabilem.

Et in propriis terminis ita tenet idem Lambertinus *part. 3. lib. 2. quæst. 9. art. 9. sub num. 3. vers. Et ex hac regula*: ubi ostendit jus patr. unius laici, & plurium clericorum censeri laicale ad effectum derogationis; & legatum de latere non posse conferre, sicut non potest beneficia patronatus merè laicalis, aut mixti æquali portione.

64 Quibus accedit quod ex stylo Cancellariæ consuevit derogari juri patr. mixto etiamsi patroni ecclesiastici sint numero plures, & non intrant reservationes etiamsi unus sit laicus, & viginti clerici, ut egomet comperi ex libris publicis, qui in Dataria asservantur. Atque ita Cancellaria, quæ est Organum Papæ, requirat jus patr. laicale ex mixtura unius laici tantum in his, quæ prosunt patronatui, etiamsi patroni ecclesiastici sint multò plures. Cui stylo principaliter innixa hanc sententiam probavit S. Congregatio Concilij in casu proposito.

65 Non obstant argumenta contraria. Ad primum enim respondetur in mixtis naturalibus semper, & indistinctè prævalere quod est potentius sive prosit, sive obsit. Ratio est, quia in his non habent locum fictiones, sed agentia necessariò operantur secundum eorum activitatem, ideoque necesse est prævalere id, quod validius agit, ut in exemplo hermaphroditi, de quo in d. l. *Quæritur, de stat. hom.* & in aliis consimilibus. At secus est in mixtione, quæ fit juris ministerio, quia prævalet quod est favorabilius, licet sit in pauciori numero, vel quantitate, ut patet in exemplis olei consecrati, appellationis, præsentationis, & aliis, de quibus supra à *nu. 55.* Jus enim fingit illud ex simplicibus esse potentius, ac dignius, quod magis prodest, & jus alterius non lædit, & secundum hoc contrarium argumentum potest in oppositum retorqueri: nam si mixtum ex duabus naturis assumit sibi naturam à potentiori, ac digniori: ergo in patronatu mixto unius laici, & plurium ecclesiasticorum quoad formam examinis per concursum prævalere debet laicus; quia æstimatur potentior, ac dignior, ex quo conservat sibi, & communicat patronis ecclesiasticis facultatem liberè præsentandi; idque utilius est patronatui, ut patet ex dictis in præcedenti quæstione, *num. 34. & 37.* & in hac ipsa *num. 59.*

66 Ad secundum respondetur regulam illam, quod pars major trahat minorem, & alias consimiles recipere declarationē ex aliis juribus, ut procedant quando est favor majoris partis ut trahat, & non trahatur, ut apud Put. *in prælleg. decis. 157. lib. 3.* & dictum est supra *n. 33.* & ita est in electionibus, & aliis actibus Universitatum: nam favor est majoris partis ut trahat, & non trahatur: & ideò prævalet factum à majori parte etiam in præjudicium minoris, ut in c. *Cum inter. il 3. de elect.* & in aliis allegatis. At in casu præsenti favor est patronorum ecclesiasticorum, ut trahantur à patrono laico, & illius privilegio utantur in libertate præsentandi, quæ illis restringeretur si qualitas ecclesiastica prævaleret, ut proximè dictum est.

67 Ad tertium respondetur, augumentum dotis non esse causam efficientem, seu productivam juris patronatus; quia ad hoc requiritur totalis dotatio, ut notat glos. in cap. *Quicumque, in verbo Aliquid, 16. q. 7.* Lambertin. *in hoc tractatu, lib. 1. part. 1. in 5. quæst. principali, art. 12. n. 1.* & Rota *divers. decis.*
68 *457. n. 18. part. 1.* At solum indultum Apostolicum per se sufficit, Abb. *cons. 28. in causa, in princ. lib. 2.* Rota *decis. 304. par. 2. divers.* & dotis augumentum non est nisi causa motiva, seu impulsiva concessi-
69 onis privilegii. Unde non mirum si jus patr. non dicatur mixtum ex augumento dotis, & privilegio, sed ex privilegio tantum: nam ut habetur *lib. 1. de generat. & corrupt. cap. 7.* mixtionem non efficiunt multa paucis, & magna parvis apposita, & mixtio eorum non est, quæ non sunt ejusdem generis, ad hoc l. *Hoc amplius, §. Alphenus, ff. de damn. infect.* & notat Petr. Brixien. *in repertor. in ver. Mixtum.* At ex causa fundationis, constructionis, vel dotationis omnes concurrunt in illius productione, & in solidum efficiuntur patroni, glos. 1. in c. *Piæ mentis 16. q. 7.* Lambert. post alios *in hoc tract. lib. 1. par. 1. in 3. quæst. principali, art. 1. num. 1.* & scripsi latè in c. *Quoniam, n. 49. supra eod.* Unde in mixtura unius patroni laici, & plurium clericorum prævalere debet qualitas laicalis, quæ magis proficit. Ubi enim duæ causæ simul miscentur, attenditur illa, quæ prodest, l. 1. §. *Veteres, vers. Si ex*
70 *parte, ff. de acquirenda possess.*

Ad quartum respondetur doctrinam illam; quod jus patronatus Universitatis scholarium, & Universitas mixta judicetur ex pluralitate clericorum, vel laicorum, posse non incongruè declarari, ut vendicet sibi locum in his tantum, in quibus est favor major, ut trahat, & non trahatur; alias secus, ut constat ex ponderationibus, de quibus supra à *num. 13.* & in quæstione præce-
71 denti, à *num. 26.*

Ad quintū respondetur quicquid sit de veritate illius doctrinæ, aliud juris esse cum jus patr. est mixtum ex bonis laicalibus, & ecclesiasticis, unus tamen

tamen est patronus; aliud ubi est mixtum ex pluribus patronis clericis, & laicis: nam in primo casu si bona ecclesiastica sint majoris valoris, fortè admitti potest doctrina Parisij, ut jus patr. ecclesiasticū censeatur: imputet enim sibi qui plus contulit ex bonis ecclesiasticis, quam laicalibus: cessat enim ratio in eo casu ne laici retrahantur ab ecclesiis fundandis. Sed in secundo casu censeri debet laicale ad effectum derogationis, cùm præsertim in hac specie laicus nō fundaverit cum ecclesia sed cum patronis laicis. Unde nihil est quod illi imputetur, ut superius tetigimus, *n. 61.* & hanc differentiam, licet non explicet rationem diversitatis, constituit idemmet Parisius in allegato *consil. 128. n. 12. lib. 4.* Atque ita sentit in mixtura laicorum, & clericorum prævalere qualitatem laicalem quando magis prodest patronatui, etiamsi plures sint clerici, quàm laici. Unde ipse potuisset potius allegari pro hac parte.

72 Ad ultimam considerationem respondetur æquum non esse, ut patrono laico, ex mixtura ecclesiæ patronæ inferatur præjudicium in libertate præsentandi, licet effectus præsentationis sit incertus. Præsertim quia, etsi duæ voces, quas habet ecclesia absorbeant, quam habet laicus; tamen facilè potest contingere ut ipse adducat patronum ecclesiasticū ad consentiendum suæ præ-
73 sentationi. Præterea si ecclesiasticus nollet, aut negligeret præsentare infra semestre, instituēdus esset præsentatus infra legitima tempora à patrono laico, & ex ejus præsentatione omnium possessio conservaretur. Abb. *cons. 54. Videtur primo, n. 3. vers. Nec obstat si dicatur, lib. 1.* post Federicum de Senis, quem citat, *cons. 97. in ultimo art.* fortè est *cons. 65.* quod incipit, *Infrascriptæ quæstiones, in fine,* Quod non contingeret si jus patr. æstimaretur ecclesiasticum, atque ita hoc jus præriperetur patrono laico ex mixtura Ecclesiæ contra regulas superius firmatas, *num. 41.*

Demum non obstant authores in contrarium adducti: nam Petr. de Anchar. & decisio Crescentij intelligi possunt in eo casu, in quo est favor majoris partis, ut trahat, & non trahatur, aliàs secus. Præterquam quod Rota obiter loquitur, & non figit pedes. Gambara, & Moderni, non nituntur validis rationibus, eisque præter Lambertinum, qui patronatus materiam uberiùs, & profundius examinavit, opponitur præcipuè stylus, & praxis Cancellariæ. Opinio autem asserentium jus patr. mixtum indistinctè censeri ecclesiasticum, quia magis dignum, &c. non est vera, & communiter reprobatur à Doctoribus, ut fusè ostensum est in præcedenti quæstione à *n. 26. usque ad n. 39.*

74 Quintò QUÆRO, utrum in jure patronatus mixto septem officialium laicorum nomine universitatis laicalis, & trium ecclesiasticorum privato nomine præsentantium requirantur ampliores illæ probationes, quas exigit Concilium Tridentinum decreto *cap. 9. sess. 25.* in ijs personis, vel universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione quæsitum præsumi solet.

Jus patronatus, de quo agitur, tam respectu universitatis, quàm privatorum dicitur derivare ab eod. fonte, & titulo cujusdam concessionis Ordinarij Pampilonensis usque ab año 1496. ad cujus præscriptum tam septem Officiales, quàm tres ecclesiastici unanimiter hactenus præsentarunt. Unde cum omnium patronorum probationes sint adeo conjunctæ, & connexæ, ut altera sine altera nullam faciat probationem; ideoque in hac mixtura propter inseparabilitatem applicatio uni extremo sit necessariò facienda: gravis, & difficilis quæstio est, cujusnam simplicis naturam jus hoc mixtum sortiri debeat. In qua tamen dubitatione probabilius videtur sortiri naturam patronatus privatorum, ita ut non requirantur ampliores illæ probationes, quas Concilium exigit in personis, vel universitatibus, in quibus usurpatio præsumitur.

75 Primò, quia cum simplicia sint inter se contraria, & sub simplicibus contineri non potest casus mixtus; tunc mixtum assumit naturam illius simplicis, quod facit actum valere, & quod est favorabilius, *l. 3. §. Et generaliter, ff. de eo quod certo loco,* Jas. in l. 2. *n. 5. vers. Ultra scribentes, ff. de verb. oblig.* Sed persona privata, ejusque probationes si sufficiant, faciunt ut actus valeat etiam pro universitate, idque magis utrique est favorabile. Ergo hoc mixtum assumit naturam patronatus personæ privatæ. Quod si dicatur, imo magis esse favorabile ecclesiæ ut requirantur ampliores probationes, ut facilius liberetur à servitute patronatus. Respondetur hoc casu favorem, vel odium non considerari respectu ecclesiæ, sed respectu personarum, in quibus diversa dispositio à lege est introducta, adeo ut prævaleat illud simplex, quod magis favet personis, de quibus agitur in dispositione, & per quod favor consortis alteri consorti communicatur, l. *Si communem, ff. quemadmodum servitus amittatur,* ubi DD. multa similia congerunt. & patet ex dictis sup. *num. 37. & 41.* At non est dubium favorabilius esse utrique, si privata persona suum faciliorem probandi modum universitatis communicet, quàm si universitas propter suum odium etiam privatæ personæ in hac probatione officiat.

76 Secundò cum duæ qualitates concurrunt, quarum quælibet diversam habet juris dispositionem attenditur illa pars quæ magis favet jure communi, Baldus in l. *Si quis Decurio, num. 5. C. de fals.* Anchar. *Repet. Canonum statuta, vers. Quæro de statuto, De Constitut.* Alex. *in cons. 100. Ex inspectione dictorum statutorum circa finem lib. 3.* quos refert.
77 & sequitur Jason. *loc. cit. num. 7.* At si sufficiat probatio privatæ personæ, certum est minus derogari juri communi, ex cujus dispositione ad probandum patronatum sufficit immemorabilis etiam in potentibus, & universitatibus, Puteus *decis. 58. lib. 1.* censuit Rota *in causa Sabinen. beneficiorum* coram Clemente VIII. 15. *Decembris* 1581. quæ habetur in impressis *decis. 199. part. 2. divers.* Ergo attendenda est in hac mixtura probatio personæ privatæ, quæ consentanea est juri communi, non autem universitatis, quæ oneratur nova pro-
78 batione præter jus commune. Imo hæc præsumptio usurpationis in universitate non satis jure probatur, cum Butr. citatus in cap. *Dilectus, de off. legat.* qui ad id citatur à Gabriel. *consil. 92. lib. 1. num. 2.* Menoch. *lib. 3. de præsumpt. 90. id num. 2.* id non dicunt. & Specul. *lib. 4. tit. de iurepatr. vers. Et nota,* testatur tantum Parochianos in Italia cœpisse jus præsentādi usurpare, propter recessum Curiæ. Ac propterea Achil. *decis. 317. alias 4. de iure patr.* dixit hanc præsumptionem procedere tantum in Italia, & etiam jure non probari. Verum utcunque res se habeat, satis est ut min' derogetur juri com-

communi, si familia privata non oneretur duriori probatione propter admixtionem universitatis.

Tertiò in patronatu mixto ecclesiasticorum, & laicorum semper sumitur interpretatio ut sit ecclesiasticus, vel laicalis prout magis prodest patronatui; & ideo ubi agitur de tempore patronis concesso ad præsentandum, cum ecclesiastici habeant beneficium longioris temporis: patronatus censetur totus Ecclesiasticus: at ubi agitur de derogatione, cum patronatus laicalis sit firmior: censetur totus laicalis, ut latè ostensum est supra in 5. q. à num. 26. Quinimò Cancellaria, quæ non dat de reservato in patronatu ecclesiastico, consuevit tamen derogare juri patr. mixto, etiamsi patronus laicus sit unus, & ecclesiastici viginti, aut plures, ut similiter dictum est supra, *num.* 84.

80 Et Sac. Congregatio Concilii re diligenter examinata, jam censuit juspatr. mixtum laicorum pro una parte ecclesiasticorum pro duabus censeri laicale, quoad hoc ut non requiratur forma examinis per concursum, ut in præcedenti quæstione. Ita in proposito in hac mixtura personæ privatæ cum potenti, etiamsi potens plures habeat voces; totus patronatus censeri debet privatorum, cum hoc pacto patronatus conservetur, qui aliàs everteretur.

81 Quartò casus mixtus assumit naturam ejus simplicis, per quod jus consortis conservatur Calder. *cons. 22. de Preben.* quàm regulam plurimis exemplis exornat, Felin. in cap. 1. *n. 6. ad med. vers. Et dixit, de præscript.* & fusius dictum est supra *n.* 27. 36. & 41. At per familiam privatam, quæ immemorabilem probavit, servatur jus utriusque per universitatem verò, si defecerit in aliqua probatione, jus utriusque perimitur. Ergo hoc mixtum assumit naturam personæ privatæ.

82 Ultimò hanc opinionē in jure patronatus mixto æquali portione universitatis, & privatorum sæpius sequuta est Rota; & in specie apud Achill. *decis. 4. de iure patron. sub n. 2. vers. Tamen,* & *in causa Aurien. Parochialis 5. Decembr.* 1605. coram Manzanedo, quæ habetur impressa *in Recentior. decis.* 154. *par. 2.* in *Fisulana iuris patron. 8. Februarij* 1610. coram

83 Cavall. ut *decis. 219. p. 1. Recent.* & in *Pampilonen. iuris patr. 24. Maij* 1613. coram Pamphilio, & in propriis terminis etiamsi jus patron. sit universitatis pro majori parte, non tamen præsumi ex usurpatione, tradit Menoch. *lib. 3. præs. 90. sub nu. 15. vers. Non est omittendum,* & resolvit Rota *in causa Firmana Altaris de Durijs, 1c. Februarij* 1610. coram Lugdunen. & in impressis *decis. 224. par. 1.* & *decis. 256. p. 2. Recent.* Rationes autem, quibus movetur præcipuè sunt infrascriptæ.

Ratio prima; quia si universitas acquisivisset jus patr. usurpatione, non fuisset passa ut alij compatroni una id jus acquirerent, nec eos admisisset sed ipsa totum usurpasset. Unde sequitur, ut vel jus patronatus nō usurpaverit, sed justo titulo acquisierit una cum privatis patronis, vel saltem il-

84 lud non usurpaverit ecclesiæ, sed potius præscripserit contra privatos, quod non improbatur à jure, Abbas in cap. *Querelam, num. 9. de elect.* Rota *divers. par. 1. decis.* 229. Idque in hac causa est satis considerabile; quia cùm tres privati habeant tres voces, reliqui verò septem; sæpe potest dari casus, ut major pars universitatis vincatur à minori, si illi adhæreant tres privati; puta si quatuor laici præsentent unum, tres verò una cum tribus ecclesiasticis alium; nam præfertur præsentatus à tribus laicis, & tribus ecclesiasticis tanquam à majore parte.

85 Ratio secunda decisionum est, quia usurpatio, quæ in sola universitate præsumitur, privatis personis nocere non debet; cum æquum non sit, ut in re individua quis patiatur detrimentum ratione societatis, Gemin. in cap. *unico in fine de iure patron. in 6.* & Abb. in cap. *Dilectus, num. 5. de off. leg.* Rota *decis. 574. num. 10. p. 1. divers.*

Ratio tertia, quia etsi universitas succumberet in probatione juris patr. non ideo tamen ecclesia esset libera, quia nihilominus remaneret sub servitute patronatus privatorum. Unde quoad libertatem ecclesiæ parum refert præsumptio usurpationis.

86 Neque obstat, quod hæc ratio non procedat hoc casu, in quo cum probationes utriusque simplicis sint commixtæ, & inseparabiles; sublato jure universitatis, tollatur etiam jus privatorum, cum ecclesia non possit esse pro parte libera, & pro parte serva.

Nam respondetur quamvis ex illa concessione Ordinarii Pampilon. videantur probationes utriusque partis esse individuæ: nihilominus hoc non excludere quin privati possint etiam aliunde haurire suas probationes: & jam petunt se admitti ad probandum immemorabilem, quæ si probabitur, simul constabit etiam jus privatorum cœpisse ante illam concessionem, cum immemorabilis sit infinita, & capiat omne tempus. Rota *in causa Placentina decimarum, 29. Maij* 1587. coram Bubalo, & *in Commen. decimarum, 10. Aprilis* 1596. coram Orano.

Ultimò hanc opinionem videtur jam approbasse S. Congregatio Concilii in causa illa Fisulana juris patr. nam ex novem Cardinalibus, excepto Platto, & Camerino, qui contrarium senserunt, & Nazareth, qui rem dubiā, & periculosam existimavit; reliqui omnes censuerunt in jure patron. hoc mixto universitatis, & privatorum non requiri probationes, quas requirit Concilium ubi viget præsumptio usurpationis. Quod & prius decisum fuerat in causa Aurien. ut in declaratione infrascripta, videlicet: Parochialis ecclesia de Pao Aurien. diœcesis prætenditur de jure patronatus Parochianorum dictæ ecclesiæ pro quarta parte, item trium familiarum aliorum laicorum nobilium extra Parochiam commorantium ex aliis duabus, necnon unius monasterii monialium pro reliqua parte. Supplicatur declarari an in hujusmodi patronatu ratione mixturæ requiratur probatio, de qua in *cap. 9. sess. 25.* ejusdem Concilii *vers. In iis verò personis,* vel sufficiat probatio, de qua supra in *eod. cap. vers. ut igitur, die 15. Maij* 1603. Sac. Congregatio censuit sufficere eam probationem, quæ requiritur in personis, in quibus non præsumitur usurpatio.

Superest nunc respondere ad nonnullas contrariæ partis oppositiones, quæ magis urgere videntur.

Et primo non obstat quod jus patr. sit indivisibile, & in casu indivisibili potentius trahat ad se minus potens, l. *Quæritur,* ubi Bart. *num. 3. ff. de stat. hom.* & magis dignum trahat ad se minus dignum qua ratione, si privatus habeat rem communem cum Ecclesia, utitur jure ecclesiæ, ut requiratur longior

longior præscriptio, quæ necessaria est contra ecclesiam, Decian. *cons. 88. n. 25. lib. 2.* Potentiorem autem esse universitatem, & digniorem persona, & familia privata non est dubitandum.

Respondetur enim eam regulam, ut potentius trahat minus potens, vel magis dignum trahat minus dignum, procedere ubi est favor potentioris ut trahat, & non trahatur; secus autem est cum est favor potentioris, & dignioris ut trahatur, & non trahat; ita ex mente DD. declarat Put. *decis. 157. in fin.* & aliàs perpendit S. Congregat. in jure patr. partim ecclesiastico, partim laicali, ut fusè ostensum est supra *in 3. quæst.* At in casu nostro negari non potest Universitatis, quæ potentior, & & dignior est, favorem esse ut trahatur à persona privata ad faciliorem probationem; non autem ut illam trahat ad difficiliorem. Ergo, &c.

Non obstant secundò, quod si admitteremus hanc opinionem, dispositio Concilij redderetur elusoria, quia Universitates, & aliæ personæ, in quibus præsumitur usurpatio, semper possent assumere in sui consortium personam privatam, ut hoc pacto à graviori illo onere, quod illis Concilium imposuit, relevarentur.

Nam respondetur hanc fraudem nullo modo esse verisimilem, quia cum in principio præsentationum hæc admissio privatæ personæ in nihilo suffragetur Universitati, imo illius jus diminuat, nec suffragari possit nisi ut cum de patronatu erit controversia, probatio sit levior, sequeretur Universitatem hoc fine cœpisse admittere personam privatam, ut inde ad centum annos patronatus probatio facilior existeret, quod præsumere quā sit absurdum nemo non videt.

87 Secundò respondetur rationem propter quam Universitas, & alij potentes usurpasse præsumuntur, eam præcipuè esse, quod Episcopi non sint ausi illis contradicere, Put. *decis. 57. in fin. lib. 1.* At hæc ratio non militat cum admiscetur persona privata; quia si Episcopus non audet contradicere Universitati, cur non audebit contradicere personæ privatæ? præsertim cum ecclesiæ intersit patronos non esse plures, & Episcopi regulariter sint infensi patronatibus.

Ac demum respondetur in casu hoc Pampilonen. actus simultaneos præsentationum cœpisse longe ante Concilij publicationem, quo tempore Universitas non poterat divinare futuram dispositionem Concilii, per quam arctari deberet ad duriorem probationem, quàm de jure communi requireretur. Unde hoc principium omnino excludit præsumptionem, quod Universitas asciverit personam privatam hoc fine, ut eximeretur à duriore probatione.

Circumscripto enim Concilio, etiam in Universitate satis erat immemorabilis, ut dictum est supra *num.* 77. Quare inverisimile est, ut universitas ad se liberandum à futura probatione, quam ignorabat, voluerit sibi inferre hoc præsens, & certum præjudicium amittendo partem sui patronatus per assumptionem privati.

Non obstat tertiò, quod alia ratio, propter quam in Universitate viget præsumptio usurpationis, sit, quia non tam facile universus populus solet convenire ad construendam ecclesiam, sed tantum elargiri eleemosynas absque animo acquirendi jus patr. Crescentius *decis. 1. in fin. de iure patr.* Quæ quidem ratio non cessat propter adjunctionem privatæ personæ, imò augetur inverisimilitudo, quod tot convenerint ad ecclesiam ædificandam, quia per admissionem privati augetur numerus ædificantium, & multiplicantur patroni. Respondetur enim hanc rationem, quamvis fortè habeat locum quoad populum; tamen non militare quoad personam privatam, in qua nulla est inverisimilitudo ut ecclesiam fundaverit, aut construxerit. Unde cum in hoc mixto inseparabili simplicia habeant diversam rationem: applicatio potius facienda est personæ privatæ ad exclusionem usurpationis, cum hæc ratio magis faveat patronatui, faciat actum valere, sit magis conformis dispositioni juris communis, & jus consortis non lædat, ut superius dictum est.

Respondetur secundò, quamvis non sit verisimile ut tam multi conspiraverint ad ecclesiam ædificandam; tamen hoc casu hanc rationem non arguere usurpationem Universitatis contra ecclesiam, sed potius præscriptionem contra privatam personam, quam non fuisset passa secum præsentare, nisi scivisset eidem competere jus patronatus.

Non obstat quartò, quod in mixto inseparabili, & individuo, sicuti est jus patr. major pars prævaleat minori, juxta l. *Quod maior, ff. ad municip.* & videtur *decisio* Crescent. 3. *num. 1. de iure patron.* In præsenti autem patronatu Universitas septem habet vota, privati tres tantum. Unde velint, nolint tenentur accedere Universitati.

Respondetur enim similiter id habere locum si favor sit majoris partis ut trahat, & non trahatur; alioquin prævalet minor pars, ut patet in patronatu laicorum, & ecclesiasticorum, quod censetur laicale ad effectum ut non subsit reservationi Apostolicæ, nec formæ examinis per concursum, etiamsi laici sint numero pauciores, quàm ecclesiastici, quemadmodum observat Cancellaria, & censuit S. Congregatio Concilii, ut latissimè ostensum est in quæstione præcedenti. Hoc autem casu favor est Universitatis habentis majorem partem patronatus ut trahatur à privatis habentibus minorem, ne aliàs gravetur onere durioris probationis. Et ita resolutum 8. *Aug.* 1620.

De Iure patronatus.

Cap. Postulasti.

SUMMARIUM.

1 *Patronus potest præsentare ad ecclesiam vacantem non obstante, quod ipso non consentiente alius ad præsentationem Rectoris ad titulum ecclesiæ fuerit ordinatus.*

2 *Ecclesia ex quibus probetur Collegiata, & num. 13. usq. ad num. 18.*

3 *Ecclesia non potest fieri Collegiata sine consensu patroni, & aliorum, qui ex mutatione status illius læderentur.*

4 *Ecclesia cum dubitatur an sit Collegiata, clerici, vel patronus manutenentur in ea possessione, in qua reperiuntur.*

5 *Collegij ius, & quasi possessio ex quibus colligatur, & num. 17.*

6 *Collegij ius de iure communi habent ecclesiæ Cathedrales, & Regulares, quæ ad Congregationem tenendam*

dam sufficienter sunt dotatæ, & quæ in communi vivunt.

7 *Collegij ius in uno retinetur.*

8 *In Collegiata ecclesia si omnes de Collegio sint mortui, eliget Episcopus non nomine suo, sed nomine ecclesiæ.*

9 *Electio, & collatio præbendarum in Collegiata ecclesia ex fundatione, privilegio, vel consuetudine potest pertinere ad Episcopum, vel alios clericos.*

10 *Ecclesia de Saponaria Marsicen. Diœcesis an sit Collegiata, & num. 13. usq. ad num. 18.*

11 *Et an electio Archipresbyteri in dicta ecclesia pertineat ad Collegium, & num. 18.*

12 *An ve iurisdictio civilis, criminalis, & mixta in clericos eiusdem ecclesiæ spectet ad ad Archipresbyterum, & generaliter, & num. 20.*

14 *Enunciativæ instrumentorum in antiquis probant ecclesiam esse Collegiatam saltem præsumptivè, quamdiu non probatur oppositum.*

17 *Fama, & communis reputatio in antiquis probat ecclesiam esse Collegiatam.*

18 *Electio in Collegiata ecclesia de iure communi pertinet ad Collegium.*

19 *In eligendi iure attenditur usus, & consuetudo per testes probata.*

20 *Iurisdictio civilis, criminalis, & mixta potest acquiri ab inferiori Prelato ex immemorabili præscriptione, quam Concilium Tridentinum non sustulit.*

Iurisdictio ex præscriptione regulariter censetur acquisita privative ad Episcopum.

1 POSTULASTI. Si ad præsentationem Rectoris ad titulum Ecclesiæ fuerit aliquis ordinatus, nihilominus patronus, qui non consensit ad ipsam, cum vacabit, poterit præsentare. Hoc dicit secundum Jo. Andr. & omnes & sunt duæ partes; in prima consultatio, in secunda responsio ibi, *Ad quod.*

2 Quærit hic Innocentius in principio ex quib' probetur Ecclesiam esse Conventualem, seu Collegiatam, & habere jura ecclesiæ Collegiatæ. Et concludit dicens hoc probari per privilegium, quod eam constituit Collegiatam, & dat ei jus Collegii, l. 3. *vers. In summa. ff. de Colleg. illicit.* c. *Porro infra de privileg.* Quod si privilegium non appareat, & constat in sui fundatione ordinatum fuisse, ut ibi essent tres clerici, vel plures tanquã Collegium, vel pro tot fuisse dotatam, tunc similiter Collegiata censebitur, arg. cap. 1. ubi hoc, supra *de elect.* & expressius in cap. *Cum dilectus*, §. *Dictus, de consuetud. in cap. 9. q. 1.* in cap. *Nemo, de consecr. dist. 1.* in cap. *Placuit, 1. quæst. 2.* & in cap. *Quanto, infra de censibus.* Sin autem constet fuisse ordinatum in fundatione, ut nõ haberet jus Collegij, sed patronus haberet præsentationem, vel ut esset ibi unus tantum, vel duo clerici; tunc non censebitur jure Collegiatæ, & sic potest intelligi cap. *Vt quisque Presbyter, supra de vita, & honest. cleric.* & sic loquitur cap. *Piæ mentis*, & cap. *seq. 16. q. 7.* & *in hoc tit. quasi per totum.*

3 In quo casu si contingat ut plures clerici in ea congregentur, non tamen habebunt jus Collegii, nisi patronus consentiat, & omnes alii, qui ex mutatione status huiusmodi læderentur, arg. huius cap. & cap. *Nobis, supra eod.* cap. *Monasterium*, cap. *Rationis*, & cap. *Si quis vult, 16. qu. 7.* & expressius in eo, quod legitur, & notatur in cap. *Dilecta infra de excess. Prælat.* & in cap. *Adhæc.*, §. *fin. su-*

4 *pra de off. Archid.* Ubi verò non apparet qualiter Ecclesia fuerit instituta, & sic de jure Collegii dubitatur: tunc si clerici sint in possessione juris Collegii, & manutenendi erunt in sua quasi possessione quousque aliud probetur, cap. *Cum venissent, supra de institut.* cap. 2. *de restitut. in integr.* c. *Consultationibus, supra eodem.* cap. *Ex litteris, de probat.* l. *Lite ordinata, C. de liberal. caus.* l. *Ordinata. ff. eod.* & è converso si patronus, vel alius sit in quasi possessione faciendi in ea sicut in Ecclesia non Collegiata, similiter defendetur in tali possessione quousque aliud probetur, & in hoc est jus expressum in d. c. *Dilecta, de excessib. Prælat.* ubi de hoc ita Innoc. cuius verba ferè ad calamum transcripserunt in cap. *Nobis, supra eod.* Host. *num. 2.* Jo. Andr. *num. 8. 22. & 24.* & Abb. *num. 8.*

5 Signa autẽ, ex quibus depræhenditur jus, seu quasi possessio Collegii, sunt infrascripta, videlicet sigillum, & usus sigilli, cap. *Significavit, supra de appellat.* non nisi enim sufficeret sigillum sine usu, Rot. *decis. 354 num. 15 par. 4. tom. 2. rec.* Itẽ tractatus communis, cap. *Tertiò loco, de probat.* & dicam infra *num. 15.* Item Arca communis, l. 1. *ff. Quod cuiusque univers. nom.* scilicet deputata ad conservanda jura ipsius Collegii, ut per Rotam *decis. 136. nu. 16. part. 6. recent.* Item refectorium commune, & dormitorium, c. *Cum ad monasteriũ, supra de stat. Monachor.* c. *Quoniam*, §. *fin. de vita, & honestat. cler.* Item communis fraternitas, & similia, cap. *Inter dilectos, supra de donat.* quæ signa enumerat Hostien. in d. cap. *Nobis, num. 2. circa medium, vers. Et notandum, supra eodem*, & post eũ Joan. Andr. *ibid. num. 11.* & communiter omnes DD. & quamvis necessarium non sit, ut huiusmodi signa, & conjecturæ simul concurrant, ut voluit Rota coram Cardinali Mantica *dist. 175. & dist. 215. num. 1.* nihilominus debent illa concurrere, ex quibus possit verisimiliter, & quasi pernecesse argui Collegialitas, & prout idẽ Mantica ponderat. sigillum, Arca communis, statuta propria, quæ ut à privatis Congregationibus exerceri, aut haberi nequeunt, non autem aliæ conjecturæ debent admitti, quæ æquivocè, & possibiliter inferunt Collegialitatem, ut formaliter dixit Rota, *decis. 56. num. 6. & 7. par. 5. rec.*

6 Cæterum adverte, quia quidquid superius fuerit distinctum ad dignoscendum jus Collegii, quædam sunt ecclesiæ quæ ex juris communis dispositione jus Collegii intelliguntur habere, sicut sunt omnes ecclesiæ Cathedrales, & etiam Regulares, quæ ad Congreg. tenendam sufficienter sunt dotatæ, & quæ communi vivunt, ut potest colligi ex cap. *Ne pro defectu, supra de elect.* ex c. *Monachi*, §. *final. de stat. Monachor.* ex c. *Cum dilectus de consuetud.* & ex cap. *Quoniam de vita, & honest. clericor.* & tales possunt habere sigillum, & arcam communem, ut in cap. *Significavit, de appellat.* Quod ergo supradictum est, de aliis inferioribus Ecclesiis debet intelligi, secundum Host. in d. cap. *Nobis, num. 2. ante med. vers. Quicquid etiam*, & Jo. Andr. *nu. 10.* cum quibus ce-

7 teri concordant.

Ex quo autem constat de jure Colligi, etiamsi in Collegiata non remaneat nisi unus clericus nihilominus habebit jura Collegiatæ, in illo uno jus

jus Collegii retinebitur, l. *Sicut Municipium, in*

8 *fin. ff. Quod cuiusque univers. nom.* Quod si ille quoque clericus, qui supererat, moriatur, eo casu jus eligendi alium clericum spectabit ad Episcopum diœcesanum, qui non nomine suo, sed nomine ecclesiæ eliget, arg. cap. *Si fortè, 65. distinct.* secundum Innoc. *hic num. 1. vers. Item si in Collegiata non*

9 *remaneat*, & Hostien. in d. cap. *Nobis, num. 2. vers. Ex quo autem*, qui etiam fatentur Episcopos, & alios clericos posse habere & electiones, & collationes præbendarum, ac dignitatatem in ecclesiis Collegiatis, vel quia sic constitutum fuit à principio, vel ex privilegio, sive consuetudine speciali, cap. Cum dilectus, supra de consuetudine, cap. *Abbate, ad fin. infra de verb. signif.* cap. *Accedentibus, de excess. Prælat.* cap. *Ex noscitur, supra de his, quæ fiunt à Prælatis*, cap. *Considerávimus*, & cap. *bona il primo, de elect.* & scripsi in cap. 1. *eodem tit.* ubi latissime de hac materia juris eligendi, & in ecclesiis Collegiatis.

10 Juxta prædicta quæsitum est in S. Congregatione Concilii, primò An ecclesia S. Antonini de Sa-

11 ponaria Marsicen. diœcesis sit Collegiata: secundò An electio Archipresbyteri in dicta ecclesia

12 pertineat ad Collegium: tertiò An jurisdictio civilis, criminalis, & mixta in clericos ejusdem ecclesiæ spectet ad Archipresbyterum, & quatenus spectet, an privativè ad Episcopum.

13 Ad primum videtur respondendum, ecclesiam prædictam fuisse, & esse Collegiatam: nam in hac materia, cum non constat de privilegio, vel primæva erectione ecclesiæ in Collegiatam, recurritur ad conjecturas, & signa, ut *hic* per Innocen. *in princip.* & alios supra citatos *num. 2. & 5.* Barbat. *cons. 27. num. 3. lib. primo in causa Brixien.* S. Nazarij coram Penia, quæ refertur in *decis. 673. num. 2.*

14 *vers. Ex quibus, par. 1. recent.* Multa verò hic concurrunt pro jure Collegij. Primo enim id colligitur ex decem & octo instrumentis antiquissimis Sacræ Congregationi exhibitis, quorum nonnulla excedunt ducentos, ac trecentos annos, quæ ecclesiam hanc Collegiatam nominant; & cum versemur in antiquissimis, licet enunciativè loquantur: probant saltem præsumptivè, quamdiu non probatur contrarium, ut in puncto respondit Alex. *cons. 75. Visis, ac ponderatis, num. 3. lib. 4.* & Tiber. Decian. *cons. 6. Ad primum videtur, n. 7. lib. 2.* & tenuit Rota in *causa Asculana Abbatiæ, 17. Martij 1586.* coram Orano. Præsertim cum in tribus ex prædictis instrumentis sint enunciativæ ipsius Episcopi Marsicen. vel ejus Vicarij, qui prædictam ecclesiam non appellassent Collegiatam, nisi talis fuisset, ex quo de eorum præjudico in electione ad Collegium spectante agebatur, ut ponderavit Rota *decis. 12. de iurepatr. in novis*, Pa-

15 leot. *decis. 23.* Nec adversatur præallegata *decis. 673 p. 1. recent.* Quia enunciativæ illius Collegiatæ erant infra centum annos, ut ubi dicitur, *num. 1.* Secundò idem deducitur ex communi tractatu, & capitulariter facta congregatione ad sonum campanellæ pro expediendis negotiis communibus, ut enunciatur in uno ex prædictis instrumentis: hujusmodi enim tractatum inter signa ecclesiæ Collegiatæ recensent Host. & alii supracitati *num. 5.* per text. in c. *Tertiò loco, de appellat.* Cardinal. *in Clement. 2. num. 10. de ætat. & qualit.* Barbat. *cons.*

16 *17. num. 37. in fin. lib. 1.* Alex. *d. cons. 75. num. 2. lib. 4.* Tertiò hoc ipsum suadetur ex arca, & sigillo communi, ut deponunt omnes testes in hac causa examinati: nam hæc quoque inter præcipua signa Collegiatæ ecclesiæ enumerant Doctores supra allegati *eodem num. 5.* Item glos. 1. in c. *Dilecta vers. Item Collegium, de excessib. Prælat.* & ibi etiam Joan. Andr. *in fin.* Abb. *num. 1. & 2. vers. Fatetur autem*, & communiter Doctores. Cardin. Seraphin. *decis. 752. num. 1. Gregor. XV. decis. 482. num. 4.*

17 Confirmantur prædicta ex attestationibus quatuor testium, qui deponunt ecclesiam hanc ab immemorabili tempore fuisse habitam, & reputatam, haberique, & reputari pro Collegiata, & reddunt sufficientem rationem, exprimentes sigillum commune, & alia signa: nam & sola fama in antiquis probat Collegiatam, ut inquit Decianus *d. cons. 6. num. 8.* post Alex. *dicto cons. 75. num. 3. in fin.* ex Innoc. in cap. *Veniens*, & in cap. *Quid per Novale, de verb. signif.* & in his terminis tenuit Rota coram Gregorio XV. *decis. 482. num. 5.* Quibus accedit sententia lata anno 1578. quo pronunciatum fuit hanc prædictam ecclesiam S. Antonini fuisse, & esse Collegiatam, quæ quidem sententia cum in rem judicatam transierit, pro veritate habetur vulgata, l. *Res iudicata, ff. de re iudicata*, cum

18 suis concordantiis. Itaque cum ecclesia hujusmodi sit Collegiata hinc suo marte fluit resolutio secundi dubij, ut electio Archipresbyteri pertineat ad Collegium ipsius ecclesiæ, & sola confirmatio ad Episcopum, cap. 1. & ibi dixi *num. 1. & seqq. supra de elect.* Abb. in cap. *Nobis, num. 8. supra eodem*, & in cap. *Venerabilis, num. 45.* ubi etiam Decius *num. 142. de except.* Bisignet. *decis. 8. num. 4. de preben.* Gemin. in cap. 1. *col. 2. vers. Adhæc.* & ibi etiam Præpos. *col. 6. vers. Aut igitur, 21. dist.* Jo. de Sel-

19 va in *tract. de benef. in 2. par. quæst. 22. num. 14.* & in terminis quod electio Archipresbyteri in Collegiata ecclesia spectet ad Collegium, est textus in c. *Significaverunt, de except.* Quinimo etiam cessante juris dispositione, constat de jure clericorum prædictæ ecclesiæ ex testibus, qui bene deponunt de visu, & auditu à majoribus per tempus immemorabile solum Capitulum, & clerum semper in omnibus vacationibus elegisse Archipresbyteros, & Episcopum confirmasse: in jure enim eligendi attenditur usus, & consuetudo per testes probata, c. *Cum ecclesia Vulterana, vers. Cum per testes*, ubi Abb. post alios *num. 10. de elect.* cap. *Cum dilectus, de consuet.* cap. *Abbate in fin. de verb. signif.* Rota *decis. 11. num. 2. de consuet. in antiq.* Quod etiam comprobat electio confirmata ab Episcopo anno 1482. & alia confirmata ab ejus Vicario generali anno 1547. præsertim cum in illis confirmationibus tam Episcopus, quam Vicarius asseruerint electionem Archipresbyteri ad Capitulum antiquissima consuetudine pertinere, Rota *dec. 12. de iure patr. in novis.*

20 Ad tertium dubium videtur respondendum jurisdictionem in clericos dictæ ecclesiæ ad Archipresbyterum pertinere, quia testes clarè deponunt de visu, & auditu à majoribus ab immemorabili tempore Archipresbyterum cognovisse de causis criminalibus, civilibus, & mixtis, condemnando, absolvendo, & competendo, scientibus, & non contradicentibus Episcopis, & per consequens jurisdictionem præscripsisse, c. *Auditis*, ubi omnes, *de præscript. cap. 1. eod. tit. lib. 6.* c. *Cum personæ, de privileg. eodem lib.* Bart. in l. 4. *num. 4. in fin. ff. Uti possidetis*, & de Archipresbyteri jurisdi-

ctione contra Episcopum fuit decisum in Rota in *causa Volterrana jurisdictionis 15. Aprilis* 1584. coram Orano. Accedentibus maximè antiquissimis scripturis continentibus actus jurisdictionales, videlicet processus coram Archipresbyteris confectos. Facit Paris. *cons. 34. num. 36. lib. 4.* Neque enim est dubitandum, quin Archipresbyter, vel alius inferior Episcopo possit nedum in civilibus jurisdictionem, sed etiam merum, mixtumque Imperium puniendi, excommunicandi, coercendi in criminalibus, & mixtis causis in canonicos, & clericos Collegiatæ ecclesiæ præscribere, Rota *decis. 2. de præscript. in novis*, Calder. *cons. 2. eod. tit.* Felin. in d. cap. *Auditis, num. 2.* Abb. in cap. *Cum contingat, num. 10. & 18. de foro compet.* Nec obstat Concilium Tridentinum, *sess. 24. de reform. c. 20. §. Ad hæc*, quo cavetur, ut causæ criminales, & matrimoniales non inferiorum judicio, sed Episcopi tantum examini, & jurisdictioni relinquantur. Quoniam Concilium ibi non sustulit immemorabilem consuetudinem, ut re diligenter discussa, alias censuit Sacr. Congregatio ejusdem Concilij interpres: hoc autem casu immemorabilem consuetudinem probant testes cum requi-
21 sitis glossæ ultimæ in d. cap. 1. *de præscript. lib. 6.* An autem jurisdictio hæc Archipresbytero competat privativè ad Episcopum, regula est jurisdictionem inferiori acquisitam ex consuetudine, vel præscriptione competere in dubio privativè ad Episcopum, vel alium Superiorem, ut firmant Abb. in c. *Pastoralis, num. 7. vers. Quoad secundum*, & Felin. ibi post eum *in 8. limit. de off. ordin.* & idem Abb. in præallegat. cap. *Auditis, num. 7. vers. Aliud.* & singulare, de præscript. Si tamen ex adverso probaretur Episcopos eodem tempore exercuisse actus jurisdictionales in prædictis causis, tunc ingens esset controversia an jurisdictio inter Episcopum, & Archipresbyterum esset cumulativa, an verò potius Episcopi actus interrupissent præscriptionem Archipresbyteri, per ea, quæ tradit Paris. in dict. cap. *Auditis*, & alias in Sac. Congregatione late deducta fuerunt in causa jurisdictionis inter Episcopum Burgi S. Domini, & Præpositum Duxeti, de quo articulo dic, ut scripsi latissimè in prædicta Decretali *Auditis à num. 2. usque ad num. 19.*

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

Cap. Licet.

S V M M A R I V M.

1 *Cæcus ad collectas cogi non debet.*

2 *Cæcus est persona miserabilis, & peccatum est inhumanitatis eum affligere in solutione collectæ, & n. 12. & seq.*

3 *Afflictis non est addenda afflictio, & num. 12. & seq.*

4 *Cæco inopia laboranti subveniendum est per impositionem collectæ.*

5 *Pauper quamvis directè agere non possit contra divitem, ut sibi subveniat, potest tamen judicis ecclesiastici officium implorare ut eum compellat.*

6 *Ius canonicum an potuerit statuere, ut cæcus laicus ad collectam cogi non debeat etiam in terris imperij, & num. 22. & 23. usq. ad num. 29.*

7 *Ecclesia jurisdictionem exercet etiam in laicos ubi agitur de violentia, & peccato, & num. 13. & 14.*

8 *Cæcus est de foro ecclesiæ tanquam miserabilis persona.*

9 *Cæcus non pauper an ad collectas teneatur, & de quo cæco intelligatur hoc capitulum, & num. seq. usque ad num. 15.*

10 *Pauperes ad collectas non sunt cogendi.*

11 *Declaratur.*

13 *Misericordia quid sit.*

14 *Misericordiam non impendentes constitutis in miseria dicuntur negare Christum, qui misericordia est.*

15 *Cæcus non pauper à quibus collectis sit immunis, & num. seq. usque in fin.*

16 *Monoculus à muneribus non excusatur.*

17 *Surdus, & mutus ab honoribus civilibus sunt immunes, non autem à muneribus patrimonialibus.* *Declaratur, num. 24.*

18 *Debilitas corporis excusat à muneribus personalibus, quæ corpore, non quæ consilio adimplentur, & num. 23.*

19 *Collecta, quæ imponitur personis pro rebus, est munus patrimoniale.*

20 *Miserabiles personæ immunes sunt ab oneribus personalibus, & realibus extraordinarijs, non autem ab ordinarijs.*

21 *Et an jus canonicum in hoc discrepet à iure civili, & num. seq. usq. ad num. 25.*

22 *Canones à legibus discrepantes in materia civili, & inter laicos servari debent in terris ecclesiæ, non autem in terris imperij.*

23 *Cæcus si sit sapiens cogi potest ire ad Concilium, & consulere.*

24 *Immunitas à muneribus publicis includit extraordinaria tantum, nec porrigitur ad ordinaria.*

25 *Ius canonicum ubi aliquid reperitur expressè decisum, quod iure civili sit dubium, servari debet decisio iuris canonici etiam in foro civili.*

26 *Ius canonicum prævalet iuri civili etiam in terris Imperij, ubi agitur de naturali æquitate.*

27 *Item ubi rigor iuris civilis induceret iniquum.*

28 *Item in causis miserabilium personarum.*

29 *Munera ordinaria quæ sint, & quæ extraordinaria, & num. seqq. usq. in fin.*

30 *Collecta an sit munus extraordinarium, & an ex statuto inferiorum possit fieri ordinarium.*

1 LICET. Cæcus ad collectas cogi non debet. Hoc dicit, secundum communem, & veriorem intellectum, ut dicam infra in 1. quæst. sed secundum alium intellectum hoc intendit. Cæcus & pauper ad collectas non tenetur. Dividitur in duas partes. In prima ponitur cæci conquæstio; in secunda provisio, ibi, *quod fieri*.

2 Nota primo ibi, *Inhumanum est nimis*: cæcum esse personam miserabilem, & peccatum esse inhumanitatis eum affligere in solutione collectæ. Vetus Codex Tarraconen. habet, inhumanitatis est, ut refert Anton. August. *in notis ad primam Collect. Decretal. lib. 2. tit. 9. de restitut. spoliator. cap. 7.* & exponitur hic inhumanitas pro feritate, & crudelitate, prout hanc ipsam litteram exponit Alber. de Rosate *in dictionario in verb. Inhumanitas*, & sensit glos. ad text. relata in Clem. *Quia contingit, post princ. in ver. Inhumaniter, de relig. domib.* de quo plenius infra *num. 12. & seq.*

3 Secundò nota ibi, *affligere*, non esse addendam afflictionem afflictis, concordant cap. 1. *de cleric. ægrot.* cap. *Cum percussio, 7. quæst. 1.* cap. *Indicas, 3. quæst. 9.* & hic notat glos. *in ver. Misereri*, & Host. *num. 2.* & latius dicam infra *dict. num. 12. & seqq.*

4 Ultimò nota ibi, *cui deberat ex collectis*, cæco inopia laboranti subveniendum esse per imposi-
5 tionem collectæ. Et ita est hic textus valde notabilis, qui ad hoc non consuevit allegari, pro opinione glos. in cap. *Sicut, in ver. esurientium, 47. dist.* quod pauper quamvis directè agere non possit contra divitem ut sibi subveniat, potest tamen eum denunciare, & implorare officium judicis Ecclesiastici, ut illum compellat ad conferendum, cap. *Dilectissimi, 12. quæst. 1.* nam si quando fames, & penuria, & rerum omnium egestas opprimit mundum, sciamus hoc ex ira Dei descendere, qui in pauperibus, si non accipiant eleemosynam, fraudari se loquitur, dicit textus in cap. *Revertimini, 16. quæst. 1.* Nemo enim ab eleemosyna excusatur, cum omnes admoneantur ut conferant non habenti, cap. *In singulis, 86. distinct.* Idem firmat Speculator *in titul. de instrum. edit. §. Nunc verò aliqua vers. Sexagesimo septimo*, Abbas in cap. *Si quis de fur.* Guliel. Roville *in tract. de iust. & iur. in tit. de divite sine elee-*
6 *mosyna, num. 8.* inter tract. comm. *tom. 1. pag. 35.* Oppono; Ille cæcus erat laicus, & agebatur hic de negotio merè temporali executionis collectæ: ergo ut inquit glos. 1. & Host. *num. 2. in ver. Quod fieri*, quid ad Papam de isto cæco, cum hæc temporalia ad sæcularem judicem pertineant mero jure? cap. *Causam quæ, 2. qui filij sint legit.* & cap. *Quo iure, 8. dist.* Hinc Petrus Antibolus in *tract. de muner. §. 2. num. 28. inter tract. comm. tom. 1. pag. 60.* audacter carpit hanc decretalem quod voluerit se immiscere in istis ponendo falcem in messem philosophiæ legalis, & se ipsam non intelligens præceperit defendi cæcum ut ad collectam pariter cum aliis non teneatur, ut latius dicam infra in *prima quæstione n. 9. vers. Præterea.*

Ad hanc difficultatem submovendam dantur à gloss. & Doctoribus plures solutiones. Prima solutio est quod hic cæcus esset de jurisdictione temporali Ecclesiæ Constantinopolitanæ, cujus Episcopo Gregorius rescribit, & gravaretur ab hominibus illius ecclesiæ, ut videtur colligi ex cap. 1. *supra de restit. Spoliator.* cujus hoc cap. est pars. Ibi enim hic idem cæcus fuerat spoliatus ab hominibus ejusdem Ecclesiæ, unde jure merito poterat ad Papam habere recursum, ut cap. *Si duobus, supra de appellat.* & ita solvunt Host. *hic num. 1.* Jo. Andr. *num. 4.* & Butr. *in fin.* Ex propterea Petrus Antibolus ubi supra *num. 29.* restringit hunc text. ad ea tantum loca, quæ subsunt Ecclesiæ temporaliter, per ea, quæ habentur in cap. *Novit. supra de iudic. in textu*, & in prima glos. & in auth. *Quomod. oport. Episc. in prin. coll. 1.* & notatur in cap. *Cum esses, supra de testam.* & probatur secundum eum in cap. *Relatum, eod. tit.* Sed hæc solutio divinat, ut fatetur Cardin. *num. 1.* quia nullibi apparet hunc cæcum fuisse subjectum Ecclesiæ in temporalibus, & in d. cap. 1. tantum dicitur Philagrio cæco campum fuisse occupatum ab Ecclesiæ hominibus, qui contendebant illum esse de proprietate Ecclesiæ. Sed an persona cæci subesset eidem Ecclesiæ in temporalibus, nec ne, textus non dicit; unde nec nos dicere debemus. Præterea hæc Decretalis non est Gregorij IX. prout inscribitur, nec Gregorij VII. ut adnotavit Contius, nec dirigitur Episcopo Constantinopolitano, ut dixerunt nonnulli ex Canonistis nostris; sed ex *lib. 7. epist. 126. sive 130.* quæ postrema est ejus libri registri Beati Gregorij, scribendum est, Gregorius Constantio Episcopo Mediolanensi, ut observat Anton. August. *in not. ad primam Collectionem decretal. lib. 2. tit. 9. de restitut. spoliat. cap. 7.* Nullibi autem edocemur Ecclesiam Mediolanensem tunc temporis exercuisse temporalem jurisdictionem in civita-
7 te Januensi, quam Philagrius incolebat, ut in prima collect. decretal. Secunda solutio est Vincentij asserentis hic agi de violentia, & peccato; & hoc respectu Ecclesiam bene potuisse in hoc se ingerere, ut leg. & not. in d. cap. *Novit. de iudic. & arg.* cap. *Relatum 10. quæst. 1.* Quomodo autem peccatum esset, & violentia cæcum adstringere una cum reliquis habitatoribus ad solutionem
8 collectæ, plenè dicam infra in *prima quæst. num. 12. & seq.* Tertia solutio est quod cæcus sit persona miserabilis, & ideo de foro Ecclesiæ, ut cap. 1. & 2. 87. *dist.* & notatur in cap. *Significantibus* in glos. 1. *supra de offic. delegat.* quæ solutio satis colligitur ex hac littera ibi; *inhumanum est nimis*, nec non ibi, *misereri*. Nam miserabiles personæ dicuntur omnes, quibus natura movetur ad miserandum propter fortunæ injuriam, ut per Azor. *in summ. C. quando Imperator inter pupill. & vid. num. 4.* Rebuff. *in tract. de senten. provision. art. 3.* in glos. *fin.* & Stephan Aufrer. ad Guidop. *decis. 566. in ver. Miserabiles*, unde hanc solutionem cum secunda ponit hic glos. 1. & Host. *num. 1.* & est ex mente Innoc. *in ver. Cæcitas* dum dicit, (Nota cæcos defendendos per Ecclesiam,) & allegat. cap. *Desolatis, 8. dist.* Sed forte est cap. *defensionis 87. distinct.* & consentiunt Butr. Anchar. Abb. & alij: Et ex his patet Antibolum temerè asseruisse Ecclesiam hoc casu posuisse falcem in messem alienam, de quo latius dicam infra in *prima quæst. num. 12. & seqq.* & in *secunda à num. 21. usque ad num. 29.* Sed in quibus casibus personæ miserabiles, & maximè cæcus subsint jurisdictioni Ecclesiæ scripsi plenè in prædicta decretali *Significantibus.*

9 QUÆRO, utrum cæcus non pauper ad collectas teneatur.

Solutio quæstionis pendet ab intellectu hujus cap. quod legitur dupliciter, uno scilicet modo, ut intelligatur de cæco, qui etiam sit pauper, & huic lecturæ, quæ magis placet Cardinali in princ. videtur suffragari textus in cap. 1. *supra de restit. spoliat.* ad quod hoc cap. venit continuativè, nam ut ibi dicitur, hic idem cæcus Philagrius fuerat spoliatus, & sic remanserat pauper. Similiter eidem lecturæ videtur suffragari hæc littera in *ver. Misereri*. Nec obstant illa verba, *si esset necessitas*, quæ videntur importare, ut tunc temporis non esset in necessitate constitutus. Quandoquidem verba illa intelligi possunt de necessitate mendicitatis, & ideo subdit, *misereri*, scilicet miseratione, per quam præstantur eleemosynæ, & sic idem cæcus non erat mendicus; adeo ut illi subveniendum foret ex collectione eleemosynarum:

erat tamen pauper, & consequenter immunis à collectis. Sed seclusa paupertate non dicitur persona miserabilis; & ideo tenetur ad collectas etiam personales, neque excusatur nisi à muneribus personalibus, quæ ipse per se obire non potest, ut concludit Cardinal. *hic num. 2. in secunda oppos.* & Fusius in dict. cap. *Significantibus, quæst. 6. de offic. delegat.* Similiter de cæco paupere intelligit hanc litteram Prosdocim. de Comitibus *de different. utriusque iuris num.* 144. Præterea verba legis ad intellectum iniquitatis trahi non debent, cum lex debeat esse justa, cap. *Erit autem lex, 4. distinct.* At traherentur si hoc casu intelligerentur de cæco divite, nam ut ait Petr. Antib. in *d. tract. de muner. in tertia parte principali num.* 30. si cæcus sit dives homo, & locuples, erit ne æquum ut ipse sit immunis à collecta in gravamen aliorum collectorum? certè non; imo iniquum. Ad quod optimè facit secundum eum l. *Semper*, §. 1. *ff. de iur. immunit.* Quod si objiciatur Ecclesia tenetur cæcum protegere: respondet, protegat eum secundum jus, non autem contra jus; nam sequeretur maxima iniquitas. Alio modo legitur hoc capitulum ut intelligatur de cæco non paupere. Hæc lectura communiter recipitur à Doctoribus, & mihi videtur verior ex considerationibus infrascriptis. Primò enim textus fundat decisionem suam non in ratione paupertatis, sed cæcitatis, dicens: quia inhumanum est nimis in collectione affligere eum, quem cæcitas gravat, & non dixit eum, quem paupertas gravat. Quod ipsum evidentius colligitur ex clausula integra Registri Beati Gregorii, unde hæc decretalis sumpta est, sic enim se habet. [Licet multum fraternitatem vestram ad servandam sibi justitiam Philagrij portitoris præsentium flagellum cæcitatis invitet; verumtamen quia ad restituenda, quæ sibi præjudicialiter asserit detineri, per Nos vos voluit fieri promptiores, præsentia ad vos scripta prævidimus dirigenda.] Hæc ibi. Ex quibus verbis patet B. Gregorium constituisse fundamentum jurisdictionis, & justitiam cæci in solo flagello cæcitatis, non autem in paupertate. Refertur ab Anton. August. *in noto ad prælleg. cap.* 7. Præterea si textus intelligeretur de cæco paupere, ejus decisio esset de indubitabili. Certum est enim pauperem, & inopem excusari à collectis, ut notat Bald. *in Auth. defuncto, num.* 12. *C. ad Tertull.* & Gigas *in tract. de pension. quæst. 80. num.* 3. Anton. de Butr. *in repertor. suo in ver. collecta*, Franc. Lucan. *in tract. de fisco in 3. par. principali n.* 7. inter tract. comm. *tom. 11. pag.* 8. Ergo adjungendo paupertati qualitatem cæcitatis, decidisset casum indubitabilem contra text. in l. *Labeo, ff. de Carbon. edict.* Item qualitas cæcitatis, cui soli hæc decisio innititur, supervacuè adjecta fuisset; & qualitas paupertatis incautè prætermissa, quod non est dicendum. Ad hæc textus primò præcipit simpliciter, & absolutè ut cæcus ad collectas non compellatur: & mox subdit, ei subveniendum fore ex collectis si esset necessitas; atque ita exigit ut cæcus sit pauper, & in necessitate constitutus, in secundo tantum casu, in quo deberet imponi collecta pro illius subventione; non autem in primo casu cum agitur de illo gravando in solutione collectæ arg. l. *Cum Prætor, ff. de iudic.* & cap. *Nonne de præsumpt.* cum simil. Ac præterea si Pontifex in primo casu egisset de cæco egestate laborant, non subjunxisset postea in secundo casu conditionem illam, si esset necessitas, quæ apertè supponit cæcum tunc temporis non fuisse pauperem, & in necessitate constitutum, ut probat textus notab. in l. *Cum certus, ff. de tritic. vin. & oleo legato.* Neque his refragatur consideratio Cardin. quod iste cæcus esset pauper, sed non mendicus, & conditio illa, *si esset necessitas*, referri debeat ad necessitatem mendicitatis, ita ut sit sensus, si cæcus esset in necessitate constitutus, & mendicus, miserendum illi esset ex collectis; sed quia non erat mendicus, sed tamen pauper, ad collectas non tenebatur. Quandoquidem hæc consideratio Cardinal. supponit cæcum tunc temporis fuisse pauperem, non tamen in necessitate constitutum; & nihilominus fuisse

11 immunem à collectis. Quod stare non potest, quia sola paupertas absque necessitate illum non exemisset ab onere solutionis: nam illi tantum pauperes, quorum nota paupertas, & illi, qui dictim laborant pro victu quærendo, ad collectas non tenentur, ut inquid Petr. de Ubal. *in tract. de collectu, num.* 9. & idem voluit Bald. *in Auth. Defuncto, num. 12. Cod. ad Tertull.* ubi ait, Pauperes, quorum opera vix sufficit ad alimenta, non debere concurrere ad onus impositionis collectæ, allegat glossam ult. in l. *Omnes, la prima, C. de Annon. & tribut. lib.* 10. & eum sequitur Alex. in l. *4. num. 17. ff. de re iudic.* Oportet igitur ut pauper ad hoc ut excusetur à collectis in necessitate victus sit constitutus, ad hoc textus opt. in l. *Cura*, §. *Inopes* ibi, *ipsa non habendi necessitate non sustinent. ff. de muner. & honor.* cujus contrarium supponit illa conditio, si esset necessitas, & consequenter fateri oportet textum in primo casu esse intelligendum de cæco non paupere, qui licet non sit positus in necessitate, tamen propter cæcitatem ipsam ad collectas non tenetur. Quibus accedit quod iste cæcus Philagrius habebat campum, quo fuerat spoliatus, ut patet in cap. 1. *supra de restit. spoliat.* item habebat servos, nam post illius capitis verba agitur de servis ejusdem Philagrii ab Ecclesia Dertonensi occupatis, ut refertur ab Anton. August. *lib. 3. in notis add. cap.* 7. Unde ex eo, quod campus fuerit illi occupatus, non rectè infertur ut remanserit pauper; quia necesse est plura alia bona eum habuisse, cum alioquin fructus unius campi non fuisset satis ad suam, & servorum sustentationem. Quod inde etiam evidentius colligitur, quod idem Philagrius renunciavit possessorio, & consensit ut ageretur de causa proprietatis, ut legitur in dict. *cap.* 1. At non est verisimile ut renunciasset spolio si omnia bona ei fuissent violenter ablata, quin potius ante omnia procurasset se reintegrari, ut ex illis vivere posset, arg. l. *Necare, ff. de liber. agnosc.* & cap. *Pasce, 86. dist.* Concluditur ergo cæcum esse à collectis immunem sive sit pauper, sive sit locuples, & hanc decretalem esse indistinctè intelligendam, pro ut eam intelligunt Abb. Antiq. *in prin.* Host. *num.* 3. Jo. Andr. collectar. & Jo. de Anania omnes *num.* 2. Henr. Boich. Butr. & Anchar. omnes *num.* 1. & idem met Cardinal. fatetur secundum quoque intellectum posse sustineri. Non obstat quod cæcus dives non sit persona miserabilis; quia hoc est falsum, ut fusè probavi in d. cap. *Significantibus, in secunda quæst. de of-*

12 *ficio delegat.* Rursus non obstat iniquitas, quam teme-

temerè obtrudit Antibolus huic decretali, & per consequens Beato Gregorio magno, quem fortè ignoravit fuisse illius conditorem: nam responderetur hanc iniquitatem nec jure ullo, nec ratione probari, & de justitia huius constitutionis liquet manifestè, quia fundatur in naturali æquitate, cum natura ipsa dictet inhumanum esse afflictum flagello cæcitatis tallijs, & impositionibus vexare, & magis affligere, quæ ratio exprimitur hic, & in procemio epistolæ ipsius Gregorii, ut dixi supra *nu.* 9. & quamvis pars cæci accrescat aliis; tamen sicut hæc ratio non consideratur in paupere, ut in d. §. *Inopes*, ita nec in cæco, quia uterque jure suo utitur, c. *Cum Ecclesia Vulterana supra de elect.* l. 1. & l. *Iniuriarum* §. 1. *ff. de iniur.*

13 Quinimo hoc est culpa, & divina offensa, ut dicit tex. cum sua gloss. in cap. *Cum percussio, 7. qu.* 1. Est enim peccatum contra misericordiam, quæ est compassio alienæ miseriæ in corde, qua si possumus, subvenire compellimur, ut declarat S. Thom. *in prima parte quæst. 21. art. 3.* & *in secunda secundæ quæst. 30. art.* 1. Atque ita Ecclesia quæ cæcum relevat à gravamine collectarum non protegit cum contra jus, imo secundum jus, idest rationem, quia lex est omne quod ratione consistit. cap. *Consuetudo*, 1. *dist.* item non protegit eum contra jus, quia jus civile non adversatur, ut clarè patebit infra *num.* 23. & quatenus adversaretur, tamen contra rigorem juris civilis standum esset juri canonico in hac materia pietatis, & miserabilium personarum, ut similiter patebit in-

14 fra *nu. 26. & seqq.* Unde injuriæ illatæ miserabilibus exaggerantur, quia magis opponuntur misericordiæ, & nocumenta sunt eis graviora quia non habent relevantem, ut idem Sanctus Thomas docet in 2. 2. *quæst. 65. artic. 4. ad secundum.* Igitur jure merito Ecclesia potuit & debuit huic cæco officium suum impertiri, secundum ea, quæ leguntur, & notantur in cap. *Novit. supra de iudic.* præcepto enim divino tenetur miserabilium personarum curam paternam gerere, ut in Decreto Concilij Trident. *cap. 1. in princ. Sess.* 23. & qui constitutis in miseria non impendit misericordiam dicitur negare Christum, qui misericordia est, cap. *Omnis, 7. quæst.* 1.

15 Secundò QUÆRO, à quibus collatis cæcus non pauper sit immunis.

Proponitur hæc quæstio de cæco, idest utroque lumine orbato: nam si unum tantum amisisset, nulla frueretur immunitate, ut in l. *Luminibus, C. qui morb. se excusant*, & expressius in l. *vn.* & ibi gloss. *in ver. Utriusque, C. eod. lib.* 10. Anchar. & Jo. de Anan. *hic in princ.* Item proponitur de cæco non paupere, alias enim esset de indubitabili, ut patet ex dictis supra *num.* 10.

17 Quibus præhabitis glos. ultima videtur restringere hoc capitulum ad collectas personales, dum ait, eos, qui morbo laborant, à muneribus personalibus excusari, ut l. 1. & 2. *C. qui morb. & excus. lib.* 10. Sed apertius hoc tenet Innoc qui exponit verbum, *collectas* idest personales: secus de realibus; & quamvis nihil alleget: tamen pro ejus opinione videtur textus cum gloss. in l. *Heredes, ff. de Decurion.* ubi surdus, & mutus si in totum non audiant, aut non loquantur, ab honoribus civilibus excusantur, non autem à muneribus, & gl. exponit *ver. Muneribus*, scilicet patrimonialibus; sed à personalibus benè excusantur, & allegat textum, qui de cæco loquitur in dicta leg. prima & est simile in majoribus quinquaginta quinque annorum, qui ad munera personalia non tenentur, ut l. *Manifesti, Cod. qui ætat. se excus. lib.* 10. & tamen à patrimonialibus non sunt immunes, ut l. *Neque tempore, C. de muner. patrim. eod. lib.* Item est simile in compluribus aliis casibus, quos cumulat. Petr. Antibol. *in prælleg. tract. de muner. in 3. par. principali num.* 22. Rursus pro hac opinione videtur textus apertus in l. l. 2. §. *Corporis, ff. de vacat. muner.* ubi text dicit: (Corporis debilitas eorum munerum excusationem

18 præstat, quæ tantum corpore implenda sunt; Cæterum quæ consilio prudentis viri, vel patrimonio sufficientis in honores obiri possunt, non remittuntur.) Hæc ibi: Non est autem ambigendum, quin cæcitas sit debilitas corporis; quinimo ut inquit Lucas de penna in *d. l. 1. n. 4. C. qui morb. se excus. lib.* 10. totius humani corporis debilitas est oculos perdidisse. Faciunt textus in l. *2. & 3. C. de muner. patrim. eod. lib.* dum dicunt onera patrimoniorum ab omnibus esse subeunda, & in eis non suffragari immunitatem à publicis muneribus. Eamdem opinionem amplectitur Lucas de Penna in d. l. 1. *n.* 6. ubi allegat textum nostrū dicens hic apertè probari cæcum non compelli, ut cum aliis contribuat in collectis, & non subdit quod est intelligendum ubi collectæ respicerent merè personam. De personalibus etiam intelligit hanc litteram Lucan. *in tract. de fisco in tit. de immunitate collectar. n. 8. inter tract. comm. tom.* 11.

19 *fol.* 10. Et ex prædictis consequitur, ut cum collectæ, quæ hodie fiunt, exigantur, de patrimonio, & sic contributio collecta non sit munus patrimoniale, quod imponitur personis pro rebus, ut l. *rescripto*, §. *Sciendum. ff. de muner. & honor.* cæcus à collectis huiusmodi nullam habeat immunitatem, ut per Antibol. *loco citato.*

29 VerumHostien. *hic num.* 3. concludit cæcum, & alias personas miserabiles esse immunes non solum à personalibus, sed & ab omnibus extraordinariis etiam realibus, arg. cap. *Indicatum*, 89. *dist.* l. *vn. C. de super indict.* & l. *vn. C. de vacat. muner. public. lib.* 11. à realibus autem ordinariis nō sunt immunes; unde si teneant aliquam terram censualem, vel tributariam; censum, vel tributum solvere debent, cap. *Si quis laicus, 16. qu.* 1. cap. *Convenior.* & cap. *Tributum, 23. qu.* 8. quamvis piè faciat dominus si paupertate oppresso hoc remittat, arg. cap. *Propter sterilitatem supra de locato.* ita Host. quem totidem verbis referunt, & sequuntur Jo. Andr. Collect. & Jo. de Anan. omnes, *n.* 2. Henric. Boich. Butr. & Anchar. omnes *n.* 1. Et pro hac opinione, quæ ut vides magis communiter recipitur à Doctoribus facit littera hujus Decretalis, quæ generaliter præcipit, ut cæcus ad collectas non compellatur, nec distinguit personales à realibus. Ergo nec nos distinguere debemus, l. *De pretio, ff. de Publican. in rem act.* & l. *Non distinguemus, ff. de arbitr. cum vulgar.*

21 Sed dices hoc casu discrepat jus civile à jure canonico, quia de jure civili utroque lumine captus à personalibus oneribus, quæ corpore, non autem quæ animo explicantur, habet excusationem, maximè à futuris; non autem à realibus, ut ostensum est supra, *num. 17. & seqq.* de jure canonico secus; quia nō solū habet excusationē à personalib⁹, quæ cōplentur, & finiunt tēpore; sed etiā à rea-

à realibus, sive patrimonialibus, juxta text. hic in sui generalitate. Et hanc differentiam inter jus Cæsareum, & Pontificium constituit Prosdocim' de Comit. de different. utriusq; juris, n. 144.
22 inter tractatus communes to. 1. pag. 172. At ubi lex discrepat à Canone, in terris Imperij observandum est jus civile; in terris Ecclesiæ jus canonicum, c. *Relatum, il primo de testam.* c. *Si duobus*, §. *Deniq; supra de appellat.* ubi text. cum concordit. de quibus ibi in gloss. *ult.* Unde hanc decretalem ad loca Ecclesiæ subjecta in temporalibus restringit Petr. Antibol. ut dictum est supra
23 *num. 6.*

Huic objectioni respondeo de jure civili nullibi reperiri expressè dispositum ut cæcus teneatur ad onera realia, quæ extra ordinem imponuntur: nam textus in l. 1. C. *Qui morbo se excusant, lib.* 10. & in l. 2. §. *Corporis, ff. de vacat. muner.* tantum decidunt cæcum teneri ad munera personalia, quæ consilio, non autē ad ea quæ corpore implenda sunt. Unde, ut ait gl. in d. l. 1 *in ver. Personalium* cæcus à concilio, vel patrocinio non excusatur, qui ingenio pollet, cui vim natura negavit, & secundum Jo. de Anan. *hic num.* 4. si sit sapiens cogi poterit ire ad Concilium, & consulere: nam & quidam Philosophi excæcaverunt se, ut melius specularentur. Et Romani in rebus arduis, vel noctu consilia inibant, vel si interdiu, claudebant fenestras, & ostia, ut ibi esset obscuritas: nam magna lux mentis cogitationem disgre-
24 gat. Alia vero jura, quæ inducuntur ex adverso, hoc non probant, si bene advertantur. Etenim dum decidunt, surdum, & mutum, senem, aut debilem non habere à muneribus patrimonialibus excusationem, & onera patrimonialia ab omnibus esse subeunda; congruè possunt, & debent intelligi de oneribus patrimonialibus ordinarijs, à quibus fatentur Canonistæ nec cæcū habere immunitatem; non autē de extraordinarijs, ut probat textus, in l. *vn.* C. *de vacat. muner. public. lib.* 10. ubi expressum est vacationem à muneribus publicis comprehendere extraordinaria munera dūtaxat, nec porrigi ad ordinaria, à quibus nullus habet excusationem. Unde ut ibi dicit gl. 1. extraordinarias collationes dumtaxat evitat, ordinarias verò recusare non potest, qualia sunt omnia patrimonialia ordinaria, ut ibi, & in l. *In honeribus* §. *Qui muneris*, & l. *Hi qui, ff. de vacat. muner.* à patrimonialibus enim nemo se excusat, ut l. 2. *cum concordāt.* & l. *Qui immunitatem, C. de muner. patrim. lib.* 10. Ad idem tex. in l. 1. *C. de indict. eod. lib.* ubi dicitur à munere indictionis, quod imponitur personis pro patrimonio non excusari eos, qui à publicis muneribus vacationem habent. Et redditur ratio, quia indictio munus ordinarium est. Hinc est ut conductores, seu emphyteutæ rerum privatarum Principis excusentur ab extraordinariis, ut l. 1. *in 2. respons. Cod. de privil. dom.* August. *lib.* 11. cum concordant. ibi alleg. non autem ab ordinariis, ut l. *fin. Cod. de collat. fund. fiscal. eod. lib.* Hinc etiam fit, ut Ecclesiæ ab extraordinariis habeant immunitatem, ab ordinariis non, ut l. *placet*, C. *de sacros. Eccles.* concurrentibus tamen requisitis, de quibus plenissimè per Rotam in causa Alben. Gabellæ *dec 339. part. 6. Recent.* Hinc demum fit ut Episcopi, & clerici excusentur ab extraordinariis tantum, sed ab ordinariis non item, ut l. 1. & l. *de his* C. *de Episcop. & Cler.* l. *Munerum*, §. *Patrimoniorum, ff. de muner. & honor.* intellige juxta notata in præalleg. decis. & per Canonistas in cap. *fin.* ubi in specie Butr. *num.* 10. Imol. *num.* 16. Anchar. *num.* 7. & Abb. *num.* 12. *supra de vita, & honest. clericor.* Ergo similiter jura quæ dicunt surdum, & mutum, & alios consimiles non habere excusationem à muneribus patrimonialibus, intelligi debent de ordinariis tantum, non autem de extraordinariis. Præterquam quod responderi posset leges præallegatas, quæ de muneribus patrimonialibus disponunt, non loqui in specie de cæco, sed de surdo, muto, sene, & aliis prædictis, in quibus non viget tanta ratio pietatis, & humanitatis, quanta viget in cæco, cum flagello cæcitatis nulla alia corporalis ægritudo æquari possit, ut scripsi plenè in cap. *Significantibus in secunda quæst. sup. de of-*
25 *fic. delegat.* Quamobrem cum jure civili non sit cautum expressè ut cæcus teneatur ad munera patrimonii extraordinaria, & res saltem sit dubia; succedit communis theorica, quod ubi in jure canonico reperitur aliquid decisum, de quo dubitatur in jure civili; tunc decisio juris canonici servanda est etiam in foro civili. Quam theoricā ponit Romanus *cons.* 196. *Ista sunt responsiones, nu.* 12. dicens, hanc esse Doctorum omnium sententiam in cap. 1. *de oper. nov. nunciat.* ubi hoc exprimit littera, & probatur ex generalitate textus in auth. *Vt clerici apud propr. Episc.* & in Auth. *de Ecclesiast. titul. in princ.* & §. *Hinc colligitur*, 2. *quæst.* 3. & cap. *Si in adjutorium*, 10. *distinct.* eamdem theoricam docuit Angel. 217. *In causa accusationis, n.* 3. *versic. non obstat*, ubi propterea infert ut cum jus civile non statuat expressè ut non liceat appellare sine causa ab interlocutoria; sed tantū statuat ut liceat appellare quamvis causa nō exprimatur; & jus canonicū hoc limitet distinguendo dumodo appelletur à diffinitiva, non autem ab interlocutoria; servandum sit jus civile ubique locorum, & in utroque foro sequitur Marant. *in praxi in tertia parte, num.* 73. Eodem igitur modo cum leges civiles, quæ adstringunt supradictos ad subeunda onera patrimonialia, non loquantur explicitè de muneribus extraordinariis, nec de persona cæci; servanda erit ubique dispositio huius decretalis, quæ declarat cæcum non teneri ad collectas, & secundum communem intellectum Canonistarum intelligitur etiam de reallibus, cū loquatur generaliter, & indistinctè, licet Canonistæ, ut jus canonicum concordent cum jure civili, hanc generalitatem limitent, & restringant
26 ut non procedat in collectis ordinariis, à quibus de jure civili nullus habet excusationem. Quibus accedit quod data etiam contrarietate juris civilis, & canonici; nihilominus cum hoc casu agatur de naturali æquitate, prævalet jus canonicum etiam in terris Imperii, ut tradit Bald. *cons.* 8. *Punctus quæst. in princ. vers. Modo quæritur, lib.* 3. Marant. *ubi supra num.* 76. & Clar. *in* §. *Emphyteusis q.* 8. *in fin.* & idem ubi juris civilis rigor induceret iniquum, prout induceret si cæcum ad collectas adstringeret, cum text. hic dicat id nimis esse in-
27 humanum, ita Jo. de Anania *in cons.* 80. *Visis, & intellectis num.* 2. *prope finem, vers. Circa vero aliud dubium.* Ac demum ubi in causis miserabilium personarum canon aliquid statuit contra jus civile, servari debet canon in illa materia etiam in foro civili, ut decidunt in cap. *Clerici, supra*

supra de judic. Anton. de Butr. *num.* 12. & Jo. de Imol. *num.* 2. quos sequitur Felin. reputans hoc singulare in cap. *In causis n.* 1. *vers.* & dicunt singulariter supra de testibus, & consentit Maranta *ubi*
29 *supra.* Superest nunc ut pro complemento materiæ investigemus, quæ sint munera ordinaria, & quæ extraordinaria. Et quidem Petr. de Anchar. *hic nu.* 3. licet corruptæ legatur, & Jo. de Anania, *num.* 2. post Bart. in l. *Hi qui, n.* 5. *de iur. immunit.* dicunt munera ordinaria esse, quæ imponuntur à Principe, vel à lege, ut l. 1. C. *de vacat. muner. public. lib.* 10. Et ideo collectæ, quæ imponuntur à lege municipali, secundum eos dicuntur
30 munera ordinaria. Et idem de his, quæ clericis imponuntur à Papa, & laicalis ab Imperatore. Secus de his quæ imponuntur per Officiales civitatis, puta decem de Baliva, seu Regulatores; quia hæc sunt munera extraordinaria, ut l. *In honeribus*, §. *Qui muneris, ff. de vacat. muner.* & dict. *l. unica.* Tu adverte, quia Guliel. de Cuneo in l. *Neminem*, C. *de sacros. eccles.* dicit munus Ordinarium esse quod habet certam, & determinatam præstationem: extraordinaria verò quæ quandoque per accidens indicuntur l. *Seio*, §. *Medico, ff. de ann. legat.* Sed huic theoricæ videtur contradicere d. l. *vn.* quæ est clavis in materia, dum expressè diffinit munera ordinaria esse quæ lege, vel senatusconsulto, vel constitutione Principis injunguntur. Unde per contrarium extraordinaria sunt reliqua omnia, quæ lege, vel senatusconsulto, aut constitutione Principis non sunt injūncta, ut notatur in l. 1. in gl. *in ver. Officia*, *C. de agricol. & censit. lib.* 10. & plenè declarat Petr. Antib. *in tract. de muner. in* §. 3. *de 2. divis. muner. n.* 9. inter tract. commun. *tom.* 11. *pag.* 64. Verum, ut advertit Bartol. in l. 1. C. *de mulier. & in quo loco, lib.* 10. ubi plenè examinat hanc materiam, illa lex concordat cum dicto Guliel quia quando munus imponitur lege, vel constitutione perpetua, ex necessitate habet certam, invariabilem, & ordinariam præstationem, quod non contingit in his, quæ interdum per accidens imponuntur, cum talia certam, & ordinariam præstationem non habeant, & sequitur Geminian. in *cons.* 116. *Quia prædicti, n.* 2. Ad hoc igitur ut munus dicatur ordinarium, non sufficit ut indicatur à Principe, ut dicunt Anchar. & Anania, sed oportet ut indicatur lege, vel constitutione, & sic ut sit invariabile, & perpetuum. Unde munus extraordinarium est quod à Principe indicitur, quia natus est sibi filius, vel quia, uxorem duxit, ut notatur in l. *Placet, C. de sacros. eccles.* & idem esset si fieret novus miles, vel si filiam nuptui traderet, aut Papam inviseret, vel quid simile, cum enim per accidens, non autem lege, Senatusconsulto, aut constitutione Principis injungantur, extraordinaria sunt, ut in d. l. *vn.* & per Antibol. *ubi supra, n.* 20. Qua ratione subsidium quod frequenter postulatur à Principe, extraordinarium dicitur. Eodem modo munus, quod imponitur extra ordinem propter publicam utilitatem, extraordinarium est, ut notat Innoc in c. *Non minus, super gl. in ver. Prohibemus, infra de immunit. eccles.* qui idē dicit de munere injuncto ad instructionem itinerū, & pontium. In specie autem collectas, quæ imponuntur personæ pro rebus, munera extraordinaria esse, cum certam, & determinatam præstationem non habeant, firmant Gemin. d. *cons.* 116. *nu.* 2. plenè Jo. de Imol. *cons.* 48. *In casu præmisso.* Aretin. *consil.* 132. *In causa, quæ vertitur, in princ.* & Alexan. *cons.* 68. *Viso, in princ. lib.* 2. quibus adde Baldum *cons.* 112. *de Generali, n.* 6. *vers. Quoddam est munus, lib.* 2. qui dicit collectam esse munus repentinū, & extraordinarium, quod pro necessitatibus temporum variatur, & est quandoque magnum, quandoque parvum, quandoque nullum. Quod tamen intellige nisi collecta ex statuto, vel constitutione esset effecta ordinaria, quod fieri potest ut l. 1. C. *de indict. lib.* 10. dummodo tamen hoc fiat lege, senatusconsulto, vel Constitutione Principis. Alias enim statutum inferiorum facere non potest, ut collecta sit munus Ordinarium, ut declarat Baldus *d. cons.* 112. *num.* 6. *Præterea statutum.*

DE CENSIBUS.

Cap. Olim.

SUMMARIUM.

1 *Census solvendi sunt ad antiquam monetam, in qua instituti fuerint, & n. 2.*
Nisi sit in alterius monetæ solutione præscriptum, n. 1. & 14. seqq.
3 *Monetæ valor alteratur intrinsecè, vel extrinsecè.*
4 *Monetæ valor casu alteratur intrinsece, fieri debet solutio ex antiqua moneta, si extet, sin minus ad illius æstimationem.*
Amplia primò, sive monetæ valor fuerit auctus, sive imminutus, n. 6.
Amplia secundò, etiamsi creditor per plures vices receperit solutionem in alia moneta, n. 7.
Amplia tertiò, etiamsi illam receperit sine ulla protestatione, n. 8.
Amplia quartò etiam in ultima voluntate. n. 9.
Amplia quintò etiam in pensione n. 12.
Amplia sextò, ex quacunque dispositione debitum fuerit contractum, n. 13.
Limita nisi fuerit in alterius monetæ solutione præscriptum, n. 14. & seqq.
5 *Æstimatio licet non fuerit petita in libello, tamen quando aliquid dari, vel tradi est in obligatione, Iudex potest condemnare ad rem, vel ad illius æstimationem.*
9 *Legatum florenorum solvi debet ad rationem monetæ, quæ currebat tempore conditi testamenti.*
10 *Idem in legato annuo.*
11 *Solutio fieri debet ad monetam currentem tempore solutionis quando obligatio est incerta.*
12 *Pensio, si valor monetæ alteretur intrinsecè solvi debet de pecunia, quæ currebat tempore reservationis.*
15 *Præscriptio inducitur tam pro debitore, quam pro creditore, si soluta fuerit moneta unius speciei spatio longissimi temporis.*
16 *Census præscribi non potest.*
17 *Quod verum est in totum, sed in parte secus.*
18 *Nisi debitor sit in mala fide solvendo denarios Papienses pro Lucensibus.*
19 *Præscriptio solutionis in aliena moneta procedit non obstante protestatione creditoris.*
20 *Protestatio non interrumpit præscriptionem nisi in casibus, &c.*

Præ-

21 *Præſcriptio cenſus in alia moneta contra Eccleſiam debet eſſe quadragenaria, contra privatum ſufficit triginta annorum.*

22 *Monetæ valor ſi alteretur extrinſecè, fieri debet ſolutio habito reſpectu ad valorem monetæ ſecundum tempus ſolutionis.*

23 *In æſtimatione valoris inſpicitur tempus ſolutionis.*

24 *Moneta quando fuit taxata ab initio, in ſolutione attenditur valor taxatus.*

25 *Aeſtimatio facit venditionem.*

---

1 OLIM. *Solvendi* ſunt cenſus ad antiquam monetam, in qua inſtituti fuerint, niſi ſit in alterius monetæ ſolutione præſcriptū. Hoc dicit ſecundū omnes, & eſt caſus valde notabilis, ſecundum Abb. Primò narrat factū, Secundò decidit exprimendo motiva, ibi, *Cum igitur*.

2 Nota ex hac Decretali ſolutionem cenſus faciendam eſſe ad antiquam monetam, quæ currebat tempore inſtitutionis. Et ita hic eſt caſus ad litterā, ſecundum Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. in ſumm. textus Caſtil. *conſ.*

3 *35. num. 12.* Sed quia in hac materia ingens eſt opinionum varietas, ut patet ex cumulatis per Ant. Gabriel. *comm. concluſ. lib. 3. de ſolut. concluſ. 1. cum pluribus ſeqq.* Pro clariori explicatione diſtinguendi ſunt duo caſus principales. Primus eſt quando valor, ſeu bonitas monetæ alteratur intrinſecè ob alterationem materiæ, ſeu ligæ, vel ponderis. Secundus eſt quando valor, ſeu bonitas monetæ alteratur extrinſecè, eo quod eodem pondere, materia, & liga manentibus alteratur monetæ valor ob Principis voluntatem, vel aliam cauſam extrinſecam, vel accidentalem, ut plenè notatur in cap. *Quanto: ſupra de iureiur.* & per Legiſtas in l. *Cum quid, ff. Si certum petatur*, & per Anchar. *hic in 6. notab.*

4 In primo caſu ideſt cum bonitas, ſeu valor monetæ alteratur extrinſecè, hæc autem concluſio, videlicet ſolutionem debiti pecuniarij faciendā eſſe ex moneta antiqua, quæ ſcilicet currebat tempore debiti contracti, ſi inveniatur; non autem ea nova, quæ modo eſt in uſu: ſi verò non inveniatur, antiqua, tunc faciendam eſſe ſolutionem ad illius æſtimationem ideſt ex nova, quæ æquivaleat antiquæ. Ita Innoc *hic in princ*, Hoſt. *n. 1. in ver. Ad Papienſ.* Abb. Antiq. & Jo. Andr. ambo *nu 3.* Abb. Sicul. *n. 4.* & alii communiter. Hoſt. in c. *Quanto, num. 4. verſ. Quid ergo ſi Mercator de iureiur.* & ibi Jo. Andr. *num. 6. verſ. Quarit autem Hoſtien.* Butr. *nu. 12. verſ. Secundus quando*, Anchar. *n. 12. verſ. Quarto quaro*, Imol. *n. 18. verſ. Circa tertium*, & Abb. *num. 12. verſ. Venio ad ſecundum*, ubi aſſerit ita communiter teneri per Canoniſtas, & Legiſtas, Bart. in l. *Paulus, la prima, n. 6. verſ. Quaro quid ſi moneta eſt mutata, ff. de ſolut.* Bald. in l. *Acceptam, num. 45. in 17. quæſt. C. de uſur.* Bertrand. dicens communem *in conſ. 312. in princip. vol. 1.* & alii plores apud Gabriel. *comm. concluſ. lib. 3. de ſolut. concl. 1. num. 1.*

Ratio huius concluſionis eſt, quia moneta ipſa antiqua erat in obligatione, ac etiā in condemnatione, ut per Innoc. *in princ.* Abb. Antiq. *nu. 3.* Hoſtien. *nu. 17. in ver. Denariorum Papienſium*, Jo. Andr. *num. 5*, Bart. in l. *Si quis ſtipulatus, nu. 3. ff. de ſolut.* Bald. *conſ. 213. num. 2. vol. 5.* Rota de*ciſ. 149. num. 4. par. 2. recentiorum.*

5 Et clarè probatur in hac Decretali: nam denarii Papienſes pro Synodatico erant in obligatione, & de illis ab ipſo fuit facta petitio, ut patet ibi (Unde petebat eos ad Papienſium ſolutionem compelli.) Et Pontifex per diffinitivam ſententiam condemnavit Clericos ad ſolutionem Papien. vel ad æſtimationem eorum, ut patet in fin. tex. quia ſcilicet Papienſes non reperiebantur; alioquin fatua fuiſſet ſententia, quæ cum res peteretur, & præſtari poſſet, in æſtimationem condemnaret, ut l. *final. C. de fideicom. libert.* & obſtaret l. *Vt fundus, ff. commun. Divid.* & cap. *Cum dilectus, §. final. de ordin. cognit.* non enim placet expoſitio Hoſt. *hic n. 1. in ver. Compelli*, ſupplentis litteram, & dicentis hic fuiſſe petitam alternativè ſolutionem Papienſium, vel eorum æſtimationem. Quoniam hoc eſt divinare, cum in petitione Epiſcopi nulla mentio de æſtimatione facta fuerit, ſecundum Abb. *hic n. 5.* Hic igitur fuerunt petiti Papienſes ſimpliciter, & quia non extabant, etiam ad eorū æſtimationem fuit facta condemnatio: nec ſententia fuit inepta, quia quando aliquid dari, vel tradi eſt in obligatione, ſatis eſt in libello illud petere, & ſi haberi non poteſt, Judex poteſt condemnare ad illud, quod eſt in obligatione, tradendum, vel ad illius æſtimationem licet æſtimatio non fuerit petita in libello, ut notat Bart. in l. *Stipulationes non dividuntur in fin. ff. de verb. obligat.* quod dicit valde notandum, Abb. *hic n. 5.* Et eſt ſimile in eo, qui agit exempto ad rē venditam; nam res in obligatione eſt, l. *Exempto, in 1. reſponſo, ff. de act. empt.* Et ideo res ipſa venit in condemnatione, ut ibi; *Sed venditor liberatur præſtando intereſſe*, l. 1. *ff. eod.* Sicut liberatur hic debitor præſtando æſtimationem, ſecundum Innoc. *hic in princip.* Hoſtien. *num. 1. in ver. Ad Papien.* & *num. 7. in ver. Denariorum Papienſium*, & Jo. Andr. *num. 3. & 5.*

6 Amplia primò concluſionem ſuperius firmatam ut locum habeat ſive antiquæ monetæ valor fuerit intrinſecè auctus, ſive imminutus; utroque enim caſu ſi moneta ipſa antiqua non reperiatur, fieri debet ſolutio ad illius æſtimationem, nulla habita ratione augumenti, vel diminutionis, gl. ult. hic dicens per hoc ſolvi quæſtionem dominicalem Batholomei Brixienſis 23. incipien. *Cum ad monaſterium*, quod ad antiquam monetam, & menſuram antiquam facienda eſt ſolutio, ſive nova ſit melior, ut c. *Quanto, ſupra de iureiur.* & eſt expreſſum, in c. *Cum Canonicis, infra eod.* ſive ſit deterior, ut in hoc cap. Et cum gl. tranſeunt hic Innoc. poſt medium *in ver. Papien.* arg. ad veterem, Hoſtien. *in fin.* Abb. Antiq. *in prin.* dicens ſecundum monetam antiquitus conſtitutam perſolvendum eſſe annuum cenſum, ſive ſit minorata, ut hic (ſcilicet intrinſecè) ſive majorata, ut c. *Cum Canonicis, infra eod.* Bald. *conſ. 499. Quæſtio iſta, num. 2. verſ. Et è contra ſi moneta parva eſſet ingroſſata, non propterea creſceret præſtatio, vol. 1.* & alii apud Anton. Gabriel. *lib. 3. de ſolut. concluſ. 1. num. 18. & 19.*

7 Amplia ſecundò, etiam creditor per plures vices receperit ſolutionem cenſus in alia moneta ab illa, in qua fuit inſtitutus, ut patet in hoc cap. ubi Epiſcopus receperat denarios Lucenſes ſpatio triginta añorum, & nihilominus ſibi non præjudicavit in Papienſibus, cum præſcriptio nō eſſet completa, ut latius dicetur infra in prima limitatione.

8 Amplia tertiò, etiamſi creditor receperit novam monetam ſimpliciter, ac ſine ulla proteſtatione, quia nihilominus ſibi non præjudicat in antiqua, ut hic ſenſit Innoc. qui exponens litteram in verb. Proteſtatus, dicit idem eſſe ſi proteſtatus non eſſet, & ſequitur Hoſtien. *num. 2.*

9 Amplia quartò, etiamſi in ultima voluntate: nam ſi teſtator legavit centū florenos, & poſtea tamdiu ſupervixit, ut intrinſecè mutata fuerit moneta, ſolvendum eſt legatum ad rationem monetæ, quæ currebat tempore conditi teſtamenti, ut ex facto reſpondit Oldradus *conſ. 31. Thema ta-*

10 *le eſt, Quia condens*: ideoque legatum annuum debetur juxta æſtimationem monetæ, quæ erat in uſu tempore facti legati, quando eſt facta mutatio in bonitate intrinſeca, ſecundum veriorem, & magis communem opinionem, de qua latè per Albertum Brunum *in tract. de augum. in ult. concl. princ. & in 9.* declarat Signorol. *conſ. 74. per totum*, Aret. *conſ. 84. Diligenter in princip.* Corn. *conſ. 287. in 4. conſultat. in fin. lib. 1.* & *conſ. 181. lib. 2.* & *conſ. 109. in princip. lib. 4.* ubi atteſtatur hanc eſſe communem ferè omnium ſententiam, Socin. *conſ. 298. Pro fundamento lib. 2. qui num. 1. verſ. Vbi dicit Abbas*, ſimiliter teſtatur hanc ſententiam tenere omnes tam Legiſtas, quam Canoniſtas. Et quamvis Romanus *conſ. 123. circa primum in princ. & num. 1. col. 2. verſ. Præmiſſis tamen*, tenuerit in debito ex teſtamento ſolvendam eſſe monetam currentem tempore ſolutionis, non autem tempore conditi teſtamenti, per textum, de quo di-

11 cit Oldrad. non fuiſſe recordatum in l. *Cum certū*, ibi, Pretium præſentis temporis, *ff. de aur. & arg. leg.* Tamen ille textus judicio meo parum facit, quia loquitur in eo caſu, in quo certa ſpecies pecuniæ non fuit deſignata, ſed certum auri, vel argenti pondus legatum. Quotieſcumque autem obligatio eſt incerta quoad pecuniam, veluti ſi promitto ſolvere centum, nec dico in auro, ſed ſimpliciter ſcuta centum, ſemper ſolutio facienda eſt ad monetam currentem tempore ſolutionis, ut notat Bald. *conſ. 407. Super facto Domini, num. 1. verſ. In Contrarium, lib. 5.* Caſtellin. *conſ. 35. n. 9.* Unde non recedas à communi opinione.

12 Amplia quintò, etiam in penſione, quia ſi moneta erat vilis, & augeatur intrinſecè, ſolutio fieri debet de illa pecunia vili, quæ currebat tempore reſervationis, vel de nova, habito reſpectu ad valorem illius vilis monetæ, & idē in caſu converſo ſi valor intrinſecus monetæ antiquæ diminuatur. Oldrad. *conſ. 250. Factum tale eſt*, Bonifac. *num. 1. verſ. Ad primam quæſtionem.*

13 Ampliatur ſexto, generaliter ex quacumque diſpoſitione debitū fuerit contractum, quia ſolutio fieri debet de moneta, quæ currebat tempore debiti contracti, aut ſi non extet, de moneta, quæ modo eſt in uſu, ad æſtimationem tamen monetæ antiquæ, Abb. *hic nu. 4.* & *conſ. 56. Quod ſolutio, in princ. & per tot. lib. 2.* Bald. *conſ. 499. Cum vobis, nu. 1. verſ. Quæſtio iſta, vol. 1.* ubi quod in omni contractu, & obligatione attenditur valor intrinſecus monetæ tempore contractus, Gemin. *conſ. 137. Quia alias, in princ. verſ. Item iſta mutatio*, pleniſſimè Signorolus *conſ. 74. Quæſtio talis, per totum.*

14 Limita nunc propoſitam concluſionē, niſi fuerit in alterius monetæ ſolutione præſcriptum, ut patet à contrario ſenſu in hoc c. ibi. Nonniſi triginta ſex annorum ad plus tempus effluxerit. Per hoc enim innuit, ut ſi effluxiſſet tempus añorum quadraginta, benè præſcriptum eſſet in ſolutione alterius monetæ: & ita ex hac littera deducit gl. *in ver. Nonniſi triginta ſex*, Innocen. *circa fin. in ver. Papien.* Abb. Antiq. *num. 1.* Jo. Andr. *num. 10.* & idem Jo. Andr. Butr. Anchar. & omnes ſupra *in ſumm. text.* Bald. *conſ. ult. quod eſt conſ. 500. nu. 2. lib. 1.* Hinc collige, ut ſi creditor recipiat unam

15 ſpeciē pecuniæ loco alterius longiſſimo tempore non cogitur debitor in futurum ſolvere de pecunia primæ ſpeciei. Nam hic ſolviſſet denarios Lucenſes pro Papienſibus ſpatio quadraginta annorum, non cogeretur poſtea ſolvere Papienſes, quod eſt mirabile, ſecundum Innoc. *hic in fin.* ut ſolutio eiuſdem rei pro utroque præſcriptionē inducat, ſcilicet pro Epiſcopo ne cogatur recipere Papienſes, & pro plebe non cogatur eos ſolvere, ſed Lucenſes; ut ſic eadem præſcriptio obligationem inducat in una ſpecie, & liberationem in alia, de quo hic plenius per Ancharan. in ſecunda oppoſit. *num. 8.*

16 Verum Hoſtien. *hic num. 4. in ver. Et à tempore*; tenuit hoc caſu non incurrere præſcriptionem, quia ſicut cenſus præſcribi non poteſt, l. *Malè agitur*, & l. *Competit, C. de præſcript. 30. annorum*; ita nec illius diminutio, ſaltem ab eo, qui malam fidem habet, prout hic, ſecundum eum, arg. cap. *Conſtitutus*, & patet in cap. *final. de præſcript.* & cum Hoſtien. concordat Arch. in cap. *Relata, in gloſſ. Adde dicas quod in tali, 10. quæſt. 1.* & Signorolus, *conſ. 74. per tot.* Maximè *num. 12. & ſeqq.*

17 Sed communiter tenetur oppoſitum, ut ex dictis conſtat, & teſtatur Abb. *hic num. 6.* Nec obſtat motivum, quod cenſus præſcribi non poſſit; quia verum eſt in totum, ſed ſecus in parte, exemplo decimarū, ut hic bene per Henric. Boich. *n. 2.*

18 Vel certè ſecundum eundem Henric. d. nu. 2. concilia opiniones hac diſtinctione, videlicet aut iſti clerici ſolvebant denarios Lucenſes nomine, & loco Papienſium; & nunquam præſcribere poſſunt, cum habeant malam fidem, & ita poteſt intelligi vera opinio Hoſt. aut ſolvebant eos tantū pro Lucenſibus, non credentes ſe alios debere, & hoc caſu potuerunt præſcribere, cum bonam fidem habeant, & ita poteſt intelligi opinio gloſſæ & ſequacium: & adde Gabriel. *commu. concluſ. lib. 3. de ſolut. concluſ. 1. n. 28.*

19 Procedit autem hæc præſcriptio licet creditor recipiendo cenſus in alia moneta jus ſuum ſemper proteſtatus fuerit: nam præſcriptio currit, & completur non obſtante tali proteſtatione, ut probat hic text. ibi *ius tuum fueris proteſtatus*, juncto verſic. *Nonniſi triginta ſex annorum*; innuens per hoc, ut ſi præſcriptio fuiſſet completa, huiuſmodi proteſtatio minimè profuiſſet: & ita ex hac littera deducit gl. 1. & 3. Innoc. *in verb. Proteſtatus* Abb. Antiq. *num. 1. in eod. verb.* Hoſtien. *n.*

20 2. Reddentes rationem, quia proteſtatio non interrumpit præſcriptionem, niſi in caſibus c. *Paſtoralis, in fin. ſupra de offic. Ordinar.* & l. *Vt perfectius C. de Annal. except.* quæ eſt canonizata in §. *penul. verſ. Is autem cui res præſcribitur, 16. quæſt. 3.*

21 Cæterū quod dictum eſt de præſcriptione 40. anno-

annorum, intelligas verum in ecclesia, juxta terminos huius Decretalis. At in privato sufficit præscriptio minoris temporis; & sic ut per triginta annos semper facta fuerit solutio ad rationem monetæ currentis tempore solutionis; ita gloss. in cap. *Conquerente, in ver. Solidos, supra de off. Ordinar.* Hostien. *in summa de decimis, §. Ex quibus, col. 1. vers. Quod si moneta,* & alii plures apud Gabriel. *d. conclus. 1. num. 25.*

22 In secundo casu principali, idest cùm valor antiquæ monetæ alteratur extrinsecè, statuenda est conclusio primæ opposita; videlicet solutionem esse faciendam habito respectu ad valorem monetæ, secundum tempus solutionis, gloss. in cap. *Quis ignorat, in ver. Nostro, 32. q. 4.* Doctores in cap. *Quanto, supra de iureiur.* & est communis opinio ut attestatur Fran. Aretin. *cons. 11. num. 3.* Marian. Socin. *cons. 101. n. 1. & n. 12. vol. 3.* Boer. *decis. 327. nu. 4. vers. Ista est communis,* Couar. *de collat. veter. numism. cap. 7. §. Unic. conclus. 8. sub num. 5.* quam etiam sequitur Bart. in l. *Paulus, la prima, in fin. ff. de solut.* Baldus *cons. 213. Punctus quæstionis. num. 1. vol. 5.* & alii plures congesti ab Antonio Gabriele *commun. conclus. lib. 3. de solut. conclus. 2. num. 1.* eamque secuta est Rota *in causa Bononien. de Paleottis die 1. Iulij 1605.* coram Manzanedo: ut in *recent. decis. 149. per totam maxime num. 5. part. 2.* ubi etiam *num. 8.* pro hac communi conclus. inducit textum in d. l. *Cum*

23 *quid, ff. Si certum petatur, & n. 6.* Rationem assignat; tum quia hoc casu bonitas monetæ intrinseca non mutatur, sed tantum bonitas extrinseca, idest valor. In æstimatione autem valoris inspicitur tempus solutionis, d. l. *Cum quid,* & l. *Vinum ff. Si certum petatur,* & d. l. *Paulus, ff. de solut.* & hoc pro regula tradit Franc. Aret. *d. cons. 11. n. 3.* quam sequitur Boer. *ubi supra.* Ad idem est *cons.* Bald. *269. Super eo circa fin. vol. 2.* & Cemun. *cons. 137. Quia alias, nu. 1.* Tum quia quando valor monetæ antiquæ fuit diminutus, satis est solvere ipsam monetam antiquam, licet id redundet in damnum creditoris, ut fatentur omnes in d. l. *Cum quid, ff. Si cert. petat.* ubi in specie Socin. *conclus. 3.* & Hieronym. Gabriel. *cons. 164. Civitas supra qua, nu. 4. vol. 1.* Sicut igitur diminutio cedit in incommodum creditrois, ita & augumentum cedere debet in ipsius commodum. Ad regulam *Quia sentit commodum, de reg. iur. lib. 6.* & l. *Secundum naturam, ff. eod.* & tradunt Boer. *ubi supra n. 3. vers. Quia sicut diminutio,* & Franc. Aret. *cons. 84. in princ.* & Couar. qui communem dicit, *de collat. veter. numismat. cap. 7. §. un. conclus. 4. sub. num. 3.*

24 Fallit hæc secunda conclusio quando moneta ab initio fuit taxata, puta aureum, ad eam rationem, ut 75. constituant libram: tunc enim attenditur valor taxatus, Bald. *cons. 499. Quæstio ista, num. 1. vers. Sed hoc non obstante, lib. 1.* & *cons. ult. quod est 500. per tot. eod. lib.* Qui hoc sublimitat nisi præscripta sit solutio in alia moneta. Ratio

25 limitationis est, quia æstimatio facit venditionē, l. *Plerumque, §. Si ante, cum seq. ff. de iure dot.* l. *Si æstimatis,* & l. *Quoties, C. eodem,* & ideo debet reddi illa æstimatio, & non major, vel minor, Bald. 339. *Punctus quæstionis talis est, vol. 2.* Boer. *decis. 327. num. 10.*

DE CENSIBVS.

Cap. Cum venerabilis.

S V M M A R I V M.

1 *Episcopus remittens ecclesiæ servitia, quæ sibi debebat pro annua pensione, & statuens, ut aliud servitium non imponatur, procurationem non intelligitur remisisse.*

2 *Procuratio est visitationi annexa.*

3 *Visitatio ab Episcopo semel tantum in anno est facienda nisi utilitas, vel necessitas aliud postulaverit.*

4 *Episcopus in visitatione sue Cathedralis an teneatur sibi adiungere aliquos eiusdem ecclesiæ Canonicos.*

5 *Solus dictio est exclusiva aliorum.*

6 *Includit tamen connexa.*

Solus Episcopus intelligitur cum Capitulo, ubi materia inter Episcopum, & Capitulum est simultanea, ibidem.

7 *Præcedentia magis influunt in sequentia, quam è converso.*

8 *Episcopus in visitatione Capituli sue Cathedralis potest assumere sibi quos velit adiunctos, etiam extra gremium Capituli.*

1 CUM VENERABILIS. Episcopus remittens ecclesiæ servitia, quæ sibi debebat pro annua pensione, & statuens, ut aliud servitium non imponatur, procurationem non intelligitur remisisse. Hoc dicit, secundum Jo. Andr. & omnes.

2 In textu ibi, *bis in anno.* Nota episcopum posse bis in aňo procurationem recipere: & sic posse ecclesias sibi subjectas correctionis causa non semel tantum, sed bis in anno visitare: nam si potest in anno exigere duas procurationes, ergo & duas visitationes facere, cum visitationi annexa

3 sit procuratio, ut dicitur in littera, Sed obstat tex. in cap. *Mandamus, supra de offic. Archid.* ubi prohibetur visitatio pluries in anno, nisi fortè talis causa emerserit, propter quam oporteat sæpius visitare. Sta contrario; nam semel tantum in anno, & non pluries est visitandum, nisi nova causa emerserit, ut ibi, & in cap. *Decrevimus,* ibi, & annuis vicibus diœceses ab Episcopo visitentur, 10. q. 1. & in cap. *Episcopum* ibi, Per cunctas diœceses parochiasq; suas per singulos annos ire oportet *ead. caus. & quæst.* & in cap. *Conquerente, supra de off. Ordinarij,* ubi inter jura Episcopalia recensetur annua visitatio, & in Concilio Triden. *sess. 7. cap. 8.* ibi, singulis annis visitare teneantur. Textum autem nostrum intelligas secundum determinationem d. cap. *Mandamus, de offic. Archid.* ut scilicet etiam bis in anno possit Episcopus visitare, & procurationem exigere, si utilitas, vel necessitas iteratam visitationem exposcat: & ita etiam intelligas cap. *Visitandi,* ibi, Quoties placuerit, & cap. seq. 18. q. 2. ubi dicitur non semel sed sæpius in anno Episcopi visitent, idest si opus fuerit, prout hæc jura conciliat gloss. *hic in verbo Bis in anno.* Item gloss. in d. cap. *Mandamus, in verb. Sæpius visitare, de off. Archidiac.* Item gloss. in d. cap. *Visitandi,* quæ intelligit verba illa, *quoties*

ties placuerit, idest cum utilitas, vel necessitas exegit. Ex Concilio autem Trident. Episcopus potest Capitulum suæ Cathedralis ecclesiæ visitare toties quoties opus fuerit, ut statuitur cap. 4. sess. 6. de visitatione diœcesis vide quod habetur in *cap. 3. sess. 24.* & quod scripsi in cap. *Conquerente, num. 34. de offic. Ordin.*

Cæterum etsi superius firmatum sit, Episcopū posse per hoc textum bis in anno recipere procurationem, tamen Episcoporum Congregatio in *una Lucinen. 10. Iunij 1586.* decrevit licere quidem Episcopo ex causa visitare pluries in anno; sed vetuit accipere procurationes in quibuscumque visitationibus intra annum, excepta prima.

4 Sed hic incidenter QUÆRO, cum decreto *d. c. 4. sess. 6.* cautum sit, ut Capitula Cathedralium ecclesiarum nullis privilegijs tueri se possint quo minus ab Episcopo per seipsum solum, vel illis, quibus sibi videbitur adjunctis, juxta canonicas functiones toties quoties opus fuerit visitari valeant: numquid Episcopus in visitatione sui Capituli teneatur sibi adjungere aliquos eiusdem Ecclesiæ Canonicos.

Videtur respondendum non teneri quia in Constitutionibus Canonicis non cavetur, ut Episcopus in visitatione sui Capituli ecclesiæ Cathedralis assumat secum Canonicos eiusdē ecclesiæ, quin potius contrarium habetur in extravaganti Bonifacij VIII. *Debent, de off. Ordin.* inter communes. Jura autem adducta per Abbatem in c. *Venerabili, eodem tit.* intelligenda sunt ubi Prælatus visitat alia loca à Capitulo suo, in quibus diversa ratio est, cur Episcopus assumat Canonicos, ut per gl. in d. Extravag. *Debent, in verb. Sengessa.* Et

5 quatenus expresse in jure cautum reperiretur, tamen Concilium in d. cap. 4. disertis verbis indulsit Episcopis, ut possent per seipsos solos visitare suarum Cathedralium Capitula, quæ dictio, *solos,* est exclusiva aliorum, l. *Uni soli,* C. *de revocand. donationibus* cap. *Ego solus 9. dist.* cum simili-

6 libus, ut per Cardin. Seraphin. 820. *n. 6.* Quod si dicatur illmo includit connexa, unde solus Episcopus intelligitur cum Capitulo, Archid. in c. 2. *de accusat lib. 6.* & ex illo Bald. in l. 1. *num. 4. de bonor. poss. contra Tabul.* advertendum est id procedere, ubi materia communis est, & unum à Capitulo, & Episcopo expediendum: visitatio autem Capituli spectat ad Episcopum; & si in ea Capitulares adhiberentur, suspecti essent, & consuetudo contraria reprobatur in d. Extravag. *Debent.* Præterea Concilium ulterius processit permittendo Episcopis, ut per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur adjunctis, visitent: ergo cum dixit solos, exclusit quoscumque ipsi non elegerint. Ad hæc Concilium in cap. 6. *sess. 25.* specialiter providet, ut Episcopus, qui extra visitationem procedere vult contra Capitulares, procedat cū adjunctis à Capitulo electis: ergo sensit eum non teneri aliquos sibi assumere in visitatione, arg. c. *Nonne de præsumption.* & arguendo à speciali, vel à contrario sensu.

Non obstant illa verba, *iuxta canonicas functiones:* quia intelligenda sunt, ut limitent arbitriū Episcoporum circa adjunctos quos sibi in visitatione possunt assumere: tunc enim plurimos assumere debent, ne sint onerosi Capitulis, sed debent esse contenti duobus, vel tribus clericis, ut expresse dicitur in d. Extravag. *Debent,* & per Ab-

batem in d. c. *Venerabili,* & ibi doctrin. *tit. de off. Ordin.* Et videtur omnino Concilium inhærere prædictæ Extravag. Bonifacij VIII. potest etiam dicta modificatio, juxta canonicas functiones, referri ad immediatè sequentia ibi, toties *quoties opus fuerit corrigi,* &c. cum præcedentia magis influant in sequentia, quam è converso, l. *Rescissis, ff. de leg.* Et Episcopum solum posse visitare Capitulum suæ Cathedralis ecclesiæ, exclusis quibusvis Canonicis, sensit sacra Congregatio Concilii in causa Segontina, cum præcedentibus Canonicis ut Episcopus volens sibi aliquos adjunctos assumere de ipso Capitulo, monere tenerentur. Respondit enim Episcopum posse ex Concilio *sess. 6. cap. 4.* in actu visitationis assumere sibi quos velit adjunctos etiam extra gremium Capituli.

Idemque videtur sensisse quoties rescripsit decretum Concilii de adjunctis non habere locum nisi in Capitulis exemptis. Si enim semper teneretur assumere Adjunctos de Capitulo, frustra fieret distinctio inter exempta, & non exempta. Nec dicatur illud decretum intelligi extra visitationem: Quia Concilium d. *c. 6. sess. 25.* Illud, quod statutum fuerat d. *c. 4. sess. 6.* In visitatione, ampliat extra visitationem cum illa modificatione: & his adde quod dixi in *c. Venerabili, n. 37. & seqq. de off. Ordin.* ubi habes propositi dubii resolutionem à Gregorio XIII. approbatam, rejecta Rotæ interpretatione.

DE CENSIBVS.

Cap. Procurationes.

S V M M A R I V M.

1 *Procurandi sunt Prælati cum personaliter visitaverint, secus si per alium, & n. 6.*

2 *Legati, & Nuncij Papæ pro his diebus tantum, quibus morantur [illegible], procurari debent.*

3 *Procuratio ratione visitationis debetur etiam Archidiaconis, & alijs inferioribus Prælatis.*

4 *Declaratur.*

5 *Legati, & Nuncij Apostolici habent ius visitandi, & exigendi procurationem, [illegible] visitationem debitam.*

6 *Procurationem non debet recipere beneficiatus, qui non fecit visitationem [illegible].*

7 *Visitationem non licet Episcopo alteri demandare, nisi fuerint legitime impediti.*

8 *Archidiaconi, Decani, & alij inferiores visitare debent per seipsos, assumpto Notario de consensu Episcopi.*

9 *Nec hodie possunt visitare per alios etiam in casu legitimi impedimenti.*

10 *[illegible] per alium visitare volenti prohibere potest Episcopus non visitante, quod ab [illegible] per alium visitaverit.*

11 *Capitula exempta Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum negant ab Episcopo visitari nisi per seipsum.*

12 *Procuratio non debetur Episcopo cum per alium visitat vel [illegible].*

13 *Procurationem non possit Episcopus per alium visitans recipere à valente.*

14 *[illegible] recipiendi procurationem denegatur Episco-*

PROCURATIONES. Prælati tenentur procurandi cum personaliter visitant, & debent tunc Concilium Lateranense Reparare, &c prædictionis, correctionis, & formationis vacare. Legum, & Nuncii Papæ pro hospitibus ramen, quibus morari tribuit, pro certam subeunt. Contrahant Constitutionem corrigunt Ecclesiæ grauata restituitur duplicatum. Hoc autem. Et sunt tres partes. Prima prohibet. Secunda docet ibi, *Item*. Tertia punit, *quæ autem*.

4 Nota primò, ibi. *Archidiaconi vel quibus hoc alias* Procurationem ratione visitationis debent non tantum Episcopi, & superioribus visitantibus; sed etiam Archidiaconi, & alia inferioribus Prælatis. Quod intelligo tecundum Abb. nam alioquin habeant Ecclesias sibi subjectas ex privilegio, vel alio jure speciali, ad hoc cap. Mandamus, iunct. gl. 1. *supra de offic. Archidiac.* & Concilium Trident. *c. 3. vers. Archidiaconi, sess.* 24. Nam de jure communi Ecclesiæ sunt Episcopo sunt subjectæ, cap. *Omnes Basilicæ. 16. quæst. 1. Rotenda, 18. q. 1. & c. Venerabilem supra Rubr. de offic.* de Archipiscopis autem visitantibus provinciam, & de Visitatoribus à Capitulo deputatis vide quod statuitur à Concilio in d. *c. 3. vers. A Metropolitanis, & vers. Visitatores autem.*

5 Secundò nota, Scilis Apostolicæ Legatos, & Nuncios habere jus exhibendi, & procurationem exigendi ratione visitationis debitam, *ut hic in primis, & in cap. 2. de off. legat. lib. 6.*

6 Tertiò nota ibi. *Nisi quando personaliter.* Prælati per alium visitantibus procurationem non deberi, *sed* summodo cum visitant per se ipsos ut hic est casus secundum communem, ut inquit Host. *in sum.* Qui non facit visitationis officium, non debet recipere procurationis beneficium, arg. *c. Diversis, falsato, supra de clericis non residentibus. Cum secundum, de prebend. c. Si quis canonicus, 21. dist. c. Generaliter, 16. qu. 1. & casus. de rescript. lib. 6.* concordat textus in *c. Felicis, supra eod. lib. 6. & & in c. Si Episcopus, de offic. Ordinar. eod. lib.* ibi, Episcopus cum personaliter non visitat, nihil percipiat, nisi his, qui per alium quem deputat, faciunt visitari, exigere poterit, aut debebit, & textus in Extravag. *Ut ecclesiarum, de censib.* supponit id Episcopi licere tantummodo ex privilegio Papæ ut illis verbis; Si verò prælati Archiepiscopi, Prælati, & aliæ personæ Ecclesiasticæ ex privilegio Apostolico per alios visitare, & procurationes recipere valeant. Unde & S. Congreg. Cardinalium Tridentini Concilij Interpretum alias à me concordium Auctoritate Apostolica sub Paulo V. sanctum, inter Episcopum, & Clerum consuetudinem, ad Episcopo per se visitantem certum viginti quinque lucra; per alium verò nonaginta

7 Quartò nota ibi, *aliquæ manifesta, & necessaria causa.* Prælatos teneri personaliter visitare, nec posse id munus aliteri committere, nisi ex evidenti, & necessaria causa: ita enim intelligitur ista littera secundum Collect. *num.* 2. & quidem gl. *in ver. Personaliter*, & Host. *in. 2. in ver. Officium*, exemplificant in eo casu, in quo Episcopus ipse interesse non potest propter latam, & diffusam diœcesim, & idem in casu alterius legitimi impedimenti, ut leg. & nor. in *c. inter cætera, supra de offic. ordinar.* & est textus in *c. Episcopum 10. q. 1.* ibi, Quod ipse aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, presbyteros probabiles, aut Diaconos mittat. & c. Hodie hoc apertius est expressū à Concilio Tridentino in prælitato *c. 3. in princ. sess. 24.* ubi Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi jubentur proprià Diœcesim visitare per se ipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, aut Visitatorem, quod si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem eius partem, ita tamen, ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. Archidiaconi autem, Decani, & alii inferiores in iis Ecclesiis, ubi hactenus visitationem legitimè exercere consueverunt, debeant quidem assumpto Notario de consensu Episcopi per se ipsos tamtumbidem visitare. Hæc ibi. Unde quod statuitur in hac Decretali à contrario sensu, ut ex manifesto, & necessaria causa liceat per alium visitare, approbatur à Concilio quoad Episcopos, & illis Superiores, quo verò ad Archidiaconos, & alios inferiores corrigitur; quia istis absolutè visitare non licet, nisi per se ipsos, etiam in casu legitimi impedimenti, ut clarè ostendit adversativa illa, Archidiaconi autem, nec non taxativa, per se ipsos tantum. Quod est valde notabile, & potest esse ratio diversitatis, quia Diœcesis remaneret sine visitatione si Episcopus impeditus non posset per alium visitare. At loca inferiori subjecta si exempta sint, poterunt nihilominus auctoritate Apostolica visitari ab Episcopo Diœcesano ex *c. 8. sess. 7.* si verò nullius Diœcesis ab Episcopo vicinore similter tanquam S. Apost. Delegato, ex *c. 9. sess. 24.* Quare Archidiacono suū Archidiaconatum per alium visitare volenti ex S. Congreg. sententia prohibere poterit Episcopus, non obstante, quod ex immemorabili consuetudine ipse, & sui Prædecessores per alium visitaverint.

11 Adverte tamen, quia, etsi propriam Diœcesim Episcopi possint visitare per alium si legitimè sint impediti, ut dictum est, tamen Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, quæ exemptione, vel alio speciali jure se tuentur adversus Episcopi jurisdictionem, visitare non possunt nisi per se ipsos ad præscriptum *cap. 4. sess. 6. & c. 6. in princ. sess. 25.* Unde cum Episcopus Paleatin. dubitaret an posset visitare Collegiatam exemptam in sua diœcesi existentem, & an per suum Generalem Vicariū, S. Cong. Concilii censuit posse visitare, *ex cap. 3. sess. 24.* & quidem per suum Generalem Vicarium, vel Visitatorem, si legitimè fuerit impeditus, ut si quatenus exempta esset, quo casu per ipsum visitare teneretur, juxta *cap. 4. sess. 6.*

12 Ruttus adverte, quia cum Episcopus legitimè impeditus propriam diœcesim per alium visitat, procuratio illi non debetur, sed visitanti, ut notat gl. in cap. *Felicis, in ver. Officio, infra eod. lib. 6.* ubi ait, Prælatos tunc tantū posse pro suis victualibus à visitatis pecuniam recipere, cum personaliter visitant; cum autem per alios, non ipsi, sed illi victualia, vel pecuniam pro eis recipient. Item notatur in d. cap. *Inter cætera, de offic. Ordin.* & tenet *ibi* Hostien. *n. 2. in ver. Officium.* Et quamvis

13 [Joan. Andr. in d. cap. *Felicis, circa medium, ver. Hodie*, videatur tenere Episcopum visitantem per alium posse recipere pecuniam à volente, sicut cum personaliter visitat, quia est eadem ratio: tamen illa littera contradicit secundum Archid. *n.* 1. Qui ponderando verbū Personaliter, per hoc, inquit, demonstratur, quod quando per alium visitat, tunc ille tantum, qui visitat, recipiet moderatam procurationem, ut c. *Si Episcopus, de offic. Ordinar. eod. lib.* & sequitur Collectar. *hic nu. 2. vers. Quod si Episcopus*; quod multo clarius procedit hodie, quia ex Concilio Triden. in d. *cap. 3. sess. 24.* Procuratio debetur visitantibus pro tem-

14 poris tantum necessitate & non ultra. Unde cum Episcopus Eluen. propter ægritudinem in visitatione diœcesis contractam nō posset inchoatam visitationem per seipsum perficere absq; evidenti vitæ periculo, cum esset annorum sexaginta quinque; & propterea petiisset à Sacra Congregatione Concilii, ut sibi tribueretur facultas aliam ad id munus idoneum deputandi, & nihilominus sibi procurationem percipiendi ac si personaliter visitaret: *Die 23. Novemb. 1613.* S. Congregatio ponderatis juribus superius citatis censuit non esse Episcopo concedendum ut sibi procurationem percipiat cum personaliter ipse non visitat.

15 Quintò nota ibi, *exactionum, & personarum medietatem observent.* Episcopos in visitatione debere esse contentos modesto equitatu, famulatuque, ne scilicet nutribus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint: concordat Concilium Lateranen. in cap. *Cum Apostolus, supra eod.* & Tridentinum in d. *cap. 6. vers. Itaque sess. 24.* Victuras autem equorum, vel ferraturas S. Congregatio censuit visitantibus non deberi, sed tantummodo victum pro equis. Similiter, ut inquit for-

17 malter Innoc. *hic in princ.* si equi moriantur, & visitans velit alios emere, vel etiam expensas velit recuperare, quas fecit in eundo ad locum, quem modo visitat, vel alia consimilia; hæc omnia petet ultra computationem illarum procurationū ad dies, idest hoc esset contra mentem huius Decretalis; quia horum computatio excederet procurationem ad dies hic præfinitam, prout Innoc. verba interpretatur Hostien. *nu. 3.* & sequuntur totidem verbis Abb. Antiq. *num. 1.* Joan. Andr. *num. 4.* & Cardin. *in 4. not. ab.*

18 Sextò nota numerum procurationum esse commensurandum numero dierum, in quibus munus visitationis impenditur, ut hic patet in *vers. Ita quod numerus procurationum*, & notat Butr. & Cardinalis ambo, *num. 2.*

19 Septimo nota ibi, *duæ, vel plures*, argumentum

optimum, quod si una Ecclesia non possit integrè Episcopum procurare, licet Episcopo plures ecclesias ad unam procurationem solvendam congregare; concordat cap. *Cum instantia, supra eod.* tenet Jo. in c. *Illud*, in gloss. *unica*, & in c. *Inter cætera*, in gloss. *ult. in fin. n. 10. qu. 3.* Bernar. in c. *Cum Apostolus, supra eod.* Innoc. & Hostien. in c. *Conquerente, supra de offic. ordinar.* Contrarium no-
20 tat Archidiac. in c. *Romana*, *num. 1. super ver. De pluribus, infr. eod. lib. 6.* ubi miratur de sententia dictorum Patrum; quia hæc non videtur justa causa talis communis convocationis: nam si Episcopus potest accedere ad locum cujusque Ecclesiæ, debet hoc facere, ut patet ibi, & in d. c. *Conquerente, in vers. Ita quod cum*, &c. quod si ecclesia sit pauper, tunc nihil exiget, sed suis expensis visitabit, ut est expressum in c. *Placuit, 1. quæst. 2.* etiamsi gratis offeratur, cum paupertas excuset. cap. *Cavendum autem 10. quæst. 2.* c. *Cum Apostolus, in fin. supra eod.* & c. *Statutum*, §. *Provisurus, in fin. de rescript. lib. 6.* Nec obstat secundū Archidiac. hæc Decretalis, & cap. *Cum instantia, supra eod.* quoniam non loquuntur de Episcopis visitantibus quoad contributionem, sed de legatis, vel Nunciis Sed. Apost. non tamen visitantibus, nos verò loquimur de Episcopis visitantibus, qui debent recipere procurationem à locis visitatis dumtaxat, ut in d. c. *Romana*, §. *Deinde, in fin.* & c. *Felicis, de cens. lib. 6.* Ita Archid. quem ibi refert, & sequitur Jo. Andr. *num. 11.* in glos. *Loca*, & Anchar. *in §. notab.* Sed primam sententiam putat esse veriorem Collectar. *hic nu. 4.* quia Innoc. & alij supra citati non dicunt paupertatem esse justam causam convocandi populum unius ecclesiæ ad aliam; sed uniendi plures in una procuratione, impenso nihilominus debito visitationis officio, ut hic. Non videtur tamen recedendum à secunda opinione Archid. quia cum ecclesias egestate laborantes Episcopus teneatur sumptibus propriis visitare, si dum visitat ecclesiā pauperem reciperet procurationē ab aliis ecclesiis conflatam; utiq; ecclesiam illam non visitaret sumptibus propriis, sed magis sumptibus aliarū ecclesiarū cōtra jura supra citata ab Archid. & vide quod scripsi in c. *Venerabili, n. 33. & seq. inf. eod.*

21 Octavò nota, in §. *porrò*, circa quæ insistere debeat officium Visitatoris, ad idem c. *Romana*, §. *Sane, infra eod. lib. 6.* & Concilium Trid. *sess. 24. cap. 3.* ubi visitationum omnium dicitur præcipuus esse scopus, sanam, Orthodoxamq; doctrinam expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere Populum cohortationibus, & admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiamque accendere.

22 Ultimo nota ibi, *tantundem impendat.* Prælatos exigentes procurationem, cum personaliter non visitant, non tantum teneri sic exactum restituere ecclesiis gravatis, sed etiam tantundem in pœnā transgressionis. Qui ergo sic gravat ecclesiam in procuratione, punitur in duplum, ut hic patet, & concordat, c. *Exigit infr. eod. lib. 6.* quod innovatur, & ampliatur à Concilio Tridentino in *cap. 3.* §. *Quod si quisquam, sess. 24.* ubi statuitur ut si quis in casibus ibi expressis aliquid amplius accipere præsumpserit, is præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta d. c. *Exigit*, necnon, & aliis pœnis in Synodo Provinciali arbitrio Synodi absque ulla spe veniæ mulctetur.

23 Non obstat textus in c. *Quoniam, 18. distin.* ubi imponitur pœna quadrupli: nam à gl. & DD.
24 dantur plures solutiones. Prima solutio est glos. ult. hic, quæ asserit illum text. procedere in Prælato, qui gravat ecclesias in xeniis. Sed hæc solutio communiter reprehenditur à DD. quia est contra textum in c. *Romana*, §. *Procurationes, in fin. inf. eod. lib. 6.* ubi de Prælato, qui in visitatione accipit xenia, seu munera etiam spontè oblata, statuitur ut maledictionem incurrat, à qua nunquam liberetur, nisi duplum restituat. Idemque habetur in d. c. *Exigit.* & in d. *cap. 3. sess. 24.*

25 Secunda solutio est glossæ fin. in d. c. *Quoniam*, & Hostien. *bren. 4. in ver. Tantundem*, Jo. Andr. *nu. 11.* Collect. *nu. 4.* & Butr. *in fin.* qui asserunt pœnam quadrupli habere locum in Prælato, qui per vim, vel concussionem aliquid extorquet, arg. in Auth. *ut Judices sine quoquo suffragio*, §. *Sit igitur*, & §. *Necessitatem*, utrobique in fin. hæc solutio est in se vera; quia crimen concussionis punitur pœna quadrupli, ut est tex. in c. *Sancimus, 1. q. 7.* sed divinat ad tex. in d. c. *Quoniam*, secundum
26 card. *hic n. 8. in 2. oppos.* Tertia igitur, & vera solutio est ejusdem cardinalis quod ille tex. loquatur in alio casu, videlicet in Archiepiscopo, qui aliquid aufert Episcopo ex bonis, quæ secum defert, dum accedit ad Provinciale Concilium, prout sonat illa littera. Sed quod spectat ad procurationem, ecclesia hunc rigorem quadrupli non admitit, ut leg. & not. in cap. *Fraternitas, 12. qu. 2.* & per Collect. *hic n. 4. in verb. Tantundem.* Non obstat textus in c. *Quia plerique, infra de immunitat. eccles.* ubi exactum non restituitur ecclesiæ, sed pauperibus, quia solvitur ut ibi in gloss. *in ver. Pauperibus.*

27 QUÆRO de notabili, & quotidiana quæstione facti, videlicet Episcopus Eduen. accessit ad monasterium S. Martini in sua Diœcesi situm mandans Abbati, & Conventui ut pararent se ad ipsum recipiendum, & procurandum, quia intendebat eos visitare Abbas opposuit exemptionem à jurisdictione Episcopi, & appellavit ad S. Apostolicam si quomodo in hoc gravaretur, obtulitque se probaturum exemptionem suam curam ipso Episcopo, vel si ei magis placeret coram Papa. Sed Episcopus his non obstantibus excommunicavit Abbatem, & interdixit Conventum. Deinde Abbas egit coram Papa de injusta excommunicatione, vel potius nulla, petiitque se ad cautelam absolvi. Dubitatur an contradictione, & appellatione Abbatis non obstante, possit Episcopus visitare, & procurationem exigere; anve sententia excommunicationis, & interdicti, ut præfertur, lata ab Episcopo sit valida, necne; & quatenus sit nulla an Episcopus sit puniendus.

Proposuit hanc quæstionem Innocentius prout contingit in Curia suo tempore in c. *Venerabili, inf. eod.* in sua gloss. non minus celebri, quā obscura & involuta, quam hic reassumpsit Host. & prosequuntur ibi Jo. Andr. & Anchar. Sed melius quam cæteri illam distinguit ibidem Ant. de Butr. in novem casus à *n. 8. usque in fin.* quos in compendium illic redigit, licet minus perfectè Jo. de Anan. *n. 3. vers. Innocentius ponit hic magnam glossam.* Sed Abbas, *ibidem num. 2. vers. ultimo scias*, Et post eum Marianus Soc. in *tract. de visitatione, lib. 3. qu. 14. nu. 16. vers. Sed juxta materiam*,

tribus tantum casibus materiam perstringunt, quibus & ipse adhærebo, adjectis nonnullis declarationibus; licet materia videatur hodie ex-
28 pedita in cap. *Cum persone, de privileg. lib. 6.*

Pro solutione igitur quæstionis propositæ distinguo tres casus. Aut Episcopus erat in quasi possessione visitandi, & de hoc constabat. Aut non erat in huiusmodi quasi possessione, & de hoc similiter constabat. Aut erat dubium an esset in quasi possessione, necne.

In primo casu concludit Innoc. Episcopum visitare posse, & exigere procuratorem, quantumcumque contradicat, & appellet Abbas, quod
29 si pertinaciter renuat, sicut posset Episcopus tueri possessionem suam armis materialibus, ut notatur in c. 1. *uff. de immunitate ecclesiar.* ita, & multo fortius illam tueri poterit armis spiritualibus, ut c. *Cum ex officij, supra de præscriptionibus*, c. *Cum nuper, infr. eod.* & c. *Dilecto*, §. *Et quidem de sent. excomm. lib. 6.* ubi hoc est expressum, scilicet excommunicatione quæ est mucro Episcopi, c.
30 *Visis, 16. q. 2.* c. *Corripiantur, 24. q. 3.* Concilium Tridentinum, *c. 3. in princ. sess. 25. de reformat.* & valebit excommunicatio.

31 Ratio est, quia cum Episcopus sit in quasi possessione non tenetur in præjudicium sui juris appellationem admittere, nec probationem exemptionis recipere: nam de causa suæ mensæ nec ut judex, nec ut arbiter posset cognoscere, secundū
32 Innoc. Ideoque hoc casu non procedit ut judex, sed ut pars pro sui juris cōservatione; ac proinde probationis oblatio non justificat appellationē, ut habetur in cap. *Interposita, supra de appellat.* & in cap. *Cum inter Canonicos, de elect.* Neque enim per negationem, vel prohibitionem, aut appellationem alterius tenetur quis prætermittere quin jure suo utatur, ut cap. 1. *supra ut lit. pendent.* c. *Significante, de appellat.* cap. *Consultationibus, de iure patr.* l. *Si fundum, C. de rei vendic.* & notatur
33 in c. *Dilecti, supra de maior. & obed.* Nam etsi Abbas in judicio coram Papa, vel Metropolitano provocaret in libertatem, quin etiam etsi Episcopus contra ipsum Abbatem interdictum uti possidetis proponeret, nihilominus lite pendēte adhuc liceret eidem Episcopo pergere in sua possessione, & rebelles excommunicatione percellere, dummodo reipsa possideret, d. c. 1. *ut lit. pendent.* Et per hoc patet responsio ad jura, quæ di-
34 cunt sententiam excommunicationis ferendam non esse sine causæ cognitione, & monitione, ut cap. *Nemo, 2. q. 1.* c. *Sacro, infr. de sent. excom.* & c. 1. *eod. tit. lib. 6.* quoniam vendicant sibi locum quando Episcopus procedit ut Judex, non autem quando procedit ut pars, & tanquā ille, qui jure suo utitur, ut hoc casu; tunc enim etiā sine causæ cognitione, & monitione tenet excommunicatio, ut cap. *Si Sacerdos supra, de offic. ordinar.* cap. *Romana*, §. *Caveant, infra de sent. excom.* & cap. *Quidam, 5. q. 1.* Nam & secundum jura civilia licet unicuiq; jus sibi dicere in his casibus & in quibusdam aliis qui notantur C. *quando liceat ius sibi dicere*, & per Hostien. *in summa de re iudicata, sub rubrica de sent. excomm.* §. *Quis debet, sub.* §. *Proprius Ordinarius, vers. Fallit.* Quo fit ut secun-
35 dum Innoc. prudenter agat Episcopus si tanquā pars, & non tanquam judex procedat quia sic non adstringitur ad juris ordinem servandum; præterea hoc pacto se reum constituit, & conservat, & adversarium actorem facit, quem oportet conqueri de injusta excommunicatione, vel nulla, ut cap. *Cum contingat, de offic. legat.* & cap. *Ad reprimendum, de offic. ord.* & ita in dubio absolvetur Episcopus, ut legitur & notatur in cap. fin. supra de re judicat in cap. *Ex litteris, de probat.* & in c. 1. *supra Ut ecclesiastica beneficia.* Accedit quod cum Abbas dixerit se nolle visitationem
36 recipere, non est necessaria monitio, quia ex hoc probatur illius contumacia manifesta, non enim in omnino certis, sed incertis opus est conjecturis, l. *Continuus, ff. de verb. obligat.* & l. *Contumacia, ff. de re iudicat.* secundum Hostiens. ad quod faciunt optimè jura in cap. *Potuit, de locato*, in cap. *Ab eo, de appellat. libro sexto.*
37 & in cap. *Venerabilibus*, §. *secus de sent. excomm. eod. lib.* In secundo casu, id est cum Episcopus non est in quasi possessione visitandi, & de hoc constat, licet Innoc. hoc membrum non prosequatur in d. c. *Venerabili, inf. eod.* Sed attingat in c. *Ex parte, il primo, de verb. signif.* secundum Doctores spectabitur tempus appellationis, & illius exitus. Et quidem si constabit Abbatem esse exemptum non valebit sententia, ex his, quæ leguntur, & notat in cap. *Cum dilectus, de relig. domib.* non tamen Episcopus erit puniendus de injusta, vel nulla excommunicatione, arg. c. *Ex litteris, supra de offic. deleg.* potuit enim duci probabili errore propter juris communis assistentiam; nisi
38 appareat de illius malitia, vel crassa ignorantia, secundum Innoc. In tertio casu, idest cum dubitatur an Episcopus sit in quasi possessione, necne, similiter concludunt DD. validitatem censuræ pendere à futuro eventu: nam si apparebit Episcopum non fuisse in quasi possessione visitandi tempore excommunicationis, & Abbatem esse exemptum, non tenebit sententia. Interea tamen stabitur sententiæ Episcopi quousque contrariū fuerit probatum, ita in effectu in tribus casibus suprascriptis concludit Inno in sua prolixa gloss. quam posuit in d. c. *Venerabili, infr. eod.* cum quo transeunt ibi Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar.
39 Abb. & Jo. de Anan. & Mar. Soc. *loc. cit.*

Extenditur primò supradicta distinctio, ut locum habeat etiamsi monasterium, quod Episcopus intendit visitare, situm sit in aliena Diœcesi; quia si in veritate sit in quasi possessione visitationis, idque probaverit coram Superiore, rata manebit excommunicationis sententia; sed si hoc non probaverit, & præsumptio erit contra ipsū, quod malè sententiam tulerit, hoc autem non contingit si monasterium existat in sua diœcesi, quia tunc præsumptio stat pro Episcopo, secundum Innoc. ubi supra *num. 4. in fin. vers. Idem dicendum videtur*, Butr. *n. 10. col. 4. vers. Octavus, casus.* Abb. *num. 2. vers. Secundo casu* & Mar. Soc. *d.*
40 *q. 14. n. 16. vers. secundo vers. casus.*

Extenditur secundò prædicta distinctio ut procedat non solum in visitatione, & procuratione, sed etiam in aliis juribus Episcopo competentibus, secundum Innoc in prædicta Decretali, *Venerabili, n. 5. col. ult. vers. Sed alij dicunt, & fortè melius.* Nam si subditus, qui allegat exemptionem, in continenti ostendat privilegium suum, vel aliam
41 legitimā exceptionem probet, poterit Episcopus inspicere non quidē ut judicet, quia in causa suæ mensæ judex esse non debet; cap. 14. q. 4. c. *Ferus*, §. *In omni, infra de verb. signif.* & C. *Ne quis in*

suæ causam vindicat, in rubr. & nigr. Atque ita non est jus in exhibendo, vel non exhibendo probationes, cum nec teneatur subditus illas exhibere, nec Episcopus recipere, ut prædixi: sed tantum poterit Episcopus tanquam privatus vi-
42 ce ut se instruat. Et ita procedit textus in c. *Cum personæ, de privileg. lib. 6.* nam in casu illius Decretalis Episcopus procedit ad inspectionem privilegii non ut judex; licet gloss. ibi aliter sentiat, secundum Abb. in d. cap. *Venerabili, nu. 3. in fin.* & Mar. Socin. *de visitatione, lib. 3. qu. 14. n. 16. in fin.* Et quamvis Episcopus alias possit esse ju-
43 dex in causa suæ Ecclesiæ, tamen secus est si commodum veniat applicandum, ex his, quæ notantur in l. *De iure, ff. ad Municipal.* & in Clemen. *Si una, de reb. eccles. non alienan.* ut per Abb. *ubi infra in fin.*

44 Extenditur tertiò, eadem distinctio ut locū sibi vendicet etiā in conservatione corporalis possessionis, secundum Innoc. *loco proxime citato.* Quandoquidem quod Episcopus justè possidet, dimittere non tenetur quandocumque, & qualitercumq; alius contradicat, & de jure suo probationes offerat, veluti si fundum aliquem possideat velitque fructus colligere, & alius se opponat dicens, Domine ne colligatis fructus, quia meus est fundus, & ego possideo, idque coram vobis me offero probaturum: utiq; ob talem contradictionem, Episcopus possessionem non dimittet, sed poterit nihilominus fructus colligere, & excommunicare opponentem, si ipsū in possessione sua perturbet, vel inquietet. Secus autem esset si nō possideret Episcopus, licet fundi proprietas ad Episcopum pertineret; tunc enim liceret possessori cōtradicere & appellare, imo & cum armis resistere Episcopo violento. Et est ratio in utroque, quia possessor non est de possessione sua violenter deijciendus, sed eam tueri potest, & vim vi re-
46 pellere, ut l. *fin. C. de rei vendicat.* cap. *Cum olim. §. Sed & sua, supra de restitut. spoliat.* Nec refert quod de proprietate liqueat; quia nihilominus eam per vim recuperare non licet, l. *Si quis in tantam, C. unde vi,* l. *Extat, ff. quod met. caus.* c. *Placuit, 16. q. 6.* Nec res possessa ab alio, quamvis injustè, est per violentiam occupanda: alioquin etiam prædo est restituendus, cap. *In litteris, de restitut. spoliat.*

47 Temperat tamen distinctionem superius firmatam cum suis extensionibus Host. *hic, n. 8. col. ult. vers. Quamvis autem omnia prædicta*, ubi posteaquam retulit glossam integram Innocentij dicit eam non esse usquequaque admittendam. Tum quia Episcopus potest esse judex etiam in causa Episcopalis mensæ de consensu adversarii alio procuratore constituto ab Episcopo ad causam
48 prosequendam, & defendendam, ut leg. & not. in c. fin. supra de juram. calum. Imo satis est ut nō recusetur, ut notat idem Host. *in summa de appellat. sub rubric. de recus. § 1. vers. Idem est*, & §. *fin. vers. Pute, & seq.* hoc autem casu iste Abbas non recusavit Episcopum, quin potius consensit, pe-
49 tiitque ut de exemptione cognosceret, ut patet ex themate quæstionis. Tum quia non est juri consonum ut Episcopus petat aliquid tanquam pars, & excommunicet renuentem; quandoquidem aut excommunicat ut pars, & tanquam privatus, & non tenet sententia, quia ut privatus excommunicare non potest; nec enim jus fulminandi censuras competit non Prælato, c. *Nova, infra de pœnit. & remiss.* & c. *Quæsivit, supra de his quæ fiunt a maior. par. cap.* Aut excommunicat tanquam judex, & sententia similiter est nulla, cum causæ cognitio, & monitio non præcesserit, ut patet ex juribus supra citatis *num. 34.* Concludit Ergo Host. posse Episcopum petere in iis, quæ notoria sunt, & tanquam Episcopum excommunicare, quod innuit etiam Innoc. quia tunc non excommunicat ut judex, sed ut exequutor, de quo in d. c. *Ex parte, de ver. significat.* secus autem est in iis, quæ non sunt notoria, ita Host. qui tandem remittit ad ea, quæ notavit in d. c. *fin. de juram. calum.* & in cap. *Insuper, de testib. in ver. Insinuatur,* & illius verba ad calamum transcribunt, & probare videntur in d. cap. *Venerabili, infra eodem* Jo. Andr. *num. 11. vers. quamvis autem,* & Butr. *in fin.* & ad prædicta vide Lapum *allegat.* 73. quæ incipit, *Prælatus Regularis,* Joan. Andr. Gemin. & Franc. in c. *Dilectio, de sent. excomm. lib. 6.* & Covarr. in cap. *Alma mater, 1. par. §. 9. num. 6. eodem tit. & libro.*

DE CENSIBVS.

Cap. Venerabili.

SVMMARIVM.

1 *Procuratio debetur Episcopo ab ecclesiis etiam Civitatis, licet ipsum numquam procuraverint, & n. 14. & 24.*
2 *Episcopus de iure communi fundat intentionem super iure visitandi monasteria sua diœcesis, & exigendi ab illis procurationem.*
3 *Monasteria tam Mendicantium, quam non mendicantium ex privilegijs Apostolicis exempta sunt à visitatione, & iurisdictione Episcopi.*
4 *Et quid si sit commendata.*
5 *Procuratio est visitationi annexa, & num. seq. & num. 23.*
Fallit, num. 30.
6 *Commendatarij tenentur procurare visitatorem Apostolicum, à quo possunt visitari.*
7 *Villæ appellatione quandoque venit Civitas, & num. seq.*
8 *Villa propriè quid sit.*
9 *Procuratio de iure communi debetur Episcopo etiam cum visitat ecclesias suæ Civitatis.*
Secus post Concilium Tridentinum, num. 14. 15. & 38.
10 *Expensæ, quas domi suæ quis fecisset, non repetuntur, & num. 12.*
11 *Intellectus, cap.* Charitatem, 12. q. 2. *& num. 13.*
14 *In visitatione victualia non sunt Episcopo ministranda nisi pro temporis necessitate.*
15 *Procuratio post Concilium Tridentinum non debetur Episcopo visitanti Ecclesiam Cathedralem, aut Clerum, seu loca pia Civitatis, & num. 38.*
16 *Cathedraticum non est sublatum à Concilio Tridentino, non tamen solvi debet in visitatione, sed extra, & in Synodi celebratione.*
17 *Canonica portio, quæ ex relictis pijs iure debetur Episcopo, præservata est à Concilio Trid.*
18 *Consuetudo exigendi trigesimam ex relictis pijs in visitatione testamentorum servanda est. Secus si in testamentis nullum esset relictum pium.*

Epi-

19 *Episcopo accedenti ad conferendum Chrisma populus, vel Clerus non tenetur victualia ministrare.*
20 *Procuratio ratione visitationis debita de iure communi à subdito non est præscriptibilis.*
21 *Secus in procuratione ratione consuetudinis, pacti, vel privilegij.*
22 *Item secus in præscriptione, quæ fit nomine alterius.*
Item secus est post Concilium Trid. num. 24.
23 *Ius visitandi est publicum utilitate, & authoritate, & ideo imprescriptibile.*
24 *Consuetudo locorum, vel provinciarum, in quibus nihil solvitur Episcopo visitanti, post Concilium Tridentin. est observanda.*
25 *Et quid si consuetudo non sit generalis in loco, vel provincia, sed una tantum, vel altera ecclesia Episcopum non procuraverit, & num. seq. usque ad num. 29.*
26 *Consuetudo in quo differat à præscriptione, & n. 28.*
27 *Loci appellatione quid veniat.*
28 *Onera simul iuncta facilius comportantur.*
29 *Consuetudo non solvendi procurationem Episcopo visitanti qualiter, & coram quo sit probanda.*
30 *Procuratio in tribus casibus hic expressis non est annexa visitationi.*
31 *Exempti à procuratione pecuniaria non videntur exempti à procuratione in victualibus, sed tantum ab indebita extorsione.*
32 *Exemptione revocata à visitatione an censeatur revocata exemptio à procuratione.*
33 *Paupertas excusat à procuratione, & num. seq.*
34 *Procuratio an debeatur Episcopo visitanti hospitalia pauperum infirmorum, & num. seq. usque in fin.*
35 *Sportula à paupere non sunt exigenda.*
36 *Visitatores quomodo se debeant gerere in victualibus accipiendis.*
37 *Hospitalium reditus universi in usum pauperum infirmorum sunt erogandi, & num. 39. & 42.*
39 *Hospitalium ministris ex reditibus ipsorum merces est persolvenda, aliàs non tenentur inservire, & num. 40.*
41 *Hospitalium ministris quod erogatur, in usum pauperum erogari intelligitur.*

---

1 VENERABILI. Ecclesia etiam civitatis procurare tenetur Episcopum visitantem, licet ipsum nunquam procuraverit. Hoc dicit. Et est capitulum celebre propter insignem glossam, quam hic posuit Innocen. in materia valdè utili, & quotidiana, ut infra attingam *n. 43.* Dividitur in duas partes. Primò ponit querelam Episcopi. Secundò judicum instructionem ibi, *Discretioni vestræ.*

2 Nota primò ibi, *frustrari intentionem Episcopi molientur.* Episcopum de jure communi fundare intentionem super jure visitandi monasteria, in sua diœcesi existentia, & super jure exigendi ab illis procurationem, concordat cap. *Cum olim,* & cap. *Sopitæ, supra eodem, & infra,* cap. *Cum nuper,* cap. *De Xenodochijs,* & cap. *Dilectus, de relig. dom.* & hic notant Jacob. Philipp. & Goffred. Item glos. 1. Innoc. *col. 1. vers. Episcopus autem,* Hostien. *in princ. in vers. Cenomanensi Villa,* & Butr. *in 1. notab.* Abb. *cons. 26. Videtur in princ. vers. Circa secundum, lib. 2.* ubi hoc extendit etiam ad mo-
3 nasteria monialium. Sed hodie Monasteria ferè omnia Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium exempta sunt à visitatione, & quacumque jurisdictione Episcopi diœcesani, ut scripsi plenè, cap. *Tuarum, infra de privileg.* nisi sint
4 commendata, & in eis non vigeat regularis observantia, quia tunc monasteria ipsa, & eorum Commendatarij visitari possunt ab Episcopo loci tamquam Sedis Apostolicæ delegato, dummodo sui ordinis Capitibus non subsint, ut in decreto Concilii Tridentini, *cap. 8. sess. 21.* juncto *cap. 20. sess. 25. de regular.* & consequenter tenentur Episcopo visitanti solvere procurationem, quæ visitationi est annexa, & cap. *Cum venerabilis, §. 1.*
6 *supra eod.* Hinc cum Episcopus Papien. petiisset declarari à S. Congregatione Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum an Commendatarij separata habentes sua jura ab ecclesia, & monasterio, in quo degunt regulares propriam mensam, & curam animarum habentes, teneantur contribuere solutioni victualium pro Visitatore Apostolico: responsum est videndas facultates Visitatoris Apostolici, quia licet aliàs S. Congregatio censuerit posse Commendatarios visitari à Visitatore Apostolico, tutius tamen erit inspicere facultates, quia si ex facultatibus poterit visitare Commendatarios, palam erit eos teneri contribuere, quod à visitatis est solvendum.

7 Secundò nota ibi, *Cenomanensi villa*, appellatione villæ interdum venire civitatem, secundum Hostien. *in prin. in ver. In Cenomanensi villa,* Butr. *in 3. notab.* & Cardin. *num. 3.* Quod tamen ve-
8 rum est impropriè, & in latiori significatione, secundum Abb. *num. 1.* Nam ex proprietate vocabuli villa dicitur locus ruralis, vel unitas familiarum aliquot, seu ædificiorum, quæ muris non cingitur, sed vallis, unde fortè denominationem sumpsit, ut per Abb. *d. num. 1.* & notat glos. in l. *Titia, §. Lucius, in ver. Villa, ff. de legat. 2.* & Bart. in Extravag. *Qui sint rebelles, num. 3* de quo plenè per Joan. Andr. in cap. *Si Civitas, de sent. excomm. lib. 6.* Villa tamen in Francia ex communi usu loquendi idem est, quod Civitas, ut testantur Bart. Cardin. & Abb. locis citatis.

9 Tertiò nota in eod. ver. *Villa.* Episcopum habere jus exigendi procurationem nō modo cum visitat ecclesias, & loca diœcesis, verum etiam cum visitat ecclesias suæ civitatis, ut hic est casus, quem nescio alibi, secundum Abb. Antiq. Joan. Andr. Collectar. & omnes *in princip.* & in specie
10 notant Butr. *num. 2.* & Abbas *in 1. notab.* Quod est notatu dignum, quia primo intuitu contrarium videbatur dicendum: nam ex civitate facilè erat Episcopo peracta visitatione ad domum suam redire, & ibi comedere, secundum Goffred. nec debebat petere quod domi erat expensurus, quamvis non visitaret, ut cap. *Cum ab omni, supra, de vita, & honest. cleric.* cap. *Cum pro causa, de procurat.* cap. *Ut præteritæ, de elect.* & cap. *Procurationes,*
11 *supra eod.* Rursus dicit canon Visitatores esse procurandos cum per non suæ civitatis parochias fatigantur, ut cap. *Charitatem, §. Visitatores, 12. qu. 2.* Ergo à contrario non sunt procurandi cum fatigantur per parochias suæ civitatis: sed ratio decidendi contrarium fuit secundum Hostien. quia dignum est, ut qui spiritualia seminat, & temporalia metat, *1. ad Corinth. 9. §. Hinc, 13. quæst. 1.* & cap. *Cum ex officij, de præscript.* Unde procuratio

est

est visitationē annexa, c. *Cum venerabilis*, §. 1. *supra eod.* Hæc autem ratio æquè viget in visitatione civitatis, atque diœcesis; ita Host. *hic in princ. vers. Tu dicas quod pro Monachos.* Jo. Andr. n. 15. Card. n. 3.

12 Anchar. n. 4. & Abb. n. 2. Non obstant jura in contrarium adducta, quia loquuntur de expensis factis occasione negotiorum, quæ tunc demum repetuntur, cum interest: sed procuratio debetur ratione officij, etsi non interfit, ut ostensum est supra.

13 Item non obstat dec. *Charitatem*, 12. q. 2. quia non loquitur de visitatione, quæ incumbit Episcopo ratione officij, sed de visitatione mensæ Episcopalis sede vacante, ubi quidam clerici in propria civitate habentes hospitia debent illa gratis juvare, cum non intersit ipsorum: quod si trahantur extra, providebitur eis, ne obsequium suscipis damnolum, ut ibi dicitur in fine. Sed in visitatione Episcopi consideratur officium, & non interesse, ut prædixi: & ideo exhibenda est illi procuratio etiam cum visitat ecclesias civitatis, ut hic decidi-

14 tur: Hodie dic secus, quia jure novissimo Concilij Tridentini *sess. 24. c. 3.* (Serò monentur Episcopi, & alij, ad quos visitatio spectat, ut modesto sint contenti equitatu, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, oneri ve sint, neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine nec peculiam, nec munus quodcumque sit etiam qualitercumq; offeratur, accipiant; non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili, exceptis tamen victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderatèque pro temporis tantum necessitate, & non ultra erunt ministranda.) Hæc ibi. Dum igitur visitant ecclesias civitatis non sunt procurandi, quia cessat illa necessitas temporis, quam Concilium præcisè ad hoc requirit, cum visitatione expleta, pos-

15 sint domi suæ victum sumere: & hanc sententiam jampridem probavit S. Congreg. ejusdem Concilij Interpres: nam dubitante Episcopo Tarentiano in visitatione posset exigere procurationem à Canonicis Cathedralis ecclesiæ, consuit *cap. 3. sess. 24.* dum de victualibus subministrandis disponit, non habere locum in visitatione Cathedralis ecclesiæ, sed diœcesis tantum, ibi, *equitatus*; ibi: *pro temporis necessitate*, &c. Sed & aliàs censuit nullam deberi procurationem Episcopo visitanti clerum

16 civitatis, ubi sita est Cathedra. Verumtamen quærenti An Concilium c. 3. *sess. 24. vers. Interimque censeatur sustulisse Cathedraticum*, quod singulis annis tam in visitatione, quàm extra exigi consuevit ab Ordinario: respondit Concilium nequaquam sustulisse Cathedraticum; sed illud non solvendum in visitatione. sed extra, & in Synodi celebratione: Hunc articulum plenè examinavi in c. *Conquerente*, *in prima quæst. supra de offic. Ordinar.* Quemadmodum autem Concilium eò loci non sustulit Cathedraticum, ita nec canonicam portionem, quin potius eam præservavit in illis verbis, præter id, quod ex relictis pijs jure debetur: videlicet ex c. *Offitij*, & c. *Requisisti*, *supra de testam.*

18 Unde cum extaret consuetudo in ecclesia Tirasonen. exigendi trigesimam ex relictis piis ratione visitationis testamentorum, & fuisset dubitatum, an post Concilium esset observanda: Sac. Congregatio censuit esse observandam. Secus si in testamentis nullum esset relictum pium, Ca-

19 terum orta dubitatione an Episcopo accedenti ad Sacramentum Chrismatis conferendum populus, vel Clerus teneatur subministrare victualia: S. Congregatio censuit non teneri.

20 Quartò nota ibi, *procurationem hactenus non solverunt*: procurationem ratione visitationis debitam non esse à subdito præscriptibilem, ut hic patet expressè: nam ut videt, hoc monuit erium nunquam procuravit Episcopum, & tamen compellitur ad procurationem exhibendam: concordet cap. *Cum instantia*, *supra eod.* & cap. *Cum ex officij*, *de præscript.* & hic notant glos. 2. Innocent. *num. 6.* Hostien. *num. 1. in vers. Et ipsi*, Butr. *in 4. not.* Cardin. *num. 1.* Anchar. & Abb. ambo in 2. *not.* & idem Abb. in Clem. *Cum sit*, *num. 2. de censib.* Lap. *alleg. 30. num. 9. vers. Licet tamen procuratio*, Calder. *cons. 86. circa*

21 *med. vers. Ita aliibus*, *alias 6. de offic. deleg.* Dixi ratione visitationis debitam, quia aliæ tres species procurationis, videlicet quæ debetur ratione consuetudinis, aut ratione pacti, vel privilegij, sunt præscriptibiles secundum Hostien. in cap.

22 *Procurationes*, *in princ. supra eodem.* Item dixi à subdito, quia alius Prælatus contra Episcopum benè poterit procurationem præscribere, sicut & visitationem, ut est textus in d. c. *Cum ex officij*, & tenent hic Doctores cum glos. 2. & Calder. *cons. 453. alias 11. in princ. de censib.* & *cons. 452. alias 10.*

23 *eodem tit.* Prima ratio cur adversus Episcopum hujusmodi præscriptio non currat, est quia cum procuratio, ut prædixi, sit annexa visitationi, quemadmodum jus visitandi numquam præscribitur, d. cap. *Cum ex officij*: ita nec jus exigendi procurationem, quia de connexis idem judicium, ut dicitur in illa decretali, *Cum ex officij*: & notat Abb. *cons. 26. in princ. vers. Circa secundum*, *lib. 2.* Secunda ratio, quia si propter consuetudinem, vel præscriptionem Episcopi gratis deberent munus visitationis impendere, verendum esset ne visitationem negligerent, argum. d. c. *Cum ex officij*, *in fin.* Hoc autem constat esse absurdum, quia jus iterandi visitationem est publicum utilitate, & authoritate, c. *Si diligenti*, *supra de foro compet.* & consuetudo in talibus non est toleranda, c. *Nec consuetudinem*, 12. *dist.* Ita Innoc. *hic n. 6.*

24 Sed hodie hoc corrigitur à Concilio Tridentino in d. c. 3. §. *In iis verò*, *sess. 24.* ubi dicit his verbis statuitur, ut in ijs locis; seu provinciis, ubi consuetudo est ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur, & in vers. seq. infligitur transgressoribus pœna.

25 Sed hic incidit dubitatio; quid si consuetudo non solvendi procurationem non sit generalis in loco, vel provincia, sed una tantum, vel altera ecclesia Episcopum non procuraverit, an nihilominus liceat Episcopo ab ecclesia illa procurationem exigere.

26 Videtur respondendum licere: nam Concilium in dict. §. In iis non loquitur de præscriptione, sed de consuetudine, ad esse autem consuetudinis requiritur ut sit generalis in loco, cum sit jus non scriptum universaliter constitutum, ut l. *De quibus*, *ff. de legib. instit. de jur. natur.* §. *Ex non scripto*, cap. *Consuetudo*, 1. *dist.* & notabiliter declarat Azo *in summa C. Quæ sit longa consuetudo*, Bart. post Cyn. in l. 2. *num. 11. C. 12. C. eod. tit.* Alexan. *cons. 173. Visa*, *num. 7. lib. 6.* & hæc est una ex substantialibus differentijs inter consuetudinem, & præscriptionem, quæ ex consensu singulari inducitur, ut notat glos. *ult.* in cap. *fin. supra de consuetud.* Bart. *d. num. 11.* & Abb. *cons. 18. Primò quod communitas*, *col. 4. vers. Non obstat*, *sub num. 7. lib. 2.* Neque à consuetudine, quæ favorabilis est, licet inferre ad præscriptionem, quæ est odiosa, ut notat Collect. in c. *Cum contingat*, *num. 1. sup.*

27 *de decim.* & Bero. *cons. 115. num. 57. lib. 1.* Item verba illa, in iis locis, seu provinciis ubi consuetudo est, &c. non adaptantur ad observantiam unius, vel alterius ecclesiæ, argum. c. *Novit*, 12. *dist.* l. *Omnes*, ibi, Aut provinciam, aut locum, aut regionem, *C. de Episcop. & cleric.* Facit quod notat glos. in c. 1. *in ver. singularium*, *de Constitut. lib. 6.* Item illa dictio, *seu*, quæ non est propriè alternativa, sed ponitur interea, quæ sunt ejusdem generis, ut notatur per Doctores in c. *inter cæteras*, & ibi plenè dixi, *supra de rescript.* Ostendit Concilium accepisse locum non pro ecclesia particulari, seu loco loci, sed pro diœcesi, aut oppido: alioquin si locum intellexisset pro ecclesia, incongruè dixisset in loco, seu provincia. Item eo casu non possent verificari illa verba universalia Concilij, ut gratis omnia fiant, si aliqua ecclesia loci procurationem solveret, c. *Si Romanorum*

28 *num. 19. dist.* Præterea non est credendum Concilium voluisse præservare præscriptionem unius ecclesiæ in præjudicium alterius, cui accresceret onus solvendi integram procurationem, arg. c. *Cum Marchesius princip. supra de Const.* & c. *fin.* ibi, Quantoque inter pauciores, &c. *de concess. præben. lib. 6.* ad hoc c. *Cum causam*, *supra de præben.* Et maximus c. *Procurationes*, *vers. Hoc adhibito moderamine*, *supra eod.* nam onera simul juncta facilius comportantur, cap. *Gaudentes*, *supra de præscript.* cum aliis in proposito adductis per Hostien. in d. c. *Procurationes*, *num. 4.* Dicam ergo respectu talis præscriptionis hanc decretalem non esse correctam: c. *Cum expediat*, *de elect. lib. 6.* Quod enim non inutatur, &c. l. *Sanctimus*, C. *de testam.* & l. *Præcipimus*, *in fin. C. de appellat.* In hoc tamen non audeo quidquam firmare, quia nihil reperio decisum, & consulo ut resolutio petatur à S. Congregatione, cujus est Concilium interpretari.

29 Illud tamen adverto circa hujusmodi consuetudinem negativam, quam Concilium præservat, non solvendi procurationem; quia ad hoc ut detali consuetudine dicatur constare, ex plius Congregationis sententia non sufficit, ut visitati nunquam Episcopum procuraverint, seu probari oporteat Episcopum petiisse procurationem, & visitatos detrectasse illam solvere, & postea Episcopum per longum tempus acquisivisse, prout requiritur in facultativis, & declarat Cyn. in l. 2. C. *Quæ sit longa consuetudo.* Bald. *cons. 201. Casus est talis*, *num. 1. lib. 2.* Abb. *d. cons. 18. col. penult. vers. Oportet ergo*, *lib. 2.* & alibi passim Doctores. Hanc autem consuetudinem Sac. Congregatio dixit probandam esse coram Metropolitano, ut notavi in c. *Procurationes*, *in fin. sup. eod.*

30 Ultimò nota ibi, *nisi aliud rationabile ostendatur*: posse aliquando legitimam causam subesse cur procuratio non debeatur Episcopo visitanti, & sic non semper procuratio est visitationi annexa, glos. *fin.* Host. *num. 1. in ver. Et ipsi*, Butr. *num. 5.* & alij post eos exemplificant in tribus casibus. Pri-

31 mus est cum ecclesiæ habent super hoc speciale

privilegium à Sede Apostolica, ut c. *Cum instantia*, *supra eodem.* Dixit tamen Sac. Congregatio Concilij regulares exemptos à procuratione pecuniaria non videri exemptos à procuratione in victualibus, sed tantum ab indebita extorsione,

32 habuitque pro valde dubia decisionem Rotæ, quod revocata exemptione à visitatione non censeatur revocatio exemptio à procuratione, justitque suaderi partibus ut iterum adirent Rotam. Secundus casus est cum allegatur præscriptio non à

33 subdito, sed nomine alterius Prælati, ut c. *Cum ex officij de præscript.* Tertius est cum ecclesiæ tanta paupertate laborant ut Episcopum procurare non possint, c. *Odoardus*, *de solut.* tunc enim tenetur Prælatus suis sumptibus explere visitationis officium, argum. cap. *Cavendum*, & cap. *Placuit*, 10. *quæst. 3.* & cap. *Iam nunc*, 28. *quæst. 1.* & notat Hostien. in cap. *Procurationis*, *num. 4.* & post eum Jo. Andr. *ibidem num. 6. in ver. Vel plures.* Butr. *num. 5.* Cardin. *num. 3.* & alij communiter. De quo tamen

34 dic latius, ut in quæst. seq.

QUÆRO an Episcopo visitanti hospitalia pauperum infirmorum debeatur procuratio, nec ne. *Die 8 Novembris* 1623. in sacra Congregatione Concilij, cui interfuerunt Sac. Romanæ Ecclesiæ Cardinales à Monte, Millinus, Mutius, S. Susannæ, De Zoli, Roma, Cajetanus, S. Sever. D. Torres, & Boncampagnus cum propositum fuisset suprascriptum dubium, Cajetanus censuit procurationem non deberi, ductus rationibus, & authoritatibus expressis in voto, quod incipit, Proposito hoc dubio: & in specie ponderavit textum in cap. *Statutum*, §. *Insuper*, *de rescript. lib. 6.* ibi, [Sed & adhibito moderamine, ita non pro expensis nil prorsus exigat ab eisdem.] Item ponderavit verbum textus in cap. *Placuit*, 1.

35 *quæst. 2.* ibi, (Si vero aut paupertas illum, aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo.) Per quem textum glos. agens de procuratione in cap. *Cum instantia*, *in ver. Pragravari*, *supra eod.* [Imo, inquit, à paupere non debet exigere, quia nec judex exigit sportulas à pauperibus, in Auth. *de Mandat. Princip.* §. *Sitibi quoque coll. 3.* nec etiam tenuis vitæ homines sub adventu officialium injuriis af-

36 fici debent. *ff. de off. Præsid. l. Illiteras*, §. 2. *supra eod.* cap. *Eaque*, Dabitur enim Episcopis hac ad bibendum, ut dicit Joannes, in cap. *Illud*, 10. *quæst. 3.* Ne rubentibus buccis prædicent jejuniorum doctrinam, 55. *dist.* cap. *Sexta die*, nec bibent ultra tertiam vicem, 44. *dist.* In illa palea Quando, &

37 comedent lardum, vel carnes cum aceto, *C. de erogat. milit. ann. l. 1. lib. 12.*] Hactenus verba gl. Nec putavit referre quod quædam hospitalia amplissimos habeant reditus: nam cum omnes erogari debeant in usus pauperum juxta Clem. *Quia contingit de relig. domib.* Si qua in parte ex detractione procurationis minuerentur, procuratio per indirectum exigeretur à pauperibus ipsis, quitamen ad victualia non tenentur secundum prædictam glossam, quam ibi sequuntur Host. Jo. Andr. Anthar. Abb. & communiter Doctores. Archidiaconus alios referens in c. *Romana*, *n. 1. in ver. De pluribus de censib. lib. 6.* & in specie de hospitalibus infirmorum, & leprosorum; hoc tenent in d. Clem. *Quia contingit*, Cardin. *num. 18.* Imol. *num 23. ad fin.* & Bonifacius Vitalin. *num. 94.* ubi concludunt hospitalia hujusmodi quamvis possint vilescari, tamen non teneri ad procurationem, quia omnia

sunt

sunt consumenda in alimenta Rectorum, & pauperum, ut in d. Clem. Idem firmat Lap. de Castellione in *suo tract. de Hospital. n. 48.* inter tractatus communes *tomo 15. pag. 336.* [Quia sicut, inquit, Episcopus debet visitare ecclesiam non obstante paupertate, & nihil exiget isto casu, ut notatur in cap. *Romana. §. 1. de Censib. lib. 6.* ita & Hospitale, & nihil exiget, cum pauper intelligatur, sed curabit ut pauperibus erogetur.] Sequitur Sylvest. *in ver. Hospitale, num. 16. vers. Sed verius.* Millinus eamdem sententiam sequutus dixit rem claram, cum universi hospitalium reditus ex dict. Clem. quia contingit, sint expendendi in usum pauperum, attulit etiam authoritatem Cardin. in cap. *Cum Romana, de Simon.* & aliquot recentiores, qui testantur hanc opinionem esse communem, & ita fuisse resolutum. Addidit etiam pro hac parte multam æquitatem, ut magis consulatur pauperibus, ac miserabilibus infirmis, quorum Episcopi præcepto divino tenentur paternam curam gerere, ut habetur
38 in *cap. 1. in princ. sess. 23.* Concil. Tridentini. Muras dixit, si agatur de hospitalibus in Civitate existentibus, rem esse extra omnem dubitationem, quia Episcopo visitanti ecclesias, & pia loca Civitatis post decretum Concilij, *cap. 3. sess. 24.* procuratio non debetur, licet, aliud esset de jure communi, c.
39 *Venerabili, de censib.* Sed si agatur de hospitalibus extra Civitatem quamvis negativa opinio communis sit, sibi tamen rem dubiam videri, quia omnes fundantur in d. Clem. *Quia contingit, de relig. domib.* quæ tamen non decernit explicitè procurationem non deberi, sed duo tantum statuit, idest hospitalia infirmorum debere visitari, & eorum reditus esse in usum pauperum expendendos. Hanc autem secundam partem ait non excludere procurationem, quia stant simul ut reditus sint insumendi in usum pauperum, & tamen ex iis procuratio debeatur, quemadmodum videmus hanc rationem quod sint expendendi in usum pauperum, non obstare quominus inde aliqua portio detrahatur pro ministris juxta dispositionem d. Clem. sed tamen dixit se sentire cum communi. S. Susannæ dixit Feder. de Sen. *cons. 3. aliàs 111. n. 5.* consuluisse deberi procurationem Episcopo hospitalia infirmorum visitanti, & rationes esse contra comunem; quia non sequitur, Bona hospitalium sunt destinata in usum pauperum, ergo ex his non debetur procuratio; & alioquin sequeretur, ut procuratio ferè nullo casu solvenda esset, cum bona omnia ecclesiastica sint in aliquem usum destinata, & in specie reditus beneficiorum partim pro fabrica, & partim pro pauperibus. Unde quamvis bona ex largitione fidelium in hunc usum sint destinata, hoc tamen esse intelligendum cum oneribus annexis. De Zolleris inclinavit, & ipse contra communem addidit Episcopos vix visitaturos absque procuratione, eamque moderate solvendam esse habita ratione paupertatis locorum, ut in c. *Cum Apostolus, in fin. de cens.* & est expressum in cap. *Conquerente,* ibi, Non amplius procurationis nomine requiras ab eis nisi quantum pensatis facultatibus moderatè poterunt exhibere *de offic. Ordin.* Neque id sibi inconveniens videri. Roma adhæsit opinioni negativæ quam dixit communem esse, neque obstare rationem Cardinalis S. Susannæ, quod etiam reditus beneficiorum sint in usum pauperum expendendi: quia non omnes, ut patet in c. *Volu*, & c. *Concesso, cum quatuor seqq. 12. q. 2.* At in hospitalibus de bonis omnibus extat particularis destinatio. Præterea dos in hospitalibus non videtur ab initio fuisse assignata pro talibus oneribus, sicut assignatur ecclesiis, ut formaliter inquit Card. in d. Clemen. *Quia contingit, num. 18.* & Imol. *num. 7. circa fin.* Dixit etiam non obstare textum in d. cap. *Conquerente, de offic. ordinar.* quoniam loquitur de ecclesiis, quæ non sunt penitus impotentes, sed aliquid conferre possunt pensatis facultatibus, licet ad totam procurationem Episcopo faciendam non sufficiant, ut observat Archid. in c. *Romana, col. 3. vers. Prædicta verò decretalis, de Censib. lib. 6.* Sed hospitalia nihil de suo possunt conferri cum omnia sint pauperum. Sancti Severini sensit contra communem eo quod Doctores, qui dicunt Episcopum hospitalia visitantem non esse procurandum, moventur potissimum tribus rationibus. Prima est, quia hoc non requiritur jure cautum, hanc rationem dixit sibi non placere, quia procuratio annexa est visitationi, cap. *Cum venerabilis, de Censibus,* & c. *Cum ex officij, de præscript.* & standum
40 est regulæ quamdiu non probetur exceptio. Secunda ratio, quia omnia sunt eroganda in usum destinatum, quæ similiter sibi visa est non concludens; quia fructus omnes piorum locorum sunt expendendi in usus destinatos; & tamen ex his detrahitur procuratio. Tertia ratio est quia paupertas excusat à solutione procurationis. Quod tamen ait procedere si paupertas sit magna. Quod non accidit in omnibus hospitalibus, sed in aliquibus tantum. Quam sententiam, & Boncampa-
41 gnus sequutus est. De Torres probavit contrariam, & communem opinionem, respondit que ad rationem Cardinalis Muti idcirco solvenda esse salaria ministrorum, non obstante destinatione in usum pauperum, quia ministri aliàs non tenentur pauperibus inservire, ac ministrare. Ideoque solutio est absolutè necessaria, & quod pro ipsis erogatur in usum pauperum erogari intelligitur. At secus est in procuratione, quia Episcopus tenetur visitare stante paupertate etiam absque procuratione, d. cap. *Placuit, 1. q. 2.* & propterea quod in causam hanc solvitur, non potest dici erogatum in usum pauperum, sicut ministrorum stipendia. Nec dicit habendam esse rationem an reditus hospitalis sint pingues, an tenues, cum omnes sint destinati in usum pauperum, & quidquid detrahitur, pauperibus ipsis detrahi intelligatur. A Monte idem censuit. Itaque Patres majori parte existimarunt procurationem non deberi. Omnes tamen dixerunt articulum esse iterum proponendum, ac videndum de veritate communis opinionis.

De celebri glossa Innocentij in materia excommunicationis ab Episcopo fulminatæ in Abbatem tenuentem admittere, & procurare ipsum visitantem, egi post Hostien. in c. *Procurationes, supra eod.* ibi plenè videas.

DE CENSIBVS.

Cap. Auctoritate.

SVMMARIVM.

1 *Procuratio non debetur propter privatum Oratorium.*
2 *Oratoria privata non sunt sub potestate Episcopi quoad visitationem, & procurationem, & num. 29.*
3 *Oratorium, vel hospitale non præsumitur esse publicum ex eo tantum, quod interdum ibi celebretur.*
4 *Nisi actus celebrationis sit publicus.*
5 *Oratorium, & ecclesia in quo differant, & num. 27.*
6 *Oratoria privata non gaudent immunitate ecclesiæ, nec possunt ibi publicè teneri, aut pulsari Campanæ, nec Missæ celebrari, & quod hodie est Oratorium, cras poterit esse Camera, & num. 27.*
7 *Divina possunt ibi celebrari de licentia Episcopi, qui tamen non debet eam concedere in magnis festivitatibus.*
Et quid post Concilium Tridentinum, num. 9. 17. & seqq.
8 *Oratorium an possit destrui auctoritate Episcopi, si habitasse non tenedur.*
10 *Commissarius Cruciatæ an possit concedere licentiam celebrandi in Oratoriis domesticis, an verò hæc facultas sit Papæ reservata, & num. seqq. usque in finem.*
11 *Oratorium publicum quid differat à domestico.*
12 *Oratorium publicum tam de jure Canonico, quàm civili construi non potest sine auctoritate Episcopi.*
13 *Oratorium domesticum unicuique fidelium licet habere in domo sua, & ibi orare, sed Missas celebrare non licet, & num. 16.*
17 *Tridentini Concilij Decretum circa Oratoria exponitur.*
18 *Missam celebrandi licentia in oratoriis privatis non potest concedi ab Episcopo, sed petenda est à Sede Apostolica.*
19 *Domus Principis, Arces, & Palatia, in quibus Barones jurisdictionem exercent comprehenduntur in prohibitione Trident. Concilij de Missa in privatis domibus non celebranda.*
20 *Missa in domo privata ad hoc, ut infirmus pro viatico communicetur, celebrari non potest de licentia Episcopi.*
21 *Indultum audiendi Missam in domo propria sublatum est à Conc. Trident.*
22 *Licentia celebrandi in Oratoriis privatis quibus conditionibus concedi consueverunt à Sac. Congregatione Concilij.*
23 *Episcopus potest concedere licentiam celebrandi in Oratoriis publicis.*
24 *Oratorium, ut publicum censeatur debet habere ostium immediatè respondens in viam publicam sive vicum, aditu, vel prospectu à loco privato.*
25 *Oratoria, quæ in monasteriis, & hospitalibus ecclesiastica constructa sunt, censentur publica.*
26 *Oratoria pro infirmariis Monialium qualiter concedantur à Sede Apostolica.*
27 *Oratoria privata appellationi ex Bulla Cruciatæ non venit beneficium, sed publicum, quod privatum appellatur ad differentiam ecclesiæ consecratæ.*
28 *Sacella castrensia sunt quasi privata domus [illegible].*
29 *Oratoria publica possunt visitari ab Episcopo, non autem privata.*
30 *Bulla Cruciatæ interpretari debet, ut minus deroget juri communi, & Concilio Tridentino, quàm fieri potest.*

1 AUCTORITATE. Propter privatum Oratorium procuratio non debetur. Hoc dicit. Secundum Jo. Andr. & omnes. Non dividitur.

2 Nota primò ibi, *Procurationes, quæ ratione visitationis debentur.* Privata Oratoria non esse sub potestate Episcopi quoad jus exigendi procurationem, & consequenter nec quoad jus visitandi, quia procuratio de jure est annexa visitationi, cap. *Cum venerabilis, §. 1. supra eodem,* cap. *Cum ex Officij, de præscriptionibus,* glos. 1. in reg. *Omis, de regul. iur. lib. 6.* Nec potest esse annexum sine suo principali, cap. *Et quod dicimus, 16. quæst. 7.* glos. 1. *de regul. Accessorium, in regul. iur. lib. 6.* Anchar. *cons. 394. Dubium est, num. 3.* Propterea igitur nihil est procurationis nomine exigendum, quia nihil est ibi visitandum, ut dicunt Vincentius, & Goffredus, & post eos Hostiensis hic num. 1. & notat Abbas in 1. notab.

3 Secundò nota ibi, *Interdum aliqui vestrum celebrant.* In privatis Oratoriis quandoque Missas celebrari, & sic actus celebrationis non infert pernecessariò, ut locus sit publicus, quod nota secundum Anton. de Butr. *hic in 2. notab.* & Abb. num. 1. quia facit pro hospitalibus, in quibus interdum celebratur. Nam ex hoc solo non concluditur hospitale esse religiosum, quia non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, l. *Neque Natales, C. de probat. unilius,* & cap. *de Translat. Epi-*
4 *scopi.* Sed hoc intellige secundum eos, nisi actus celebrandi sit publicus, ita ut omnes indifferenter admittantur, ut notat Archid. in cap. *Nemo, num. 3. de consecrat. dist. 1.*

5 QUÆRO, quæ sit differentia inter Oratorium & ecclesiam? Solutio, dic secundum Innoc. hic post medium vers. Ecclesia. Hostien. num. 4. Joan. Andr. *eod. num.* Anchar. num. 4. & Abb. n. 5. ecclesia dicitur ubi statuta est certa dos pro Sacerdote, & Clericis ibi deservientibus, & pro aliis ecclesiæ necessitatibus, dict. cap. *Nemo, de consecrat. dist. 1.* cap. *Sicut infra de Consecrat. Eccles. vel Altar.* Oratorium verò dicitur quod non est dotatum, nec est ædificatum ad Missam celebrandam, sed tantummodo ad orandum, cap. *Unicuique de con-*
6 *secrat. dist. 1.* & in Auth. *Ut nulli fabr. orat. domos §. 1.* Quare est hodie in Oratorium, cras poterit fieri camera, cum non sit locus Deo dicatus, secundum Hostien. *hic,* & Jo. Andr. num. 1. Unde in hujusmodi Oratoriis nō possunt publicè teneri, nec pulsari Campanæ, cap. *Patentibus infra de sententiis,* nec gaudent immunitate ecclesiæ, ut contra Goffredum notat Hostiensis hic num. 2. vers. *Et quamvis Goffredus,* Jo. Andr. *eod. num.* Abb. n. 4. & scripsi plenius in cap. *Ecclesia, [illegible] infra de immunit. eccles.* &
7 infra [illegible] num. 14. & 15. Nec ibi licitum est Missas celebrare, ut in juribus proximè citatis. Dicit tamen Innocentius, & post eum Hostien. *hic num. 4.* & Jo. Andr. *eod. n.* posse in eis quandoque celebrari de licentia Episcopi, qui tamen non debet eam concedere in magnis festivitatibus,

Cle-

cap. *Clericos*, & cap. *Tegumen extra parochias*, de conse-
8 crat. *dist.* 1. Quinimo fatetur idem Innocentius
hic post medium, quod illis, quorum sunt orato-
ria, non tenentur ea honestè, nec faciunt illos ce-
lebris, poterit Episcopus ea destruere, cap. *Omnes*,
el primo, & cap. *Si qua de consecrat. dist.* 1. Sed hoc ve-
rius putant Hostien. num. 2. *propè finem*, vers. *Hoc*
intelligas, & Jo. Andr. num. 3. vers. *Quod verum puto*
dummodo fuerint dedicata, & auctoritate Ponti-
ficis ædificata ad celebrandum, aliàs contra, ut
9 dictum est supra. Verum quoad celebrationem
Missæ post Concilium Tridentin. hæc non pro-
cedunt, ut dixi in cap. *Is in de privileg.* & infra sub-
jiciam num. 17. & seqq.

10 Ulterius QUÆRO utrum in vim Bullæ Cru-
ciatæ Commissarius impertiri possit licentiam ce-
lebrandi Missam in Oratoriis domesticis ab Or-
dinario visitandis, & approbandis, an verò hæc fa-
cultas sit Sedi Apostolicæ reservata?

11 Pro solutione primò supponenda est distinctio
inter publica, & domestica oratoria: publica e-
nim non possunt constitui sine authoritate Epi-
12 scopi, Concilium Calcedon. can. 4. relatum in c.
Quidam, 18. q. 2. Placuit igitur neminem aut ædifi-
care, aut construere monasteria, aut oratorij do-
mum sine conscientia ipsius civitatis Episcopi.
Quod est etiam de jure civili, ut in *Auth. Ut nullus*
fabricet oratorii domus præter voluntatem Episcopi, &
ut deputet prius, quæ circa decentiam, & luminis
in fabricando oratoria sufficiant. Et in nihilo Sanctorum
nulli licentiam esse neque ecclesiam, neque
oratorii domum incipere ædificare, antequam
13 Deo amabilis Episcopus Crucem figat. At in do-
mesticis authoritas Episcopi nō requiritur, Con-
cil. Aurelian. 1. relatum in c. *Unicuique de consecr.*
dist. 1. Unicuique fidelium in domo sua oratorium
licet habere, & ibi orare.

Hanc primam differentiam ponit Cardinal.
Zabarella *cons.* 11. *Præmittendum est*, & Lapus *alle-*
gat. 41. *Quæritur de tribus*, num. 2. Butr. *cons.* 19.
Quia hic agitur, num. 19. Quintil. Mandosius *in reg.*
de Annal. quæst. 17. num. 9. vers. *Oratoria aliqua in hac*
generalitate. Hinc resultat secunda differen-
tia: nam publicum est ecclesiasticum, domesti-
cum verò prophanum: ideoque illud potest vi-
sitari ab Episcopo, Innocentius, & Doctores
hic: domesticum non potest, ut hic est casus, se-
cundum ea, quæ dixi supra in 1. *notab.* In illo li-
cet habere campanas, cap. *Nimis iniqua*, *de excess.*
Prælator. secus in hoc cap. *Peteutione*, *de privileg.*
ubi de Templariis, & Hospitalariis, Butr. *d. cons.*
14 19. num. 19. Illa gaudent immunitate, hæc non,
Paulus de Castro *cons.* 167. *Præsupposita*, num. 4.
lib. 2. Romanus latè *cons.* 477. *In casu proposito*, n.
2. & *seq.* & dictum est supra num. 6.

15 Denique in illis etiam de jure communi pote-
rat celebrari exceptis majoribus solemnitatibus.
Concilium Agath. c. 21. c. *Si quis*, *de consecrat. dist.* 1.
Si quis in agro oratorium habere voluerit, ut ibi
Missas audiat, permittimus, Pascha verò, Natali
Domini, nonnisi in civitatibus, sive parochiis au-
diant, & patet ex dictis supra num. 7.

16 Contrà in domesticis dicto Concil. Aurelian.
Unicuique fidelium in domo sua oratorium licet
habere, & ibi orare: Missas autem ibi celebrare
non licet. De quo habetur alius titulus in Auth.
Ut in privatis domibus sacra mysteria non fiant.
& in nigro: Interdicimus omnibus in domibus

suis habere quasdam quasi orationum domos, &
in his sacra celebrare mysteria, sed solius oratio-
nis gratia hoc eis permittimus.

17 Hanc differentiam clarè constituit Tridentin.
Concilium c. *unico*, sess. 22. *de observ. & evit.* ibi [Ne
ve patiantur privatis in domibus & omnino extra
ecclesias, & ad Divinum tantum cultum dedicata
oratoria ab Episcopis visitanda, & approbanda
sacrificium Missæ peragi: ibi enim Concilium duo
facit; primò vetat missam celebrari privatis in do-
mibus; deinde similiter vetat, ne id fiat in locis,
quæ sunt omnino extra ecclesiam, & extra orato-
ria ad divinum tantum cultum dedicata ab Ordi-
nario designanda, & visitanda. Ex quibus colligi-
tur Concilium agnovisse hanc differentiam inter
oratoria domestica, & publica, & domestica esse
illa, quæ aut sunt in privatis domibus, aut extra ec-
clesiam, sex extra oratoria dedicata ad cultum di-
vinum, & in his absolutè prohibuisse Missæ sacri-
ficium fieri etiam Episcopo permittente, & in hoc
sublatam esse antiquam Canonistarum alterratio-
nem: Publica verò esse illa, quæ extra privatas do-
mos ad divinum tantum cultum sunt dedicata, &
designata ab Ordinario, adeò Ordinarij auctori-
tate constructa, de quibus per Cardinal. d. cons. 11.
num. 5. in fin. vers. *Et pro prædictis*. Et in his permisisse
Missas celebrari, prævia tamen visitatione, seu ap-
probatione Ordinarij.

18 Porrò quoad oratoria domestica S. Congrega-
tio aliàs consulta, Utrum Episcopus attento Con-
cilij Tridentini decreto in oratoriis existentibus
in domibus privatorum celebrandi Missas licen-
tiam ex causa concedere possit, censuit non posse,
sed hanc licentiam petendam esse à Sede Aposto-
lica, prout post Concilium Tridentinum hactenus
observatum est. Et propterea jussu Pauli V. me
Secretario dedit literas circulares ad universos
Episcopos, quibus declaravit illam facultatem il-
lis non competere, eisque injunxit, ut si quas li-
centias à seipsis, vel à suis Antecessoribus con-
cessas reperissent, nullas, & irritas decernerent. I-
19 tem cum dubitatum esset, an in domo Principis
posset Missa celebrari, quasi non veniat appellati-
one domus privatæ, sic etiam de Arcibus, & Pala-
tiis Baronum, ubi exercent jurisdictionem, Sac.
Congregatio respondit comprehendi decreto
20 Concilij hujusmodi loca. Et cum Cardinalis Le-
gatus Portugalliæ petiisset, ut posset concedere li-
centiam celebrandi Missam in domo privata de-
center accommodata, cum infirmus aliquis pro
viatico debet communicari: & hoc quia in illis re-
gionibus sunt multa loca adeo dispersa, & remota
à parochijs, ut non sine maximo incommodo possit
21 Eucharistiæ Sacramentum circumferri: S. Con-
gregatio respondit non esse concedendum. Quin
etiam cum Agnetis, & Theresia de Casimin dubi-
tassent, an indultum audiendi Missas in propria ce-
rum domo sibi per Paul. III. concessum, per Con-
cilium fuisset sublatum; S. Congregatio censuit
esse sublatum: concessit eis tamen, ut Missas in il-
la domo audirent in oratorio tantum ab Ordina-
22 rio approbando. Atque ita ejusmodi licentiæ ce-
lebrandi in oratoriis domesticis consueverunt
olim obtineri ab eadem Congregatione Conci-
lii, in qua etiam stabilitæ fuerunt conditiones, & à
Sanctissimo approbatæ, quibus illæ deinceps al-
lent concedendæ, nempe.

Primò, ut oratorium constituatur in loco de-
centi,

centi, & clauso, visiteturque & approbetur ab
Ordinario.

Secundò, ut facultas hæc non concedatur nisi
viris, aut fœminis primarijs morbo, aut alia causa
impeditis, ne ad ecclesiam accedant.

Tertiò, in die Paschatis teneatur is, cui con-
ceditur adire parochialem ecclesiam.

Quartò, ut id concedatur sine præjudicio ju-
rium parochialium.

Quintò, ut qui ibidem Missas audierint, non li-
berētur ab obligatione accedendi diebus de præ-
cepto ad ecclesiā pro Missis audiendis præter eos
famulos, & famulas tantum, qui servitio domini,
cui facultas conceditur, fuerint necessarij.

Quibus de mandato Pauli V. aliæ etiam con-
ditiones fuerunt adjectæ in Congregatione ora-
toriorum.

23 At verò de oratorijs publicis S. Congregatio
sæpius declaravit esse in facultate Episcopi, ubi
illa visitaverit, ac divino cultui peragendo apta, ac
decentia esse compererit, licentiam impertiri,
ut in eis sacrosanctum Missæ sacrificium celebra-
24 ri valeat. Et oratoria publica censuit esse cum ha-
bent ostium, quod immediatè respondet in viam
publicam, & nullum habent aditum, vel prospe-
ctum à loco privato, etiamsi in privato solo con-
structa sint, aut parietes habeant cum ædibus pri-
25 vatorum communes. Item publica censuit esse il-
la, quæ in locis publicis constructa reperiuntur,
veluti in monasterijs, & hospitalibus ecclesiasti-
26 cis, licet quoad monasteria Monialium Congre-
gatio ipsa hanc licentiam aliquando impertita
fuerit pro oratorio in eorum infirmaria constru-
cto cum clausulis, (Dummodo oratorium visite-
tur, & approbetur ab Ordinario, & ita construa-
tur, ut separatum à loco Infirmariæ, & clausum
maneat, nec aperiatur, nisi quando Missa ibi erit
celebranda, & arbitrio Ordinarij sic aptetur, ut
Moniales infirmæ possint videre, & audire Mis-
sam eo dumtaxat die, quo sacram Eucharistiam
27 sumere voluerint.) His positis, quicquid contra
senserit Ludovicus Lopez *in suo Instructorio*, *cap.* 6.
de Bull. videtur respondendum Cruciatam dum
dat facultatem celebrandi in oratorijs etiam tem-
pore interdicti, nequaquam esse intelligendam de
oratorijs domesticis.

Primò, quia etsi loquatur de oratorijs privatis,
hæc tamen qualificat per verba illa: Ad divinum
tantum cultum dedicatis: quæ quidem qualitas
minimè congruit oratorijs domesticis, quæ sunt
omnino prophana, & hodie sunt oratoria, cras ca-
mera, Glossa in Clem. *Quia contingit*, *in ver. Altare*,
de relig. domib. Cardin. *d. cons.* 11. n. 12. Paul. de Ca-
stro *cons.* 167. *Præsupposita*, *in fin. lib.* 2. Romanus
cons. 477. *In casu proposito*, *num.* 5. & dictum est supra
n. 6. Sed congruit tantum oratorijs publicis, quæ
sacris ministerijs dedicantur auctoritate Episco-
pi: nam locus quilibet consecratus divino obse-
quio est Sanctum Sanctorum Domino, cap. *Nulli*,
12. *quæst.* 2. cap. *Mancipia*, *de rer. permut.* quæ jura ad
propositum nostrum adducit Card. *d. cons.* 11. *in*
princ. num. 1. *vers. Primo quidem*. Qualia sunt orato-
ria Hospitalium, & Confraternitatum, c. *Ad hæc*,
de religiosis domibus, cap. *Quidam*, 18. *q.* 2. cap. *Nemo*, *de*
consecr. dist. 1. Lapus *d. allegat.* 41. Calder. *cons.* 352.
An Episcopus, *alias* 24. *de testam.* Neque verò huic in-
terpretationi repugnant verba illa Bullæ, In pri-
vatis oratorijs: nam quamvis oratoria dicata ad

divinum cultum verè dicantur publica, si consi-
derentur ad differentiam illorum, quæ quilibet
privatus sine Episcopi auctoritate sibi construit
intra domesticos parietes; tamen appellari pos-
sunt privata, si considerentur ad differentiam ec-
clesiarum, à quibus differunt, quia ecclesiæ dotan-
tur, non oratoria, ut per Cardin. *eod. cons.* 11. *num.*
10. Ant. de Butr. *d. cons.* 19. *num.* 19. Rota *decis.* 508.
par. 1. *divers.* Covar. in cap. *Alma Mater*, *in* 2. *part.*
relect. §. 4. *num.* 2. Et fusè declarat Quintilianus
Mandosius *in reg. de Annali quæst.* 17. *num.* 7. & *seq.*
& constat ex dictis supra in 1. *quæst. num.* 5. Unde
cum privatum oratorium secundum latitudinem
vocabuli dicatur omne, quod non est ecclesia,
sive illud sit in se publicum, sive domesticum,
secundum Mandos. *d. num.* 7. Bulla addendo illa
verba, Ad divinum tantum cultum dedicatis, satis
declaravit se non intellexisse de privatis, prout
contra distinguuntur à publicis, sed de privatis,
28 prout contradistinguuntur ab ecclesia. Nam ta-
lia sunt subjecta, qualia prædicata demonstrant,
l. *Qui vinum*, *ff. de vin. trit. & oleo legat.* Oldrad. *cons.*
80. incipien. *Talia sunt subiecta*, Anchar. *cons.* 65. *Pro*
clariori, *num.* 5.

29 Et confirmatur ponderando subsequentia ver-
ba Bullæ: Ab Ordinario visitandis, & approban-
dis, quæ similiter non applicantur nisi publicis:
nam publica tantum possunt visitari, secus dome-
stica, ut in hoc cap. & dixi supra in 1. *notab.*

Observandum est etiam Bullam hac in parte
loqui per eademmet verba, quibus loquitur
Concilium in d. §. *Neque patiantur*. Sed decretum
Concilij in illis verbis, Ad divinum tantum cul-
tum, &c. non habet locum nisi in oratorijs pu-
blicis, ut ostensum est supra. Ergo nec Bulla
quæ verba sua à Concilio mutuavit, l. 2. C. *de Noxal.*
l. *Iuris gentium*, §. *Si paciscat*, *ff. de pactis*, juncta l.
Transigere, ubi glos. *magna*, C. *de transact.* Bart. &
Doctores in l. *Sciendum*, *ff. Qui satisdare cogantur*.
Alioquin verba Bullæ, Ad divinum cultum dedi-
catis, essent inania, & nihil operarentur. Atque
ita in terminis Bullæ Cruciatæ declarat Henriq.
in indulgent. lib. 7. *num.* 4. *litt.* K.

30 Præterea Bulla debet interpretari ut minus
deroget juri communi, & Concilio, quàm fieri
possit, cap. *Pastoralis*, *de privileg.* cap. 1. §. *Numquid*,
eod. tit. lib. 6. ubi Gemin. *in* 1. *notab.* Si intelliga-
tur, ut det licentiam celebrandi in oratorio do-
mestico, & in tempore interdicti, corrigit in duo-
bus. Est enim contra Concilium quoad oratoria,
& contra jus commune tam quoad interdictum,
cap. *Alma Mater*, *de sent. excomm. lib.* 6. quàm quoad
oratoria, ut in juribus, *num.* 13. allegatis. Ergo sa-
tis est, ut in uno corrigat jus commune, cap. *In his*,
de privileg. Unde hanc theoricam, DD. commu-
niter desumunt, & pluribus comprobat Suarez
lib. 8. *de leg. c.* 14.

Et confirmatur, quia etsi propter præservatio-
nem Pontificiæ authoritatis, de qua in *cap. ult. sess.*
25. non requiratur ut Tridentino Concilio spe-
cialiter derogetur, ut requiritur in alijs Concilijs
generalibus, juxta text. in c. *Ex parte*, *de Capell. Mo-*
nachor. Necesse est tamen, ut Papa expressè statuat
contrarium jus, quod Concilium disponit, ut sæ-
pius declaravit S. Congregatio ejusdem Concilij
interpres, ut patet ex motu proprio Pij V. ut dixi
in cap. *Nulla*, *num.* 86. *supra de concess. præben.* At Bul-
la tantum abest, ut expressè statuat contrarium

Bb ejus,

ejus, quod statuit Concilium, ut potius disponat illud idem, quod Concilium disponit, cum iisdem verbis utatur, ut dictum est supra.

Non obstat particula implicativa, *etiam*, quia implicat suppositivè, ut in indultis vescendi carnibus etiam temporibus jejuniorum, & quadragesimæ, & celebrandi ante lucem. Dum ergo concedit licentiam celebrandi etiam tempore interdicti, supponit licentiam celebrandi in Oratorio aliis temporibus. Id autem dupliciter potest contingere, vel quia publicum, vel quia adsit privilegium Sedis Apostolicæ.

Dicendum ergo aut Bullam loqui de publicis, vel de domesticis cum suppositione privilegij; debet enim supponere terminos habiles. Atq; hunc intellectum ad Bullam videtur sequi Henriq. *loc. cit.* & ita olim declaravit S. Congregatio Concilij censuit enim Comissarium Cruciatæ non habere facultatem concedendi licentiam celebrandi in Oratorijs domesticis, sed tantum in Oratorijs publicis ad Divinum cultum dedicatis.

His accedit observantia subsequuta tam quoad Commissarios, quam quoad Papam. Quoad commissarios, quia nunquam usi hac facultate; nec est verisimile usos non fuisse si habuissent. Et Archiepiscopus Toletanus revocavit concessiones, quas fecerat in vim Bullæ, & declaravit eas Pontifici reservatas.

Quoad Papam, quia concedit licentiam cum multis clausulis, & moderationibus, quarum superiùs meminimus, *num.* 22. & cum magna difficultate. Quod esset ridiculum si unicuique liceret ex Bulla Oratorium habere. Et augetur absurdum, quia sine licentia Commissarij id omnibus liceret etiam infimæ conditionis mediantibus duobus regalibus; nullibi enim in Butr. fit mentio de licentia Commissarij, nisi quoad indultum celebrandi ante lucem.

Ultimò, causa impulsiva, quæ movit Paulum V. ad revocandas licentias celebrandi in ejusmodi Oratorijs, fuit quoniam relati fuerunt graves abusus, qui in hac materia irrepserant, & præsertim quod Mauri, & Christiani novi in eis abutebantur Sacramento, & comittebant detestanda sacrilegia. Unde si adesset hæc facultas, tamen expediret eam revocare, ad c. *Suggestum, de decimis.*

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

Cap. Aqua.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia polluta per Sacerdotem simplicem reconciliari non potest, etiamsi aqua fuerit per Episcopum benedicta.*

2 *Delegari possunt ab Episcopo Clericis etiam minoribus quæ sunt iurisdictionis, non autem, quæ sunt ordinis.*

3 *Consuetudo potest plurimum in his quæ sunt iurisdictionis, sed in his quæ sunt ordinis nihil potest.*

4 *Iurisdictio sive ordinaria, sive delegata solo verbo committitur, & revocatur; potestas ordinis secus.*

5 *Papa potest committere quæ sunt ordinis etiam non Episcopo.*

6 *Reconciliatio ecclesiæ pollutæ si sit consecrata non facile committitur à Papa simplicibus Sacerdotibus.*

7 *Episcopatus est ordo.*

8 *Abbates Presbyteri, & benedicti de Episcopi consensu, vel cum specialibus eius dimissorijs an possint tonsuram, & minores ordines conferre sæcularibus eidem Episcopo subiectis, & num. seq. usque ad num.* 20.

9 *Congregationis Concilij declaratio à quorundam impugnationibus vindicatur.*

10 *Potestas duplex requiritur ad ordines conferendos.*

11 *Abbas Presbyter, & benedictus quoad non subditos caret potestate iurisdictionis, sed non potestate ordinis, & ideò ordinando illos imprimit characterem, & num. seqq.*

12 *Concilij Tridentini decretum in* cap. 10. sess. 23. *expenditur.*

13 *Episcopi titulares possunt ordines conferre de licentia Episcopi Diœcesani.*

14 *Episcopus potest alteri Episcopo ea quæ sunt ordinis demandare.*

15 *Abbas invitatus potest tonsuram, & minores ordines conferre etiam subditis alterius monasterij.*

16 *Lex nova disponens in materia antiqua recipit interpretationes, & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat.*

17 *Rotæ decisio de Abbatibus ordinantibus sæculares cum dimissorijs Episcopi expenditur.*

18 *Abbas qui sine Episcopi consensu contulit tonsuram, & minores ordines regularibus alterius Religionis dimissis à suis Superioribus incidit in pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati sunt suspensi ab executione ordinum.*

19 *Ordinati à non habente potestatem non sunt suspensi, sed iterum ordinandi.*

20 *Degradatio Clericorum an possit demandari ab Episcopo Abbatibus, Presbyteris, & benedictis.*

21 *Degradatio est ordinis Episcopalis.*
Mucro spiritualis est duplex, ibidem.

22 *Depositio ab ordine ad eum spectat, ad quem spectat ordinatio.*

23 *Declaratur, num. seqq.*

24 *Spiritualia facilius construuntur, quam destruuntur.*

25 *In Degradatione Presbyteri olim sex Episcopi erant adhibendi, tres in degradatione Diaconi, vel Subdiaconi.*

26 *Depositio verbalis ab ordinibus etiam sacris fieri potest ab Episcopo tam per seipsum, quam per eius generalem Vicarium.*

27 *Degradatio solemnis fieri potest ab Episcopo per seipsum adhibitis tamen sex Abbatibus usum mitræ, & baculi habentibus.*

28 *Vel alijs personis ecclesiasticis etiam non diœcesanis si Abbates commodè interesse non possint, & num. 33.*

29 *Degradatio post Concilium Tridentinum fieri potest ab Episcopo alijs Episcopis non adhibitis non solum in casu hæresis, sed etiam in alijs criminibus in quibus ad actualem degradationem sit procedendum.*

30 *Laici quantumvis graves non possunt hodie degradationi assistere sicut poterant de iure communi in casu hæresis.*

31 *Prælati regulares ordinum Mendicantium non dicuntur in dignitate ecclesiastica constituti quoad hoc ut*

possint

possint actuali degradationi assistere.

32 *Abbates non debent interesse examini, vel processui degradationis, sed tantum actuali degradationi assistere, ut assessores.*

1 AQUA. Ecclesia polluta per Sacerdotem simplicem reconciliari non potest, etiamsi aqua fuerit per Episcopum benedicta. Hoc dicit, & tria facit. Ponit dictum, damnat contrariam consuetudinem causam reddens, & subdit præteriti tolerantiam. Secunda ibi, *non obstante*, tertia ibi, *Quod autem*.

2 Nota ex hac decretali insignem regulam in materia delegationis, videlicet ea quæ jurisdictionis existunt etiam minoribus Clericis ab Episcopo demandari posse, ut cognoscere de causis, judicare, instituere, beneficia conferre, & omnia alia quæ assecutus est Episcopus in confirmatione, c. *Transmissam, supra de elect.* nihil enim habet Episcopus quod sit meri imperij, quod non sit delegabile, ut ait glos. in cap. *Pervenit, 95. dist.* quam dicit singularem Abb. *hic num.* 3. Ea verò quæ sunt ordinis Episcopalis committi non possunt ab Episcopo Clericis inferioris gradus, idest non Episcopis, ut consecratio Virginum, ordinatio Clericorum, consecratio ecclesiarum, & similia de quibus in c. *Quamvis, 68. distin.* Ita hanc regulam ponit textus hic, & glos. in d. cap. *Pervenit, prope finem*, Anton. de Butr. *hic num. 3. & 4.* Petr. de An-
3 char. *num.* 4. & Abb. *num.* 2. Similem regulam ponunt Doctores, & in specie Butr. *num.* 12. in cap. *Quanto, supra de consuet.* idest consuetudinem posse plurimum in his quæ sunt jurisdictionis, sed in his quæ sunt ordinis nihil posse. Unde hic consuetudo qua simplices Sacerdotes de mandato Episcopi reconciliabant ecclesias pollutas improbatur tamquam corruptela. Et sic censetur sublata etiamsi sit temporis, cujus initij non extet memoria in contrarium, ut scripsi plenè in eod. cap.
4 *Quanto.* Rationem verò differentiæ cur ea quæ sunt jurisdictionis possint inferioribus delegari ab Episcopo, non autem ea quæ sunt ordinis, optimè assignat glos. *hic in ver. Iurisdictionis*, quia scilicet jurisdictio sola voluntate, & verbo committitur sive delegata fuerit, sive ordinaria, & revocatur, cap. *Super quæstionum, §. Intentioni*, & §. *Porrò, sup. de off. deleg.* l. *Iudicium, ff. de iudic.* Collatio verò Sacramentorum non confertur sola voluntate, vel verbo, imò facto opus est, quia necessaria est visibilis unctio, & exterior, quæ est signum interioris unctionis in corde, cap. *Unico, sup. de Sac. Unct.* quæ perpetua est & amitti non potest, licet executio quandoque suspendatur, cap. *Quodquidam, vers. Si forte militia, 1. qu. 1.* Et hoc innuit, Abb. Antiq. *hic num.* 1. dum dicit, licet ea quæ sunt jurisdictionis possit Episcopus inferioribus demandare, non tamen ea quæ ossibus Episcoporum inherent; quæ scilicet non sola voluntate, aut verbo, sed per consecrationem conferuntur, & Host. *num.* 3. dum reddit rationem hujus differentiæ, quia ordo, inquit, non per commissionem, sed per manus impositionem transfertur, d. c. *unico, sup. de Sacr. Unct.* & c. *fin. de Sacram. non iteran.* Hoc ipsum docuit S. Thomas in 2. 2. q. 39. art. 3. dicens potestatem Sacramentalem esse quæ per aliquam consecrationem confertur. Et hanc remanere in homine qui eam per consecrationem est adeptus quandiu vivit; potestatem verò jurisdictionalem esse quæ ex simplici injunctione hominis confertur, & ideò non immobiliter adhæret.

5 Procedunt tamen hæc in Episcopo qui non potest ea quæ ordinis Episcopalis sunt demandare, nisi constituto in ordine Episcopali; Papa verò potest ea committere etiam inferioribus Sacerdotibus, ut de minoribus ordinibus patet in c. *Quoniam, 69. dist.* in cap. *Cum contingat, de ætat. & qualit.* & in c. *Abbates, de privil. in 6.* De Sacramento Chrismatis est textus in d. cap. *Pervenit, 95. dist.* & tradunt omnes in c. *Quanto, supra de consuet.* & dixi latè in d. c. *unico, §. Per frontis, supra de Sac. Unct.*

6 Et de reconciliatione ecclesiæ pollutæ tradit *hic* Innocen. ubi dicit se ante audivisse Papam pluribus Episcopis indulsisse, ut per simplices Sacerdotes possent reconciliare ecclesias aqua tamen priùs per Episcopum benedicta. Verum Clemens Papa IV. ut subdit Host. in fine hoc de facili non concedebat, nisi de ecclesijs nondum consecratis de quo remittis ad id quod legitur, & notatur, infra in *cap. prox.* An autem Papa possit committere non Episcopo, ut conferat ordines sacros dixi in d. c. *Quanto, num. 4. de consuet.*

7 Secundò nota Episcopatum esse ordinem, ut *hic* patet in *ver. Ordinis Episcopalis.* Unde secundum Hostien. *n.* 2. Taceant qui dicunt in ecclesia Dei non esse nisi septem ordines: nam & Tonsura ordo est, & Episcopatus ordo est, ut hic apertè probatur de Episcopali. De prima tonsura, & de omnibus aliis probatur, & notatur plenè in c. *Cum contingat, supra de ætat. & qualit.* Hæc est unanimis Canonistarum ferè omnium sententia, à qua tamen discrepant Theologi, qui tenent primã Tonsuram, & Episcopatum non esse ordines propriè. De Tonsura scripsi latissimè in d. c. *Cum contingat*, Et de Episcopatu in c. 1. *de ordinat. ab Episc.*

8 QUÆRO, An Episcopus possit committere Abbati Presbytero, & benedicto, ut primam tonsuram, & minores ordines conferat sæcularibus ipsius Episcopi jurisdictioni subjectis.

Hanc dubitationem jam pridem sustulit Sacra Congregatio Concilij in causa Bononien. censuit enim Abbates postquam ordinem Sacerdotalem, & munus benedictionis susceperint posse tonsuram, & minores ordines sæcularibus Episcopi jurisdictioni subjectis conferre si modo ipsius Episcopi consensus accedat, iique pro se quisque ab eodem Episcopo litteras dimissorias impetraverint ita ut satis non sit id generatim ab Episcopo fuisse concessum, sed hac semper concessione singulis opus sit. Posse itidem eosdem ordines conferre aliis regularibus, qui litteras dimissorias speciales suorum Superiorum, necnon specialem consensum Episcopi loci habuerint: ac præterea aliis sæcularibus subditis aliorum Episcoporum, dum tamen & ipsi attulerint speciales dimissorias suorum Ordinariorum, & consensum specialem Episcopi loci.

9 Verum hujus declarationis veritatem in dubium revocant moderni Collectores in c. *Cum contingat, supra de ætat. & qualit.* eamque impugnant hoc fundamento, quod cum decreto Concil. Tridentini in *cap.* 10. *sess.* 23. statutum sit, ut Abbatibus, &c. non liceat in posterum cuiquam qui regularis subditus sibi non sit tonsuram, vel minores ordines conferre, nec litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinetur

tur concedere, &c. Non obstantibus quibuslibet privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus: supradicta decisio vidcatur pugnare cum illis verbis Constitutionis, cuiquam qui regularis subditus sibi non sit. Quæ verba dicunt excludere sæculares etiam subjectos Abbatibus, & in quos ipsi Abbates habent ordinariam jurisdictionem, & multò magis subditos alteriùs habentes litteras dimissorias ad recipiendos ordines etiam ab ipsis Abbatibus. Et ob eam dem rationem dicunt prædicta verba excludere regulares non sibi subditos etiamsi speciales dimissorias suorum Superiorum, & specialem cõsensum Episcopi loci obtinuerint, quia neque in hoc casu asserunt eam decisionem sustineri posse, cum Concilium exigat, ut is cui Abbas mittit ordines conferre sit regularis sibi subditus.

Sed his non obstantibus tu adhæreas decisioni, quia habetur in libris publicis S. Congregationis super *cap. 5. sess. 6.* Unde de illius veritate ambigi non potest, & referetur etiam, licet corrupte, ab Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 12. cap. 2. quæst. 1.* & Stephan. Quarant. *in summa Bullar. ver. Ordo, vers.* 10 *Abbatibus.* Et quod spectat ad decretum Concilij in *d. c. 10. sess. 23.* Observa diligenter ad ordines conferendos requiri duplicem potestatem videlicet potestatem ordinis, quæ per aliquam consecrationem confertur, & potestatem jurisdictionis, quæ confertur simplici voluntate, & verbo, cap. 2. 9. qu. 2. cap. *Nullus, de Parochi.* glos. *hic in verb. Jurisdictionem*, & declarat S. Thomas *in 2. 2. quæst. 39. art. 3.* Ordinis potestatem assequuntur Abbates in actu solemnis benedictionis, quia benedictio hujusmodi largo modo dicitur consecratio: & id proportionabiliter præstat Abbatibus, quod consecratio Episcopis, ut dicit Butr. in d. cap. *Cum contingat, in 3. not. num. 6.* & Felin. in cap. *Inter monasterium, in princ. de re judic.* Intellige secundum ea, quæ dixi in cap. *cum 2. hoc ab. de suppleu. negleg. Prælat.* Potestatem verò jurisdictionis accipiunt Abbates in actu confirmationis etiam ante susceptum munus benedictionis, c. *Nostri, de elect.* glos. in d. cap. 1. *in ver. Subjaturos*, Oldrad. *cons. 14. num. 4. & seq.* Felin. in cap. *Nemininus, in princ. de accusat.* Utrinque potestatis fit mentio in d. cap. *Quoniam, 69. distin.* & in d. cap. *Cum contingat, de etate & qualit.* De potestate ordinis ibi [Dummodo ipsis ab Episcopo secundum morem præficiendorum Abbatum manus impositio facta noscatur,] ideft fuerint solemniter benedicti, ut alibi glos. & DD. interpretantur. De potestate jurisdictionis ibi, [ſoluminodo in proprio monasterio faciendi,] ideft non in extraneo ut exponit Hoſtien. *n. 6. in ver. In proprio monasterio*, glos. in d. cap. *Abbates, in verb. Contraveruat, de privil. in 6.* Speculat. *de privil. num. 5.* Ea enim verba ostendunt potestatem ordinis quam Abbates Presbyteri accipiunt in solemni benedictione non debere in actum exire nisi quoad Monachos sui monasterij, adde vel quoad sæculares in quos habeus ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem juxta textum in d. c. *Abbates*, Potestas quidem ordinis spectat ad validitatem ordinationis: nam sine illa nihil confertur, c. *Presbyteri, 68. distinct.* glos. *præallog. hic in ver. Jurisdictionis*, Lap. *alleg. 138. n. 5.* Cum umbra quædam offendatur in opere veritas autem non subeat in effectu dicit textus in c. *Quanto, supra de consuet.* Potestas verò jurisdictionis ad essentiam ordinationis non pertinet, sed ad illius exercitium, seu executionem, & legitimum usum ejus, *cap. 1. & 5. 7. distinct.* Quia scilicet potestas ordinis non debet exire in actum nisi secundum quod movetur à potestate Superioris, S. Thomas, 11 *ubi supra.* Unde Abbas, si sit Presbyter & benedictus ordinando sibi non subditum characterem imprimit, sed ordinis executionem non confert, quia scilicet non deest illi potestas ordinis, sed tantum potestas jurisdictionis, ut post Bottrin. tenet glos. penult. & DD. in *d. c. Abbates, de privil. in 6.* Archid. Turrecrem. & Præpol. in d. cap. *Quoniam, 69. dist.* Jo. Andr. & alij in d. cap. *Cum contingat, supra, de etat. & qualit.* At si Sacerdotalem ordinem ac munus benedictionis non susceperit ordinando nihil confert, quia deest illi potestas ordinis, d. cap. *Quanto, de consuet.* & not. in d. cap. *Cum contingat*, Hostien. Jo. Andr. Butr. Abb. & ceteri omnes Bertrach. *in tract. de Episc. lib. 3. part. 2. num. 9.* Sylvest. *in ver. Ordo, 5. sub num. 2. vers. Simplici vero Abbates*, Rebuff. *in praxi, tit. de cleric.* 12 *& quib. & quam. num. 14.* Dum verò Concilium in *d. c. 10. sess. 23.* statuit ut Abbatibus non liceat tonsuram, vel minores ordines conferre cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, ademit quidem Abbatibus authoritatem seu potestatem jurisdictionis, quam habebant ad ordines rité, & rectè conferendos respectu sæcularium etiam sibi subjectorum.

Et ita in hoc derogavit dispositioni d.c. *Abbates*, sed non ademit, aut limitavit ipsam potestatem ordinis, quia hæc potestas tamquam indivisibilis non recipit restrictionem, nec potest pro parte auferri, & pro parte non, ut latissimè probavi in c. 1. *supra de suppl. negleg. Prælat.* Et propterea Abbas benedictus ordinando regulares sibi non subditos, aut sæculares etiam post Concilium, imprimit characterem, ratione scilicet absolutæ potestatis ordinis quam ex concessione septimæ Synodi accepit in impositione manuum, licet non conferat ordinis executionem ob ademptam sibi à Concilio authoritatem, seu jurisdictionem quoad non subditos regulares, itaut proinde sic tonsurati nõ debeant iterum tonsurari, ut sæpius respondit S. Congregatio Concilij cujus declarationes complures retulit in d. c. 1. Itaque Abbas Presbyter, & benedictus respectu regularium sibi non subditorum, aut respectu sæcularium caret tantummodo jurisdictione propter Concilij prohibitionē, sed potestate ordinis non caret. Defectum autem jurisdictionis supplet Episcopus qui Abbati impertitur licentiam ordinandi suos diœcesanos: aut per specialem consensum, aut per litteras dimissorias ipsi Abbati directas juxta relatam S. Congregationis declarationem. Ergo cum hoc casu non deficiat Abbatibus potestas ordinis, nec potestas jurisdictionis, consequens est ut ordines ab ipsis rité, & rectè conferri valeant.

Nec obstant verba illa d.c. 10. cuiquam qui regularis subditus sibi non sit. Quandoquidem Cõcilium ibi sustulit facultatem ordinandi sæculares, quam Abbates habebant, vel jure ordinario ratione quasi Episcopalis jurisdictionis, vel ex indulto Sedis Apostolicæ juxta text. in d.c. *Abates, de privileg. in 6.* Sed non eam quam consequi possent ex licentia, vel delegatione Episcopi diœcesani. Ratio est, quia decretum illud fuit editum in favorem ipsius Episcopi diœcesani, ut paret ex illis verbis: Sed horum omnium ordinatio ad Episcopos intra quorum diœcesis fines existit pertinet: & consequenter diœcesano licere debet in hoc favori suo renunciare, & consentire, ut sibi subjecti ab alieno Antistite promoveantur, c. 1. 2. 3. *& per totum, 71. dist.* c. *Lugdunensis, 9. q. 2.* 13 *cap. 8. sess. 23.* Concilij Tridentini. Simile in Episcopis Titularibus, qui etsi prohibeantur à Concilio in *cap. 2. sess. 14.* quemquam ordinare, etiam in locis nullius diœcesis: tamen de Episcopi diœcesani consensu benè ordinare possunt, quia scilicet non carent potestate ordinis, quam in consecratione acceperunt, c. *Transmissam, de elect.* Et quamvis careant potestate jurisdictionis, cum subditos non habeant tamquam clero, & populo carentes, ut dicitur in *d. c. 2.* tamen hujus potestatis defectus benè suppleri potest per consensum Episcopi diœcesani, cujus interest, ut alias fuit responsum, & praxis observat: nam & hodie videmus in diœcesi Ostiensi, & Sabinen. & alibi Pontificalia, & alia quæ sunt ordinis exerceri ab Episcopis Titularibus in partibus infidelium, quos Cardinales Episcopi in suffraganeos assumpserunt ad præscriptum Concilij Lateranensis sub 14 Leone X. *sess. 9. de Cardinal.* Eamdem rationem optimè assignat glos. *hic in ver. Jurisdictionis*, dicens, Unus Episcopus alij Episcopo potest ea quæ sunt ordinis demandare, & per hujusmodi demandationem nihil ei committit, cum ipse Episcopus habeat ea quæ ministerium consecrationis desiderant, & ei deest tantùm authoritas; quia in alienam messem falcem mittere non debet nisi de voluntate, & mandato illius, cujus est diœcesis, cap. *Scriptum est, 6. q. 3.*

15 Accedit quod Concilium in d.c. 10. *sess. 23.* dum prohibet Abbatibus, ne tonsuram, vel minores ordines conferant, nisi suis subditis regularibus, concordat cum juris communis dispositione: nam hoc ipsum prius statutum fuerat in *d.c. Quoniam, 69. dist.* & in d. cap. *Cum contingat, de etat. & qualit.* per illa verba, ſolummodo in proprio monasterio faciendi, ideſt in sui monasterij Monachos, non autem extraneos, ut dixi supra vers. *Verumque potestatis*: & tamen non obstante prohibitione septimæ Synodi, de qua in prædictis juribus, Abbas si fuisset invitatus potuisset tonsuram, & minores ordines conferre etiam Monachis alterius monasterij, & sic regularibus sibi non subditis, ut in d. cap. *Quoniam*, tradit glos. *in ver. Monasterio*, Archid. *num. 5. in glos. Sed & Monachos*, Turrecrem. *num. 5.* & Præpol. *num. 1.* per textum in d. cap. *Lugdunensis, 9. quæst. 2.* Idem tenent in d.c. *Cum contingat*, Henric. Boich. & Joann. de Anan. 16 ambo *in princ.* Bellam. *num. 2.* & omnes. Ergo eodem modo id Abbatibus licere debet hodie si fuerint ab Episcopo invitati non obstante prohibitione Concilij Tridentini: nam lex nova disponens in materia antiqua recipit interpretationes, & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat, l. *In contractibus*, §. *Præterea, C. de non numer. pecun.* glos. Bart. & DD. in l. *Sciendum ff. Quæ sit. cog.*

17 Non obstat quod in Rota de mandato Clementis VIII. proposito hoc dubio, videlicet, An Abbates, qui habent facultatem conferendi tonsuram, vel minores ordines subditis sibi regularibus possint stante decreto Concilij Trident. *c. 10. sess. 23.* tonsuram, vel minores ordines conferre personis sæcularibus habentibus litteras dimissorias à suis Ordinarijs: re maturè discussa resolutum fuerit, non posse, ut patet in *decis.* Cardin. Seraph. 985. Etenim hæc decisio, ut salvari possit videtur intelligenda de sæcularibus habentibus litteras dimissorias generales cuicumq; Antistiti directas, non autẽ de habentibus speciales directas, ipsis Abbatibus: nam si intelligeretur hoc secundo modo, pugnaret ex diametro cum declaratione Sac. Congregationis, & sustineri non posset; supponit enim Abbates Presbyteros, & benedictos carere potestate conferendi tonsuram, & minores ordines personis sæcularibus: & arguit hoc modo. Quemadmodum Papa non potest dare licentiam ei qui ordinatus non est conferendi ordines sacros, ut tradit Isoc. in c. *Quanto, de consuet.* cum nemo det id quod non habet, ita neque per dimissorias suas potest Episcopus dare facultatẽ ei, qui ea facultate ex dispositione Concilij caret. Sed hoc supposítum est falsum, quia Abbates hujusmodi etiam respectu sæcularium nõ carent potestate ordinis, sed tantum potestate jurisdictionis, ideoque ab eodem illos etiam absque dimissorijs Episcopi diœcesani imprimunt characterem, licet non conferant ordinis executionem ob ademptam sibi à Concilio jurisdictionem, ut ab. undè ostensum est supra: Hunc autem jurisdictionis defectum supplere potest Episcopus, quoad ejus subditos, consentiendo ut ordinari valeant à prædictis Abbatibus ordinis potestatem habentibus, ut similiter patet ex dictis. Nec propterea, ut dicit Rota, prohibitio Concilij redditur superflua. Siquidem in hoc operatur effectum suum, quia sustulit facultatem quam prius habebãt Abbates ordinandi sine dimissorijs Episcopi personas sæculares, in quas habebant ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem, juxta textum in d. cap. *Abbates, de privil. in 6.* cujus dispositioni Concilium derogavit, ut eademmet Rota fatetur in prædicta decisione. Item sustulit privilegia, & indulta Sedis Apostolicæ, quæ ante Concilium super hoc habebant nonnulli Abbates, ut innuit illa decretalis ibi: Nisi ea id competat ex pleno præfatæ Sedis indulto: unde extendi non debet ad ulteriorem correctionem juris communis, arg. cap. *Cum expediat, de elect. in 6.*

Standum est igitur declarationi S. Congregationis quæ authoritatem habet à Sede Apostolica Concilium Tridentinum authoritativè interpretandi privativè quoad omnes, ut dixi latissimè in cap. *Cum venissent, supra de judic.* in quæst. An & quibus liceat Tridentini Concilij decreta interpretari, & in cap. *fin. de Constit.* in quæst. An declarationes S. Congregationis Concilij habeant legis authoritatem.

18 Et eò magis quia hujusmodi declarationi etiam postea adhæsit eadem Congregatio: Siquidem fuit quæsitum an Abbas Sanctæ Mariæ de Succursu Ordinis Montis Oliveti potuerit in loco in quo jurisdictionem quasi Episcopalem habet in Parochos, & Parochianos conferre minores ordines tribus regularibus Ordinis S. Augustini à suis Superioribus ad hunc effectum dimissis. Et S. Congregatio censuit non obstare quod Abbas non sit benedictus, cùm ex privilegio Julij II. habeatur in omnibus pro benedicto; sed non licuisse illi conferre minores ordines dictis regularibus; propterea quod non aderat consensus Episcopi

piscopi loci, ut habetur in *cap. ult. sess. 6.* ut aliàs decretum à S. Congregatione in casu Bononien. Non tamen incidisse in pœnam decreti *d. cap. 10. in fine*, quia loquitur in Episcopis Nullius, neque in pœnam *cap. 8. sess. 23.* quia loquitur quando sine testimonio ordinarij loci contulisset ordines juxta cap. *Eos*, & cap. *fin. de tempor. ordin. in 6.* sed in pœnam, c. *fin. sess. 6.* quia sine licentia Ordinarij loci contulit ordines. Et quamvis d. cap. loquatur in Episcopo; tamen S. Congregatio censuit multo magis habero locum in Abbate, & cum simpliciter d. c. Dicat suspensum ab exercitio Pontificalium intelligi absolutè, non autem per annum dumtaxat, quia quando voluit suspendi per annum tantum, expressit, ut d. *cap. 2. & d. c. 8.* & sic Abbas iste erit tantum suspensus ab exercitio illorum actuum quos Pontificali dignitate, & authoritate exercuit; nempe à collatione ordinum, & similium, non autem censebitur suspensus à divinis, quæ ut religiosus Sacerdos celebrare poterat. Unde consequens erit, ut si postea celebravit, non ideò effectus sit irregularis; tamen indigeat rehabilitatione ad exercitia Pontificalium, à quibus fuit suspensus. Item erit advertendum ad ordinatos, quia & ipsi sunt suspensi ab executione ordinum, & si celebrarint sunt irregulares, & indigent dispensatione.

19 Ex qua declaratione quod spectat ad rem præsentem duo colliguntur. Primum est licere Abbatibus benedictis, vel habentibus privilegium perinde ac si essent benedicti conferre minores ordines personis sæcularibus, aut regularibus sibi aliis non subditis, si modo habeant litteras dimissorias speciales à proprio Episcopo. Propterea enim prædictus Abbas Olivetanus ordinando regulares alterius ordinis incidit in pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium, quia defuit consensus Episcopi Diœcesani, ut dixit S. Congregatio. Ergo si Episcopus consensisset, Abbas in nullam pœnam incidisset, qui est casus decisionis Bononien.

Alterum est ordinationem non subditorum factam ab hujusmodi Abbatibus etiam sine dimissoriis proprij Episcopi non esse irritam: nam regulares S. Augustini à dicto Abbate ordinatos, S. Congregatio dixit esse suspensos ab executione ordinum; ergo character fuit impressus. Nam si impressus non fuisset ex defectu potestatis in ordinante sic promoti non fuissent suspensi, sed potius iterum ordinandi, c. *Chorepiscopo*, c. *Quamvis*, & cap. *Presbyteri, 68. dist.* cap. *Nihil, 7. q. 1.* Hostiens. Jo. Andr. & omnes in c. *un.* & ibi dixi *n. 6. supra de sacram. Henric. Boich.* post alios in c. *fin. de Sacramen. non iteran.* & ita Abbates hujusmodi etiam post Concilium non carent prorsus, ut putavit Rota, potestate ordinandi sæculares aut regulares sibi non subditos. Hanc materiam latius prosequor in c. 1. *de suppl. neglig. Prælat.* in q. An Prælatus inferior sæcularis habens privilegium post Concilium conferendi tonsuram, & minores ordines certis personis dumtaxat, ordinando alios quàm in litteris designatos, imprimat characterem necne. Post hæc scripta emanavit à S. Congregatione Concilij infrascripta declaratio, quæ est originaliter in libro memorialium *pag. 407.* videlicet

In causa Cathanien. Juris conferendi ordines minores inter Episcopum Cathanien. ex una, & Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, ac alios, ex altera, die 23. *Novembr.* 1641. S. Congregatio, &c. utraque parte informante ore, & scriptis, ac rationibus hinc inde deductis maturè examinatis, inhærendo decisioni Rotæ Romanæ *sub die 27. Aprilis* 1592. coram bon. mem. Cardinali Seraphino de ordine fel. record. Clem. VIII. factæ, nec non declarationibus ejusdem S. Congregationis dictæ decisioni conformibus subsequutis, censuit, improbata opinione contraria, Abbates Regulares benedictos ejusdem Congregationis Cassinensis, seu alterius Congregationis, vel Ordinis, aut instituti habentes etiam jura Episcopalia, seu quasi Episcopalia, usumque Mitræ, baculi, & benedicendi, ac facultatem primam tonsuram, & minores Ordines conferendi, non posse dictam primam tonsuram, nec alios ordines minores, nisi suis subditus Regularibus conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel instituti, etiamsi habebant litteras dimissorias suorum Superiorum, & consensum Ordinariorum, intra quorum diœcesum fines ipsi Regulares ordinandi existant: & & multò minus personis sæcularibus etiam habentibus litteras dimissorias à suis Ordinarijs. Ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Prælatis inferioribus, ut in futurum concedere non audeant supradictas litteras dimissorias hujusmodi Abbatibus directas, nec ab illis recipi. Quod si secus fiat, tam concedentes, quàm ordinantes à collatione Ordinum suspensi remaneant, præter alias pœnas arbitrio ejusdem Congregationis reservatas.

Et iterum propositis dubijs, an Abbates Regulares benedicti habentes jura quasi Episcopalia primam tonsuram, aut minores Ordines possint conferre sæcularibus Clericis, Episcopi jurisdictioni subjectis, si modò ipsius Episcopi consensus accedat: itidem an prædicti Abbatis possint Regularibus alterius Ordinis, qui litteras dimissoriales suorum Superiorum Regularium, & consensum Episcopi loci habuerint, possint prædictâ tonsuram, & minores Ordines conferre.

Die decimâ Maij 1678. S. Congregatio Concilij ad utrumque dubium respondit, non posse.

20 Secundò QUÆRO, An degradatio possit ab Episcopo demandari Abbatibus Presbyteris, & solemniter benedictis.

21 Respondeo non posse, quia degradatio est ordinis Episcopalis, c. *Degradatio de pœn. lib. 6.* & notatur in cap. *Cum non ab homine, de indic.* Hostien. in cap. *Dilectus*, & cap. *Irrefragabili de offic. ordin.* DD. in cap. *Cum contingat*, ubi in specie Collectar. *n. 3. de foro compet.* Ea verò quæ ordinis Episcopalis existunt non possunt Clericis inferioris gradus, ideò non Episcopis demandari, ut hic patet, & dixi supra in 1. *not ab.* Unde, ut dicebat Archid. in c. *Dilecto, n. 1. in ver. Mucrone, de sent. excomm. lib. 6.* duplex est mucro spiritualis, alius disciplinans, seu medicinalis, ut excommunicatio, qui non ad punitionem, sed ad correctionem tantum vibratur; Alius eradicans, sive mortalis, ut degradatio, qui non tantum ad correctionem, sed etiam ad punitionem infligitur, & hic est mucro Episcopi specialissimus: unde nullus non ordinatus in Episcopum ipsum vibrare potest. Quod dictum Archidiaconi sequuntur Jo. Andr. in cap. 1. *num. 4. in verb. Cum ab omni mucrone*, & Anchar. *num. 2. in §. nut ab. de homicid. lib. 6.*

Nec

22 Nec obstat si dicatur, Hujusmodi Abbatibus potest ab Episcopo committi, ut minores ordines conferant, ut ostensum est in præcedenti quæstione; ergo videtur etiam eis committi posse, ut ordines auferant per degradationem, quia ejus est deponere, cuius est ordinare, c. *Nullus Primas, 9. q. 3. de Parach.* Host. in d. c. *Cum contingat, num. 2.* & Joan. Andr. *num. 10. vers. Quod dic de foro compet.*

23 Nam respondetur in ordinibus conferendis Abb. benedictos fuisse specialiter privilegiatos à septima Synodo, ut in c. *Quoniâ, 69. dist.* At non fuerunt privilegiati in ordinibus auferendis, nec licet arguere ab ordinatione ad degradationem; quia spiritualia facilius construuntur, quam de-
24 struuntur, ut in hac ipsa materia degradationis inquit glossa in d. cap. *Degradatio, in ver. Canonibus, de pœn. in 6.* Unde Episcopus solus ordinem
25 conferre potest, solus auferre non potest dicit tex. in c. *fin. 15. q. 7.* Nam in degradatione Presbyteri sex Episcopi sunt adhibendi, & tres in degradatione Diaconi, vel Subdiaconi. Concilium Agathense, cap. 1. d. c. *fin.* c. *Si quis*, cap. *Felix*, & cap. *Si autem, ead. caus. & quæst.* gloss. prælleg. gl. 1. in c. 1. *de hæret. in 6.* Abb. in cap. *Non potest, de re iudic.* Sylvest. *in ver. Degradatio, n. 1.* Hodie decreto Concilij Tridentini in s. 4 *sess. 13.* statutum
26 est ut adversus clericos etiam in sacris ordinibus constitutos ad condemnationem, necnon verbalem depositionem procedere possit Episcopus tam per seipsum, quam per illius Vicarium in spiritualibus generalem; Ad actualem verò atque solemnem degradationem per seipsum etiam nō adhibito numero Episcoporum à Sacris Canonibus præfinito, adhibitis tamen & in hoc sibi
27 assistentibus totidem & in hoc Abbatibus, usum Mitræ, & baculi ex privilegio Apostolico habentibus si in civitate, aut in diœcesi reperiri, &com-
28 modè interesse possint, alioquin alijs personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant.

29 Quo decreto corrigitur d. cap. *Degradatio, de pœn. in 6.* Sed ampliatur cap. 1. *de hæret. eod. lib.* Primò in eo ut non solum Episcopus per se ipse, sed eius quoque Vicarius possit ad verbalem degradationem procedere. Deinde ut non solum in casu hæresis, sed etiam in omnibus in quibus ad actualem degradationem procedendum sit. Declaratur etiam eo decreto d. c. 1. ut debeant assistere totidem Abbates usum mitræ, & baculi, ut supra habentes quot Episcopi requirebantur.
30 Nam in dicta decretali numerus non erat præfixus. Demum ampliatur in eo, ut si commodè in civitate, vel diœcesi reperiri non possint sufficiantur viri in eorum locum in dignitate ecclesiastica constituti. Unde si essent laici quantumvis graves, ac juris scientia commendabiles non possent assistere, qui tamen poterant ex d. c. 1.

31 Appellatione autem personarum ecclesiasticarum de quibus Concilium loquitur, Prælatos regularium Mendicantium non comprehendi dixit S. Congregatio cum non habeant nomen
32 dignitatis, & Abbates non debere interesse examinationi, vel processui, sed tantum posse solemni & actuali degradationi assistere, ut assessores, & possa Ordinarium alias personas in dignitatee ecclesiastica constitutas etiam non diœcesanas adhibere.

De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & divinis officiis.

Cap. Presbytero.

SUMMARIUM.

1 *HOras Canonicas dicere tenetur Presbyter hora debitu, et tamen ex causa permittitur, ut mane illas dicat usq; ad vesperam inclusivè.*

2 *Matutinum debet inchoari media nocte, & expleri mane.*

3 *Potest tamen dici de sero ex causa, alias secus.*

4 *Horæ Canonicæ ex aliquarationabili causa possunt insimul dici usque ad vesperam inclusivè.*

5 *In Horis Canonicis dicendis satius est prævenire, quam præveniri.*

6 *Cessante legitimo impedimento horis debitis sunt persolvende, ita ut hora Officij respondeat horæ diei.*

Eremita miraculum, cui Angelus interdum deferebat uvas acerbas, interdum maturas, interdum marsicias, num. 8.

7 *Debitor non potest provenire tempus solutionis quando dilatio apposita est creditoris gratia.*

9 *Agriculturæ operam dare Presbytero non est prohibitum.*

10 *Horæ Canonicæ an sint septem, vel octo.*

11 *Vigilia nocturnæ quæ sint, & quot, & quibus temporibus dicantur.*

12 *Horas Canonicas dicere qui teneantur, & num. seqq. usque ad num. 30.*

13 *Quid in presbyteris.*

14 *Et quid in Diaconis, & Subdiaconis, & num. 19.*

Et quid in Clericis Minorum ordinum beneficiatis, num. 17. & num. seqq. usque ad num. 26.

Et quid in non beneficiatis n. 26. & num seqq.

Et quid in Clericis professis, num. 28.

15 *Presbyteri nomen large comprehendit etiam Diaconos, Subdiaconos.*

Sed non alios Clericos, nisi vulgariter proferatur, num. 27.

16 *Horas Canonicas omittentes Clerici in sacris etiam non beneficiati graviter peccant, & puniuntur ex Concilio provinciali Mediolanensi, & num. 25.*

18 *Clerici in sacris, & in minoribus beneficiati in multis æquiparantur.*

19 *Horas Canonicas an Clerici in sacris, vel in minoribus beneficiati teneantur dicere de iure divino.*

20 *Quilibet Clericus habens officium cum cura, & sine cura si post sex menses officium divinum non dixerit, fructus suos non facit pro rata omissionis, & temporis; & beneficio privari potest ex Concilio Lateranensi.*

21 *Et quomodo hæc rata sit accipienda ex Bulla Pij V.*

Bulla Pij V. contra recitantes divinum officium refertur, ibid. & num. seq.

22 *Horas Canonicas qui primis sex mensibus post obtentum beneficium non dicit, graviter peccat.*

23 *Horas Canonicas tenentur dicere etiam obtinentes præstimonia, vel alia beneficia nullum servitium requirentia.*

24 *Pensionarij tenentur dicere officium parvum Beatæ Mariæ virginis, alias pro rata fructus suos non faciunt.*

25 *Ab horis Canonicis dicendis non excusatur, qui febri vel adversa valetudine leviter laborat.*

26 *Clerici in minoribus non beneficiati an teneantur ad horas canonicas, & num. seqq.*

27 *Novitij non tenentur ad Horas Canonicas, sed ad aliquid indeterminatum.*

28 *Ad Horas canonicas tenentur professi Clerici etiam in ordinibus minoribus constituti.*

29 *Fallit in Clericis Societatis Iesu.*

30 *Officium B. Mariæ Virginis, ac Defunctorum an ex præcepto recitare teneantur Monachi S. Bernardi Hispaniarum Ordinis Cistertiensis, & num. seqq. usque in fin.*

Breviario Monastico reformato utentes gaudent ijsdem privilegijs, quibus gaudent utentes Breviario Romano.

32 *Bulla Pij V. super Breviario Romano quoad officium B. Mariæ Virginis expenditur, & n. seq. usq. in fin.*

Officium B. Mariæ Virginis, ac Defunctorum, &c. qui ad præscriptum rubricarum non dicunt, & psallunt, non peccant, ibidem.

33 *Officium B. Mariæ Virginis an esset in præcepto ante Bullam Pij V. & num. seqq.*

34 *Obligatio prædicti officij unde initium sumpserit.*

35 *Officium B. Mariæ Virginis est in præcepto si ita se habeat ecclesiæ, vel Monasterij consuetudo.*

36 *Constitutio nova non tollit speciales locorum consuetudines, vel statuta.*

---

1 PRESBYTER. Habet multa dicta, & legitur variè, & ideo communiter non summatur. Sed secundum intellectum qui videtur communis, sic summari potest, secundum Cardin. & Abb. Presbyter tenetur horis debitis dicere Horas Canonicas, ei tamen ex causa permittitur, ut manè illas dicat usque ad vesperam inclusivè, & habetur paucis immutatis in c. *Presbyter* 91. *dist.* ubi Archid *in princ.* dicit, hoc c. Habetur hic pro palea, sed pro grano ponitur extra *de celebr. Missar.* c. 1. Dividitur in tres partes. In 1. præcipit, ut officium dicatur horis debitis. In 2. specificat causam propter quam permittitur anticipatio, ibi, *Deinde*. In 3. concludit ibi, *Ergo*.

2 Nota 1. ibi, *mane*. Matutinum esse complendum manè, & sic ante ortum solis, secundũ Abb. *hic in* 1. *notab.* debet tamen inchoari à media nocte, & ideo infra sequitur in littera, *Media nocte surgebam*, secundum Hostien. *num.* 4. Joan. Andr. *in princ.* & Anchar. *in* 1. *notab.* Sed certè ut observat Abb. *ubi supra*, si matutinum inchoetur media nocte, non poterit expleri manè, quia in eo recitando tantum temporis non insumitur; nisi fortè servaretur consuetudo quorundam religiosorum, qui media nocte incipiunt matutinum, & recitant usque ad laudes, & postea incipiunt laudes paulò ante diluculum, & explentur mane, id est hora diei prima. Sic enim optimè servatur
3 quod dicitur in textu secundum eum. Verumtamen de sero matutinum dicere propter honestarum occupationum necessitatem non est malum, quia melius est Deo laudes debitas præveniendo reddere, & alia honesta officia postmodum explere, quam si per unum aliud impediatur: Sed si hoc fieret ad quietius vacandum somno, & voluptati, non esset absque peccato. Ita S. Thomas quodl. 5. *in fin.* Silvest. *in ver. Hora, n.* 10. *vers. Tertiã.*

4 Secundò nota ibi, *Primam, Tertiam*, ex aliqua rationabili causa (veluti si Clerico exeundum sit ad opus rurale) horas Canonicas posse insimul persolvi usque ad vesperam inclusivè ut in littera secundum Host. *n.* 4. *in ver. Vesperamque.* Cardin. & Abb. *in summario textus.* Concilium enim est ut horæ omnes simul dicantur, ne supervenientibus occupationib⁹ aliqua Hora omittatur, ut hic per gl. 1. Innoc. *n.* 4 *vers. Hoc autem quod dicit*, & Abb. Antiq. *in princ.* & hoc servat Papa quoad Horas simul dicendas usque ad Sextam, & quandoque usque ad Nonam inclusivè, nec non Cardinales, & Episcopi ex magna parte, ut Host. testatur *hic in princ.* Idque ob eam rationem, quia
5 horis persolutis oportet eos multis negotijs vacare, & satius est prævenire quam præveniri: nam secundum Hugon. Primum providentia, secundum verò negligentia est, cum præsertim prima pars diei sit aptior, & devotior, quam suprema. Ad hoc l. 2. §. *un. ff. de verb. signific.* secundum Host. cum quo transeunt Jo. Andr. *n.* 10. & Abb. *n.* 3. *vers. Nota bene glossam.*

6 Tertiò nota ibi, *Horis competentibus*, Cessantibus occupationibus, vel alio legitimo impedimento horas Canonicas esse dicendas horis congruis, seu competentibus, ita scilicet ut hora officij respondeat horæ diei, non quidem reciprocè, sed gradatim, adeo ut matutinum dicatur in nocte, prima in diluculo, & sic de aliis horis, ut legitur, & notatur in c. 2. *in* 1. *respons. supra de offic. Archipresb.* & hic notant Host. *n.* 10. *vers. Et dic horis competentibus*, Henric. Boich. *n.* 3. & Abb.
7 *nu.* 3. *col.* 3. *circa med. vers. Sed dicunt.* Non igitur in dicendo potest Presbyter tempus anticipare, nec postponere, quia hæc divisio per momenta dierum facta est ad honorem Dei, cui officium impenditur, non autem ipsius Sacerdotis. Quotiescumque autem dilatio est apposita creditoris gratia, non potest debitor prævenire tempus insolutione, ut l. *Eũ, qui alias incipit, Labeo, ff. de ann. legat.* & l. *Qui Romæ, de verb. oblig.* secundum Anchar. *hic num.* 3. & 4. Unde ut hic refert Joan. Andr.
8 *num.* 11. & post eum Anchar. *num.* 6. Abb. *num.* 3. fertur miraculosè de quodam Sancto Eremita, quem Angelus deficientibus eleemosynis pascebat, eique interdum deferebat, uvas acerbas, interdum marcidas: interrogatus Angelus ab Eremita quænam esset huius diversitatis causa: respondit se acerbas deferre cum horas recitando præveniebat, maturas cum congruo tempore recitabat, marcidas cum nimis tardabat; & hoc ideò, ut subdit Joan. Andr. quia E-
9 remita occupationibus involutus non erat.

Quartò nota ibi, *exeat ad opus rurale*, Presbyteris esse permissum agriculturæ operam navare, ut hic & in c. *Clericus victum*, 91. *dist.* & in c. *Nunquam, de consecr. dist.* 5. Quod tamen intellige secundum ea, quæ plenè notavi in cap. 1. *num.* 25. & *seqq.* & *num.* 46. *usque ad num.* 52. *infra. Ne Cleric.*
10 *vel Monach.*

Quintò nota ibi, *Septenarius numerus* expleatur. Horas Canonicas esse numero septem, & non plures, nec pauciores, ut hic patet, & notat gloss. *fin.* Host. *num.* 4. *in ver. Vesperamque*, & *num.* 24. Jo. Andr. *nu.* 2. Henric. Boich. *n.* 2. *in.* 3. *quæst.* Butr. *num.* 8. Abb. *col.* 1. *in fin. vers. Sed tunc non septies*, & alii communiter Sot. *de iust. & iur. lib.* 10. *quæst.* 5. *art.* 4. Suar. *de relig. tomo.* 2. *tract.* 4. *lib.* 4.

lib. 4. *c.* 6. *nu.* 6. Non desunt tamen qui sentiant horas Canonicas esse octo, matutinum à laudibus distinguentes, Navarr. *de hor. Canon. c.* 3. *n.* 27. post S. Anton. & in hac sententia fuit Archid. in c. *Presbyter*, 91. *dist.* separando illam authoritatem, *Media nocte surgebam*, &c. ab aliis septem horis, de quibus ait Propheta, *Septies in die*, &c. Sed certè hoc jure non probatur secundum Abb. *loco citato*, & in oppositum clarè stat littera huius decretalis, quæ dicit septenarium numerũ impleri persolvendo Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperam, & Completorium, & ita sub hora matutini complectitur etiã laudes, cum de illis nullam faciat mentionẽ.

11 Ultimò nota ibi, *Nocturnis*. Vigilias nocturnas appellari, quæ in nocte persolvuntur; cum de illis intelligatur authoritas, *Media nocte surgebam*, ut dicitur in tex. & innuit etymologia vocabuli, dicuntur enim Nocturna, quia explentur, nocte, & dicuntur Vigiliæ, quia dũ recitantur, vigilandũ est, non torpendum, ut inquit Host. *hic n.* 28. & Jo. Andr. *n.* 7. *vers. Et dicit Hostiensis*, & pro Vigiliis nocturnis, seu officio nocturno Archid. in d. cap. *Presbyter num.* 1. intelligit matutinum; pro officio autem diurno sex laudes, idest Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperam, & Completorium. Sed Host. *hic num.* 29. dicit Vigilias nocturnas hic poni in plurali, quia sunt numero tres, videlicet matutinum, quod dicitur media nocte, Prima, quæ secundum hoc dicenda est diluculo, licet aliqui illam dicãt illico post matutinum, quæcumque sit illa hora, sicut servat Capella Pontificia; & Completorium, quod in Crepusculo dicendum est, vel paulo post, licet ecclesia Gallicana ipsum dicat statim post Vesperas. Tertia verò, Sexta, Nona, & Vespera sunt horæ diurnæ secundum Host. quem totidem verbis hic refert, & sequitur Jo. Andr. *num.* 7. Henric. Boich. *num.* 3. *vers. Unde tres propria.* Nec dissentit Archid. in d. cap. *Presbyter col.* 1. *in fin. vers. Et nota*, dum ait ex Beda Ecclesiam traxisse exemplum conveniendi octies inter diem, & noctem ad horas dicendas, à Judæis qui tempore Esdræ ad audiendam legem octies conveniebant quater in die, & quater in nocte. Cur autem Ecclesia hæc horarum tempora determinaverit, & præcipua opera Christi, & alia in singulis hujusmodi horis præclarè gesta, & in futurum peragenda egregiè commemorat ibi Archid. *col.* 1. *fere per totam.*

12 QUÆRO generaliter qui ad horas Canonicas teneantur.

13 Certum est primò cunctis Presbyteris etiã non beneficiatis horas Canonicas esse in præcepto: nam de Presbytero expressè loquitur hæc decretalis, eamq; generaliter de Presbyteris omnibus esse intelligendam dixit Hostien. *hic in princ.* & in hoc gloss. *ult.* & omnes conveniunt, ut testatur Abbas *num.* 4. *vers. Ideo adverte*, & *vers. Secundus casus, summa* Tabien. *in vers. Horæ Canonicæ, num.* 1. *in* 1. *quæst.*

14 Deinde certum est ad horas Canonicas similiter teneri Diaconos, & Subdiaconos, licet beneficium ecclesiasticum non habeant: nam Presbyteri nomen hic sumitur largè, ut comprehend-
15 dat omnes clericos in sacris ordinibus constitutos & est simile in c. 1. *in fin. supra de bigam.* & in c. 2. *in princ. de cohabit. cleric. & mulier.* & ita hic firmant Host. *num.* 2. & Abb. Antiq. *num.* 1. dicens clericos in sacris ad hoc teneri ratione ordinis, & quamvis subdat Petrum de Sampsone Magistrum suum in ea fuisse opinione, ut ratione ordinis nemo teneatur ad horas Canonicas, arg. cap. *Illud.* & c. *ult.* 92. *dist.* hoc tamen nemo sequitur, & oppositum tenent hic Jo. Andr. *n.* 12. *in ver. Presbyter.* Henric. Boich. *num.* 5. & communiter Doctores, ut Abb. testatur *loc. cit.* Imò ad hoc nullus discrepat, ut asserunt Host. *num.* 3. & Jo. Andr. *ubi sup.* & consentit S. Thom. *quodl.* 6. *q.* 5. *art.* 8. & Summistæ omnes *in ver. Hora.*

16 Quibus accedit quod in Concilio provinciali Mediolanensi primo *in tit. de Canonic. Hor. non intermitten.* §. *Malitiæ, tomo* 4. *Concil. p.* 2. *pag.* 371. *col.* 2. *littera E.* statutum est ut infra, videlicet. Qui verò initiati beneficium Ecclesiasticum non habent, si divinum prætermiserint officium præter grave peccatum, quod committunt, graviter etiam ab Episcopis in eos animadvertatur. Hæc ibi, & adde quod dicam infra *num.* 25.

17 Tertiò manifestum est ad horas Canonicas teneri clericos omnes in minoribus ordinibus constitutos beneficium aliquod ecclesiasticum obti-
18 nentes: nam clerici in sacris, & clerici in minoribus beneficiati aliàs æquiparantur, ut legitur, & notatur in cap. 1. *supra de postulan.* Sed constituti in sacris proculdubio tenentur ad horas, ut supra proximè ostensum est: ergo multò fortius clerici minores beneficiati, arg. cap. *Cum secundum supra, de praben.* cap. *Quod à te*, & cap. *Diversis, de cleric. conjug.* secundum Host. *hic num.* 3. Jo. Andr. *num.* 12. *in ver. Presbyter*, & in hoc similiter S. Thomas *ubi supra*, & Doctores omnes conveniunt, ut
19 dicunt Abb. & Tabiena *loco citato*. Quinimò ratione sacri ordinis clerici tenentur ad horas dicendas de jure divino positivo secundum illud Psalm. 118. *Septies in die laudem tibi dixi*, ut hic per Abb. *num.* 2. clerici autem beneficiati, & sic viventes de patrimonio Crucifixi ad hoc tenentur de jure divino naturali, arg. d. c. *Cum secundum*, adeo ut Summus Pontifex nequeat super hoc dispensare, ut tenet Tabien. *in ver. Horæ Canonicæ, in* 15. *quæst.* & Angel. *in eod. ver. quæst.* 6.

20 Porrò Leo X. in Constitutione septima, quæ incipit, *Supernæ dispositionis arbitrio, edita in generali Concilio Lateranensi* 5. 38. in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 477. statuit, ut quilibet habens beneficium cum cura, & sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo cessante impedimento, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officij, & temporis, sed eos tanquam injustè perceptos in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si verò ultra dictum tempus in simili negligentia, contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso privetur, cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere quoad hoc, ut beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit; Deo tamen ultra præmissa de dicta omissione redditurus rationem. Quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis toties sit, quoties contrafacere convincantur. Hæc ibi.

21 Et quoniam animi suspicione multi angebantur cujusmodi ratæ prædictæ ratio esset habenda,

Pius V.

Pius V. in sua Constit. 135. incip. Ex proximo, in Bullar. tom. 2. pag. 347. Statuit primo, ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii, seu beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui verò Matutinum tantum dimidiam: qui cæteras omnes horas ultra dimidiam: qui horarum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat.

Secundò ibi, tametsi, hanc pœnam amissionis fructuum voluit habere locum etiamsi aliquis adstrictus Choro prætendat ex consuetudine, statuto vel fundatione se lucrifecisse fructus, & distributiones ex sola præsentia in Choro absque eo, quod Horas Canonicas recitaverit: amittit enim ratam superius præfinitam præter amissionem fructuum, & distributionem.

22 Tertio ibi. Item ille: adjecit, ut qui primis sex mensibus cessante legitimo impedimento officiū non dixerit, intelligat se grave peccatum admisisse.

23 Quartò ibi. declarantes, præmissa locum habere declaravit etiam in obtinentibus præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia etiam nullum omnino servitium habentia.

24 Ultimò ibi, at quicumque: decrevit ut quicumque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas ut clericus percipit, modo prædicto obligatus sit ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxius. Ad hanc Bullam vide Adnotationes Navarri in Manuali cap. 25. nu. 122. vers. Decimus tertius peccat mortaliter: & in Enchirid. de orat. cap. 7. & quod scripsi in c. conquerente, n. 8. supra de cleric. non resid.

25 Et ad prædictorum corroborationē adde provinciale Concilium Mediolanense quartum, par. 3. in tit. de vita, & honest. cleric. §. Sacerdos, tom. 4. Concil. par. 2. pag. 458. col. 1. ad fin. ubi sic legitur: Sacerdos, clericusque sacris initiatus, aut ecclesiasticum beneficium obtinens Horarum Canonicarum officio cum adstrictus sit, meminerit se febri, morbove aliquo, vel adversa valetudine leviter aliquando laborantem, non justam propterea excusationem habere, quamobrem illud intermittat, omittative. Itaque si quando corporis infirmitate affectus est, ipse pro sua conscientia rectè videat præstare possit, ac ne omittendo graviter peccet, & beneficii, quod habet fructus, suos non faciat. Hæc de Sacerdotibus, & Clericis tam in sacris, quam beneficium, vel pensionem obtinentibus.

26 De reliquis autem clericis, scilicet minorum ordinum non beneficiatis, non conveniunt Doctores an ad Horas Canonicas obligentur: nam gloss. ult. hic generaliter dicit non tantum Presbyteros, sed etiam alios clericos ad hoc teneri, arg. c. Cum secundum, de præben. Non tamen aperit an hoc intellexerit de clericis minorum ordinum etiam non beneficiatis; sed apertius hoc videtur sensisse Innocentius hic in princ. Sic enim ait: Quilibet clericus etiam in non sacris ordinibus constitutus omni die debet dicere officia divina, vel audire; arg. cap. Clericus ritum, & cap. fin. 91. dist. & cap. fin. 92. dist. In Ecclesiis autem omnes clerici eiusdem ecclesiæ debent convenire ut eam officient, ut hic, & in d. cap. fin. 92. dist. & qui altari, &c. d. c. Cum secundum.); Hæc Innoc. qui, ut vides, distinguit clericos in ecclesia beneficiatos ab aliis clericis, & sentit omnes quidem teneri, sed beneficiatos teneri in ecclesia, ubi habent beneficia. Abbas verò num. 7. quamvis asserat Doctores sentire clericos minorum ordinum non beneficiatos non teneri ad horas, & ita se habere generalem consuetudinem, quæ non dicentem excusat, arg. c. Cum dilectus, de consuet. tamen ut ipse formaliter subjungit: de mente juris divini, & humani credo quod sit oppositum: nam eo ipso quod quis promovetur ad ordines, assumitur in sortē Domini, & transfert se in Deū, & in ecclesiam: unde eximitur à potestate sæculari, ut c. Cum non ab homine, supra de iudic. optimè facit, c. Cum portio, cum cap. praeced. 12. qu. 1. Nam unusquisque clericus debet vivere de patrimonio Christi, vel saltem Episcopus tenetur providere, cap. 2. cap. Episcopus, & 4. cap. Cum secundum, de præben. Idem videtur ex mente Sancti Thomæ 4. quodlib. 5. q. 5. art. 8. in corpore, ait enim: Clericus ex hoc ipso quod est clericus, & præcipue in sacris ordinibus constitutus, tenetur dicere Horas Canonicas; Videntur enim tales specialiter esse assumpti ad laudem divinam, secundū illud Esa. 42 Omnem qui invocat nomen meum in laudem meam, creavi illum. Videtur tamen loqui de clericis beneficiatis, ut patet ex his, quæ immediatè sequuntur, & ex themate quæstionis.

27 Contrarium puto verum. Primò quia hoc c. loquitur de Presbytero, & de ipso intelligit authoritatem illam, Septies in die, &c. Et quamvis Presbyteri appellatione largò sumpto vocabulo veniant etiam clerici in sacris ordinibus constituti, ut dictum est supra n. 15. tamen non veniunt constituti in minoribus, nisi vulgari idiomate proferatur: quo casu potest sumi ad differentiam laici, ut censuit Rota decis. 216. n. 3. par. 2. recent. Facit text. in cap. Tribus, de consecr. dist. 2. Nec dicatur secundum hoc etiam clerici minorum ordinum beneficiati exempti essent ab horis dicendis, cum nec ipsi comprehendantur appellatione Presbyteri: nam respondeo hos non teneri ex vi nominis Presbyteri, de quo text. loquitur; sed quia alias æquiparantur clericis sacrorū ordinum, ut c. 1. de postulan. secundum Host. & maximè quia cum vivant de altari, tenentur ex justitia altario inservire, arg. d. c. Cum secundum, de præben. Quæ ratio non viget in aliis clericis; nam Ecclesia Romana non consuevit cogere Episcopos ad providendum, nisi ordinatis ad sacros ordines, ut ait gloss. 1. in fin. in d. c. de præben. & hoc tantum vetuit sine sufficienti titulo ordinari Tridentina Synodus in c. 2. sess. 21.

Secundo, quia clerici in minoribus possunt redire ad sæculum: ob quam rationem nec Novitii tenentur ad Horas Canonicas, sed tantum ad aliquid indeterminatum, ut per Sylvest. in ver. Hora, num. 3. vers. Sextò, & Tabien. in ver. Hora Canonica, §. 5.

Tertiò, quia Constitutiones Apostolicæ, Concilia, & Doctores tam S. Theologiæ, quam juris Pontificii non arctant clericos ad divinum officium recitandū, nisi sint in sacris, vel beneficiati: & ita ab huiusmodi onere eximunt minores clericos beneficia non obtinentes. ad l. Cum Prætor. ff. de iudic. & c. Nonne, de præsumpt.

Quartò, quia ex præcitata Bulla Pij V. obtinentes

tes pensiones, ut clerici obligantur tantummodo ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis; ergo ad officium divinum clerici non tenentur, licet pensiones obtineant, & longè minus si eas non obtineant.

Quintò, quia generalis consuetudo habet, ut tales non teneantur: & huiusmodi consuetudo valida est, secundum Abb. At non esset valida si esset contra mentem juris divini, ut cap. fin. supra, de consuet.

Sextò, quia esset importabile onus, ut puer septem annorum, qui potest prima tonsura initiari, c. In singulis, 77. dist. gloss. in c. Nullus, in ver. Infantis, de tempor. ordin. lib. 6. quivè per hoc dicitur in sortem Domini assumptus, c. Cleros, 21. dist. cap. Duo sunt, 12. q. 1. illico adstrictus esset ad divinum officium recitandum. Quinimò cum in promovendis ad primam tonsurā Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. Hoc tantum exigat, ut fidei rudimenta edocti sciant legere, & scribere, nec requiratur ut linguam latinam intelligant, prout requirit in promovendis ad alios ordines in cap. 11. & 13. eiusdem sessionis, utique in necessariam consequentiam admittit, ut sic tonsurati non teneantur ad Horas Canonicas: quandoquidē qui linguam latinam non callent, nec rubricas intelligere, nec officium valent ordinare, cap. Solulo, 38. dist. cap. fin. supra de ætat. & qualit.

Et hanc partem scilicet clericos in minoribus non beneficiatos minimè teneri ad horas dicendas post Petr. de Palude tenet Sylvest. in ver. Hora, n. 3. vers. Quinam, dicens opinionem Abbatis nullo jure probari, & tantū eos teneri ad aliquid indeterminatum ex ipsa honestate juris naturalis; & sequitur Tabien. in ver. Hora Canonicæ, §. 5. Hactenus de clericis sæcularibus.

28 Clerici autem professi licet non sint in sacris, tamen tenentur ad Horas Canonicas ex receptissima omniū sententia, ut attestatur Sylvest. ubi supra, n. 3. vers. Sextum. Idque optimis fundamentis probat Tabiena loco citato, §. 4. Subdens ex consuetudine, & ex regula ab Ecclesia confirmata Religiones omnes habere, ut illarum Clerici professi dicant Horas.

29 Hoc tamen fallit in Societate Jesu, quæ hoc habet ex peculiari instituto, ut soli Clerici in sacris ordinibus constituti, quamvis beneficia ecclesiastica, aut eorum reditus non habeant, teneantur singuli privatim, ac particulariter, & non communiter ad dicendum officium secundum ecclesiæ ritum, ut in Constitutione Pauli III. in cap. Regimini militantis ecclesiæ, §. 12. in Bullar. tom. 1. pag. 654.

30 Ex facto quæsitum est, An Monachi S. Bernardi Observantiæ Hispaniarum Cisterciensis Ordinis, teneantur ex præcepto ad recitationem officij B. Mariæ Virginis, ac Defunctorum.

Etsi Monachi prædicti ab ipsius Cōgregationis fundatione quotidie recitare consueverint officium parvum B. Mariæ, & diebus ferialibus officium Defunctorum, atque ad hoc lege, seu consuetudine obligati censeantur sub gravis peccati reatu: nunc tamen nonnulli ejusdem Cong. Monachi contendunt se exemptos esse ab ea obligatione si in privatis precibus utantur Breviario monastico Benedictino jussu Pauli V. reformato, & edito, & nituntur hoc uno fundamento, quia
31 idem Paulus V. in Constitutione approbationis d. Breviarij Monastici statuit, ut infra, videlicet,

[Cæterum ut prædicti religiosi ad Breviarium, & libros Choreales, ut præfertur, reformatos unanimiter recipiendos eò alacrius inducantur, quo spiritualibus etiam donis se magis refertos esse compererint, etiam providere volentes: omnibus, & singulis prædictis religiosis, ut Breviarium huiusmodi recitando, eadem privilegia, gratias, & indulgentias, ac peccatorum remissiones consequantur, quæ fel. record. Pius V. recitantibus Breviarium Romanum concessit, authoritate, & tenore prædictis indulgemus.)

32 Inter cætera autem privilegia concessa recitantibus Breviarium Romanum dicti Monachi unū dicunt esse, ut ad recitationem officii parvi Beatæ Mariæ Virginis, & Defunctorum non teneantur. Quod dicunt probari ex infrascriptis verbis Cōstitutionis Pii V. videlicet (Quod verò in rubricis nostri huius officii præscribitur, quibus diebus officium B. Mariæ semper Virginis, & Defunctorum, item septem psalmos pœnitentiales, & graduales dici, ac psalli oporteat; Nos propter varia hujus vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendū duximus. (Quemadmodum ergo, dicunt ipsi, ex privilegio Pii V. recitantes Breviarium Romanum non tenentur ex præcepto recitare officium B. Mariæ, ita nec recitantes Breviarium Benedictinum, quibus à Paulo V. communicata sunt omnia privilegia concessa recitantibus Breviarium Romanū: hæc enim est natura adæquationis hujusmodi, ut l. 1. ff. de legat. 3. l. un. C. de rei uxor. act. c. Miramur, supra de serv. non ordin. c. Non solum, de regul. lib. 6. cum simul ut per Butr. cons. 19. Quia hic agitur de potestate, n. 3. vers. Item secundo.

Cæterum universa Monachorum Congreg. prædictis paucissimis tantum exceptis, defendit antiquam obligationem in honorem Beatissimæ Virginis. Quare cum supplicasset S. D. N. pro declaratione Sanctitas Sua hanc controversiam ad Sacram Congregationem Concilii decidendam rejecit.

33 De obligatione recitandi officium parvum B. Mariæ, ac Defunctorum Doctores multum torquebantur ante dictam Pij V. Constitutionem. Quidam enim circumscripta particulari consuetudine, arbitrabantur solas Horas Canonicas esse sub præcepto, non autem officium B. Mariæ, aut Defunctorum: quod originaliter voluit Gulielm. de Monte Laud. in Clement. 1. de celebr. Missar. quem ibi sequuntur Card. Anchar. Imol. Item Joan. de Lign. in tract. de Horis Canon. quæst. ult.

34 Quidam verò consuerunt, omnes qui tenentur ad Horas Canonicas, teneri ex præcepto etiam ad officium B. Mariæ: qui tamen dissentiunt in origine obligationis: alii enim asserunt id sancitum fuisse olim peculiari decreto Concilij Claramontani sub Urbano II. Quod probat Nauarr. in trait. de Horis Canon. & alii recentiores. Porro in vita Urbani II. quæ habetur tom. 3. Concil. p. 2. pag. 480. col. 1. circa. fin. sic legitur. (Hoc Pontifice Authore Horariæ illæ preces, quæ vulgo B. M. Virg. & Dei Genitricis officium appellari consueverunt, non tantum à clericis, sed etiam à laicis pro auxilio contra Saracenos obtinendo recitari cœperunt.) Hæc ibi; & plura hac de re habentur infra in notis ad Concilium Claramontanū, pag. 420. col. 2. litt. B. vers. Ad quod. promerendum.

dum. Alii verò dicunt hanc obligationem sumpsisse initium non ex jure scripto, sed ex consuetudine, quæ postea ubique inolevit, ita ut apud omnes vim legis habeat; quam sententiã amplectitur Vitalin. in d. Clem. 1. *num.* 95. reprobata Guilelmi opinione, quam dicit multum detrahere devotioni B. Mariæ, & suffragijs Mortuorum. Idem sentit Abb. *hic num.* 6. subdens id esse in præcepto ex radice antiquorum Patrum, & traditione ecclesiæ, licet scriptum non reperiatur, & sequitur Sylvest. *in ver. Hora, n.* 6. & Sot. *lib.* 10. *de iust. & iur. quæst.* 5. *art.* 4. ubi ait hanc consuetudinem recitandi officium B. Mariæ ex pietate, & devotione, qua Sanctissima Virgo dignissima erat, adeo invaluisse, ut nullus doctorũ aut Sanctorũ Patrũ negare audeat vim habere præcepti.

Hanc altercationem videtur voluisse dirimere Pius V. in d. Constitutione, Non quidem per modum concessionis alicuius privilegii recitantibus officium Breviarij Romani, sed simpliciter & absolutè removendo periculum peccati ab his, qui illud non recitarent juxta rubricarum præscriptum. Hæc autem remotio peccati, & obligationis nullo modo videtur pertinere ad obligationem, quam habent Monachi S. Bernardi. Primò quia ipsi non tenentur solum in vim generalis consuetudinis, seu juris scripti, de quo erat prius controversia an vim haberet præcepti; sed in vim particularis consuetudinis, & instituti sui ordinis, quod initiũ sumpsit à fundatione ipsiusmet Congreg. quamquidem specialem obligationem non est verisimile, ut Sanctissimus ille Pontifex voluerit abrogare. Etenim de valore particularis consuetudinis olim nulla erat controversia inter Do-
35 ctores, sed omnes unanimiter in locis superius citatis conveniebant in hoc ut recitatio officij esset in præcepto, si ita se haberet Ecclesiæ, aut monasterii consuetudo. Atque ita loquitur Guil. in d. Clem. 1. Quem cæteri sequuntur.

Præsertim quia mens Pij V. colligitur ex alia parte ejusdem Constitutionis, ubi ejusmodi consuetudines præservat; his verbis: (Hoc autem concedimus sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium parvum B. Mariæ semper Virginis in Choro dici consueverat, ita ut in ipsis ecclesiis servetur ipsa laudabilis, & sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum officium.

Sed & ratio illa Constitutionis, (Nos propter hujus vitæ negotia multorũ occupationibus indulgentes, &c.) non videtur convenire Monachis Claustralibus, qui à negotijs, & occupationibus mundanis sunt prorsus segregati, & in solitudine positi, facilius possunt orationibus, ac divinis precibus vacare, cap. *Placuit*, & c. *Si cupis*, 16. q. 1.

36 Generaliter autem licet Romanus Pontifex constitutionem condendo posteriorem, priorẽ quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur, quia tamẽ locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & statuta cum sint facti, & in facto consistant, potest probabiliter ignorare ipsis, dum tamen sint rationabilia, per Constitutionem à se noviter editam, nisi expressè caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare: hic est textus ad litteram in c. 1. *de Const. lib.* 6. per quem Archid. *col.* 3. *in verb. Expresse*, & post eum gloss. *fin.* notat fuisse reprobatam opinionem Host. qui in *summa de Convent.* §. *Et de virtute, vers. Sed specialis*, contrarium senserat; & approbatam sententiam Innoc. in c. 1. de rescript. Unde hanc conclusionem, idest per novam Constitutionem non tolli specialium locorum consuetudines, vel statuta, firmant in d. c. 1. *Constit. lib.* 6. Archid. Jo. Monach. Jo. Andr. Gemin. & cæteri omnes, & in cap. *Nonnulli de rescript.* Nisi Princeps hoc intendat. Sed in dubio non videtur hoc velle: & ita procedit text. in l. *Iul.* §. *Divus*, *ff. de sepulcr. viol.* ut ibi declarat gl. quam communiter tenemus, ut Bart. dicit, & Petr. de Anchar. in d. cap. 1. *num.* 10. *vers. Undecimo oppone.*

Sed quatenus etiam usus Breviarij Romani omnes liberasset ab obligatione officii B. Mariæ, non tamen essent liberati utentes Breviario Benedictino: nam etsi utentibus hoc Breviario Paulus V. concesserit omnia privilegia, gratias, & indulgentias concessas recitantibus Breviariũ Romanum; tamen hæc verba non videntur importare liberationem ab officio B. Mariæ. Neque huic liberationi conveniunt, quin potius repugnant illa verba Constitutionis Pauli V. quo spiritualibus etiam donis magis refertos esse compererint.

De Celebratione Missarum.

Cap. Quidam.

SVMMARIVM.

1 *Missa de feria propter Missam specialem dimittenda non est.*
Declaratur, num. seqq.
2 *Missam peculiarem audiens in diebus festis an satisfaciat precepto Ecclesie. & num. seqq. usque ad num.* 7.
3 *Missas peculiares, seu votivas an, & qualiter quis prohibeatur audire diebus festis.*
4 *Superstiones aliquot referuntur audientium Evangelium,* In pricipio erat Verbũ, *vel Missas peculiares.*
5 *Sacrificium altaris soli Deo offerendum est, qui solus adorandus est latria.*
6 *Sancti orationes non exaudiunt, sed apud Deum pro nobis interpellant.*
8 *Missæ votivæ ex Missali Romano dici possunt pro arbitrio Sacerdotum quocumque die officium non est duplex, aut Dominica, id tamen passim fieri non debet.*
9 *Missa pro defunctis potest dici peculiaris.*
Missa votiva pro sponso, & sponsa non dicitur in Dominicis, & festivis diebus, ibidem vers. Cavendum.
10 *Missam de uno Sancto quotidie celebrare non licet.*
11 *Missa etiam de officio currenti dicenda est pro salute vivorum, & defunctorum, & n.* 34.
12 *Missam celebrans de Sancta Maria dicitur celebrare pro defunctis, & è converso.*
13 *Missa defunctorum an sit dicenda ad consequendam indulgentiam altari privilegiato concessam; an verò sufficiat aliam Missam dicere, & num. seqq. usque in fin.*
14 *Privilegij tenor inspiciendus est ad dignoscendum an pro liberatione animæ à Purgatorio requiratur Missa de* Requiem.

In-

15 *Indulgentias animæ defunctorum non consequuntur à Sacerdote celebrante, sed à Pontifice concedente per modum suffragii.*
16 *Indulgentia non acquiritur nisi conditio sub qua conceditur, adimpleatur.*
17 *Mens Papæ secundũ Canones interpretãda est.*
18 *Mens pro defuncto an idem importet quod Missa de* Requiem, *& n.* 23. 30. *&* 34.
19 *Missa de* Requiem *cum ab ecclesia instituta.*
20 *Missa de* Requiem *magis suffragatur animæ defunctorum, quàm Missa de festo, vel de feria. Declaratur, n.* 31. *& seqq.*
21 *Missarum suffragia mortuis tripliciter applicari possunt.*
22 *Medium censetur electum, quod rei gerendæ magis est idoneum.*
24 *Altare privilegiatum conceditur ipsi ecclesiæ.*
25 *Mortui solvuntur à pœnis Purgatorii ad instar liberatis per debiti solutionem, sive ex bonis liberandi, sive alterius.*
26 *Indulgentiarum materia est favorabilis.*
27 *Indulgentia pro defunctis non est privilegium, sed beneficium nulli noxium, & latè interpretandum.*
28 *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.*
29 *Electio in dubio est debitoris.*
32 *Missa ex parte sacrificii æquè prodest mortuis de quocumque dicatur. Et quid ex parte orationum.*
33 *Libertas si detur servienti per annum, acquiritur in bissexto si serviat per dies* 265.
23 *Miraculum Paschasii celebrantis in Capella Columnæ intus Ecclesiam Sanctæ Praxedis.*

1 QUIDAM. Propter Missam specialem Missa de feria dimittenda non est. Hoc dicit secundum Io. And. cui cæteri cõsentiunt. Dividitur in duas partes. In prima ponitur excessus. In secũda provisio, ibi, *Ideo.*

Nota primò quod dictum est in summario, videlicet propter Missam peculiarem, seu votivam non esse demittendam missam de feria, seu de officio occurrente. Non enim transgrediendi sunt
2 termini, quos posuerunt Patres nostri, cap. 1. de sepultur. Quod nonnulli opinantur usque adeo verum esse, ut audientes Missam peculiarem in diebus festis, vel illam celebrantes non satisfaciant præcepto ecclesiæ de missa audienda; quia missa, quæ præcipitur, est missa de festo, vel quæ secundũ
3 officium debet dici, ita Angel. *in ver. Missa, n.* 33. & *in ver. Feria, n.* 42. licet subdat audientes propter ignorantiam excusari, sed non celebrantes, arg. c. *Etiam hoc attendendum, de consecr. dist.* 1. Allegantur etiam pro hac sententia Alexan. de Ales *in summa lib.* 2. & Astensis *lib.* 4. *tit.* 16. *qu.* 2. Contrarium firmat S. Antonin. in 2. *par. tit.* 9. *c.* 10. §. 1. *vers. Quartum dubium* quia textus in c. *Missas*, hoc non dicit, sed indistinctè loquitur; ideoque non tenetur quis audire missã propriam ex necessitate, sed tantummodo ex congruitate, & secundum hanc congruẽtiam, ut ipse ait, loquitur hoc capitulum. Neque enim mulierculæ, & idiotæ scire possunt an missa sit propria, & oportere hoc semper sciscitari nimis esset laboriosum, & sequuntur Rosella *in ver. Missa*, §. 14. Sylvester *Missa*, 2. §. 4. Tabiena *in eodem ver. nu.* 48. Sot. *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *vers. Quod autem.* Et
3 Navarr. *cons.* 9. incipien. *Ex consilio, nu.* 7. *de celebr. Missar.* Quod & mihi videtur verius & ad hoc cap. respondeo hic non improbari consuetudinem dimittendi missam de officio currente propter missã
4 peculiarem; Sed tantummodo reprehendi superstitiosam Religionem illorum, qui missam de sancta Trinitate, vel de sancto Michaele pro nullo festo prætermittebant, quasi non viderentur audire missam, nisi illas audirent, secundum Host. *in ver. Per singulos dies*, & Cardin. *n.* 1. *in eodem ver.* vel qui credebãt in illa die, in qua audiebant Evangelium, *In principio erat Verbum*, aut Missas memoratas, se sine pœnitentia non posse decedere, quam superstitionem habent vetulæ, ut dicunt Abb. Antiquus *in ver. Audiant*, Ioan. Andr. & Cardin. ambo *in ver. Evangelium*, & Abb. Siculus *in* 1. *not.* & propterea textus admittit, ut quis audire possit missam specialem, seu votivam, dummodo id faciat propter reverentiam S. Trinitatis, & non pro alia devotione, quasi dicat licitum est dimittere missam de die, & audire missas votivas, dummodo id non fiat propter aliquam specialitatem, quasi istæ meliores sint aliis secundum glos. fin. & Hostien. *num.* 1. puta quia magis prosint ad uberiores segetes impetrandas, vel quid simile, ut explicat Innoc. *in ver. Pro alia*, Hostien. *n.* 5. *in ver. Non pro alia*, Io. Andr. *num.* 2. *in ver. Devotione*, & Cardin. *in* 1. *quæst.* Unde Abb. *cons.* 99. *Videtur* 1. *num.* 3. *vers. Idem probare videtur*, *lib.* 2. disertis verbis asserit hoc capitulum si bene ponderetur, non prohibere simpliciter missas peculiares, imo permittere, dũmodo fiat ex bona devotione, & non est superstitione, ut quidam sciebant credentes propter illas habere meliores segetes. Vel dicas hic improbari illorum abusum, qui tantam devotionem figebant in sanctum, cujus missam audiebant, ut crederent illum posse ipsorum præces exaudire magis, quàm si audirent missam ob reverentiam Dei. Sicut refert hic Hostien. de aliquibus, qui credebant, se magis d[illegible]rare per Dominam nostram, quàm per Deum, & nuper mihi renunciatum est de quadam vetula, quæ cum audivisset puerperam commendantem Deo parvulum tunc natum, Filiola mea, inquit, non Deo, sed potius S. Carolo. Porrò ut inquit Innoc.
5 etiam missa de S. Michaele dicenda est in honorem SS. Trinitatis, quoniam soli Deo sacrificium altaris offerendum est, qui se hostiam obtulit pro nobis. Ipse enim solus adorandus est latria, qui solus
6 potest per se orationes exaudire. Sancti autem apud Deum pro nobis interpellant. Ita Innoc. quem totidem verbis sequuntur Hostien, Io. And. & reliqui omnes. Ad hoc Concilium Trident. *sess.* 25. *de invocatione, veneratione, &c.* Et vide quod notatur per Io. Andr. in Clem. *unica in glos. magna in* 4. *membro, de reliq. & venerat Sanctorum.*

Concludo igitur neminem obligari in diebus festis ad audiendam Missam propriam illius diei, seu de officio currenti, sed satisfacere præcepto Ecclesiæ audiendo quamlibet missam peculiarem,
7 seu votivam. Respectu celebrantis major est difficultas, nam, ut inquit S. Antonin. *loco præallegato*, reprehensibile utique multum videtur, etsi non damnabile, dimittere proprias occurrentes propter missas defunctorum, vel aliàs ad instantiam laicorum sine causa multum urgenti. Docendus est enim populus, non sequendus, c. Do-

cendus, 22. dist. quinimo est mortale secundum aliquos, quos supresso nomine refert Sylvest. *in ver. Missa, 2. §. 4.* Sed & Angel. *ubi sup.* dicit Missam esse celebrandam de eo, de quo officium fit, adeo ut Missam peculiarem dicens, idest specialem de aliquo Sancto, non satisfaciat præcepto de audienda Missa; & quamvis audientes ex ignorantia excusentur, non tamen celebrantes, arg. c. *Et hoc attendendum, de consecr. dist. 1.* Hæc ex illo. Sed certè de jure communi hoc non videtur esse in præcepto; quia hæc decretalis, in qua sola fundari potest obligatio celebrandi Missam de officio currente, & alium habet sensum, ut superius explicatum est à *num. 3.* ac præterea non loquitur de celebrantibus, sed de audientibus. Unde si quam obligationem induceret, utique illam induceret respectu audientium, quos tamen constat ad id non obligari, ut habet generalis consuetudo teste Navarr. *d. cons. 9. num. 7. de celebrat. Missar.* Unde melius Sylv. *in ver. Missa 1. §. 4.* affirmat prædicta esse intelligenda ad bene esse, non de necessitate, quia nec Abbas hic dicit non satisfieri præcepto, nec Clem. *1. de celebr. Missar.* dicit aliquid de præceptis. Id ipsum tenent Rosella *in ver. Missa, §. 14.* Tabienna *in eod. ver. nu. 48.* & Navarr. *in Manual. Hispano c. 27. n. 7.*

Non obstat d. cap. *Et hoc attendendum, de consec. dist. 1.* ubi patet Sacerdotes, & populum in diebus solemnibus debere in unum convenire ad publicam Missam audiendam: nam & ille textus potest intelligi de congruo, & nihilominus illi derogatum est ubique ex contraria consuetudine, & præsertim in Urbe, ut Navarr. testatur *in præalleg. cons. 9. num. 7. de celebr. Missar.*

8 Cæterum opinio Angeli videtur hodie approbata in novo Missali Romano in Rubrica *de Missis votivis S. Mariæ, & aliis, §. 5.* ubi sic legitur. (Missæ omnes votivæ in Missis privatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum quocumque die officium non est duplex, aut dominica cum commemoratione ejus, de quo factum est officium, & commemoratione item festi simplicis, si de aliquo occurrat eo die fieri commemorationem, id verò passim non fiat, nisi rationabili de causa, & quoad fieri potest Missa cum officio conveniat.) Hæc ibi. 9 Et consonat alia rubrica *de Missis defunctorum, §. 2. in fin.* ubi cavetur ut Missæ privatæ pro defunctis quocunque die dici possint præter quam in festis duplicibus, & Dominicis diebus: nam & Missa pro defunctis dicitur peculiaris secundum Archid. in cap. *Visum, de consecr. dist. 1* & Abb. *cons. 99. Videtur primò num. 1. lib. 2.* Unde quidquid dicant alii hodie constat nulli Sacerdotum licere in Dominicis diebus, & festis duplicibus maximè de præcepto celebrare Missam peculiarem, seu votivam, vel de Requiem, Rubricæ enim Missalis sunt in præcepto, ut scripsi in cap. *Cum creatura, num. 29. infra eod.* Fateor tamen in illis casibus, in quibus Missa pro defunctis dici potest in festis duplicibus, puta in Anniversario pro defunctis, vel in die depositionis defuncti, ut dixi in prædicta Decretali *Cum creatura, num. 23. & 26.* tunc Sacerdotes eam celebrantes satisfacere præcepto ecclesiæ, de Missa audienda in diebus festivis, cum id faciant lege permittente, cap. *Qui peccat, 23. q. 4.* & l. *Gracchus, ff. ad l. Jul. de Adulter.* cavendum est tamen à modernis Collectoribus hic, dum ex Julio Lavorio *de Indulgen. par. 2. cap. 30. num. 105* affirmant in diebus festis posse celebrari Missas votivas ex urgenti causa, veluti pro benedictione nuptiarum, & similibus, hoc enim est contra rubricam Missalis, quæ ponitur ante Missam pro sponso, & sponsa, ubi cavetur, ut si benedictio nuptiarum facienda sit die dominica, vel alio die festo dicatur Missa de dominica, vel festo cum commemoratione sequentis Missæ pro sponso, & sponsa, & reliqua, quæ pro communione, & complemento benedictionis in ea habentur.

10 Secundò nota, ibi, *per singulos dies*, non esse licitum quotidie celebrare Missam de uno sancto, ut hic notant Butr. *in 1. notab.* & Abb. *d. cons. 99. num. 4. lib. 2.* Quod adeo verum est ut nec pacto, vel statuto adstringi possit præbendatus ad celebrandum singulis diebus de uno sancto, ut est textus in cap. *Significatum*, & ibi dixi *in 3. not. supra de præben.* & notat Abbas in præallegat. *cons. 99. n. 1. vers. Secundò, & num. 4. vers. Ex hu patet.* Nec obstat textus in cap. *Et hoc attendendum, de consecr. dist. 1.* quia secundum Abbatem d. n. 4. non prohibet, quin potius permittit Missas peculiares privatas, dummodo per eas populus à Missa solemni non abstrahatur. Contrarium firmat Navarr. d. *cons. 9. num. 7. de celebr. Missar.* ubi asserit licere in diebus quamvis solemnibus dicere Missas peculiares de vivis, ut videmus in tota Christiana Ecclesia servari, & *num. 8.* respondet ad textum in d. cap. *Significatum.* Sed quidquid dicat, prima opinio approbatur in Missali Romano, ubi patet Missas peculiares, seu votivas tam de vivis, quam de mortuis non esse celebrandas in festis duplicibus, & dominicis diebus, ut dixi in præced. notab. *num. 8.* & consequenter non licet Sacerdoti celebrare quotidie de uno Sancto.

11 Tertiò nota ex fine textus Missam de officio currente dicendam esse non tantum pro salute vivorum, sed & defunctorum, ut hic, & in c. *Visum de consecrat. dist. 1.* quasi celebrando pro vivis cele-
12 bretur etiam pro mortuis, secundum Jo. Andr. *n. 3. in ver. Defunctorum*, & Cardinal. *num. in eod. ver. Unde*, ut dicebat Hugo de S. Theuderio, Cardinalis ipse celebrando de Domina nostra sciebat se celebrare pro defunctis, & celebrando pro defunctis sciebat se celebrare de Domina nostra. Cujus dictum refert Host. *in fin.* & secundum eum satis comprobatur *hic*, & in cap. *Si quotiescumque de consecrat. dist. 2.* Id autem perficitur ab universa ecclesia per preces in secundo Memento, ut innuit textus in d. cap. *Visum*, in illis verbis, *loco competenti*, quæ exponuntur à glossa, idest in secreta Missæ, & ab Archid. & Turrecrem. in secundo memento, in quo dicitur, *ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, &c.* & cens. Sac. Congregatio Concilii in terminis *cap. 4. sess. 25.* ut dixi in cap. *Cum creatura, n. 19 infr. eod.*

13 QUÆRO, an ad consequendam indulgentiam à Summo Pontifice altaribus privilegiatis concessam necesse sit in eis Missam defunctorum celebrare; an verò sufficiat aliam Missam dicere, cum alioquin in diebus festivis, in quibus juxta novum Missale non potest celebrari Missa defunctorum, non suffragaretur hæc indulgentia animabus Purgatorii.

14 Præmittendum primo, verba privilegii, cujus occasione dubitatur, quæstioni debuisse inseri, ut eisdem inspectis posset congruum dari responsum, prout jubetur fieri in cap. *Porrò de privileg.* & est ex men-

mente D. Thom. *in 2. dist. 45. qu. 2. art. 3. q. 2.* Videremus privilegia diversis concepta verbis, & ut audivi, privilegium concessum in ecclesia S. Petri ad altare S. Andreæ videtur restrictum ad celebrandum de Requiem. Secundò præmittendum, posse supponi hoc privilegium fuisse conceptum sub verbis, quibus ut plurimum hæc privilegia concedi consueverunt, quæ solent esse infra scripta, videlicet. (Concedimus ut quoties Missa ad prædictum altare celebrabitur pro anima cujuscunque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesiæ indulgentiam consequatur.)

15 Tertiò præmittendum, celebrantem non dare, nec acquirere dictæ animæ indulgentiam, sed Pontificem ipsum illi animæ, pro qua præstabitur hoc requisitum opus, indulgentiam per modum suffragii concedere, ut denotant verba præmissa, & notant sæpe Doctores, ut Palud. *in 4. dist. 20. quæst. 4. art. 3. conclus. 6.* Cordub. *de Indulgent. quæst. 26.* Nam cum concessio indulgentiæ quantum attinet ad præsentem quæstionem sit actus superioritatis; quam quis habet dispensandi thesaurum Ecclesiæ, quæ residet taxata in Episcopis & plenè in summo Pontifice, secundum D. Thom. *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. quæst. 3.* Qui celebrat de Ecclesiæ communibus bonis solvit pro defuncto opus, ac veluti pretium à Pontifice requisitum, quo soluto Pontifex indulgentiam largitur, seu concedit, & hoc per modum suffragii.

Quartò, præmittendum ex Paludano *d. artic. 3. conclus. 2.* & Cordub. *quæst. 31.* post D. Thom. *in addit. ad 3. part. qu. 27. art. 3.* & *in 4. dist. 20. qu. 1. art. 5. qu. 3.* Indulgentiam non obtineri nisi adim-
16 pleatur conditio, sub qua indulgentia conceditur, addunt dicti Palud. & Cordub. non sufficere partem requisitorum adimplere, sed totum adimplendum esse, Navarr. *in Miscell. de orat. num. 118. & de Jubil. notab. 32. num. 49.* Facit cap. *Si pro te* ubi gloss. *fin. de rescript. lib. 6.*

Ex prædictis infertur dubitationis resolutionem pendere ex intentione Pontificis concedentis, secundum quam prout ipse intendit, anima ipsa liberabitur, vel non, arg. l. *Cum heres, §. 1. ff. de stat. q. 3. ad 2.* Erit igitur inquirendum quænam fuerit, vel sit ipsius mens, cap. *Cum venissent*, ubi Felin. latè *de judic.* Quæquidem mentis declaratio fieri poterit etiam à Pontifice successore, ut per Oldr. *cons. 237 Factum tale est, num. 2. vers. Hæc autem interpretatio Domini Nicolai*, & Rimminald. jun. *cons. 481. nu. 67. & 68.* Nam etsi potestas interpretandi cohæreat personæ, & in alium non transeat secundum Innoc. in cap. *fin. de success. ab intestat.* & Felin. in d. cap. *Cum venissent, num. 2. de judic.* tamen successor idem censetur cum prædecessore, & una est dignitas, ut inquit Oldrad. *loco cit.* Quod si hoc non posset coram ab ipso obtineri, tunc quænam fuerit ejus mens conjecturis est indagandum, l. *In conditionibus, ff. de cond. & demo.* Et quidem in casu proposito requiri Missam de Requiem, ex infrascriptis videtur elici posse.

17 Primò, verba dubia à summo Pontifice probata secundum Canones sunt interpretanda, cap. *Ecclesia vestra*, ibi secundo, de elect. Calder. *cons. 187. alias 2. de præsumpt.* Felin. in cap. *Causam, n. 16. vers. Quarta declaratio, de rescriptis.* Sed hæc, vel similia verba, Celebretur Missa pro defunctis, in sacris Canonibus intelliguntur de Missa de Requiem, c. *Sufficit, de consecr. dist. 1.* ibi, Quidam tamen pro defuncto unam Missam faciunt, & alteram de die: ubi illa verba, Missam pro defuncto,
18 idem important quod Missa de Requiem. Idem colligitur ex cap. *Certum*, juncta gloss. 3. & gloss. *final. eadem dist.* & ex cap. *Cum creatura*, & ibi gloss. *eod. tit. infra eod.*

19 Secundò suffragatur textus in c. *Quicumque, 26. q.* ubi habetur, Missam de Requiem institutam specialiter ab ecclesia in subsidium, & suffragium animarum defunctorum, cum si addatur regula communis, de qua in l. *Plenum. §. Equitis, ff. de usu, & habit.*, quæ habet verba intelligenda esse secundum propriam conditionem illius, de quo agitur; sequitur ut in materia nostra, quæ emanavit ad utilitatem defunctorum, verbum Missa, intelligatur de illa, quæ peculiariter pro eorundem suffragio fuit ab Ecclesia ipsa instituta.

20 Tertiò, certum est, Missam de Requiem ad hoc præcipuè institutam fuisse, ut sic satisfieret pœnæ debitæ ab his, qui in Purgatorio existunt, c. *Quicumque Sacerdotum, 26. q. 1.* Eamque plus defunctis suffragaturam ex D. Thom. *in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. ad*
21 *3.* quam Missam de Sancto, seu de festo, vel de feria quod etiam probat Navarr. *cons. 9. de celebr. Missar*, ubi *num. 1.* sic ait. (Quamvis triplex sit modus applicandi mortuis Missarum suffragia, scilicet per intentionem, per memoriam, quæ fit in decima parte Canonis Missæ, quæ incipit *Memento etiam*, & per Collectas expressas in ipsa Missa; ut colligitur ex c. *Cum gravia*, cap. *Non æstimemus* & c. *Anima, 13. q. 2.* & aliis multis, adjuncto cap. *Visum, de consecr. dist. 1.* Nihilominus major, & melior est per totam ipsam Missam pro defunctis, & infra *num. 5* Missa, inquit, pro defunctis cæteris paribus magis prodest defuncto, quàm Missa de Sancto, vel feria. Ergo etiam collecta Missæ de defunctis magis proderit, quam collecta Missæ de vivis, arg. l. *Qua de tota, ff. de rei vendicat.* & cap. *Pastoralis, §. Item si totum, ff. de offic. Delegat.*) Hæc Navarr. Et successivè sequitur eandem esse magis proportionatam effectui, qui intenditur, qui est liberatio animæ à pœnis Purgatorii;
22 arguitur tunc sic. In dubio illud in [illegible] videtur electum, quod rei gerendæ magis idoneum est, argum. l. *Quoties, ff. de reg. jur.* Item quod illud, per quod plenius ei, cui benefacere volumus, providetur, argum. l. *2. ff. de milit. testam.* cap. *Super hoc, de renunciat.* Sed hujusmodi est Missa de Requiem: Ergo ipsa à Pontifice plus quam aliæ intenta, & requisita videtur.

23 Quartò adducitur Abb. *cons. 99.* incipien. *Videtur primò, vol. 2.* Qui in casu legati facti per hæc verba, Quod omni die post mortem ejus pro anima ipsius testatoris in perpetuum celebrari deberent triginta Missæ mortuorum per triginta Presbyteros; Concludit Missas debere dici de Requiem, quia tales præsumuntur mens testatoris ex illis verbis ibi. Pro anima ipsius testatoris: & ibi, Missæ mortuorum: ex quibus verbis colligi potest penes Abbatem idem importare Missam pro anima defuncti, quod Missa mortuorum; qui Abb. subdit, Missam de Requiem saltem privatam posse dici omni die, etiamsi sit dies festus. Ex quibus respon-
24 detur ad argumentum, quod pro contraria parte adducitur. Sed his non obstantibus verior videtur contraria opinio; & ante omnia observandum est hoc privilegium respicere quidem, atque inten-

 dere

dere consolationem animarum defunctorum, sed intuitu ipsius Ecclesiæ, imo ipsi Ecclesiæ concedi, ut patet ex lectura similium concessionum: & inde deducitur in dubio eam concedentis intentionem esse præsumendam, per quam Ecclesia ipsa magis decoratur, argum. d. §. *Equitis*, & d. l. *Quoties*.

25 Observandum secundò hanc materiam, prout concernit liberationem animæ defunctorum à pœnis Purgatorii esse omnino similem illi, de qua per Jurisconsultum *in tit. de stat. liber.* Et sicut libertas ibi sequitur si fiat quod jubetur ex bonis sive liberandi, sive alterius, d. l. 3. *in princip.* proportionatè loquendo idem videtur dicendum hoc casu, arg. cap. *Inter corporalia, de translat. Episc.* & colligitur ex D. Thom. *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. qu. 2.*

26 Observandum tertio, hanc materiam utpote quæ agit de liberandis animabus à tam dura servitute, & cruciatu, esse favorabilem, d. l. *Cum hæres, §. Item si decem*, & alibi sæpe, *ff. de stat. liber.* & tradit Bald. *cons. 339. Casus talis est, per totum*, Maximè *in fin. lib. 1.*

27 Observandum quartò, hic agi propriè non de privilegio, sed de beneficio Principis nulli noxio, quod latè interpretandum est, cap. *Olim de verb. signif.* cap. *Dilecti, de donat.* cap. *Quamvis, de præben. lib. 6. l. fin. ff. de Constitut. Princ.* & in terminis concessionis indulgentiarum respondit Roman. *cons. 353. Petitur à me declaratio, per tot.* quem refert, & sequitur Ludovic. Bolog. *in tractat. de indulgen. col. 19. vers. Lapus etiam, & valde utilis, num. 95.* Felin. *in suo serm. de indulgent. circa fin.* & Ioan. Franc. Pavinus, *de off. & potest. Capituli sed. vac. in 1. par. quæst. 4. ante finem.*

28 Observandum est denique hic agi de indulgentiis, quæ ex vulgata regula tantum valent, quantum sonant, glos. in cap. *Quod autem, de pœnit. & remission.* Dummodo ex parte dantis sit authoritas, ex parte recipientis charitas, ex parte causæ pietas, ut inquit D. Thom. *in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. q. 2.*

His ita constitutis, cum privilegii verba nihil aliud requirant, nisi ut ad dictum altare celebretur Missa pro anima cujusvis fidelis, utique verba hujusmodi verificantur etiam in dicente ad d. altare Missam de Sancto, si illam integram celebrans offerat pro anima defuncti. ergo & dispositio verificabitur, l. 1. §. *His, qui navem, ff. de exercit.* & l. *Non aliter, ff. de leg. 3.* Angel. Aretin. *cons. 51. Visa supradicti, n. 2.* & Paul. de Castr. *cons. 154. super primo quæsito, in princ. lib. 1.*

29 Secundò, per privilegium hoc exigitur tantummodo in genere, ut Missa pro defuncto celebretur: ergo electio erit ipsius debitoris, l. *Comprehensum, ff. de contrahen. empt.* modo id, quod solvitur, sit integrum, scilicet, ut notat ibi glos. Facit *instit. de legatis, § Si generaliter*, & regula *in alternativis, de reg. jur. lib. 6.* cum simil. Sive igitur solvatur Missa de Requiem sive de sancto, vel feria, cum præstetur id, ad quod quis est obligatus, consequens est ut & liberatio sequatur, & indulgentia obtineatur, d. l. 3. *de stat. liber.* Et cum privilegii verba sint generaliter sine distinctione concepta, non debemus nos ea restringere, nec distinguere, vulgata l. *De pretio, ff. de public. in rem act.* Unde S. Antonin. Sylvest. & alii supra citati *num. 6.* tenent in simili satisfieri præcepto de audienda Missa in die festo, etiamsi audiatur Missa de Sancto, vel feria, & non de ipsomet festo, quia lex tantummodo nos obligat, ut eo die Missam in genere audiamus, & tamen eo casu articulus erat magis dubitabilis: nam dum ecclesia præcipit, ut audiamus Missam die festo, videtur quodammodo velle ut audiamus Missam ab Ecclesia institutam pro honore dicti festi, seu Sancti; adeo ut propterea Angelus, & alii tenuerint non satisfieri præcepto de audienda Missa de officio currenti, ut dixi *eod. num. 6.*

Tertiò, generaliter faciunt adducta in præmissis suppositionibus, videlicet quod versemur in materia ex omni parte favorabili, & amplianda. Et pro hac sententia, licet non per has rationes reperi consuluisse Navarrum *in cons. 37.* incipien. *Sanctissimus concessit, de pœnit. & remiss.* In terminis privilegii concessi eo tenore, ut quoties diceretur Missa in tali altari pro defuncto, anima illa per modum suffragii indulgentiam plenariam consequeretur.

Nec obstant contraria; quia ad Capitulum Sufficit: respondetur ibi ideo illa verba intelligi de Missa de Requiem, quia contradistinguitur à Missa de tempore, vel de Sancto: quæ ratio cessat in casu nostro, in quo in sua generalitate relinquuntur, nec alteri speciei opponuntur.
30 Eodem modo respondetur ad d. cap. *Cum creatura.* textus verò in cap. *Certum, de consecr. dist. 1.* confirmat nostram opinionem: nam volens ibi Pontifex facultatem Missas in d. loco non sacro celebrandi restringere ad Missas de Requiem, non dixit simpliciter, Concedimus animabus fidelium ibidem sepultorum, sed facultatem celebrandi pro defunctis, limitat ad sacra funeralia, seu Anniversaria de Requiem.

Ad secundum retorquetur argumentum, & validius: nam ut supra dictum est, privilegium fuit concessum loco, seu contemplatione loci: unde sequitur, ut verba debeant intelligi secundum conditionem loci at loco, idest Ecclesiæ magis convenit, ut quando occurrit festum, celebretur de festo, & servetur regula beneficii, nec dicatur tunc Missa privata de Requiem, ut insinuatur etiam in hoc cap. Et in d. cap. *Et hoc attendendum, de consecr. dist. 1.* Ergo Summus Pontifex, qui Ecclesiæ dictum privilegium concessit, censendus est voluisse illud ita restringere, ut illius laudabilis ordo turbetur, inductaque ad unum finem, operentur contrarium: potius enim attenditur in hoc id, quod congruit ipsi Ecclesiæ, ad cujus intuitum concessum est privilegium, quàm quod congruit animæ defuncti, quæ ex hac Missa per alterum ejus nomine exhibenda liberationem est consequuta, ut de hoc est textus in l. *Labeo, eod. tit. de stat. liber.* Imo
31 & respectu ipsarum animarum convenit, ut non fiat dicta restrictio, quandoquidem verbis generaliter sumptis, saltem per accidens eisdem copiosius consulitur, quia facilius quotidie poterit pro eis offerri Missa, ut liberentur, quàm si solum posset pro eis offerri Missa de Requiem, quæ celebrari non poterit quotidie, vel propter rubricas Missalis, vel propter Custodis Ecclesiæ prohibitionem. Addit Navarrus *d. cons. 37. num. 2.* frequentissimè contingere, ut aliquis moriatur vespere, vel mane alicujus magni festi, cujus animæ desiderant propinqui opitulari, & non possent tempore hujusmodi Missæ quæ esset maximum, & præsens remedium. Quæ tamen ratio infirma est, quia corpore præsente Missa de Requiem quocunque die dici potest, præterquam in Parasceve, & in Paschate, ut dixi in cap. *Cum creatura infra eodem.*

Ad

32 Ad tertium respondetur etsi Missa de Requiem plus prosit defunctis, quàm de festo; hic tamen defectus modicus est, & de facili suppletur per majorem devotionem, quàm solent celebrantes habere dum de festo celebrant, ut ver. Sylvestr. *in ver. Suffragium, num. 5.* Et est de doctrina D. Tho. in contrarium citati *in 4. sentent. dist. 45. q. art. 3. q. 1. ad 5.* cujus hæc sunt verba (Missæ suffragium continet duo, scilicet orationes, & sacrificium, ex parte sacrificii oblati Missa æqualiter prodest defuncto de quocumque dicatur, & hoc est præcipuum, quod fit in Missa, ad hoc cap. *Utrum, de consecr. dist. 2.* Sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ: Sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem, vel ejus, qui dicit Missam, vel ejus, qui facit dici, vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur.) Hæc S. Thom. & sequitur totidem verbis, S. Antonin. *in 1. par. tit. 10. cap. 2. §. 3.* Et Navarr. *d. cons. 37. n. 2. de pœnit. & remiss.* ubi etiam addit Missam pro defunctis in orationibus minus valere hoc respectu, quia brevior est, & celerius, minusque attentè ut plurimum dicitur quàm alia. Et quia memoria nova sancti, & novitas officii devotionem celebrantis adauget, ex qua pendet valor ex opere operantis. Præterea non requiritur, Missa de Requiem
34 plus prodest defuncto; Ergo hæc debet offerri in casu nostro ad indulgentiam, seu liberationem consequendam, cum ad illam consequendam sufficiat offerri id, quod est minus, arg. tex. in d. l. *Cum hæres, §. Stychus, ff. de stat. liber.* ubi si detur libertas servo servienti per annum, si servit in bissexto, in quo duo dies computantur pro uno, l. *Cum bissextus, ff. de verb. signif.* sufficit, ut serviat per dies 365. nec cogitur servire per dies 366. quos habet dictus annus. Advertendum item est in hoc 3. argum. latere fallaciam, quæ dicitur à simpliciter ad secundum quid; arguitur enim hoc modo. Exhibitio Missæ de Requiem magis prodest defuncto de se, quàm Missa de sancto. Ergo credendum est Pontificem illam exigere utpotè per quam defuncto magis subvenitur. Nam absolutè loquendo fateor utilius esse habere Missam de Requiem, quam de festo, sed nego utilius esse defuncto, ut pro eo offerri possit dumtaxat Missa de Requiem, quàm ut ipse gaudeat privilegio consequendi liberationem ex quacunque Missa pro ipso oblata. Quandoquidem hoc secundo casu si Sacerdos non reperiatur, qui pro eo velit, ac possit celebrare Missam de Requiem, at forte reperietur qui celebret de sancto, vel de feria. Sed in primo casu deficiente Sacerdote, qui velit, aut possit Missam de Requiem celebrare, defunctus omnino carebit suffragio Missæ. Quemadmodum utilius quidem est statu libero, ut pro ejus liberatione offerantur centum, quàm quinquaginta; At non est utilius, imo damnosius si statuatur ut ejus liberatio sequi non possit nisi offerantur centum; quia difficilius est invenire qui solvat centum, quàm qui solvat quinquaginta. Unde latius patet facultas liberationis, & mitius benigniusque agitur cum defuncto ex opinione nostra, quàm ex contraria.

34 Ad doctrinam Abbatis *d. cons. 99.* Respondetur Abbatem non se fundare super utraque particula separatim, & per se tanquam singulæ sufficiant ad inducendam dictam præsumptionem; sed inniti utrique simul junctæ; in quarum altera cum expressè agatur de Missis defunctorum, non est dubium quin sint dicendæ Missæ de Requiem, cum tales requirantur. Et nisi aliter Sacerdotes non satisfacerent, ut in simili notat Sylvest. *in ver. Missa, 1. num. 10.*

35 Ex quibus videtur concludendum pro consequutione liberationis animæ à pœna Purgatorii, sufficere si pro ead. anima celebretur Missa de festo, vel etiam de feria, imo & votiva de sancto: nam qui applicat tale sacrificium defuncto, verè dicitur Missam celebrasse pro anima talis defuncti & hoc sufficienter probatur hic in illis verbis. (Sed si voluerit ut sibi Missæ cantentur de eod. die Missas audiant pro salute vivorum, & etiam defunctorum) Ex quibus innuitur ut qui celebrant Missam de festo, si offerant pro salute animæ defuncti, dicantur celebrasse Missam pro defuncto, ut latius dictum est supra in 3. *not.* & hoc etiam habet communis usus loquendi, qui enim petunt Missam de Requiem solent dicere, dicite mihi Missam defunctorum. At qui non distinguunt inter Missam, & Missam simpliciter dicunt, dicite Missam pro anima unius mei propinqui; atque ita is potest cele-
36 brare pro defunctis, qui de festo Missam celebrat. Addi etiam potest quod notat Biel. *de Can. Missæ, lect. 57 littera R. fol. 527.* ubi etiam ait in Ecclesia Sanctæ Praxedis in Capella Columnæ descriptum extare Paschasium concessisse in illo loco celebranti indulgentiam in hæc verba. (Quicunque celebraverit, vel celebrari fecerit quinque Missas pro anima parentis, vel amici existentis in Purgatorio, dictus Papa Paschasius dat remissionem plenariam per modum suffragii tali animæ.) Ac deinde subdit Biel. cùm post Paschasius celebrasset pro nepote d. quinque Missas, in ultima Missa dum adhuc esset ad altare, apparuit ibi Beata Virgo visibiliter extrahens animam nepotis de Purgatorio. Ex qua narratione videtur aliquo modo conjici Missas celebratas fuisse de Sancta Maria: nam si celebrasset de Requiem verisimiliter, potius apparuisset Michael Archangelus, cujus adjutorium speciale in ea Missa implorari solet, &c.

CUM MARTHÆ, §. *Quæsivisti.* In Sacramento Altaris aqua cum vino transsubstantiatur in sanguinem. Hoc dicit Abbas Siculus.

Pro intelligentia hujus §. *Quæsivisti*, vide quod scripsi in cap. *Neminitaris, num. 274. de Constitution.*

De Celebratione Missarum.

Cap. Dolentes.

SUMMARIUM.

1 *Officium nocturnum, & diurnum à Prælatis, & Clericis studiosè, & devotè celebrari debet.*

Et quomodo intelligantur verba studiosè, & devotè, & n. 39. 40. 42.

2 *Prælatis ecclesiasticis, & præcipuè Papæ dolendum est de peccatis, & excessibus subditorum.*

3 *Ad Officium diurnum tenentur Clerici in sacris, non autem in minoribus ordinibus constituti, nisi sint beneficiati.*

4 *Prælatis, & Clericis reprehensibile est è somno non surgere ad diurnum consentum avium.*
Aurora unde dicta, ibidem.
5 *Christiano indecens est si radius solis ipsum in lecto dormientem inveniat.*
6 *Horæ Canonicæ sine Syncopa celebrari debent.*
7 *Syncopa quid sit.*
8 *Horas Canonicas celebrans cum syncopa quando habeatur pro celebrante secundum opinionem Vincentii.*
9 *Non peccat nisi venialiter si ex negligentia aliquam dictionem, aut versum omittat, nec tenetur ad caput psalmi propter hoc reverti.*
10 *Nec si omittatur psalmus, ad illum est redeundũ. Non esset tamen inconveniens psalmum prætermissum dicere sive essent in eodem, sive in alio nocturno, aut in psalmis vespertinis, nisi timor scandali subesset.*
11 *Negligenter faciens opus Dei quando maledictionem incurrat.*
13 *Sacerdos graviter peccat si Missam non celebret saltem quater in anno, scilicet in præcipuis festis.*
14 *Cogi tamen non potest ab Episcopo ex decreto Concilii Tridentini, sed moneri tantum ut non impeditus celebret.*
15 *Episcopus debet quolibet die Dominico in propria ecclesia præsens esse, & saltem semel in hebdomada celebrare.*
16 *Nec decet eum transire ullam diem quin Missam celebret, vel audiat.*
17 *Officium divinum dicentes, vel Missam audientes cum distractione voluntaria an satisfaciant præcepto Ecclesiæ, & num seqq. usque in fin.*
Quid si distractio proveniat ex eo, quod quis scienter se occupet in actu externo, & incompatibili cum interna attentione, n. 19. & 55.
Et quid si proveniat ex solo actu interiori, n. 20. & seqq. usque in fin.
Referuntur Authores, & fundamenta opinionis affirmativæ, num. 21. & seqq. usq. ad n. 33.
18 *Mentis evagatio quotuplex.*
22 *Beneficiatus, qui Horas Canonicas recitat cum distractione voluntaria, non tenetur ad restitutionem fructuum.*
Contrarium, num. 38. & seqq. maxime n. 57.
23 *Ecclesia non potest præcipere ut officium recitetur, vel Missa audiatur cum attentione interna, & num seqq. usque ad n. 33.*
Contrarium, num. 58.
Declaratur, num. 48.
24 *Cogitationis pœnam nemo patitur.*
Declaratur, n. 64.
25 *Legem ferre non potest homo nisi de his, de quibus potest judicare. Iudicium autem hominis non potest esse de interioribus motibus, qui latent, & num seqq. usque ad n. 31.*
Declaratur num. 64.
26 *Ratam habens percussionem clerici in corde tamen non incidit in sententiam Canonis quoad Ecclesiam militantem.*
Declaratur, n. 64.

27 *Hæreticus qui non processit in opus externum, sed hæresim tenet in corde tantum, non est excommunicatus.*
Contrarium, n. 60.
28 *Occulta per se non subsunt judicio ecclesiæ, sed solum occulta per accidens.*
Contrarium, n. 62.
29 *Distractio voluntaria in officio si sit secundum actum interiorem est quidem gravis, & temeraria, sed non mortale.*
Contrarium, n. 33. & seqq.
30 *Præceptum recitandi horas Canonicas est de jure positivo, & ideo non refertur nisi ad ea, quæ sub judicio humano cadere possunt.*
31 *In Horis divinis satis est labiis orare, licet cor divertat ad alia.*
Contrarium, n. 38. & seqq.
32 *Oratio dicitur quasi oris ratio.*
33 *Devotionem internam an Generale Concilium hic posuerit in præcepto. Et expenduntur quatuor intellectus hujus capituli, & num. seqq. usque ad n. 51.*
34 *Attentio interna tamquam onus importabile hic non præcipitur, sed suadetur.*
Contrarium, num. 38. & seqq.
Declaratur, nu. 68.
35 *Officium studiose, & devotè, non celebrantes non obligantur ad culpam, sed ad pœnam suspensionis.*
36 *Contrarium, & n. 37.*
37 *Præceptum in virtute obedientiæ, vel sub pœna suspensionis absque dubio obligat transgressores ad culpam mortalem.*
38 *Officium recitans, vel Missam audiens si cor ad Deum non habeat, mortaliter peccat, nu. seqq. usque ad n. 51. & n. 55.*
Declaratur, & n. 51. & seqq.
39 *Officium debet dici reverenter quantum ad compositionem corporis distinctè quantum ad pronunciationem oris, & devotè quantum ad mentis elevationem.*
40 *In officio præcipitur devotio interna, & formalis, quæ est donum Dei, non autem sola externa, & materialis, quam habent etiam Hypocritæ.*
41 *Oratio quid sit.*
42 *In Oratione duo præcipuè requiruntur, videlicet affectus cordis, & attentio.*
43 *Iustitia ex opere non consummatur, nisi etiam voluntas affuerit.*
44 *Officium recitans, vel Missam audiens, & aliud cogitans mentitur.*
45 *Officium ut satisfiat præcepto necesse est ut non procedat ex sola imaginatione, sed ex deliberatione, quæ attentionem requirit.*
46 *Non tamen oportet ut in prosecutione officii attentio semper duret secundum essentiam actus, sed satis est ut duret secundum virtutem, & n. 49. & 68.*

27 At

47 *Attentio virtualis intelligitur perdurare quãdo aliquis ad officium accedit cum intentione Deo debitum obsequium reddendi, etiamsi in prosecutione mens ad alia rapiatur.*
48 *Nisi tanta fiat evagatio ut omnino depereat vis primæ intentionis.*
49 *Cor hominis vagum, & mobilius omni mobili.*
50 *Attentio virtualis omnino deperit per voluntariam distractionem.*
51 *Distractio voluntaria non est culpa mortalis nisi tanta sit, ut notabilem officii, vel Missæ partem absumat, & n. seq. usque ad n. 57.*
52 *Clericus an peccet, qui dum est in Officiis, cogitat super aliquo bono spirituali, vel temporali.*
53 *Et quid si non intelligat quæ ibi dicuntur, vel leguntur.*
54 *Et quid si nimium fatigatus spiritu de aliis cogitet.*
55 *Mentis evagatio in Officio quando sit culpa mortalis ex sententia D. Thomæ.*
56 *Oratio, quæ habet culpam adjunctam non habet suam efficaciam, nec est satisfactoria.*
58 *Lex canonica ferri potest etiam de actibus omnino occultis, & internis ex sententia Canonistarum, licet de illis judicare non possit quandiu latent.*
59 *Ponderosus, idest qui mente peccat, repellitur à promotione.*
60 *Hæresis perficitur ex sola mentis cogitatione.*
61 *Inquisitor potest punire hæreticum mentalem si liqueat de hæresi per illius confessionem.*
62 *Regulares ad Curias Principum accedentis animo notendi sunt ipso facto excommunicati.*
64 *Lex ecclesiastica potest ordinare, & cohibere actus internos in quantum obligantur cum exterioribus, & n. seqq.*
66 *Permittitur aliquando, concomitanter, & ratione connexionis quod non permittitur principaliter & directè.*
67 *Proponens non jejunare, vel Missam non audire peccat mortaliter, licet propositũ nõ perficiat.*

1 DOLENTES. Præcipit Prælatis, & Clericis in virtute obedientiæ, ut nocturnũ officium, & diurnum studiosè celebrẽt & devotè. Et duas habet partes. In prima ponit duplicem excessum. In secunda prohibet, ibi, *hæc igitur*, & prima subdividitur in duas prout duo sunt excessus, secunda ibi, *sunt & alii*.

2 Nota primò ibi, *Dolentes*. Prælatis ecclesiasticis, & præcipuè Summo Pontifici dolendum esse de peccatis, & excessibus subditorum Unde dicebat Apostolus, 2. ad Corinth. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* ad hoc cap. *Charitas, de pœnit, dist.* 2. & cap. *Cum instantia*, & ibi glos. 1. *sup. de censibus*.

3 Secundò nota ibi, *Minores Clerici*. Ad divinum officium recitandum teneri etiam clericos minores intellige si sint in sacris ordinibus constituti, ponuntur enim hic minores clerici ad differentiam Prælatorum. At constituti in minoribus ad horas Canonicas non tenentur ut dixi in cap. 1. *supr. eod.* quicquid contra scripserit ibi Abbas, *num.* 7. vel minores clerici, subaudi, & beneficiati, prout hic subaudiunt Hostien. & Jo. Andr. ambo. *in princ.*

4 Tertiò nota ibi, *Ad divinum concentum*, reprehensibile esse Prælatis, & Clericis è somno non surgere ad diurnum concentum avium, idest in Aurora, sic dicta quasi avium hora, secundum Hostien. *n.* 5. *in fin. in ver. ad Diurnum concentum*. Io. Andr. *n.* 3. & Cardinal. *in princ.* Nam ut ait Augustinus, indecens est Christiano si radius solis ipsum
5 in lecto dormientem inveniat, & cit. tex. in cap. *Sunt qui arbitrantur de pœnit. distin.* 1. & in cap. *Clericus victum*, 91. *dist.* Si quis tamen deditus somno tardiùs ad ecclesiam surgat, intervenialia computatur, §. *Alias ante, fin.* 25. *dist.*

6 Quartò nota ibi, *Continua Syncopa*, divinum officium dicendum esse sine syncopa. Est autem syncopa idem, quod concisio. Et est figura cum littera, vel syllaba è medio dictionis abscinditur, ut
7 compostus pro compositus, & virum pro virorum dicta syncopa à verbo græco quod est concidere, quisquis igitur oscitanter orãdo, aut properè pronunciando, aut aliàs præcedit, seu divertat verba horarum Canonicarum, is verè dicitur syncopare, & violat prohibitionem Concilii Generalis, de
8 qua hic. Verumtamen, ut inquit Vincentius *hic*, & post eum Cardinalis, *n.* 7. *in* 1. *quæst.* qui syncopa loquitur horas celebrando habetur pro celebrante, dummodò intendat dicere quod dicit Ecclesia, & utatur verbis in propria significatione, nec intendat errorem inducere, cap. *Retulerunt, de consec. dist.* 4. quod procedit si breves sint syncopæ, per quas omittitur pars verbi, seu dictionis, non tota dictio, secundum eos. Non tamen peccat clericus,
9 si ex negligentia aliquam dictionem, aut versum omittat, nec obstringitur ad caput psalmi propter hoc reverti, aliàs enim posset aliquibus scandalum generari sine magna causa. Quinimò etsi omitta-
10 tur psalmus ad illum non est redeundum ob causã prædictam. Ita Innoc. *hic n.* 1. *vers. Imo si aliquem versum*. Confiteri tamen debet suam negligentiam secundum eum, Atque ita non peccat mortaliter, sed venialiter tantum, ut explicant Hostien. *n.* 8 *in fin.* & Io. Andr. *n.* 5 Nec obstat illud Hierem. 48
11 *Maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter.* Nam secundum Innoc. & alios præcitatos illud intelligitur de accurata, vel lata, & malitiosa negligentia. Nos verò hic loquimur de levi, vel levissima, quæ
12 fortè ex nimia meditatione, vel contemplatione contingit. Verum ut Innocentius subdit, Si adhuc essent in eod. nocturno, vel in psalmis vespertinis, quinimò etsi essent in alio nocturno, non esset inconveniens ut psalmum prætermissum dicerent, nisi tamen timor scandali subesset. Non enim est tanti unius psalmi prætermissio, ut propterea sit aliquis scandalizandus, arg. cap. *Nihil de præs.* & cum Innoc. transeunt Host. *hic n.* 10. Io. Andr. & Butr. *ambo n.* 5. & reliqui omnes.

13 Quintò nota ibi, *vix celebrant quater in anno*, nedum Prælatos, sed simplices quoque Sacerdotes graviter peccare, si legitimo impedimento cessante Missam non celebrent saltem quater in anno scilicet in præcipuis festis. Id quod relatis verbis Ambrosii egregiè probat S. Thom. *in* 3. *par. qu.* 23. *art.* 10. & *in* 4. *sent. dist.* 13. *q.* 1. *art.* 2. & ibi etiam Durand. *q.* 2. & Palud. *ead. quæst. art.* 1. & consentit Sotus *de just. & jur. lib.* 9. *q.* 3. *art.* 1. Archid. in cap. *Sufficit. n.* 1. *de consecr. dist.* 1. Asten. *lib.* 4. *tit.* 14. *art.* 1. *Summa Pisana in verb. Missa*, § *ff. Summa Confessor. lib.* 3. *tit.* 24. *q.* 125. Armilla in *ver. Com*-

mu-

munio, num. 14. & in ver. Missa, num. 28 Angel. in eod. ver. num 44. Sylvester Missa, primo num 7. vers. Quartum, circa finem, & Navar. in Manuali cap. 25. num. 88. vers. Vigesimo primo. Et quamvis Alex. de Ales par. 4. qu. 51 membro 2. Cajet. Victor. & alii nonnulli senserint non esse rerum mortalis culpæ simplicem Sacerdotem, qui omni-
14 no abstinet à consecratione Eucharistiæ: prima tamen opinio est tutior, licet Concilium Tridentinum in cap. 14. sess. 23. hunc articulum non diffinierit; tantum enim ait: Curet Episcopus ut ii (scilicet Presbiteri) saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent: & Congregatio ejusdem Concilii Interpres consulta an Episcopus ex d. cap. 14. sess. 23. vers. Curet, possit monere Presbyteros sub pœnis, & censuris, ut legitimè non impediti celebrent. Respondit non posse, sed solis adhortationibus, & monitionibus utendum esse. Hæc quoad simplices Sacerdotes. Episcopus vero quolibet die
15 Dominico debet in propria Ecclesia præsens esse, ut notatur in cap. Te referente, infra eod. & saltem semel in hebdomada celebrare, nisi legitime sit im-
16 peditus, secundum Host. hic num. 11. Quinimo non decet eum transire absque causa rationabili ullam diem quin Missam dicat, vel audiat, ut est expressum in cap. fin. de privileg. lib. 6.

17 QUAERO An divinum officium dicentes, vel Missam audientes cum distractione voluntaria satisfaciant præcepto Ecclesiæ.

18 Ad evidentiam præmitto ex Cardinali Cajetano in 2. 2. qu. 83. art. 13. in 2. notab. distinctionem, seu evagationem mentis esse in duplici differentia. Alia enim est involuntaria, veluti cum ex fragilitate, vel ex impotentia, non autem ex voluntate in prosecutione officii ad alia mens rapitur. Alia est voluntaria: & hæc iterum subdividitur: nam quædam est ex negligentia, ut cum quis negligit attendere: quia enim negligentia voluntaria, idcirco & evagatio voluntaria reputatur, & est. Quædam vero est directè ex industria, ut cum quis explicite vult non attendere: & de hac specie erit sermo in præsenti quæstione. Hoc præmisso, pro
19 clariori solutione arbitror duos casus esse distinguendos. Primus casus est cum distractio, & evagatio mentis voluntaria provenit ex eo, quod quis scienter se occupat in actu externo, & incompatibili cum interna attentione, veluti in scribendo, confabulando, dormiendo, & his similibus: & hoc primo casu conveniunt omnes per hunc textum esse culpam lethalem, & præcepto Ecclesiæ non satisfieri ita post Petrum de Palude firmat S. Anton. in 3. part. tit. 13. cap. 4. §. 8. circa finem: ait enim, (Si evagatio mentis sit ex hoc quod aliquis scienter se occupat in actu exteriori, qui non secum patiatur attentionem, videtur esse culpa mortalis, & directe contra præceptum Ecclesiæ de celebrat. Missar cap. Dolentes, ubi præcipitur ut officium celebrent studiosè pariter, & devote. Hoc non observant, qui occupantes se in actu exteriori scienter sibi attentionem subtrahunt. (Hæc ille. Et sequitur totidem verbis Sylvest. in ver. Hora, num. 13. vers. Tertium, & est ex mente S. Thom. in 4. senten. dist. 15. quæst. 4. art. 2. quæs. 4 ad 2. dum ait: (Si in aliis sponte se occupat, quæ mentem distrahunt, sicut sunt exteriora opera, & ad contrarium mens evagatur, etiam culpa mortalis erit, nam verbum, ad contrarium, refertur ad attentionem, cum scilicet scienter se occupat in actu exteriori incompatibili cum atentione interna, ut explicat Petr. de Palude, ibid. & S. Anton. loco citato, & est primus intellectus, quem ad hoc cap. posuerunt Hostien. num. 12. Jo. Andr. & Butr. ambo num. 9. & Cardinal. in 7. notab.

20 Secundus casus est cùm voluntaria distractio, & evagatio mentis non provenit ex eo, quod quis se occupet in aliquo actu externo, qui mentem distrahat, sed ex solo actu interiori: & in hoc secundo casu articulus est admodum difficilis, con-
21 troversus; nam per multi ex recentioribus Theologis opinantur obligatum ad recitandum divinum officium non peccare, sed præcepto Ecclesiæ satisfacere recitando illud etiam cum voluntaria distractione. Inter quos Aegid. Coninch. de Sacramentam in 3 par. quæst. 83. art. 6. num. 291. Jo. Valen. de differ. utriusque for. in verb. Horæ Canonicæ, diff. 1. per totam. Probabilem dicunt Less. lib. 2. cap. 37. dub. 2. num. 63. in fin. Henric. in Summa lib. 9. cap. 25. num. 5. in gloss. littera P. & Paul Layman. in Theolog. moral. lib. 4. tract. 1. cap. 5. nu. 10
22 Idemque de audientibus Missam in diebus festis tradunt iidem Coninch. ubi sup. num. 297. & Layman. tract. 7. cap. 3. num. 2. Et propterea clericum beneficiatum, qui Horas Canonicas recitat sine attentione; imo & cum voluntaria distractione, non teneri ad restitutionem fructuum, censuerunt Cardinalis Toletus in Summa lib. 2. cap. 12. num. 16. Medina in lib. de oratione, quæst. 16. Corduba in quæstion. lib. 4. quæst. 13. Henric. in Summa lib. 9. cap. 125. num 5. Alphons. à Castro, de leg. pœnal. lib. 2. cap. 5. & dicunt probabilem Azor. Institut. moral. par. 1. lib. 10. cap. 13. qu. 8. Less. lib 2. cap. 37. dub. 11. num. 68. & novissime Diana Resolut. moral. lib. 10. tract. 12. resolut. 1. ubi refert per hanc doctrinam contra communem Doctorum opinionem se liberasse à restitutione quemdam Petrum Beneficiatum, qui per septem annos recitavit officium voluntarie sine debita attentione.

Præcipuum hujus opinionis fundamentum est,
23 quia Ecclesia authoritatem non habet præcipiendi ut divinum officium recitetur, vel Missa audiatur cum attentione, seu devotione interna. Ad quod facit optime text. in c. Erubescant. & quod ibi
24 notatur in glos. un. 32. dist. c. Nomen, 1. q. 1. & alia jura quæ ad hanc partem inducunt Archid, in c. Cum quis, num. 2. de sent. excomm. lib. 6. & glos. in Clem. 1. in ver. Eo ipso, de hæret. nam cogitationis, pœnam nemo meretur, seu patitur, l. Cogitationis, ff. de pœn. quæ est canonizata in cap. Cogitationis, de pœnit. dist. 1. ad idem cap. Consuluisti, 2. qu. 5. ubi dicitur, occulta, & incognita illi soli sunt relinquenda, qui solus novit corda fidelium hominum; & videtur probari in §. Hinc, vers. In certa, 30. qu. ult. & est ex mente S. Thom. 1. 2. quæst. 91. art. 4. Ubi probans præter leges huma-
25 nas fuisse necessarium tradi divinas, ad hunc modum ratiocinatur. (De his potest homo legem facere, de quibus potest homo judicare. Judicium autem hominis non potest esse de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent: & tamen ad perfectionem virtutis requiritur ut in utrisque actibus homo rectus existat; & ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus, sed necessarium fuit quod ad hoc superveniret divina. Hæc

Hæc S. Thom. Et hinc fit, ut ratam habens percussionem clerici in corde tantum, non incidat in sententiam Canonis quoad Ecclesiam militantem, ut post Hostien. in c. Mulieres, infra de sent. excom tenet glos. in ver. Suo nomine, in d. cap. Cum quis, eodem tit. lib. 6. cum qua transeunt ibi Gemin. Fran. & alii, & Sylvest. in ver. Excommunicat. 7.
27 num. 4. Hinc etiam fit ut excommunicatio lata in hæreticos quantumcumque occultos in c. Quod autem, juncta glos. 1. & in cap. Achatius, 24. q. 1. & in cap. Excommunicamus, infra de hæret. Non liget illum, qui hæresim tenet in corde tantum, & non processit in opus externum, puta scribendo, vel aliud faciendo, licet occulte, secundum Hostien. in d. cap. Mulieres, Petr. de Palud. in 4. dist. 15. q. 5. art. 1. conclus. 8. num. 15. Major in 3. dist. 25. qu. 3. in fin. Cajet. in Summa in ver. Hæresis, in fin. & in 2. 2. qu. 11. art. 3. Sot. in 4. dist. 22. qu. 2. art. 2. col. 3. vers. Hoc autem supposito: & artic. 3. post quintam conclusionem, casu 1. Navarr in d. c. Cogitationis, num. 8. & 10. de pœnit. dist. 1. Covarr. in reg. Peccatum, 2. par. in princip. num. 7. Angel. in Summa, in verb. Hæreticus, num. 2. Armilla in verb. Excommunicatio, inter casus excommunicationis, casu 9. in fin. & Sylvest. in ver. Excommunicatio, 7. num. 3. & 4. Ubi mordet glossam oppositum tenentem in d. Clem. 1. in ver. Eo ipso, de hæret. Quod Theologalem materiam plenè non intellexerit. Nec obstant jura inducta ibi per glos. & Archid. in d. cap. Cum quis, de
28 sent. excomm. lib. 6. Quia non procedunt in hæretico prorsus occulto, sed prout contra distinguitur à notorio, ut per Sylvestrum d. num. 4. Vel melius illa jura vendicant sibi locum in occulto per accidens, quod scilicet quamvis sensibus subjaceat; testem tamen, vel testes non habet; non autem in occulto per se, quod scilicet ex sua ratione habet, ut non subsit cognitioni sensitivæ, ut egregiè explicat Cardinalis Cajetan. in 2. 2. quæst 11. art. 4. Nos autem versamur in occulto per se, videlicet in motu animi attentionis internæ, qui
29 propterea non subjacet præcepto humano. Et ita per supradictam Theoricam in terminis propositæ quæstionis post Duran. in 4. dist. 15. qu. 12 & Petr. de Palud. ead. dist. quæst. 5. art 2. conclus. 4. Firmat S. Anton. in 3. par. tit 13. cap. 4. §. 8. circa fin. ubi ait: (Si evagatio mentis est advertenter, & solum secundum actum interiorem, licet temeraria, & gravis foret; non tamen mortale, nisi propter contemptum, quia Ecclesia non habet judicare de actibus interioribus merè: propter quod Minister Ecclesiæ, licet dicendo orationem cogitet aliud, non videtur transgressor præcepti, ex natura facti) Quod ante ipsum docuit Umbertus ab eod. re-
30 latus, d. c. 4. §. 7. dicens præceptum recitandi Horas Canonicas esse de jure positivo, & propterea non referri nisi ad ea, quæ sub judicio humano cadere possunt, qualia sunt quæ exercentur per actus exteriores, non autem per interiores, & consentit Sylvest. in ver. Hora, num. 13. ubi reprobans intellectum eorum, qui putant esse in præcepto divinum officium recitare devote, & studiosè juxta textum hic; & devotionem referri ad intentionem, & studiositatem ad modum dicendi: (Attente, inquit, orare in Horis Canonicis, non est de jure divino, sed positivo: quod jus positivum ad interiora non se extendit per se, sed in quantum colligantur exterioribus, ad quæ se extendit.) Hæc
31 ex illa. Facit textus in Clem. 1. de celebrat. Missar. in illis verbis, Fructum labiorum suorum, ubi glos. (Ex hoc, inquit, arguitur quod satis est labiis servire in divinis horis, licet cor divertat ad alia.) Et ita hunc textum ad hanc partem inducit Collectarius in cap. 1. num. 6. supra eod. & S. Anton. d. §. 7. Facit etiam ad hoc etimologia orationis.
32 Dicitur enim oratio, quasi oris ratio, secundum Cassiodor. psalm. 38. circa fin. relatum à D. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 1. Et tenendo hanc opinionem non obstat hoc capitum; quia responderi potest tripliciter juxta primum, secundum, & tertium intellectum, de quibus infra proxime.

33 Sed præmissis minimè obstantibus verius videtur voluntariè distractum præcepto Ecclesiæ non satis facere. Quod ut evidentius appareat, duo sunt inspicienda. Primum an Concilium generale hic præcipiat devotionem internam in divinis officiis celebrandis. Secundum an potuerit sic præcipere.

Quoad primam inspectionem, quia Doctores intelligunt hoc capitulum quatuor modis, examinandum est quis intellectus sit verior.

34 Primus intellectus est, quem hic secundo loco ponunt Hostien. num. 14. Joan. Andr. & Butr. ambo num. 9. & Abb. circa fin. vers. Secunda opinio. Quod scilicet solum divinum officium hic sit in præcepto alia vero, quæ in devotione consistunt, suadendo ponantur: & hoc innuit littera sequens, dum dicit, Quantum eis dederit, nam, ut formaliter, inquit Hostien. num. 19. per hæc verba apposuit consilium fragilitati hominum compatiendo, quasi dicat durum esset ut omnia prædicta in præcepto venirent, Præcipimus igitur ut unusquisque, & de nocte, & de die dicat Horas Canonicas. Intentionem autem, & devotionem etsi ipsam suademus, eam tamen in præcepto non ponimus, sed gratiæ Dei secundum quod ipsam dare voluerit, duximus relinquendam. Et hunc intellectum tenens, ut subdit Hostien. quia benignior est, & quia Ecclesia non debet alicui laqueum injicere, cap. De viduis, il secunda, 27. q. 1. nec hominus oneribus impossibilibus alligare, cap. Alligant, 26. quæst. ult. & sequuntur totidem verbis S. Anton. in 3. par. tit 13. cap 4. §. 7. & summa Rosella in ver. Hora.

35 Verum hunc intellectum jure optimo refellit Sylvester in ver. Hora, num. 14. Quia si hic præciperetur sola celebratio divini officii, nihil prorsus præciperetur: nam quoad Prælatos, & clericos in sacris, seu beneficiatos jam hoc erat in præcepto, ut cap. fin. 92. dist. & cap. 1. supra eod. Hoc autem repugnant litteræ, quæ clare dicit, præcipientes. Præterea circa omissionem officii nullus in text. narratur excessus, sed solummodo circa modum celebrationis. Merito Concilium non præcipit ut celebretur simpliciter, & absolute, quod supervacaneum fuisset; sed ut celebretur studiosè, & devote, in quo Prælati, & minores clerici prævaricabantur, ut in prima parte textus: nec refragantur illa verba, Quantum eis Deus dederit. Quia hoc non tollit quin homo possit non divertere intentionem scienter, cum hoc sit in sua facultate ex principiis naturæ, quæ Deus jam dedit, ut ibi per Sylvestrum.

Secundus intellectus est, quem ultimo loco recitant, & ideo probare videntur Hostien. num. 15. Jo. Andr. & Butr. ambo num. 9. in fin. Quod scilicet hoc capitulum non obliget ad culpam de novo incur-

incurrendam, sed ad pœnam suspensionis tantum quæ potest infligi, & hoc satis insinuavit dum dixit, sub pœna suspensionis.

36 Sed neque hic intellectus congruit litteræ; quia hæc constitutio continet duo, videlicet prohibitionem, & præceptum, ut fatentur idem inter Host. & Jo. Andr. ambo in ver. Inhibemus. Prohibitio refertur ad comessationes superfluas, fabulationes illicitas, & consimilia, quæ devotionem impediunt, & huic prohibitioni tantum adjicitur pœna suspensionis. Præceptum autem, quod subsequitur de Divino officio devotè celebrando, hanc pœnam non habet. Restat igitur, ut necessario ad culpam obliget. Canonis enim præcipientis transgressio ex sui natura est culpa mortalis, c. Quod præcipitur, 14. quæst. 5. c. Nulli fas, 19. dist. & c. Violatores, 25. qu. 1. Archid. in c. Detestanda, num. 4.
37 de consuet. præsen. lib. 6. dixi in c. fin. num. 22. supra de constit. cum præsertim præceptum, quod hic fit à Concilio, non sit simplex, sed formale, videlicet in virtute obedientiæ, ut in littera. Sylvest. in ver. Præceptum, num. 2. vers. Dico. Alphons. à Castro de leg. pœnal. lib. 1. cap. 5. Præterquam quod licet etiam in 2. præcepto affirmativo esset adjecta pœna; nihilominus cum pœna hujusmodi sit spiritualis, scilicet suspensionis, tantum abest ut excludat culpam, ut potius obliget transgressores ad peccatum mortale. Ita S. Anton. quem refert, & sequitur Sylvester loco citato, n. 5. ver. Et similiter si imponitur pœna suspensionis.

Tertius intellectus est, quem ponit idem Sylvester in ver. Hora, num. 14. vers. Et ideo dico, asserens illum esse ex mente S. Thom. & Petri de Palude in 4. dist. 15. videlicet, quod in hoc cap. præcipiatur devotio quantum ad actum exteriorem, ut scilicet non dicantur horæ operando manualiter opera impertinentia, aut confabulando, aut notabiliter syncopizando, & hujusmodi, quæ hic reprehenduntur, & similiter quod præcipiatur devotio quantum ad actum interiorem, sine quo hic exterior haberi non potest, cujusmodi est velle satisfacere præcepto Ecclesiæ, & psallendo velle abstinere à prædictis; non autem præcipiatur attentio, sine qua prædicta fieri possunt.

Cæterum huic intellectui aperte refragantur verba illa, quantum eis Deus dederit, quæ non adaptantur nisi attentioni internæ, ut inferius clare demonstrabitur num. 40. Item refragantur alia fundamenta, de quibus infra n. 49. & seqq.

38 Quartus igitur, & verus intellectus est, quod hic præcipiatur devotio etiam quantum ad attentionem, & actum internum cordis, non tamen actualem, sed secundum virtutem, ut inferius explicabitur. Quem intellectum primo loco ponunt, Host. num. 12. Joan. Andr. & Butr. ambo num. 9. Cardin. in 7. notab. dicunt enim: quicumque interest Missæ vel divinum officium recitat, & non habet cor ad Dominum, sed ad exteriora, propter quæ devotio impeditur, mortaliter peccat, ut hic patet, & in c. Quod præcipitur 14. q. 1. verbum durum est, sic tamen scriptum est, c. Scriptum, 6. quæst. 3. l. Prospexit ff. Qui, & à quibus.

39 Hunc intellectum ego existimo ex sequentibus confirmari posse; & primo hic textus ita facit. Prohibet enim primum in Divinis officiis intermisceri fabulas, comessationes, & alia exteriora, quæ devotionem impediunt; & per hanc inhibitionem satis firmatur obligationem devotionis externæ quantum ad humiliationem, & compositionem corporis, de qua in c. Ubi periculum, §. penult. de elect. lib. 6. & per glossam in clem. 1. in ver. De oratione, in 7. membro, de reliq. & venerat. Sanctor. Deinde præcipit, ut Divinum officium celebretur studiosè quantum ad labia, & pronunciationem oris, scilicet distinctè, & sine syncopa. Tertiò præcipit, ut celebretur devotè. Cum ergo jam præcepisset devotionem quantum ad humiliationem corporis, & actus externos, ne hoc verbum, devotè sit superfluum, super est ut referri debeat tantummodo ad officium cordis. Quod satis comprobatur ex decreto Concilii Triden. c. 12. vers. Omnes vero, sess. 24. ibi, (& in Choro ad psallendum instituto hymnis & canticis Dei, nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare.) Quibus verbis satis aperte comprehenduntur illa tria, quæ hic injunguntur à Concilio Lateranensi. Dicitur enim, reverenter, quantum ad humiliationem, & compositionem corporis; distinctè quantum ad oris pronunciationem; & devote quantum ad mentis elevationem. Quod ipsum perspicuis verbis habetur in decreto de observandis & evitandis in celebr. Miss. sess. 22. vers. Neminem, ubi præcipitur Ordinariis Locorum, ut neminem permittant sacris interesse, nisi prius qui inter sunt decenter composito corporis habitu declaraverint se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse. Ad idem Concilium Viennense in clem. 1. de celebration. Missar. ibi fructum labiorum suorum cum puritate conscientiæ, & animi devotione, nec non ibi horis debitis devote psallatur. Et Concilium Aquisgranen. c. 131. ibi, Divinum officium humiliter, ac devote persolvere, & infra ibi, In persolvendis Divinis laudibus promptiores, & devotiores existant, tom. 3. Concil. part. 1. sect. 2. fol. 250. col. 1. & Concilium Mogunt. in tit. de Hor. Canon. ibi (Articulare, distinctè, discrete, & cum attentione omnia integre pronuntient.) tom. 4. Concil. par. 2. fol. 271. col. 1.

40 Præterea præceptum de officio devotè celebrando hic sit adjecta modificatione illa, quantum eis Deus dederit. Hæc autem verba aperte ostendunt Concilium præcepisse devotionem illam, quæ est donum Dei, & sic devotionem formalem, & internam, quæ cum sit actus virtutis S. Thomas in 2. 2. q. 82. art. 1 & q. 83. art. 3. Divino indiget auxilio, c. ult. de consecr. dist. 4. non autem nudam devotionem materialem, & apparentem, quam habent etiam hypocritæ, qui ostendunt ex actu extrinseco contrarium ejus, quod in mente gerunt, c. Quid interrogasti, 27. dist. c. Citius, & ibi gloss. 1. de pœnit. dist. 2. de quibus Matt. 7. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me, & Hieronym. super Matt. 9. (Qui strepitu labiorum benedicunt Dominum, immunda mente veritati interius contradicunt.) Et propterea gloss. ult. bene exposuit verbum, studiosè, scilicet quantum ad officium oris, & verbum devote, quantum ad officium cordis, quam expositionem, sequuntur etiam Host. n. 20. Jo. Andr. num. 10. Card. in princ. in ver. studiose, & Abbas in 1. notab.

41 Ad hæc præcipitur ab Ecclesia recitatio divini officii, quæ est species orationis, c. 1. supra eodem. Ergo necessario præcipitur etiam interna mentis attentio: Nam oratio est ascensus mentis in Deum, ut diffinit Damascen. lib. 3. de fide orthodoxa, c. 24.

c. 24. & in 3. de Trinit. c. 12. Theologi in 4. sent. dist. 15. S. Thom. in 2. 2. quæst. 83. art. 13. Implicat ergo ut Ecclesia præcipiat orationem, & non præcipiat internam devotionem, & elevationem mentis in Deum, quia à quo removetur diffinitio, removetur & diffinitum, l. Quintus, la secunda, ff. de aur. & argent. legat. & l. Omnis diffinitio, ff. de regul. jur. unde optimè Cassianus relatus à glos. in Clem. 1. in ver. Orationes, in 7. membro, de reliq. & veneration. Sanctor. (Nunquam, inquit, orat quisquis etiam flexis genibus, si vagatione distrahitur.) Et Chrysostomus hom. 1. de Anna. (Omnes quidem oramus, sed non omnes in conspectu Domini, etenim corpore in terra prostrato, & ore frustra delirante, mens ubique per domum, aut forum circumagitur. Quo ore talis potest dici quod oraverit in conspectu Domini. (Et Bernardus de interiori domo, c. 70.) Vacantes corpore, & vagantes ubique corde nequaquam merentur videre quàm dulcis est Dominus, nescientes facere sabbatum ex sabbato; & ideo viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus. (Et S. Thom. in 2. 2. quæst. 82. art. 13. ad 3.) Si quis ex proposito in oratione mente evagatur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum. (Præcipitur ergo hic affectus cordis
42 & attentio, quæ duo præcipuè in oratione requiruntur, ut notat glossa præallegata Affectus cordis exprimitur per verbum, devotè attentio mentis per verbum, Studiosè. Nam, ut inquit Collect. hic n. 2. hoc verbum Studiosè, non caret mysterio contra illos, qui dum dicunt officium Divinum, aliò animum flectunt, studium enim excludit negligentiam, & evagationem cap. 1. in fin. de off. Primicer. De affectu cordis patet in cap. 1. 92. dist. ubi dicitur non magis voce, quàm corde psallendum, & glos. ibi in ver. Voce, recitat versus.

Non vox, sed votum, non chordula musica, sed cor.
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.

Nam ut inquit August. (Quid prodest strepitus labiorum, si mutum est cor.) & serm. 6. de verbis Domini. (Dolor magnus adversus fratres nostros movet, quod sic volunt intrare Ecclesiam, ut ibi corpus habeant, alibi cor: totus intus esse debet Si intus est quod videt homo, quare foris est quod videt Deus? Ad idem c. Sedulo, 32. dist. ibi (Noverint non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum.) De attentione probatur in cap. 2. ibi, [Attendantur in locis iisdem attentis præcordiis sacra solemnia.) de immunit. Eccles. lib. 6. & in cap. Quando de consecrat. dist. 1. ubi ad hoc ponderatur à Cypriano præparatio Sacerdotis in præfatione dicentis, sursum corda, quia nihil tunc animus cogitare debet quam quod precatur.
43 Iustitia enim ex opere non consummatur, nisi et-
44 jam voluntas afferrit, c. Sicut. 22. q. 5. (Et qui officium recitat, vel Missam audit, & aliud cogitat, mentitur.) c. Carete, ead. caus. & quæst. & notat glossa in d. c. Quando, & Archid. in d. c. 2. in ver. Nitentis. Unde in Concilio Maguntino in tit. de Hor. Canon. sic legitur. Quid autem voce quidem psallere, mente autem domum, aut forum circumire, nisi homines fallere, & Deum irridere? Habetur tom. 4. Concil. part. 2. fol. 271. col. 1. Ad hoc cap. Numquam, de consecrat. dist. 5. ibi, (Dicant psalterium ad verbum; Vigil sensus sit nec vagis cogitationibus patens; Corpus pariter & animus tendatur ad Dominum.)

45 Postremò secundum Petr. de Palude in 4. sent. dist. 15. q. 5. Ad officium, sicut ad quodlibet bonum opus attentio potest dupliciter requiri. Uno modo ut officium ab intentione procedat, & hoc modo in officio requiritur attentio non solum ad meritum, sed etiam ad evitandum peccatum, & transgressionem præcepti, Patet, quia præceptum datur hominibus, & ideo oportet ut non procedat
46 ex sola imaginatione, quæ communis est nobis cum brutis, sed ex deliberatione, quæ attentionem requirit. Alio modo ut attentio continuè concomitetur officium, & semper duret. (Aliquis autem actus, ut docet S. Thom. in 1. dist. 15. q. 4. art. 2. q. 3. dicitur durare dupliciter, videlicet aut secundum essentiam, aut secundum virtutem, sive effectum suum sicuti motio ejus, qui lapidem projicit, durat per essentiam actus dum manum lapidi movendo apponit; sed virtus motionis manet dum lapis ex vi impulsionis primæ movetur; & sic manere actum in virtute est quidam medius modus inter ipsum esse in habitu & in actu, quia quod in habitu est, neque in virtute, neque per essentiam actus est, (ut idem docet d. art. 2. q. 4.) Itaque attentio in officio manere debet semper
47 secundum virtutem, sed non requiritur ut semper maneat per essentiam actus. Manet autem secundum virtutem quando aliquis ad officium accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo
48 debitum obsequium reddendi, etiamsi in prosecutione officii mens ad alia rapiatur, nisi tanta fiat evagatio, ut omnino depereat vis primæ intensionis; & ideo oportet ut frequenter homo cor revocet ad se ipsum. Hæc S. Thomas, & sequitur glossa communiter approbata in Clem. 1. in ver. Orationes, in 7. membro. vers. Dicunt tamen Theologi, de reliq. & vener. Sanctor. S. Anton. in 3. par. tit. 15. cap. 4, §. 8. & Sylvester in ver. Hora, num. 15.

49 Et ex hac Theorica arbitror elici posse verum, & germanum intellectum hujus decretalis. Præcipitur enim devotio, & attentio in officio quantum ad essentiam actus, quia tenetur quis ad officium accedere cum intensione solvendi pensum, & Deo debitum obsequium reddendi; sed non præcipitur ut hæc actualis attentio semper duret; Hoc enim, ut dicunt Petrus de Palude S. Anton. & Sylvest. locis citatis non est possibile propter evagationem mentis humanæ. Nam, ut ait Boetius hic relatus ab Host. num. 10. & Jo. Andr. n. 6 Cum cor hominis vagum sit, & mobilius omni mobili, non est semper adeo fortis homo, ut tales cogitationes evitet. Unde & multi sancti viri orando quandoque evagationem mentis patiuntur secundum illud psalmi 39. Cor meum dereliquit me, & propterea textus apposuit illa verba, quantum eis Deus dederit, indicans per hoc se nolle in præcepto ponere ut actualis attentio semper comitetur Divinum officium, sed Divinæ gratiæ hoc relinquere, posuit tamen in præcepto attentionem virtualem, quæ ad vitandum peccatum in officio semper manere debet, ut ex dictis constat.

50 Hinc autem resultat propositæ quæstionis solutio: nam si in officio ad vitandam præcepti transgressionem, requiritur ut attentio semper duret, non quidem per essentiam actus, sed secundum virtutem: ex hoc necessario sequitur, ut voluntarie distractus præcepto Ecclesiæ non satisfaciat, quia attentionem necessariam non habet, nec per actus essentiam, cùm actualis attentio, & voluntaria

taria evagatio, & sic velle attendere, & nolle attendere sint opposita, quæ mutuo se expellunt, ut patet 1. Physic. tex. 67. Nec secundum virtutem, quia virtualis attentio permittitur ex voluntaria distractione ad eum modum, quo attentio habitualis per contradictionem, ut est textus in c. *Maiores*, §. *fin. de baptis.* ubi propterea dormientes, vel amentes, qui priusquam in somnum, vel dementiam incurrerent, contradixerunt, characterem baptismi, vel ordinis non recipiunt; quia nimirum consensum eis contradictionis propositum perduravit, & sic non habent intentionem habitualem necessariam ad impressionem characteris, & sane sicut lapis projectus illico amittit virtutem primæ motionis si ex contraria vi retundatur, aut objicem inveniat; eod. modo attentio in Divinis officiis perdit virtutem, quam ex prima motione animi sortita est si superveniat actus oppositus distractionis voluntariæ. Quod sic secundum S. Thomam supra citatum, *num.* 48. victus primæ intentionis omnino deperit per evagationem mentis etiam involuntariam, si sit notabilis; utique multo fortius deperit per voluntariam distractionem ad exteriora. Ad hoc d. cap. *Maiores*, §. *fin. de bapt.* & quod notat glos. in c. *Cupientes*, §. *Denique in ver. Consensum, de elect. lib. 6.*

51 Concludo igitur, quoad hanc primam inspectionem Concilium præcepisse hic devotionem internam, ut proinde voluntarie distractum ad exteriora non satisfacere præcepto ecclesiæ, sed mortaliter peccare, dummodo tamen distractio sit tanta, ut offici, vel Missæ notabilem partem absumat. Et ita videtur concludere Abbas *hic in fin.* ubi quærens an non dicentes officium studiose, & devote peccent mortaliter, relatis tribus opinionibus, de quibus supra d. *num.* 33. tandem resolvit quantitatem reatus considerandam ex qualitate, & quantitate contemptus, & negligentiæ. Idipsum sensit Innoc. *n.* 3. ubi quærens numquid pec-
52 cet clericus, qui dum est in officiis cogitat super aliquo bono spirituali, vel temporali: resolvit eum non debere dum est in officiis intendere nisi circa ea, quæ ibi dicuntur, vel leguntur, nisi necessitas, quæ dilationem non patitur, cogit ipsum de aliis cogitare, arg. *cap. quod non est licitum, infra de reg. iur.* Atque ita secundum Innoc. peccat clericus, qui in Divinis Officiis voluntarie distrahitur non solum cogitando aliquid indifferens, sed etiam quod magis est, cogitando aliud bonum spirituale, vel temporale, & cum totidem verbis sequuntur Hostien. *n.* 10. *vers. Sed numquid peccat clericus*, & Jo. Andr. *num.* 6 & fuit sententia Hugonis de Sancto Victore *in lib. quo studio orandus sit Deus*, relati à Divo Thoma *in 4. sent. dist. 15. q. 4. art. 2. q. 4 in 2. argum. contrario*, ait enim: (Si cum orationem fundimus aliud quodlibet in corde versamus, etiam si illud bonum sit, à culpa liberi non sumus.) Circa quod tamen ne erres vide Caietan. in 2. 2. *q. 83. art. 13. in t. dubio.*

53 Similiter idem Innoc. paulo infra in vers. *Sed numquid firmat non peccare clericum*, qui est in Divinis Officiis, si quod dicit ibi non intelligat, dummodo cor suum ad Deum habeat, & ei psallat. Et idem repetunt Host. *num.* 8. Jo. Andr. *nu.* 5. Butr. *n.* 4. Cardinal. in 3. *q.* & Anchar. *in fin.* Rursus Innocentius *d. n.* 3. excusat clericum à peccato
54 in eo casu, in quo nimis fatigatus spiritu aliqua præter ea quæ leguntur, vel dicuntur, diceret, aut cogitaret, subdit tamen illi cavendum esse ne nimis excedat. Et cum eo transeunt Hostien. *n.* 10 *vers. Ideo secundum Dominum Nostrum* Io. Andr. & Butr. ambo *n.* 6. & Cardin. *in 9. quæst.* Et ita secundum Innocent. voluntaria evagatio mentis est peccatum etiam in illo, qui est fatigatus spiritu, si multum perduret. Ejusdem sententiæ est D. Th.
55 *in prædicta q. 4. ad 2.* ubi ait: (Quando aliquis ex proposito mentem ad alia distrahit in orādo, tunc sine culpa non est, & præcipue si in aliis sponte se occupet, quæ mentem distrahunt, sicut sunt exteriora opera: & si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit. Sicut sine hoc quod percipiamus mens ad alia evagetur, vel culpa caret, vel paucissima culpa est, nisi præcedens cogitatio, ex qua contingit talis evagatio, in culpa esse dicatur.) Quibus verbis ostēdit mentis evagationem in duobus casibus esse culpam mortalem. Primus est cum mens distrahitur ad opposita attentioni in officio requisitæ; sive id contingat ex actu externo incompatibili cum attentione, sive ex voluntaria distractione ad exteriora. Et hoc casu clare dicit esse mortale. Secundus est quando evagatio men-
56 tis etiam involuntaria provenit ex præcedenti cogitatione, quæ fit in culpa. Et quamvis hoc secundo casu S. Doctor non dicat explicite esse culpam lethalem; tamen cum officium habeat culpam adjunctam, consequenter non habet suam efficaciam, nec est satisfactorium, ut idem arguit ibid. *in 2. arg. contrario.* Ad hoc text. optimus in cap. *In gravibus*, 3. q. 7. Id ipsum apertius docuit *in 2. 2. q. 83. art. 13. in respons. ad 3.* dicens: Si ex proposito in oratione mens evagatur hoc peccatum est, & impedit orationis fructum; Et contra hoc dicit August. *in 3. reg. tom. 5.* Psalmis, & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Et Cajet. ibi clare *in responsione ad 3. vers. Nota secundo*, (Evagatio, inquit, ex proposito semper est cum peccato, mortali quidem quando ex contemptu, vel ex industria in oratione, quæ est sub præcepto, quis in notabili parte evagatur; Perinde est namque ac si illam omitte-
57 ret.) Hæc ille. Et propterea beneficiatum horas canonicas recitantem cum evagatione mentis voluntaria teneri ad restitutionem fructuum affirmant Navarr. *de oratione cap. 20. nu. 32.* Petr. Navarr *de restit. lib. 2. c. 2. n. 240.* Petrus Lorca *in 2 par. tom. 2 disput. 26. de legib. membro 2. ad 5.* Suar. *in 3 par. tom. 5. disput. 4 sect. 2. nu. 26 & de religione tom. 2. lib. 4. c. 26. n. 26.* Valquez *in opusc. de benef. cap. 4 §. 1. dub. 4 num. 140.* & alii Recentiores.

58 Circa secundam inspectionem, cum ecclesia in tribus Generalibus Conciliis, nempe in Lateranensi, Viennensi, & Tridentino præceperit, devotionem internam, ut aliunde ostensum est supra *num. 38.* disputandum non esset an potuerit sic præcipere; satis est enim ut fecerit, nec quæstio potestatis est refricanda, c. *Scriptum*, 6. *qu.* 3 §. *Qui autem, in fin. 17. q. 4.* Sed nihilominus ut objecto satisfiat, dicimus ex communi Canonistarum sententia ecclesiam habere authoritatem statuendi etiam de actibus omnino occultis, & internis. Ita colligitur ex glossa in Clem. 1. *in verb. Eo ipso. de hæret.* quæ constanter affirmat per Claves Ecclesiæ militantis ligari posse omnino occulta, licet nominatim de illis non judicet Tribunal ecclesiæ per jura ibi allegata, & illam glos. sequitur ibi, & singularem appellat Cardin. *nu. 8. in 1. quæst.* & Imol. *num.* 38. dicens Stephanum, & Paulum, concorda-

re

re cum illa glos. cum quia etiam concordat Abb. *in proœmio Decretal. in ver. Rex Pacificus num.* 6. & in cap. *Exstirpante*, §. *Qui vero, num. 21. de præb.* ubi similiter illam glossam dicit singularem, in c. *fin. num. 2. de hæret* & in cap. 1. *n. 13. de Offic. Ordinar.* Felin. in d. c. *fin.* & in cap. *Porro, utrobique in princ. de sent. excomm.* Idem tenet glossa unicam cap. *Cogitationis, de pœnit. dist.* 1. quæ dicit Canonem, & legem punire voluntatis peccatum; Ideoque ponderosum, idest qui mente pec-
59 cat, repelli à promotione, ut cap. *Hinc etenim, vers. ponderosum*, 49. *dist.* Et propterea hæreticum omnino occultum, seu mentalem esse excommu-
60 nicatum firmat glossa prima in summa 24. *qu.* 1. Geoffred. *summa tit. de hæret. num.* 2. Bald. in l. *Si quis non dicam rapere, num. 21. vers. Venio ad oppositiones, C. de Episcop. & cleric.* ubi ait, inhæresi deliberationem mentis sufficere ad perpetrationem delicti, eo quod delictum non requirit
61 aliquid extare, sed perficitur ex sola mentis cogitatione. Unde Inquisitor hæreticæ pravitatis bene puniet illum hæreticum, qui est hæreticus in mente, licet in eo non appareant signa hæresis hæc autem poterunt liquere Inquisitioni per confessionem hæretici, quia aliàs non posset cogitatio mentis, quam solus Deus cognovit, probari, ut notatur in l. 2. *de interrog. act.* & sequitur totidem verbis, Jo. de Anania in c. *Si quis Episcopus, n. 7. de hæret.* Felin in cap. 1. *nu. 7. de præsumpt. & in tract. quando conatus puniatur, num. 6. vers. Fallit tertio in 4. casu* Hippol. de Marsil. in l. *Qui falsam n. 13. ff. de fals.* Bursat. *cons. 14. num. 5. & 9.* Clar. *in Prax. §. fin. quæst. 91.* & Menoch. alios adducens *de arbitr. judic. cas. 360, n. 6.* & ex Theol. Adrian. *in 4. q. 4. de confess.* quæ incipit, *Restat nunc inquirere*, §. *Alii probant, vers. Sed huius rationis*, & *quodlibet.* 8. *qu.* 8. *littera* G. *Summa.* Rosella *in verb. Absolutio, 1. num. 29. & in ver. Excom. 1. cas. 1. n. 1. & in ver. Hæreticus, nu.* 24. Alber. *de agnosc. assert. qu. 33. nu. 27. 29. & 32.* & alii Recentiores, quorum opinio satis probatur in juribus allegatis in glossa præcitata in
62 Clem. 1. *de hæret.* & quamvis ex illis juribus quædam loquantur in occulto per accidens, quod sensibus subjacet, sed ex accidenti habet ut sit occultum, quia dum, & secreto perpetratur, ut secreta collocutio cum Cardinalibus in Conclavi existentibus, cap. *Ubi periculum*, §. *Nulli etiam de elect. lib. 6.* & occulta occupatio depositi ecclesiastici, cap. *Clericis, de immunit. ecclesiar. eod. lib.* Alia tamen loquuntur etiam in occulto per se, ut Clem. 1. §. *Quia vero, de stat. Monachor* ubi excommunicantur regulares accedentes ad Curias Principum animo nocendi, Clem. *Cupientes*, §. *Qui vero, de pœnis*, cap. *Fundamenta*, §. *Quod si secus, de elect. lib. 6.* & d. Clem. 1. *de hæret.* Ex quibus patet ecclesiam potuisse præcipere in Divinis Officiis studium, & devotionem etiam internam, & mentalem, prout præcipit. Similiter tatam habens percussionem clerici in corde tantum non est quidem excommunicatus quod ad ecclesiam militantem, idest ab Ecclesia, cui ratihabitio est
63 ignota, & non habetur pro excommunicato: Sed tamen ligatus est quoad Deum. Et ita clavis ecclesiæ ligat in foro interiori etiam illum, qui peccat in corde tantum. Ita declarat Hostien. & alii post eum in d. cap. *Mulieres, de sent. excomm.*
64 Præterea observandum est duobus modis posse prohiberi actus internos. Uno modo absolute, & per se, videlicet præscindendo à quocumque actu exteriori. Et hoc modo sola lex divina, non autem humana potest cohibere, & ordinare interiores motus, qui latent. Et ita procedit theorica S. Thomæ supracitati, & *n.* 25. Et in hunc sensum per auctoritatem ecclesiæ cogitationis pœnam nemo patitur, ut dicitur in d. cap. *Cogitationis, de*
65 *pœnit. dist.* 1. Alio modo possunt prohiberi actus interni in quantum colligantur cum exterioribus, & hoc secundo modo & etiam lex ecclesiastica potest præcipere, & ordinare actus internos, sicut præcipiendo accessum ad Missam, præcipit etiam velle accedere; & præcipiendo iejunium præcipit etiam velle iejunare. Aliquando enim permitti-
66 tur concomitanter, & ratione connexionis quod non permittitur principaliter, & directe, & ut l. *Si mandavero*, §. *Is cui, ff. mandat.* cum simil. ut per glos. fin. in l. *Cum probatio ff. de probat.* Unde si
67 quis in corde suo firmiter proponeret Missam non audire, vel iejunium frangere, eo ipso mortaliter peccaret, licet propositum non perficeret, ut per Sylvestr. *in verb. Hora, num 13. vers. Unde præcipiendo.* Quando autem ecclesia præcipit ut officium studiose, & devote celebretur, utique non præcipit attentionem, & motum animi internum absolute, & per se, sed in quantum colligatur, & connexionem habet cum externa recitatione officii; & pronunciatio necessario requirit, & annexam habet elevationem mentis in Deum, & attentionem saltem virtualem, ut abunde ostensum est supra, maxime, *nu. 41. & 46.* Ergo præcipiendo actum exteriorem celebrationis officii, præcipit etiam actum interiorem attentionis sine quo illud esse non potest, arg. l. 2. *ff. de jurisd. omn. judic.* l. *Ad rem mobilem*, & l. *Ad legatum, ff. de procur.* cum simil. ut per glos. in cap. *Sicut Christus, in ver. Potest.* 1. *q.* 1.

68 Non obstat quod ecclesia non debeat alicui laqueum injicere, nec quemquam oneribus importabilibus alligare, Hostien. Quoniam objectum procederet si ecclesia præciperet in officio attentionem actualem, & continuam hoc enim esset non tantum importabile, sed quod magis est, impossibile, ut dictum est supra *num.* 49. At non est ita, quia sola virtualis attentio est in præcepto, ut similiter ostensum est supra, *num.* 46. Ut autem homo scienter ad alia se non divertat, hoc nullum est importabile onus, cum sit in sua facultate ex principiis naturæ, quæ Deus jam dedit, ut tetigi supra ex Sylvestro *in ver. Hora, n.* 14.

De Celebratione Missarum.

Cap. Cum creatura.

SUMMARIUM

1 *Anniversarium quid sit, & n.* 12.
2 *Missas duas potest rector ecclesiæ celebrare propter necessitatem anniversarii.*
3 *Missa Conventualis una, vel plures an, & quando celebrari debeat in Cathedralibus, & Collegiatis ecclesiis, & num. seq. usq. in fin. Quid de jure communi? & examinantur quatuor intellectus ad hoc capitulum, à num. 3. usque ad num.* 21.
quid ex Missali Romano, à num 21. usque in Et fin.

Missæ Conventuales duæ, scilicet de festo, vel feria, & pro anniversariis defunctorum in Collegiatis Ecclesiis sunt celebrandæ, n. 3. & n. 23.

4 *Missa Conventualis pro defunctis in anniversario celebrari potest, etiam in festo duplici, vel semiduplici, & n. 23.*

5 *Missa defunctorum corpore præsente omni die celebrari potest, præterquam in Parasceve, & Paschate.*

6 *Anniversarium defunctorum si occurrat in festo, fieri debet saltem in privato.*
Contrarium, n. 9. & 23.

7 *Missa Conventualis de feria propter anniversarium defunctorum non est omittenda.*

8 *Canonicis Sarnensibus ex conventione obstrictis cantare Missam ter in hebdomada denegatur facultas omittendi Missam de feria.*

9 *Anniversario pro defunctis non satisfit dicendo Missam de feria, & n. 11. & 23.*

10 *Suffragia, quæ fiunt à Præsbyteris gerentibus personam totius Ecclesiæ prosunt mortuis etiamsi tales Presbyteri sint peccatores.*

11 *Missa defunctorum cantari debet à beneficiatis juxta legem fundationis etiam in illis diebus, in quibus ex præscripto Missalis cantatur alia Missa pro defunctis.*

12 *Missæ duæ Conventuales, scilicet pro defunctis, & officio currente in collegiatis Ecclesiis quotidie sunt celebrandæ, & contrafacientes peccant, & num. 15.*
Contrarium n. 16. & 24.

13 *Missa defunctorum præfertur Missæ de feria.*
Contrarium, num. 24. & 26.

14 *Missa pro defunctis potest celebrari in diebus festis etiam solemniter.*
Contrarium num. 16.
Declaratur num. 26.

17 *Missæ duæ, idest pro defunctis, & de feria quotidie cantari debent in ecclesiis Conventualibus*
Contrarium n. 20. & 24.

18 *In Missis singulis orandum est pro defunctis per preces in secundo* Memento.

19 *Commemorationi pro defunctis, qui legata pro Missis reliquerunt, quomodo satisfiat ex sententia S. Congregationis Concilii.*

21 *Missa una Conventualis, idest de officio currente, quotidie celebrari debet in Cathedralibus, & Collegiatis ecclesiis.*

22 *Fallit in casibus hic enumeratis, in quibus debent cantari duæ Missæ.*

23 *Anniversario occurrente in Collegiatis Ecclesiis cantari debent duæ Missæ, una pro defunctis, alia de festo, vel feria.*
Idem in die depositionis defuncti, ibidem.

24 *Missa Conventualis pro defunctis in Ecclesiis Collegiatis non debet dici quotidie, sed prima die cujusque mensis, & feria secunda cujusque hebdomadæ.*

25 *Quod si tunc occurrat festum simplex, vel feria propriam habens Missam, cantari debent duæ Missæ.*

26 *Missa Conventualis pro defunctis nisi occurrat anniversarium, vel tertias dies depositionis defuncti in festo duplici, vel semiduplici celebrari non debet.*

27 *Missæ privatæ de* Requiem *dici non possunt in festis duplicibus, & Dominicis diebus.*

28 *Intellectus. cap.* Et hoc attendendum, de consecr. dist. 1.

29 *Rubricæ Missalis Romani servari debent non obstante quocumque prætextu, & contraria consuetudine.*

30 *Rubricæ decretalium, & legum sunt authenticæ, & allegari possunt ad decisionem causarum si habeant orationem perfectam.*

31 *Secus in rubricis decreti, & cur.*

1 CUM CREATURA. Legitur quadrupliciter, licet Abbas Antiquus dicat planũ esse, & Doctores transeãt sicco pede. Ad intelligentiam præmittendum est sæpe contingere, ut in aliquibus ecclesiis ex variis defunctorum relictis imposita sint anniversaria, idest officia, quæ fiunt pro mortuis anno revoluto à die obitus ipsorum, ut hic per glos. & Hostien. *num.* 1. & alicubi appellantur vigiliæ, *c.* 1. 91. *dist.* ubi glos. *in ver. Vigiliæ*, exponit, idest mortuorum exequiæ: nam, ut inquit Hostien. *hic num.* 3. Hi, quibus pro anniversario aliquid est relictum, sunt quasi ex debito obligati, sicut alias legitur, & notatur in cap. *Parochianos, supra de decim.* Neque hoc est simoniacum, cap. *Significatum, supra de preben.* cap. *Non est dicendum, infra de voto*, & cap. 3. *Ne Prel. vic. suas*: & sequuntur totidem verbis Jo. Andr. *num.* 2 Butr. & Card. ambo *num.* 3.
2 Et hæc quidem anniversaria quandoque imponuntur Capellis, idest ecclesiis parochialibus, vel aliis ecclesiis, in quibus non est nisi unicus Sacerdos: quo casu propter talem necessitatem Præsbyter potest dicere duas Missas, c. *Consuluisti. sup. eod.* secundum Hostien. *hic num.* 2. *in fin.* cum quo Joan. Andr. *eod. num.* & alii transeunt. De his tamen capellis non loquitur hoc capitulum, sed de ecclesiis Conventualibus, in quibus plures sunt Sacerdotes, ut patet ibi *Conventualiter celebretis*; unde secundum Hostien *eod. num.* 2. Locum habet in Cathedralibus, & Collegiatis. Idque sive sint seculares, sive regulares, ut in Clem. *Vtii, de etat. & qualit.* & in Clem. 1. § *Ne igitur, de celebr. Missar.* In latiori tamen significatione aliter accipitur anniversarium, ut dicam infra *num.* 12.
3 Quibus præmissis primo modo legitur hic textus, ut locum habeat non generaliter in omnibus ecclesiis, Conventualibus, nec in omnibus diebus sed in illis dumtaxat, in quibus contingit, ut ex peculiari obligatione anniversaria sint celebranda itaut in illa die, in qua occurrit anniversarium, celebrari debeant duæ Missæ solemniter in Conventu, una scilicet pro defunctis, & alia de festo si occurrat festum, vel de feria, si feria occurrat, & secundum hunc intellectum, de quo plenius dicam *infra in* 2. *conclus. num.* 25. hoc intendit. In Conventualibus ecclesiis conventualiter celebrandæ sunt Missæ de festo, vel feria, & pro anniversariis defunctorum; prout summant Joann. Andr. Butr. Card. & Ancharan. Et juxta hanc lecturam nota Missam Conventualem pro defunctis in die anniversario non esse prætermittendam propter Missam Conventualem de festo: & sic habes Missam pro

pro defunctis in die anniversario posse solemniter celebrari etiam in diebus festis. Simile habetur
5 ex actis Mediolanen. ecclesiæ *par.* 4. *tit. Instruct. ad funer. fol.* 559. *col.* 2. ubi sic legitur: Missa defunctorum corpore præsente omni die celebrari potest, præterquam in Parasceve, & Paschate, quibus diebus non licet corpus sepulturæ tradere, nec Missam pro eo cantare. Secundo modo legi-
6 tur hic textus, ut in ecclesiis Conventualibus in illis diebus, in quibus incidit anniversarium, celebrari debeant duæ Missæ, non tamen ambæ collegialiter, sed una tantum secundum exigentiam diei, ita ut occurrat festum, dicatur de festo solemniter in Conventu, & pro defunctis in secreto: Si occurrat de feria, dicatur de feria privatim, & Conventualiter pro defunctis; ut sic verba illa, *Missarum solemnia Conventualiter celebretis*, regulentur à præcedentibus verbis, secundum temporum congruentiam, quasi dicat, non semper cõventualiter, sed pro ut tulerit congruentia festi, vel feriæ: & ita videntur intelligere hunc textum Hostien. & Io. Andr. ambo *in princ. in ver. Pro festo*, Butr. *num.* 3. Cardin. & Anchar. *ambo num.* 2. Dum dicunt, si anniversarium defunctorum incidat in festum, faciendum esse saltem in privato, & Missam festi solemniter in Conventu; & si non est festum posse dici Missam anniversarii solemniter, & ferialem in privato, & juxta hanc lecturam sic potest summari. In Collegiatis ecclesiis in die anniversarii una Missa pro defunctis, & alia de feria, si feria occurrat, conventualiter sunt celebrandæ. Si verò occurrat festum, celebrabitur de festo Conventualiter, & in privato pro defunctis: & secundum hunc intellectum nota Missam de festo
7 præferri Missæ pro defunctis, quia de festo celebratur solemniter, & pro defunctis in privato. Sed hæc lectura multiplices patitur difficultates. Primò enim non congruit litteræ, quæ præcipit ut celebrentur missarum solemnia copulativè pro anniversario defunctorum, & pro festo, vel feria; ac proinde requirit concursum utriusque copulati, l. *Si quis ita stipulatus, ff. de verbor. obligat.* Deinde posita hac lectura, in diebus ferialibus data concurrentia anniversarii non esset celebranda
8 Conventualis Missa de feria, sed tantum pro defunctis contra rubricas Missalis Romani, & observantiam Collegiatarum ecclesiarum. Hinc cum Canonici Cathedralis Sarnen. ex cõventione cum Episcopo à nonaginta annis inita consuevissent singulis hebdomadis tres Missas canere, videlicet feria secunda pro defunctis, feria quarta de Angelis, & feria sexta de S. Cruce; Episcopus successor eos compellebat ad canendam quotidie Missam Conventualem præter supradictas. Sed cum ecclesia extra habitationes, & in loco insalubris cœli sita esset, & in ea vix decem extarent Canonici, quorum sæpe aliquis ægrotabit, præterquam quod curam habebant animarum: Idcircò petierunt benignè secum agi ut ad dictam Missam Conventualem non tenerentur, nisi in diebus festis. *Die 9. Novembris 1613.* S. Congregatio Concilii censuit quod petitur haud esse concedendum. Ergo ex ipsius Congregationis sententia propter Missam solemnem pro defunctis non est omittenda Missa
9 Conventualis de feria. Præterea obligationi celebrandi anniversarium defunctorum non potest satisfieri ducendo Missam privatam, ut habet hæc secunda lectura. Quoniam plus suffragii capit ani-

ma defuncti ex Missa solemni in Choro cum interventu plurium Sacerdotum, quàm ex Missa privata, ut innuit hæc littera: unde ecclesia solvendo quod minus est, liberationem non consequitur l. *Si stipulatus*, §. *Qui decem debet, ff. de solut.* l. 2. §. 1. & l. *In executione*. §. *Pro parte, ff. de verbor. oblig.* Scot. *in proposito quod lib.* 20. *in princ.*
10 Cum præsertim suffragia, quæ fiunt à Presbyteris gerentibus personam totius ecclesiæ, ut cum dicũt in ecclesia exequias mortuorum, prosint mortuis etiamsi tales Presbyteri sint peccatores, ut declarat S. Thomas *in 4. dist. 45. qu. 2. art. 1. qu. 5.* & *in 3. part. quæst. 82. art. 6.* unde certus est fructus, quem præter fructum sacrificii percipiunt mortui ex orationibus Sacerdotum in anniversario. Quo quidem fructu fraudantur si Missa dicatur ab uno tantum de missa voce. Demum quod loco anni-
11 versarii dicatur Missa privata obstat decretum Concilii Tridentini *c. 5. sess. 25. de reform.* Unde cum olim in insigni Collegiata ecclesia S. Petri Caslesensis Ipren. diœcesis essent fundata tria beneficia, quorum possessores soliti erant per totum annum vicissim cantare Missam, pro fundatore dictæ ecclesiæ, & aliis defunctis, dictaq; Missa, & vigiliæ defunctorum decantari cõsuevissent in Choro, quando officium fiebat de feria, vel festo simplici: quidam Canonici dictæ ecclesiæ sub prætextu quod in Missali Romano caveatur ut prima die cujuslibet mensis, & secunda feria cujuslibet hebdomadæ non impedita in Collegiatis ecclesiis dicantur duæ Missæ una pro defunctis, & alia de feria, seu festo simplici, prætendebant satisfieri dictæ fundationi si Missæ, ut præfertur, cantari solitæ demissa voce legerentur. Unde cum quæsitum esset an satisfieret, vel potius obstaret *cap. 5. sess. 25.* S. Congregatio Concilii censuit Missas cantandas esse juxta earum fundationem.
12 Tertio modo hic textus legitur intelligendo anniversarium in latiori significatione pro officio, quod fit quotidie pro defunctis, prout intelligunt glossa nostra Butr. *num.* 3. & Abb. *cons.* 99. *Videtur primo, num 3. lib. 2.* ita ut in Conventualibus ecclesiis quotidie decantari debeant solemniter duæ Missæ, una scilicet mortuorum, alia de officio currenti, quasi ex isto textu inducatur nova obligatio quotidie celebrandi solemniter pro defunctis: nam ut inquiunt Hostien. *num.* 3. & Jo. Andr. *num.* 2. Cum mortui quasi ab omnibus tradantur oblivioni, merito eis hoc suum anniversarium generaliter reservatur: & secundum hunc intellectum Abbas sic ponit summarium, quod est affixum textui. In ecclesiis Collegiatis debent celebrari duæ Missæ collegialiter, una pro defunctis, alia secundum exigentiam diei, ut pro festo si fe-
13 stum occurrit, vel pro feria si feria: & juxta hanc lecturam quam & Navarr. sequitur *cons.* 9. incipien. *Ex Concilii, num. 6. de celebr. Missar.* nota secundum Abb. *hic in fin.* Missam pro defunctis esse præferendam Missæ de feria, quia Missa defunctorum non omittitur propter festum, sicut omit-
14 titur Missa de feria. Item nota in diebus festis posse celebrari Missam pro defunctis, etiam solem-
15 niter, prout hoc textu deducit Abb. *in preall. cons. 99. num, 3. lib. 2.* Item nota peccare Sacerdotes, qui in Collegiatis ecclesiis non decantant quotidie etiam in festo duas Missas Conventuales, ut similiter notat Abb. *hic in 2. notab.* ponde-
16 rando verbum, *mandamus*: ad hoc cap. *Quisquis* pra-

præceptis, 14. *qu.* 1. Ceterum ut verbis Sylvestri utar *in ver. Missa*, 1. *num.* 7. Communiter hoc non servatur; & ideo melius dicitur quod non est peccatum: imo dictus intellectus ibi non habetur, nec est rationabilis, quia oporteret diebus solemnibus celebrare pro mortuis.) Hæc Sylvester.

17 Quarto denique modo legitur hoc capitulum accipiendo similiter anniversarium largius pro officio, quod fit quotidie pro defunctis, itaut in prædictis ecclesiis debeant quotidie celebrari duæ Missæ, & quidem ambæ collegialiter si occurrat feria, idest una pro mortuis, & alia de feria, Si verò occurrat festum, una celebretur de festo collegialiter, & alia privatim pro defunctis, ut sic verba illa textus, *secundum temporum congruentiam*, non æqualiter determinent sub sequentia verba, *Conventualiter celebretis, sed juxta exigentiam dies*; & ita intelligant hoc capitulum Hostien. Joan. Andr. & Butr. supracitati *in secunda lectura*, nam etsi loquantur de anniversario, & tamen hoc nomen usurpant non pro officio, quod recurrit anno revoluto à die obitus, sed pro illo, quod secundum eos fit quotidie pro defunctis: & juxta hanc lecturam sic summari potest. In ecclesiis Collegiatis duæ Missæ sunt celebrandæ Cõventualiter, una pro defunctis, alia de feria si feria occurrat, si verò occurrat festum celebrabitur conventualiter de festo, & pro defunctis in privato.

18 Porrò salvari posset hæc lectura in secundo membro, si Missæ pro defunctis intelligeretur, idest pro salute defunctorum, juxta textum in cap. 2. *supra eod.* Iubet enim canon in singulis Missis orari pro defunctis, ut in cap. *penult. de consecr. dist.* 1. Cui præcepto ab universa ecclesia satisfit per preces in secundo *Memento* in quo dicitur, *Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus*, &c. ut notat Turrecr. in d. cap. *penult.* post Archid. *ibi num.* 2. &
19 Collectar. *hic num.* 4. *vers. Sed in qua parte*, & ita S. Congregatio Concilii intellexit decretum c. 4. *sess.* 25. in illis verbis, *Commemoratio fiat*. Censuit enim posse satisfieri per intentionem applicationis Missarum, per preces in secundo *Memento*, & per collectas in illis Missis, in quibus collectæ fieri possunt. Sed si Missa pro defunctis intelligatur, idest de *Requiem*, hæc quarta lectura non procedit, quia talis Missa nec alta, nec demissa voce debet dici in diebus festis, ut patebit infra in ultima
20 conclusione. Præterea quoad obligationem celebrandi quotidie Missam Conventualem pro defunctis in diebus ferialibus obstant ea, quæ ex Sylvestro dicta sunt in *præcedenti lectura num.* 16. & quæ dicentur infra in 3. *Conclusione*. Demum hæc lectura non consonat litteræ hujus decretalis, Quæ non loquitur de officio quotidiano pro defunctis, sed de anniversario, nec de Missa privata, sed de solemni, ut dictum est supra *in 2. lectura num.* 7. Unde ex his constat nil certi in hac materia affirmari posse ex hoc textu ob varietatem lecturarum.

21 Ego verò pro veritate facio conclusiones infrascriptas. Prima conclusio est. In Cathedralibus, & collegiatis ecclesiis regulariter cantari debet quotidie una tantum Missa Conventualis, scilicet de officio currẽte, idest de festo, si occurrat festum duplex, vel semiduplex, aut simplex, & de feria si feria occurrat: & hoc innuunt verba texus nostri, de festo, vel feria secundum temporum congruentiam: ad idem cap. *Et hoc attendendum, de consecr. dist.* 1. & Clem. 1. *de celebr. Missar.* secundum Sylvest. *in ver. Missa*, 1. §. 4. & consonant rubricæ Missalis Romani ultimo impressi, & communis usus ecclesiarum.

22 Fallit in feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum; quia tunc si festum duplex, vel semiduplex, vel octava occurrat, in prædictis ecclesiis cantantur duæ Missæ, una de festo post Tertiam, & alia de feria post Nonam, ut expresse habetur in rubricis Missalis in *tit. de feria, & vigilia*, §. 1. & sic limita istum textum, qui alternativè loquitur ibi, *De festo, vel feria*. Item fallit infra octavam Corporis Christi: tunc enim si occurrat vigilia, in Cathedralibus, & Collegiatis ecclesiis similiter cantãtur duæ Missæ, una de octava post tertiam, alia de vigilia post Nonam, ut in eadem rubrica §. 2.

23 Secunda conclusio. Si in prædictis ecclesiis contingat anniversarium defunctorũ, cantari debent duæ missæ, una scilicet pro defunctis, & alia de feria, si occurrat feria, vel de festo, si occurrat festum. Quod clarè probat rubrica Missalis in *tit. de Missis defunctorum*, §. 2. ubi habetur in Quadragesima, toto tempore Paschali, & quando per annum officium est duplex, vel semiduplex non dicitur Missa Conventualis pro defunctis nisi in die depositionis defuncti, & in Anniversario pro defunctis. Ergo anniversarium non debet fieri in secreto si occurrat festum, ut dixerunt Hostien. Joan. Andr. & alii hic, sed solemniter est celebrandũ una cum Missa Conventuali de festo, nec Missa Conventualis de feria debet dici in privato, ut iidem affirmarunt, sed Conventualiter una cum anniversario pro defunctis. & hunc arbitror esse verum, & germanum intellectum hujus decretalis: (non enim loquitur de officio, quod fit quotidie pro defunctis, sed de anniversario: & quia in multis ecclesiis quando occurrebat anniversarium, Presbyteri sub prætextu quod essent gravati onere celebrandi Conventualiter pro defunctis, omittebant Missam Conventualem de festo, vel feria: Ideo Papa præmissa ratione illa quod creatura non habet quod pro meritis respondeat Creatori, mandat ut torporem negligentiæ abjiciant, & Missam Conventualem celebrent non tantum pro anniversario defunctorum, sed etiam de festo, vel feria: & sic benè summarunt textum Jo. Andr. & reliqui post eum, ut dixi supra in 1. *lectura n.* 5.

24 Tertia conclusio. Missa Conventualis pro defunctis quando non occurrit anniversarium, vel depositio defuncti, in Cathedralibus, & Collegiatis ecclesiis non debet celebrari quotidie, ut habet intellectus Abbatis ad hunc textum, sed in prima die cujusque mensis extra Adventum, Quadragesimam, & tempus Paschale non impedita officio duplici, vel semiduplici: & in feria secunda cujusq; hebdomadæ, quemadmodum cavetur in eadem rubrica Missalis, *de Missis Defunctorum*, §. 1. & 2. Dum enim restringit obligationem celebrandi solemniter pro defunctis ad certos dies, & certa tempora; consequenter illam excludit in aliis, arg. l. *Cum ita legatum, ff. de condit. & demonstrat.* l. *Maritus, C. de Procurator.* c. *Nonne*, & ibi glossa ultima *supra, de præsumpt.*

25 Quarta conclusio. Si in prima die cujusque mensis occurrat festum simplex, vel feria, quæ propriam habeat Missam, in ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis celebrari debent duæ Missæ Con-

ven-

ventuales, una pro defunctis, & alia de festo simplici, vel feria prædicta. Ita disertis verbis cavetur in præalleg. rubr. §. 1. unde palam reprobatur idem intellectus Abbatis asserentis quotidie celebrandas esse in Collegiatis ecclesiis duas Missas Conventuales, scilicet pro defunctis, & de festo, vel feria: nam ex Missali Romano restringitur hujusmodi obligatio ad certos dies dumtaxat, ut dictum est in conclusione præcedenti.

26 Quinta conclusio. Missa Conventualis pro defunctis, nisi occurrat anniversarium, vel dies depositionis defuncti, ut dictum est supra *n.* 23. in festo duplici, vel semiduplici celebrari non debet, Patet ex eadem rubr. *in d.* §. 1. in qua disponitur ut nec in prima die cujusque mensis dici debeat Missa Conventualis pro defunctis quando illa dies est impedita festo duplici, vel semiduplici, ut dictum est *in 3. conclus.* & clarius patet ex d. *rubr.* §. 2. in ea parte, in qua expresè disponitur ut quando per annum officium est duplex, vel semiduplex, non dicatur Missa Conventualis pro defunctis, ut similiter dictum est supra *in 2. concl.*

27 Sexta, & ultima conclusio. In Dominicis, & festis duplicibus Missa etiam privata pro defunctis, idest de *Requiem* non est celebranda. Hoc liquet ex præalleg. rubr. Missalis, § 2. *in fin.* in qua sic legitur. (Missæ privatæ pro defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in festis duplicibus, & Dominicis diebus;) & sic apertè reprobatur quarta lectura de qua supra *num.* 17. quatenus habet in diebus festis celebrandas esse in Collegiatis ecclesiis duas Missas, Conventualem scilicet de
28 festo, & privatam pro defunctis. Non obstat textus Augustini in cap. *Et hoc attendendum, de consecr. distinct.* 1. in illis verbis, *in diebus Dominicis, & aliis quibuslibet festivitatibus Missam, etsi pro defunctis sit, audieris*. Quæ ex Burchardo integra referuntur ibi ab Archid. *n.* 2. & apertè innuunt Missam pro defunctis dici posse etiam in Dominicis, & festis duplicibus, ut ex illis deducit Archid. Respõdetur etiam primo authoritatem Augustini dum loquitur de Missa pro defunctis non esse intelligẽdam de Missa de *Requiem*, quæ in festis duplicibus, & Dominicis diebus non debet dici, ut proximè ostensum est, Sed de illa, in qua fiunt commemorationes, & collectæ pro defunctis; ut in cap. *penult. de consecr. dist.* 1. & in cap. 2. *supra eod.* & fusius dictum est supra *n.* 18. Deinde respondetur Augustinum ibi non decidere ut Missa defunctorum possit dici in Dominicis, & quibuslibet festivitatibus, sed tantum supponere interdum posse contingere ut dici possit, & de facto interdum dicatur etiam in prædictis diebus. Hoc autem intelligi debet datis terminis habilibus, arg. cap *un.* & ibi glos. *penult. de ætat. & qual. lib.* 6. idest in illis casibus, in quibus Missa de *Requiem*, dici non prohibetur, scilicet in die anniversario, vel depositionis defuncti secundum ea, quæ dicta sunt supra *in 2. concl. n.* 23. alioquin si verba illa in plena latitudine ut sonant essent accipienda, Missa de *Requiem* dici posset etiam in die Paschatis, quod esset absurdum, arg. eorum, quæ notat Archid. in *c. Virum, n.* 2. *de consecr. dist.* 1. & constat ex dictis supra *n.* 5. Respondetur denique quidquid sit
29 de intellectu illius textus standũ esse rubricis Missalis. Nam Pius V. in Constitutione. *Quo primum*, præcipit ut in Ecclesiis omnibus, in quibus Missa Conventualis alta voce in Choro, aut demissa celebrari consuevit, vel debet, non aliter quam juxta ritum, modum, ac normam, quæ in Missali præscribitur, decantetur, aut recitetur. In specie autem rubricæ Missalis, quæ sensim ab usu, utique degeneraverant, in pristinum restitutæ, & quæ nõ ita captui legentium accommodatæ videbantur, clarius explicatæ fuerunt jussu S. D. N. Urbani VIII. ut in Constitutione. *Si quid est*, & Sacra Rituum Congregatio renovando decreta aliàs facta, mandavit in omnibus, & per omnia servari rubricas Missalis Romani, non obstante quocumque prætextu, & contraria consuetudine, quam abusum esse declarat, & facta Sanctissimo relatione, Sanctitas sua annuit, & ab omnibus ubique servari, & in Missali noviter imprimendo apponi mandavit; & ita hoc decretum, & Constitutiones memoratæ habentur in principio Missalis postea im-
30 pressi. Et est simile in rubricis Decretalium, quæ authenticantur supra *in proœmio in ver. Utantur*, ut ibi notat Vincentius, & post eum Archid. in cap. *Quis nesciat, n.* 1. 9. *dist.* & Specul. *in tit. de disputat. & allegat. advocat.* § *fin. n.* 15. Ideoque allegari possunt ad decisionem causarum si orationem perfectam habeant, secundum Io. Andr. *ibidem in addit.* incipien. *Gregorius, littera* K. & Bellam. qui alios adducit in cap. *Firmiter, in prima quæst. supra de Summa Trinit. & fid. Cathol.* Idemque de rubricis legum notant Legistæ *in l.* 1. *ff si cert. petat.* & glos. 1. in cap. *Hæc autem verba, de pœnit. dist.* 1.
31 Licet secus sit de rubricis decreti, tum quia alius fuit conditor decretorum, & alius rubricarum, scilicet Gratianus; tum quia illæ quandoque falsæ reperiuntur, ut patet in cap. *Charte*, 3. *q.* 9. & in cap. *Placuit, il secondo*, 16. *q.* 5. & declarant Specular. Archid. & alii proximè citati, & scripsi plenius in c. *Canonum Statuta, à n.* 40. *supra de Constit.*

De Baptismo, & ejus effectu

Cap. Si quis Puerum.

SUMMARIUM.

1 *Baptizati à Calvinistis an sint iterum Baptizandi necne, & num. seq. usque in fin.*
Baptismus, qui etiam ab hæreticis datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & cum intentione faciendi quod facit ecclesia, est verus baptismus, ibidem
2 *Calvinistarum error circa Sacramentum Baptismi.*
3 *Intentio quid sit.*
4 *Finis intentionis in baptismate duplex est.*
5 *Baptismi effectum quis potest intendere implicitè, & explicitè.*
6 *Intentio generalis, seu implicita in baptismo tripliciter exprimi potest.*
7 *Intentio universalis in baptismate, aut est actualis, aut virtualis, aut habitualis.*
8 *Intentio respectu effectus proximi, & non supremi requiritur in baptizante, & sufficit implicita.*
9 *Baptizare possunt in casu necessitatis etiam laici, & mulieres, imò etiam Pagani, & hæretici, & num. 15.*
10 *Baptizati à puero Athanasio, qui se Episcopum simul*

simulaverat, jussi nō fuerunt iterum baptizari.

11 *Intentio faciendi, quod facit Ecclesia, necessaria est in baptismate.*

Non autem propter id, quod facit ecclesia, n. 16.

12 *Baptizati à Donatistis, & à Græcis Schismaticis jussi non sunt rebaptizari.*

13 *Baptizans cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, licet credat nihil per baptismum conferri, tamen verè baptizat, & n. 17.*

14 *Fides de necessitate in baptizāte nō requiritur*

15 *Baptismus conferri potest etiam à Pagano, & Judæo.*

16 *Baptismus non habet efficaciam à ministro, sed à principali agente qui est Christus.*

17 *Baptizans non requiritur ut sciat quid sit baptismus, vel baptismum esse Sacramentum.*

18 *Calvinistæ etsi nullum vim tribuant baptismo, tamen debitam servant materiam, & formam, & necessariam habent intentionem ad baptizandum.*

1 SI QUIS PUERUM. Se ipsum summat vel secundum Anton. de Butr. & Abb. hoc dicit, licet puer sit ter mersus in aqua in nomine Patris, &c. Nisi dictum sit. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, nō est baptizatus.

QUÆRO, An baptizati. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* à Calvinistis negantibus baptismum Sacramentum esse, conferre gratiam, justificare, remittere peccatum; & affirmantibus puero jam justificato in utero adhiberi tantùm ad simplicem quamdam resignationem, sint iterum baptizandi, necne.

Quoniam decreto Concilii Tridentini, *sess. 7. de Baptismo can.* 4. diffinitum est, ut si quis dixerit baptismæ, quod etiam ab hæreticis datur *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptisma, anathema sit: Maximè videtur ambiguum pluribus Doctoribus, An hæreticorum
2 Calvinistarum modernorum baptismus sit verus, & an verè baptizent, cùm eis videatur deesse intentio etiam universalis faciendi quod facit Ecclesia. Nullam enim vim, efficaciam, & virtutem tribuunt baptismo, ut asserunt *lib. 4. Inst. Christianæ, cap. 14. & 15.* ex Io. Calvino, negantque Sacramentum baptismi esse Sacramentum efficax gratiæ collativum, & peccatorum remissivum in puero, quem puerum in utero materno esse justificatum affirmant, modò à parentibus Christianis procreetur, atque si decedat sine baptismo non minus ingredi regnum Cælorum. Cum itaque intentio saltem universalis requiratur ad integritatem baptismi, quam non videntur habere nec particularem, nec universalem, nec formalem, nec virtualem hæretici moderni Calvinistæ, verisimile est ut verè non baptizent. Idque peroptant Catholici quidam DD. intelligere, An liberum sit evangelizantibus verbum Domini docere populum fidelem baptizatos ab ipsis Calvinistis hæreticis esse denuo baptizandos, quasi illis desit tertia pars baptismi integralis, scilicet intentio.

Pro solutione hujus dubitationis cujus tota vis in eo versatur quod Calvinistæ intentionem ad baptismum requisitam non habent, duo videnda sunt. Primò quæ intentio requiritur in baptizante, Secundò quam habeāt Calvinistæ. Primum præmissis quibusdam quatuor propositionibus explicabimus, secundum unica tantum propositione.

3 Circa primum præmittendum est primò intentionem in proposito nihil aliud sonare, quàm actū voluntatis, quo voluntas supposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem tendit in eum finem per aliqua media. S. Tho. in 1. 2 *q. 12 art. 1. ad 3. & 4.* & probatur in c. *Non frustra 23. q. 5.* cap. *Si quandoque in fin. 15. q. 16.* c. *Humana*, c. *Quipiterart*, 12. q. 5. & c. 1. ubi Archid. *de jurejur. lib. 6.*

4 Præmittendum secundò, finem intentionis talem in baptismate duplicem esse posse. Primus est actus ille baptizandi; secundus est effectus actualis, qui dicitur finis ejus propter quem ille baptizat, S. Thom. *in 4. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 2. ad primum*, & communiter omnes DD. in hac materia. Et duplicem hunc finem inesse omnibus actionibus humanis docet Aristoteles lib. 1. Magnor. Moral. cap. 3.

Præmittendum tertiò posteriorem hunc finem similiter esse duplicem, supremum scilicet & proximum. Supremus est facere hominem filium Dei, cap. *Ad mensam 11. q. 3.* & cap. *Per aquam, de consecr. dist. 4.* Proximus est facere hominem Christianum, seu membrum Christi, c. *Quidam, de apost.* & c. *Olim, 1. q. 1.* Ita Scotus *in 4. dist. 6. quæst. 5.*

5 Præmittendum quartò, intendere aliquid facere baptizando, quod est intendere Baptismi effectum altero ex duobus modis contingere posse, primò explicitè, secundò implicitè. S. Thom. *in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. q. 2. ad primum*. Quam etiam distinctionem ponit Riccar. *in 4. dist. 6. art. 1. q. 2. ad secundum*, & Scotus *ubi supra* dicens utrumque finem posse aliquem intendere bifariam; primò in particulari, secundò in universali. Et alii DD.

6 Præmittendum quintò intentionem hanc generalem, seu implicitam effectum baptismi pro fine habentem exprimi posse tribus modis. Primò per hoc quod est intendere illud facere quod Christus faciendum instituit, seu facit Ecclesia, ut habet S. Thomas *in 4. dist 6. q. 1. art. 3. q. 2 ad primum*.

Secundo, addendo quod facit Ecclesia Catholica vel Romana, vel Græca, vel aliquid hujusmodi.

Tertiò, intendendo, quod facit Presbyter, vel Episcopus dum baptizat, seu etiam in communi, quod faciunt Christiani Dominicus de Soto *in 4. dist. 1. q. 5.*

Præmittendum sextò, intentionem hanc univer-
7 salem, & implicitam, sive cadat super actum baptizandi, sive super effectum baptismatis trifariam in baptizante esse posse, primo actualiter, secundò, virtualiter, tertio habitualiter, D. Thom. *in 4. dist. 6. q. 1 art. 2. q. 1. ad quartum juncta 3. par. q. 64. art. 8.* ad tertium, ubi quamvis mentionem non faciat nisi de actuali, & habituali; tamen sub habituali includit etiam virtualem communicans in vocabulis usui illius temporis, ut explicat Cajet. Et de triplici hac intentione meminit explicitè Scotus *in 4. d. 6. q. 6. §. Distinguitur communiter*. Cui postea cæteri subscripserunt. Quam etiam distinctionem communiter ponunt DD. in materia de consecratione, ac de persolvendis horis canonicis, quæ etiam in dubio proposito supponitur.

His prænotatis videtur respondendum ad primam partem quæstionis quatuor propositionibus. Et quoniam de actu baptismatis nulla est dubitatio, eo quod Calvinistæ baptizant; atque ideo baptizare intendunt, alioquin non baptizarent:

Ideo

Ideo ponimus primam propositionem.

Prima igitur sit propositio ex D. Thoma *in 4. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 1. ad 4. & 3. par. q. 64. art. 8. ad 3.* secundum expositionem, Cajet. & communi DD. sententia, Ad actum illum baptismi sufficit intētio actualis, vel virtualis, sicut in actu consecrationis, & in persolvendis horis canonicis, tradunt Archid. post Hugonem in c. *Solet, de consecr. dist. 4.* Innoc. Host. Jo. And. Abb. & alii in c. *Dolentes, de celebr. Missarum*, Card. in Clem. 1. *n. 7. eod. tit.* Et quia de hoc non est quæstio per se primo; ideo illius probationem omittimus.

8 Secunda propositio est. In baptizante requiritur intentio respectu effectus proximi, sed non supremi; & hæc non explicita, & in particulari, sed implicita, & in universali. Hoc dictum habet tres partes, quæ singillatim probantur.

Prima pars, scilicet in baptizante requiri intentionem probatur hunc in modum. Primò quando unus effectus producitur à pluribus causis, oportet ut illæ causæ aliquando sint factæ unum ad invicem; sed effectus baptismi producitur à pluribus causis, scilicet materia, forma, ministro. Ergo requiritur ut illæ causæ fiant aliquando unum. Sed hoc fit per intentionem, qua minister applicat formam ad materiam, & suum ministerium ad utrumque, & hoc totum ad Sacramenti collationem. Ergo intentio est necessaria. Et hæc ratio est S. Th. *in 4. dist. 6. q. 1. ar. 2. q. 1.* per quam concludit non solum requiri intentionem in baptizante ad consequendum Sacramenti effectum, sed etiam ad ipsius Sacramenti perceptionem, & constat ex c. *Solet*, ubi glo. *fin.* & Archid. qui id probat verbis Ambrosii, *de consecr. dist. 4.* glo. *fin.* in c. *Dedit. 1. q. 1.* DD. in cap. 1. & cap. *fin de baptismo.* Unde hæc ratio valere potest etiam pro prima propositione. Secundò probatur, quia cum iste actus sit humanus, debet esse propter finem intentus, *c. de occidendis. c. non frustra. 23. quæst. 5. c. Ab exordio, 35. dist.* Et habetur 1. *Ethic.* Dixi propter finem, quia aliàs esset casualis. Dixi intentus, quia si non intenderetur finis iste, actus, vel esset agentis naturalis, & non à proposito, vel si à proposito esset fortuitus, ut patet ex 2. Phys. Et hæc ratio haberi potest à Scoto ubi supra, & per has rationes eadem conclusio communiter à Doctoribus probatur.

Secunda pars, scilicet respectu finis proximi, non autem supremi probatur à Scoto, quia congruum videtur, ut iste actus differat à quacunque alia humana actione, quòd fit ex fine, c. *Quisquis*, c. *Delicta*, c. *Quod dicit, 41. dist.* d. c. *de occidendis, 23. q. 5.* & c. *Cum voluntate, de sent. excomm.* Quæ ratio licet forte aliquibus non probetur, quia tamen ipsemet dicit illam esse probabilem, & congruam, & sat esse, ut ille finis sit intentus in universali, quod est dicere, sat est intendere, quod intendunt Christiani circa suos. Ideo valere potest in proposito.

Tertia, scilicet talem intentionem non requiri explicitè, & in particulari, sed sufficere implicitè, & in universali probatur ratione, authoritate, &
9 exemplo. Ratio est quia in Concilio Florentino, in decreto fidei Eugenii IV. *in §. Primum* Sacramentum diffinitur in casu necessitatis non solum Sacerdotem, & Diaconum, sed & laicum, vel mulierem imo etiam paganum, & hæreticum baptizare posse. Sed mulieres, pagani, hæretici, ut plurimum non intendunt illum finem in particulari, & distinctè. Vel enim explicitè, & in particulari non cognoscunt, vel non credunt. Ergo satis est illum finem intendere implicitè, & in universali prout in alio continetur. Et hoc est quod in decreto fidei id quod facit ecclesia. Quia enim ecclesia aliquid facit, & illum finem, assequitur; ideo ex consequenti, & implicitè intendunt illud facere, ut explicat D. Thom. *d. dist. 6. quæst. 1. art. 5. ad quartum.*

Authoritas est S. Thomæ, Riccardi, Hugonis, Scoti, Durandi, & omnium Theologorum in 4. dist. 6. id asserentiam, Nec non est Glossæ, Archidiaconi, Præpositi, & aliorum omnium Canonistarum in c. *Spiritus Sanctus, 1. q. 1.* qui fundantur in
10 *§. Ecce*, ubi refertur exemplum Alexandri Episcopi Alexandriæ, qui cum post Missarum solemnia vidisset super ora maris ludum puerorum imitantium Episcopum, & gerentium ea, quæ in ecclesia geri mos est, eos ad se perduci jubet, & quid egerint percunctatur; & cum illi retulissent baptizatos fuisse quosdam Cathecumenos per puerum Athanasium, qui se Episcopum simulaverat, statuit, iterari baptismum non debere.

Tertia propositio est. Hæc intentio universalis, & implicita sufficienter exprimitur uno ex tribus modis, qui habentur in quinto supposito. Ita scilicet ut intendat facere vel id quod Christus facien-
11 dum instituit, seu facit ecclesia, etiamsi neque ad Romanam, neque ad Catholicam respiciat; imo etiamsi ad illam, quæ Schismatica est, intentionem dirigat, vel ut intendat facere, quod facit Presbyter, aut quod communiter faciunt, & intendunt Christiani.

Et quidem sufficere intendere quod facit ecclesia omnes Theologi in *4. dist. 6.* fatentur, & communiter Canonistæ *de consecr. dist. 4.* & pro hoc stat littera Concilii Trident. *Can. 4. d. sess. 7. de baptis.* ubi diffinitur esse verum baptisma quod etiam ab hæreticis datur, In nomine Patris, &c. cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

12 Quod autem non oporteat addere, Catholica, vel Romana, patet; tum quia hæretici Donatistæ (contra quos Augustinus) solum in parte Donati dicebant esse Ecclesiam; & tamen illos Augustinus negavit esse rebaptizandos, damnatis in hoc Concilium Carthaginense sub Cypriano Martyre Sanctissimo, ut habetur in c. *Quomodo, de consecr. dist. 4.* Tum quia Græci in Schismate ab Ecclesia Romana deficientes ad illam non respiciebant dum baptizabant, nec propterea in unione facta in Concilio Florentino sub Eugenio IV. sunt rebaptizati. Et Ecclesia Augustinum secuta sanxit hæreticos non esse rebaptizandos, c. *Ostenditur*, c. *Hi de quibus*, c. *Nullus autem*, cap. *Sive hæreticus, de consecr. dist. 4.* Quod vero sufficiat intendere quod facit Præsbyter, vel Episcopus, vel quod Christiani faciunt patet in exemplo pueri Athanasii supracitato, & in auctoritatibus supra in 2. propositione adductis, atque in sequenti adducendis.

13 Quarta propositio est, Habens talem intentionem generalem, atque implicitam, etiamsi opinetur per baptismum nihil conferri, & vanum, ac superstitiosum quid illud esse; imo etiamsi arbitretur illud esse truffam (ut Canonistæ) ajunt vere baptizat, ac propterea baptizati ab eo, rebaptizari non debent, quod probatur ratione, & auctoritate.

14 Ratio: In baptizante non requiritur de necessitate fides, cum etiam à Pagano, ac Judæo verum
15 baptisma conferatur, c. *Dedit*, c. *Ostendatur*, c. *Si quis per ignorantiam, 1. quæst. 4.* c. *Romanus*, & cap. *So-*

lus

16 let de consecr. dist. 4. glo. 1. in c. penult. de tempor. ordin. & glo. 1 in cap. 1. de Cler. non ordin. & tradunt DD. hic, eò quod baptismus non habet efficaciam à Ministro, sed à principali agente, qui est Christus, qui principaliter in Sacramentis operatur, D. Thom. in 4. dist. 6. quæst. 1. art 3 q. 2. qui generat sibi filios per fideles, & infideles, per Catholicos, & hæreticos, sicuti Jacob per ancillas, & liberas: nam Christus est qui baptizat, quod & ab Augustino non rarò inculcatur, ut patet in d. c. Dedit. c. Etiam, & c. Dominus, 1. q. 1. in c. Baptismus, c. Solet, c. Aliud, & c. Cum tantùm: de consecr. dist. 4. Et quamvis baptismus dicatur esse Sacramentum fidei in c. fin. de Presb. non bapt. in c. Nihil, de consecrat. d. 4. & in decreto Concilii Tridentini de justificatione c. 7. sess. 6. Et constet non tam ablutione corporis, quam fide cordis, ut legitur in c. Verus, de consecr. dist. 4. Hoc tamen non ideo dicitur, quod fides in ministro sit necessaria, sed quia, ut ait glo. in d. c. Nihil, in verb. Sacramentum in fide Christi consecratur, & in fide Ecclesiæ confertur, vel quia in nomine Trinitatis confertur, quia offerentes, & oblati tenentur credere, & confiteri; vel quia signum est quod suscipiens, fidem habeat etiamsi non habeat, aliquo impediente. Hæc glossa. Item dicitur constare fide cordis, quia sine fide impius per baptismum non justificatur, c. Quamvis, de consecr. dist. 4. c. Majores, infra eod. Ideòque S. Synodus dum dixit baptismum esse Sacramentum fidei, protinus addidit illa verba: sine qua nulli unquam contigit justificatio.

Auctoritates post Augustinum innumeræ sunt. Et ex Canonistis nostris hoc tenuit hic originaliter Innoc. n. 8. licet eum pro suo errore falsò citet impius Kemnitius in 2. p. examinis Conc. Trid. ut refert Card. Bellarm. tom. 1. de Sacram. cap. 28. §. Addit Kemnitius, & §. Ad authoritatem. Verba Innocentii hæc sunt. (Ad hoc ut aliquis baptizatus sit, necessarium est, quod baptizans intendat baptizare, non tantum balneare, vel carnes lavare; nec tamen
17 videtur necesse quoad effectum baptismi quod sciat quid sit baptismus, scilicet quod ibi infundatur gratia, vel quot sit Sacramentum, nec etiam oportet quod credat hoc ipsum; imo etsi contrarium credat, & totum reputat truffam & deceptionem, tamen baptismus suum habet effectum. Item non est necesse quod baptizans sciat quid sit ecclesia, neque quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia. imò si contrarium gereret in mente scilicet non facere quod facit Ecclesia; sed tamen facit quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare intendat. Unde si quis in casu necessitatis constitutus, vel etiam sine necessitate vadat ad Saracenum, & dicat baptiza me, & doceat eum formam, & ille Saracenus baptizet, non credens per immersionem aliquid fieri, nisi madefactionem, & non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere secundum intentionem petentis baptismum, idest ut baptismus operetur quidquid operari potest, & ipse baptizans tanquam minister conferat, quod alii baptizantes conferunt, licet non credat ipsum posse aliquid operari, verè baptizatus est; sed si hoc non intenderet, non baptizaret; nec est necesse quod aliquando sciat, quid in his Ecclesia intelligat, vel etiam quod sciat, vel credat Ecclesiam esse.) Hactenus Innocentius, cujus verba ferè ad litteram transcripserunt, & secuti sunt hic Host. num. 15. Joan. Andr. vers. Hoc autem notandum, col 3. Ant. de Butr. vers. Quæro an ultra formam verborum, & Sylvest. in ver. Baptismus 3. §. 1. n. 2. Idemque probavit Archid. in cap. Solet, de cons. dist. 4. (Baptisma, inquit, quod jocosè, vel etiam mimicè traditur, verè baptisma est si adsit intentio dandi, si autem non adsit, non est baptisma secundum Hugonem,) quod dic ut plenè notat Innocentius extra de baptism. cap. 1. & sequuntur ibi Præpositus, & alii communiter, Anchar. hic. n. 2. dicens: (Non est ergo curandum in conferente baptismum, quod malè de eo sentiat, & truffam, & deceptionem arbitretur, dummodo in forma consueta conferat, & intendat dare, quod dant alii baptizantes.) Et idem Innocentius in c. fin. num. 4. infr. eodem, ubi ait: (Potest dici quod etsi baptizans, & baptizatus non crederent in baptismo aliquid conferri nisi sanitatem, dummodo baptizare intenderet, bene esset baptizatus: Sed quid si non intenderet aliud per lavationem conferri nisi sanitatem? & tunc idem dicerem, quia baptizare intendunt, licet malam credulitatem, & intentionem habeant de viribus baptismi; sed si non intenderent conferre baptismum, sed quamdam medicinam facere contra infirmitatem, sed verba formæ exprimerent, tamen non crederem eum baptizatum.) Hæc ille, quem similiter totidem verbis referunt ibi Host. num. 7. & Joann. Andr. col. 1. vers. Quod si baptizans, & baptizatus, Butr. num. 4. eodem vers. Abb. num. 5. (Si baptizans, inquit, & baptizatus intendunt baptizare, & baptizari, sed credunt quod baptismus solum prosit ad sanitatem corporis, & non animæ, numquid conferatur verus baptismus? DD. quod sic. Satis enim est, quod servetur forma tradita ab ecclesia, & quod isti baptizare, & baptizari intendant.) Idem dicunt DD. supra cap. 1. Etiamsi credant quod baptismus sit una truffa, dummodo intendant, ut dixi baptismum conferre, eo quod Spiritus Sanctus ad formam verborum invisibiliter operatur. Et ex recent. Navarr. in Manual. c. 22. de Sacram. Bapt. num. 7. ubi pro hac sententia adducit text. in cap. Quicumque, cap. A quodam, cap. Constat, & cap. Mulier, de consecr. dist. 4.

Ex Theologis verò idem docuit D. Thom. in 4. dist. 6. q. 1. art. 2. quæst. 2. ad 1. (Intentio recta ad baptismum requisita, est, ut intendat facere, quod facit Ecclesia, non tamen de necessitate requiritur ut faciat propter id quod facit ecclesia.) Item art 3. q. 2. ad 1. (Quamvis ille qui non credit baptismum esse Sacramentum, aut habere aliquam spiritualem virtutem, non intendat dum baptizat conferre Sacramentum; tamen intendit facere quandoque quod facit Ecclesia, & si illud reputet nihil esse; Et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti, & implicitè intendit aliquid facere, quamvis non explicitè.) Hæc S. Thomas. Item Alex. de Alesin 4. par. q. 16. memb. 4. Ricchard in 4. dist. 6. art. 1. q. 2. ad 2. (Sufficit intentio faciendi quod facit Ecclesia in universali, etiamsi nihil credat, imo etiamsi credat oppositum.) Item Gab. Biel. in 4. d. 6. qu. 1. (etiamsi credat quod nihil efficiat, sufficit si intendat in universali.) Item Hugo de S. Victore lib. 2. par. 6. cap. 13. (etiamsi ludicrè fiat, dummodo facere intendat, ut patet in Athanasio.) Item Robert. Aolscot. in 4. d. 1. art. 8. ad octavum principale; (distractus vel ludens si intendit quod Ecclesia, sufficit.) Item Jo. Bac. in 4. dist. 6. q. 1. art. 2. in fin. Item Durandus, & reliqui.

Quoad

18 Quoad secundum, scilicet, quam intentionem habeant Calvinistæ, dicendum est Calvinistas nullamquidem vim, atque efficaciam Baptismo tribuere, sed tamen debitam servare materiam, ac formam atque sufficientem habere ad baptizandum intentionem.

Prima pars, idest nullam vim illos baptismo tribuere patet in dubio. Secunda pars, scilicet de materia, ac forma patet, eo quod aqua naturali, & In nomine, &c. se debere baptizare putant.

Tertia autem pars, scilicet de intentione, patet etiam, quia etiam Calvinistæ intendunt saltem facere quod Christus faciendum instituit, seu quod faciunt illi qui verum habent Christi cultum; putant enim se tales esse, licet fallantur, vel certe intendunt facere, quod facit eorum Ecclesia quocumque nomine appelletur, quia putant eorum Ecclesiam verè esse membrum Ecclesiæ universalis. Hujusmodi autem intentiones sufficere, patet ex dictis in tertia propositione, quia in illis continentur implicitè, & in universali intentio Sacramenti, quod Christus instituit, & quod faciunt veri Christi cultores, seu vera Ecclesia, licet Calvinistæ decipiantur in horum cognitione particulari. Quamobrem baptismum collatum à Calvinistis esse validum, nec iterandum tradunt in specie Cardin. Bellarm. tom. 1. de Sacram. c. 27. §. Sed hoc mirum mendacium, & Vasq. disput. 138. cap. 3. in fin. Quod ipsum de Ecclesia Genevensi probat idem Bellarm. loc. cit. §. Petes. Hanc autem Calvinistarum esse, & Calvinum pro instauratore illius habitum, affirmant Jo. Verus, & Claudius Sanctesius, ut refert Prateolus in ver. Calvinistæ.

Ad argumentum respondetur negando assumptum, scilicet, quod nullam habeant intentionem: nam quoad actum, habent: quod patet, quia baptizant; quoad effectum habent eam, quæ sufficit, ut patet ex tertia, & quarta propositione, necnon ex secundo articulo quæstionis. Et cum instant, quia nec virtualem, &c. dicimus eos habere universas implicitè, ac virtualiter, &c.

Itaque ad dubium videtur posse responderi baptismum Calvinistarum esse verum baptismum, & ideo baptizatos ab eis non esse iterum baptizandos, etiam sub conditione, si baptizati non sint.

Tantum ceremoniæ supplendæ sunt in baptizatis à Calvinistis, & in adultis prævia abjuratione, & reconciliatione, cap. Quamvis, & ibi gloss. 1. cap. Hi, de quibus, ubi glos. fin. c. Si qui, il secondo, cap. Si vero, de consecr. dist. 4. & cap. Quidam, de Apost.

Quæ tamen omnia subjicimus censuræ Sedis Apostolicæ, à cujus determinatione ne latum quidem unguem discedere intendimus.

De Baptismo.

Cap. Majores.

SUMMARIUM.

1 *Baptismus utiliter confertur parvulis, licet per actum non credant, nec intelligant; & remittitur eis peccatum originale, & n. 40.*

2 *Causæ majores, & præsertim fidei spectant ad Papam privativè quoad omnes.*

3 *Abbas Panormitanus authoritatis Concilii contra Papam acerrimus propugnator.*

4 *Papa non potest decidere contra statutum Ecclesiæ sine Concilio.*
Contrarium, num. 7.

5 *Papa potest errare in fide, sed tota Ecclesia errare non potest.*
Contrarium, num. 12.
Declaratur num. n. 13. & 17. & n. seqq. usque ad num. 24.

6 *Fidem Christianam committere arbitrio unius hominis, periculosum.*
Declaratur n. 11.

7 *Fidei diffinitiones Papa etiam cum Concilio revocare non potest, sed tantum explicare.*

8 *Concilii statuta concernentia jus positivum possunt per Papam tolli, & abrogari, etiam sine Concilio.*

9 *Cap. Anastasius 19. dist. est apocryphum, & falsò tribuitur Anastasio.*

10 *Concilii, & Papæ potestas est major quàm solius Papæ extensivè, non autem intensivè, & n. 37.*

13 *Papa ut homo privatus errare potest in fide, quod tamen hactenus per Dei gratiam non legitur contigisse.*

14 *Papæ non dedit Deus impeccabilitatem in agendo; dedit tamen infallibilitatem in definiendo.*

15 *Symboli nova editio pertinet ad solam authoritatem Summi Pontificis.*

16 *Fides una debet esse totius Ecclesiæ.*

17 *Ecclesiæ judicium in quæstionibus fidei est infallibile, si Ecclesia consideretur, prout est unum corpus, cujus caput est Papa, & n. 21.*

18 *Secus si consideretur seorsim à capite & n. seqq.*

19 *Ecclesia corpus non est sine capite, & omnis à capite defluit in membra potestas.*

20 *Ecclesiæ unum caput esse existimantur Christus, & Papa.*

22 *Ecclesia prout est collatio omnium fidelium, non est possibile ut in unum conveniat ad determinandum quæstiones fidei, & n. seqq.*

23 *Concilium non est Ecclesia Universalis, nisi repræsentativè.*

24 *Concilii judicium in quæstionibus fidei an, & quibus casibus sit infallibile, & nu. seqq. usque ad num. 37.*
Quid si Concilium sit congregatum sine authoritate Papæ n. 25.
Et quid si authoritate Papæ sit congregatum, & Papa ibi sit præsens, n. 26. & 36.
Et quid si Papa sit absens, num. 27. & 36.

25 *Concilium sine authoritate Papæ congregatum est acephalum, schismatica conventicula, & synagoga Satanæ.*

26 *Concilii diffinitiones, cui Papa præsidet, sunt infallibiles, & n. 36.*
Alias secus, nisi post confirmationem Apostolicam, num. 28. & 36.
Vel nisi Papa committat Concilio, ut talem articulum sic diffiniat, n. 36.

27 *Concilium legitime congregatum habet potestatem statuendi pleno jure, sed ejus determinationes non sunt infallibiles, nisi in tribus casibus, & num. 36.*

28 *Concilium etiam legitimè congregatum errare potest, prout aliquando erravit.*

30 *Concilii Ephesini secundi definitiones Leo Papa tamquam hæreticas damnavit.*

31 Con-

31 Conciliorum decreta Romani Pontifices olim confirmabant congregata Synodo Prælatorum sub Patriarchato Romano, & prævia diligenti examinatione, & n.36.
32 Concilii definitiones post impartitam illi authoritatem à Papa censentur Papales; non tamen infallibiles, nisi in casibus, ut n. 36.
33 Infallibilitas in determinationibus fidei est donum Dei Petro, & successoribus datum, quod non est alteri communicabile, & n. seqq.
34 Gratiæ gratis datæ, quæ hic enumerantur, non possunt alteri communicari, nisi à Deo.
Donum fidei est supereminens fidei certitudo ad instruendum alios, ibidem.
35 Imperium merum, & ex his in quibus eligitur industria personæ, subdelegari non possunt.
37 Circumcisio, & Baptismus, qui circumcisioni successit, in quibus convenient, & in quibus differant, & n. seqq. usque ad n.53.
38 Conveniunt primò quia sicut olim per circumcisionem, ita hodie per baptismum remittitur originale peccatum.
39 Et ideo circumcisio non reiterabatur, sicut nec hodie baptismus.
40 Secundo quia sicut circumcisio tam adultis, quàm parvulis ex præcepto Domini conferebatur, ita hodie baptismus.
41 Tertio quia sicut olim sine circumcisione nullus salvari poterat, ita nec hodie sine baptismo.
42 Differunt primò quia baptismus tam masculis, quam fœminis est conferendus; sed circumcisio ad fœminas non pertinebat.
Secundò quia multò plus confert baptismus Christianis, quàm olim circumcisio Iudæis, n. 47.
Tertiò quia baptismus est significantior, decentior, & facilior circumcisione, n.50.
Quartò quia circumcisio non imprimebat Characterem, sicut nunc imprimit baptismus, n.51.
Quintò quia circumcisio conferebat gratiam justificantem ex opere operante; nunc vero baptismus illam confert ex opere operato, n.52.
43 Masculinum concipis fœminum in lege non tantum humana, sed etiam divina.
44 Fœmina in veteri testamento non circumcidebantur, sed 14. die in templum offerebantur, ubique nomen eis imponebatur, & n. seq.
45 Circumcisio institua fuit ut signum fidei Abrahæ, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissi.
46 Baptismus continet virtutem Christi qui est universalis causa salutis omnium, & remissionis omnium peccatorum.
47 Iudæi quamvis per circumcisionem damnationis periculum evitarent, tamen non intrabant in Regnum Cælorum, quod fuit omnibus observatum usque ad mortem Christi.
48 Baptismus si tempore circumcisionis fuisset, januam Regni Cælestis non aperuisset.
49 Circumcisio si hodie locum haberit, Paradisi januas aperiret, sicut baptismus.
53 In Baptismo parvulorum infunduntur virtutes Cardinales, & morales quoad habitum, licet non quoad usum.
54 Peccatum originale sine consensu contrahitur & ideo sine consensu admittitur, scilicet parvulis.
55 Actuale verò consensu contrahitur, & ideo sine consensu minimè relaxatur.
56 Peccatum originale est peccatum naturæ, actuale verò est peccatum personæ.
57 Peccatum originale non est fomes, seu pronitas ad ad peccandum, quæ remanet etiam post baptismum.
58 Peccatum originale quid sit.
59 Languor naturæ dicitur.
60 Amentibus, & dormientibus, qui non consentiunt baptismo, actuale peccatum non dimittitur, nec etiam originale.
61 Peccata Deus non dimittit ex parte, sed ex toto, & num. seqq.
62 Excommunicationibus pluribus ligatus potest absolvi ab una, nec cessetur à reliquis absolutus.
63 Peccati originalis pœna est carentia visionis Dei, Actualis verò gehennæ perpetuæ cruciatus.
64 Amentes, vel dormientes recipiunt characterem baptismi, si prius propositum habuerunt baptismum suscipiendi, aliàs secus.
Et baptizari debent in furore etiamsi contradicant, aut injuriam inferant Sacramento, ibid.
65 Fallit in amentibus, qui ante usum rationis in amentiam inciderunt, qui baptizantur sicut parvuli ex intentione ecclesiæ.
66 Nisi habeant dilucida intervalla.
67 Amentes sunt baptizandi si periculum timeatur, alioquin melius est expectare, ut sint sanamentis.
68 In Baptismo adultorum requiritur intentio ex parte baptizati ex necessitate Sacramenti, adeant baptizatus sine intentione sit denuo baptizandus & n. seqq. usq. ad n. 80.
69 Sed si non constet an habuerit intentionem, est rebaptizandus sub conditione, si non est baptizatus.
70 In Baptismo adultorum non requiritur intentio actualis, sed sufficit virtualis, & n. seq.
71 Voluntas semel posita præsumitur semper durare, nisi probetur mutata.
72 Amentes, vel dormientes qui nunquam consenserunt baptismo vel aliquando consenserùt, sed postea contradixerunt, characterem non recipiunt.
73 Ficti, qui non ore, sed corde dissentiunt, baptismi suscipiunt Sacramentum.
74 Et dicuntur ficti, qui apparenter ostendunt se rectam fidem habere, & Sacramentum venerari, & velle se Christo conformari, & corde dissentiunt, & n. seq.
75 Ficti quot modis dicantur.
76 Ficti accedentes ad baptismum suscipiunt Sacramentum, sed non effectum Sacramenti.
77 Et recedente fictione per cordis contritionem baptismus incipit prodesse in remissionem peccatorum.
78 Intento baptizatiper se nõ requiritur ex necessitate Sacramenti, sed tantùm per accidens, videlicet

licet quando prius contradixit, secundum pia nionem Cajetani.
Sed contra, num.79.
Characterem tunc Sacramentalis imprimis operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem, & n.76.
79 Procedit in iis, qui aliquando consenserunt, nec pollea contradicendo obicem posuerunt.
80 Coactio absoluta consensum prorsus evacuat.
81 Baptizatus, vel ordinatus per coactionem absolutam, nec rem, nec characterem recipit Sacramenti, & num. 91.
82 Contradicere plus est, quam minimè consentire. Idolis thurificare per vim absolutam coactus notam alicujus reatus non incurrit. ibidem.
83 Baptizatus, vel ordinatus per vim conditionalem recipit Sacramentum, sed non rem Sacramenti, & num. seqq. & 115.
84 Coactus per metum dicitur conditionaliter volens, licet absolutè non velit.
85 Voluntas coacta voluntas est, non tamen absoluta, seu libera.
86 Voluntas coacta non sufficit in actibus, in quibus requiritur omnimoda libertas, ut in matrimonio
87 In electione.
88 In dotis Constitutione.
89 Et in professione.
90 Ordinatus coactè ad ordinem Subdiaconatus an teneatur ad continentiam, & n. seqq. usq. in fin.
Quid si coactio sit absoluta, 91.
Et quid si coactio sit conditionalis, seu per metum num. 92.
Quid si metus sit levis, ibidem.
Et quid si metus sit cadens in constantem virum num. 94.
Et quid si ordinatus prius habebat uxorem, nu. 95 & num. 103.
Et quid si uxorem non habebat, n. 98.
91 Ordinatus ad Subdiaconatum per coactionem absolutam non tenetur continere, quia nec recepit Characterem.
92 Metus levis, seu vanus non attenditur etiam in actibus, in quibus requiritur omnimoda libertas
93 Et dicitur metus vanus, quem constans vir timere non debet.
95 Ordinari non potest conjugatus ad sacros ordines in præjudicium uxoris.
96 Etiamsi matrimonium non sit consummatum,
97 Et uxor continentiam promittat.
98 Baptizatus per vim conditionalem compellitur ad observantiam fidei, & illius sequelæ, & n. 109
100 Ordinato per metum non succurritur actione quod metus causa, quia contra impressionem Characteris restitutio dari non potest.
101 Continentia est res voti, non præcepti, nec debet esse nisi voluntaria, & n. 105.
102 Ordinatus ad sacros per vim conditionalem, nisi contineat, privilegiis clericalibus nõ gaudet.
103 Ordinatus ad Subdiaconatum per vim, & metum, non tenetur continere, licet uxorem non habeat, secundum opinionem, quam ultimo firmavit Rota, & n. seqq. usque ad nu. 113. & servat Cancellaria, & Pœnitentiaria, n.108.
104 Metus cadens in constantem virum est justa causa dispensandi cum Subdiacono ad matrimonium contrahendum.
105 Actus omnis requirens voluntatem spontaneam, seu liberam, si fiat per voluntatem coactam, non valet.
Continentia requirit libertatem à coactione ib.
106 Puer ordinatus ad sacros nõ tenetur continere.
107 Metus sicut annullat votum continentiæ expressum, ita & tacitum, seu annexum ordini.
109 Baptismo est naturaliter, & essentialiter annexa obligatio profitendi fidem.
110 Ordini sacro non est annexa obligatio continẽdi essentialiter, seu naturaliter, sed tantum accidentaliter ex statuto ecclesiæ.
111 Subdiaconis olim licebat matrimonium cõtrahere
112 Ordinatus ad Subdiaconatũ per vim cõditionalem, tenetur vivere secundum essentiam Subdiaconatus, sed non secundum illius accidentia.
113 Toletani Concilii decretum de iis, qui post assumpta Ecclesiasticarum dignitatum officia ad conjugia redeunt, expenditur, & n. seqq.
114 Metus, & violentia purgantur per liberum consensum supervenientem.
116 Ordinatus ad sacros per metum provenientem ab intrinseco, & causis naturalibus tenetur cõtinentiam servare.
117 Invitus, & penitus contradicens nec Sacramentum recipit, nec rem Sacramenti.
118 Opinio probabilis à Concilio approbata desinit esse opinio, & efficitur lex necessariò tenenda.

1 MAJORES. Sacramentum Baptismi utiliter confertur parvulis, licet per actum non credant, nec intelligant; & remittitur eis peccatum originale, adultis verò amentibus, & dormientibus, etsi baptizentur, non dimittitur actuale, nec etiam originale; imo nec character imprimitur, nisi prius habuissent propositum baptizandi, id est baptismum suscipiendi. Hoc dicit integra hæc Decretalis, secundum Jo. Andr. cum quo cæteri concordant. Dividitur ut per eum, & est dogmatica, decidens magnas fidei quæstiones.

2 Nota primò ex principio textus. *In majoribus Ecclesiæ causis, & præsertim in concernentibus articulos fidei*, Papam esse judicem privativè quoad omnes: concordat c. *Multis*, & cap. *Hinc soli sedi*, 17. dist. cap. *Præceptis*, 12. distinct. cap. *Quoties* 24. q. 1. cap. *Vt debitus in extremis verbis*, de appellat. cap. *Per venerabilem. Qui filii sint legitimi*, & cap. *Quamvis de election. lib. 6.* cum simil. & docet S. Thomas infra citandus n. 15. & de his in primis intelligitur Tridentina Synodus in cap. 20. sess. 24. in illis verbis. (Ab his excipiantur causæ, quæ juxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ,) ut plures celebres Jurisconsulti, & Sacri Palatii Apostolici Auditores olim respondent ex auctoritate Sanctissimi à Sac. Congregatione consulti, ut dixi in cap. *Licet*, à num. 30. *maximè n. 37. supr. de for. compet.* An autem hujusmodi causæ sint ad Sedem Apostolicam referendæ ex divina institutione, an verò ex vi reservationum Apostolicarum, & quæ sint majores causæ; Anne Episcopi exceptis dissimilionibus fidei, & cessantibus reservationibus Apostolicis, tantam

habeant

habeant potestatem *in* suis Dœcesibus quantem habet Summus Pontifex in Ecclesia universali, scripsi plenè in c. *Perniciosam. à num. 28. usque ad n. 72. maximè n. 56. supra de offic. ordin.*

3 Illud tantum hoc loco admonendi sumus, nempe cavendum esse ab affirmationibus Abbatis *hic in 1. & 2. notab.* Is enim cum in depressionem Romani Pontificis una cum Ludovico Romano pro viribus conatus fuisset extollere authoritatem Concilii in schismate Basileensi, in quo etiam Pseudocardinalis à Felice Antipapa creatus fuerat, ut dixi in c. *Significasti, n. 49. & 56. supra de electione.* ubi-

4 que hoc recitabat, quod biberat: Quare hic sumpta occasione ex materia Decretalis, affirit, Papam non posse decidere contra aliquod statutum Ecclesiæ sine Concilio; & ita intelligit textum in cap. *Anastasius 19. distinct.* & ibi glos. *in verb. Concilio*, quæ videtur velle, ut Papa in causa fidei teneatur Concilium requirere, & in tali causa Concilium sit supra Papam, & subnectit Abbas rationem,

5 quia ubi in causa fidei constat de judicio totius Ecclesiæ, Papa non potest aliquid decernere contra statutum Ecclesiæ, quia posset Papa esse hæreticus, & sic errare in fide, c. *Si Papa 40. distinct.* sed tota Ecclesia errare non potest, ut c. *A Recta*, & ibi glos. 1. 24. *q. 1.* Cui addi potest Archid. diac. in d.

6 cap. *Anastasius, n. 2. in fin.* Dicens: Nimis periculosum erat fidem nostram committere arbitrio unius hominis, & cum sequitur Mar. Mantua *in tract. de Concilio n. 162.* inter tract. commun. *tom.*

7 *2. fol. 86.* Verum hæc assertio est erronea, primò in eo, in quo dicit Papam non posse decidere sine Concilio contra statutum Ecclesiæ: nam aut statuta hujusmodi sunt diffinitiones fidei: & tunc Papa etiam cum Concilio non potest illas revocare, quia aliàs convinceretur errasse, quod est impossibile, ut est textus formalis in c. *Sunt quidam, 25. q. 1. & in c. Sicut in fin.* & ibi glos. *ult 15. dist.*

8 sed potest tantum explicare, ut per D. Thom. *in 2. 2. q. 1. art. 10. ad secundam*, & August. *Triumph. in summa de potest. Eccles. quæst. 10. art. 3.* Aut sunt statuta juris positivi, & ad mores pertinentia: & tunc potest illa tollere, & abrogare etiam sine Concilio, cap. *Cuncta per mundum, il primo, 9. q. 3.* ibi, (Apostolica Sedes sine ulla synodo præcedente, & solvendi quos synodus inique damnaverat, & damnandi nulla existente synodo, quos oportuit, habuit facultatem.) Concilia enim non possunt statuendo prælegere legem Papæ, sed Papa è converso bene constituendo Concilium, cum illius statuta immutet, & corrigat, cap. *Significasti*, ubi hoc fatetur ipsemet Abbas, *n. 3.* post Joan. Andr.

9 *n. 10. de electione. c. Statutum. de rescript. lib 6.* & notat. glos. in cap. *Vbi periculum in verb. Concilio, de electione. eod lib.* quam pluribus confirmat Cardinal. Turrecremat. *in Summa de ecclesia lib. 3. c. 24. & cap. 44.* propterea standum est sententiæ Papæ, si contradicat Ecclesiæ, vel Concilio, etiam in materia dogmatum, ut docet S. Thom. *in 2. 2. q. 5. art.*

10 10. & scripsi plenius in prædicta Decretali *Significasti num. 11.* post Io. Andr. ibi *in verb. Robur. num. 9.* & alios complures. Non obstat textus in d. c. *Anastasius 19. distinct.* quia est apocryphus, & falsò tribuitur Anastasio, ut convincitur ex notis, quæ habentur immediatè post d. cap. *In verb. Anastasius.* Nec similiter obstat glos. ibi posita in ver. Concilio, quia non dicit in causis fidei Concilium esse

11 supra Papam, sed dicit: Synodus simul cum Papa est major, quàm Papa solus, & illud verbum, *major*, debet intelligi extensivè non autem intensivè, ut ibi notat glos. marginalis ex Cajetan. *Apologet. 2. c. 13. ad 6.* & Turrecremata *in Summa de ecclesia lib. 3. cap. 64.* dum verò glos. dicit ubi de fide agitur, Papam teneri requirere Concilium in hoc est manifestè erronea, ut ex dictis constat, & proba-

12 vi latissimè in d. c. *Significasti, à n. 11. de electione.* Nec contradicit Archidiac. loco citato, quia in dicto illo non figit pedes, imò arguit contra, tum per c. *Hæc est fides, 24. q. 1.* Tum quia Synodus causam fidei Papæ committit, ut c. *Nunc autem, 11. distinct.* & cessat ratio periculi ob assistentiam Spiritus Sancti in diffinitionibus fidei, ut in d. c. *Hæc est*

12 *fides*, & in c. *Arcta 24 q. 1.*

Deinde assertio Abbatis est erronea in eo, in quo dicit Papam posse errare in fide; & ideo in causis fidei non posse statuere contra sententiam

13 Concilii, sed ecclesiam errare non posse. Quoniam etsi in fide Papa errare possit ut homo privatus (quod tamen per Dei gratiam nec in Beato Marcellino, nec in alio quoquam Romano Pontifice hactenus legitur contigisse, ut scripsi in d. *Significasti, n. 68. & seqq. de electione*) tamen quia non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, ut dicit

14 text. in c. *Quanto, de translation. Episcop.* Idcirco errare non potest quando diffinit ex Cathedra tanquam Magister, & caput ecclesiæ, quia licet Deus ei non deficere impeccabilitatem in agendo, c. *Non nos*, & ibi glos *penult. 4. distinct.* dedit tamen infallibilitatem in diffiniendo, ut hic, & in d. cap. *hæc*

15 *est fides, 24. q. 2.* & egregiè docet D. Thom. *in 2. 2. q. 1. art. 10. in corp.* dicens. (Ad illius authoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus authoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis;

16 ad quem majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in decreto *dist. 17. c. Multa*, unde & Dominus *Luce 22.* Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit; *Ego prote rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ secundùm illud 1. ad Corinth. 1 *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*, quod servari non posset, nisi quælibet fidei de fide exorta determinetur per

17 eum, qui toti Ecclesiæ præst, & sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur; & ideo ad solam authoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam.) Hæc S. Thom. quod pluribus Sanctorum Patrum testimoniis confirmat Augustin. *Triumphus de potest. Ecclesiæ, q. 10.*

17 *art. 1. & 3 & q. 11. per totam*, è contra verò Ecclesia si consideretur prout est unum corpus, cujus caput est Papa, ut in c. *Quo tangitur, 24. q. 1.* tunc proculdubio in quæstionibus fidei judicium Ecclesiæ est infallibile, quia Papa est qui diffinit unà cum Ecclesia, ut dixi in c. 1. *à n. 38. usque ad n. 65. supra de pallijs*, & tunc potestas Papæ cum Ecclesia major est extensivè, quam solius Papæ, ut retigi supra

18 *n. 10.* & hoc sensu verum est, quod Abb. dicit hic *in 2. notab.* Ecclesiam totam errare non posse; quia Christus oravit pro Petro, id est pro tota Ecclesia in persona Petri, sed pro Petro principaliter tanquam pro capite, & probatur in d. c. *Pudenda 24*

19 *q. 1.* sin autem accipiatur Ecclesia seorsim à Papa, utique tunc diffinendi nullam habet potestatem, quia est corpus Acephalum, cap. *Submittitur, 21. distinct.*

19 distinct. Imo non est corpus Ecclesiæ sine capite, & omnis ex capite desinit in membra potestas, ut dixerit is verbis ait Pius II. in Constitutione, quæ incipit. *In omnibus agentes, edita 6. Kalen. Maii 1463. in Bullar. tom. 1. pag 322.* Ad hoc cap. *Non deest, 12. dist.* cap. *Quamvis, 21. dist.* cap. *Omnes, 22.*

20 *distinct.* & cap. *Fundamenta, de elect. lib. 6.* Nec refragatur quod Ecclesiæ caput sit Christus, secundum Apost. *ad Coloss. 1.* & ad *Ephes. 1.* Quia non propterea Ecclesia dicitur corpus monstruosum, quasi habens duo capita: quandoquidem Christus, & Papa unum caput esse existimantur, ut Extravag. *Vnam Sanctam, de major. & obedien.* & multis comprobat Card. Alban. *de potest. Papæ*

21 *& Concilii, in 2. part. num. 152.* Rursus nil refert quod Christus dixerit Apostolis, & Ecclesiæ: *Accipite Spiritum Sanctum, &c. Joann. 20.* & *Matth. ultim.* cap. *Ita Dominus. 19. distinct. §. 1. 24 quæst. 1.* cap. *Innovi, 21. distinct.* Quoniam ibi erat etiam Petrus ut Papa, & caput Ecclesiæ: & ita etiam Intelligi debet, quod ait glos. 1. in cap. *A Recta, 24. quæst. 2.* Item glos. in cap. *Ita Dominus, in verb. Nec porta, 19. distinct.* & DD. alibi, videlicet Ecclesiam non posse errare, quia à Spiritu Sancto gubernatur, qui est Spiritus veritatis, sicut promisit Dominus Joan. 16. *Cum venerit spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, & Actor. 15 Inquiunt Apostoli; *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Hæ namque, & consimiles authoritates intelliguntur de Ecclesia cum suo Capite, & de Apostolis, cum

31 Petro Apostolorum Principe, lege Turrecrem. in cap. *Sancta Romana, num. 1. 15. distinct.* Ideoque cum B. Augustinus contra Epistolam Manichæi *tom. 6. cap. 5.* dixerit. (Ego autem non crederem Evangelio, si non crederem Ecclesiæ.) ex eo loco infert. Augustin. *Triumph. de potestate Eccles. quæst. 10. artic. 1. vers. In contrarium.* Ex (mandato ergo Papæ, qui est caput Ecclesiæ, illa, quæ sunt fidei,

22 roborantur, & terminantur. Adde quod si potestas diffiniendi in concernentibus fidem data fuisset Ecclesiæ, prout est cœtus, & collectio omnium fidelium, profectò cum non sit possibile ut tota Christianitas, nisi in suo capite, in unum conveniat ad diffiniendum quæstiones fidei, hujusmodi potestas fuisset vana, & frustratoria, tamquam non reducibilis ad actum, ut patet in 2. *Physicor. cap. 2. text. 62.* Quod impium esset sentire. Concilium verò non est ecclesia universalis, nisi repræsentativè, sed ecclesia universalis est collectio omnium

23 fidelium, ut Abb. inquit in cap. *Significasti, num. 3. vers. Quia dico, quod licet Concilium Generale, de electione.*

24 Quod si nihilominus urgeas infallibilitatem diffiniendi fuisse datam Concilio; ut cap. *Sicut, 15.* 33 *distinct.* adhuc ostenditur hoc esse falsum: nam, aut Concilium est congregatum sine authoritate Papæ, & est acephalum, ut dicit text. in d. cap. *Subtrahitur, 21. distinct.* nec ullam diffiniendi, vel statuendi habet potestatem, quia potius dicitur Conciliabulum, cap. *Multis, 17. distinct.* Schismatica conventicula, & synagoga Satanæ, ut legitur in Bulla indictionis Concilii Lateranen. sub Julio II. *in princ. tom. 4. Concilior. par. 2. pag. 14. col. 1.* & in eodem Concilio sub Leone X. *sess. 1. eod. tom. pag 220. col. 2.* & in Bulla Pii II. supracitata *num. 19.* & latissimè comprobat Cardinal. Alban. *in tract. de potest. Papæ, & Concilii, part. 2. à num. 188. usque*

Papæ auctoritate: & tunc si Papa ibi præsideat, res est extra omne dubium, ut constat ex dictis supra *n. 17.* & in hoc casu intelligendi sunt qui dicunt Generale Concilium in spe existentibus ad fidem, & mores, errare non posse, ut Mar. Mantica *de Conciliis num. 157. in fin.* Aut Papa est absens: & tunc quamvis Concilium, utpote legitimè congregatum potestatem habeat in spiritualibus pleno jure, ut notant Innoc. Hostien. & alii in cap. *Extransmissa, de electione.* Castaldin. de Boncompagn. *de potest. Papæ num. 75.* inter tract. communes *tom. 14.*

28 *fol. 352.* Tamen ejus judicium non est infallibile, nisi post confirmationem Romani Pontificis, ut *infra n. 31. & 36.* quia Christus non pro Apostolorum Concilio, sed pro Petro rogavit, ut non deficeret fides ejus, ut dictum est *supra num. 15. & 16.*

29 Unde Concilium errare potest, prout aliàs erravit, ut cap. *De quibusdam*, & cap. *Placuit* juncto cap. *Tria, 36. q. 2.* & notat Abbas in cap. *Significasti, num. 3. de electione.* Cardin. Turrecrem. in c. *Anastasius, in fin. 19. distinct.* & Cardin. Alban. *de potest. Papæ, & Concilij in 2. part. num. 107.*

30 Ideoque licet universale Concil. Ephesinum II. Extirpandæ hæreseos gratia fuerit legitima authoritate inchoatum; nihilominus Leo Papa minimè probavit ipsius Concilii diffinitiones; imò illas in sequenti Concilio Calcedonensi tamquam hæreticas damnavit, ut refert idem Turrecrem. in *Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 100.* Unde mos fuit Romanorum Pontificum cum confirmaturi essent decreta Conciliorum Universalium, quibus personaliter non interfuerant, congregare Synodum Prælatorum, qui erant sub Patriarchis tu Romano, & ibidem prævia diligenti examinatione illa confirmabant, sicut legitur de Beato Sylvestro, cum decreta Concilii Nicæni approbasset, ut notat Turrecrem. ubi supra.

Nec prædictis adversatur, quod cum omnia Concilia per Romanu Pontificis authoritatem celebrentur, ut legitur in d. cap. *Significasti, circa fin. vers. Cum omnia Concilia de electione.* Illorum diffinitiones post impartitam eis authoritatem censeri debeant Papales, & consequenter inf. Ill. biles, cap. *Si Apostolica, cap. Secum*, & cap *Hæqui, in fin. de præbendis lib 6* cap. *Cum aliquibus, de rescript. eod lib.* quia omnia nostra facimus, quibus authoritatem impartimur, l. 1. §. *Sed neque, C. de veter. jur. emendean.* Et qui per alium facit &c. cap. *Qui per alium, de reg. jur. lib. 6.*

Nam respondetur prædictas regulas procedere in his tantum, quæ ex sui natura possunt alteri delegari, secundum ea quæ leguntur, & notantur in *l. 1. ff. de off. ejus.* & in de reg. *Quiper alium.* At infallibilitas in determinationibus fidei non est 33 hujusmodi, quia fuit divinitus collata ipsi Petro, & ex Petri persona illius successoribus, ut hic in text.

34 & in concordan. supracitatis *num. 14. & seqq* Dona autem Dei, & gratiæ gratis datæ, videlicet sermo Sapientiæ, sermo Scientiæ, Fides (de est supereminens, fidei certitudo ad instruendum alios) gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, & interpretatio sermonum, nō sunt alteri communicabiles, quia sunt immediatè à Deo, secundum Apost. *1. ad Corinth. 12.* & docet S. Thomas *in 1. 2. quæst. 111. art. 4. in corp. ad 2. & ad 4.* Hujusmodi enim habitus nonnisi à Deo confunduntur, sicut dicitur de omnibus virtutibus gratuitis, ut idem docet ibidem *qu 51.*

art. 4. in corp. Et propterea Christus non contulit Petro hanc gratiam certitudinis infallibilis immediatè à se ipso, sed eam precibus impetravit; non enim dixit, non deficiet fides tua, sed dixit. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*: per hoc apertè insinuans donum infallibilitatis non
35 esse ab homine, sed à solo Deo. Conferunt, quæ dicunt Juristæ de mero imperio, quod delegari non potest, ut in d. l. 1. ff. de off. ejus, Angel. Aretin. cons. 137. num. 13. vers. Multò minus: cum seq. & de actibus, in quibus electa est industria personæ, qui per alium impleri nequeunt, l. Inter artifices, ff. de solut. Baldus cons. 165. Proponitur, in fin. lib. 5. Nec alteri possunt subdelegari, Rom. cons. 330. circa 1. num. 4. vers. Tertiò quia, Alex. cons. 218. Visis verbis, num. 8. vers. Nec prædictis obstat, lib. 2.

36 Concluditur ergo salva determinatione Ecclesiæ Concilium universale non habere hanc certitudinem infallibilem, ita ut illius diffinitiones sint habendæ pro articulis fidei, nisi in tribus casibus. Primus est cum Papa est præsens in Concilio, secundum ea, quæ dicta sunt supra num. 26. Secundus est cum Papa committit Concilio, ut talem articulum sic, vel sic definiat. Tertius est cum Papa prævia examinatione Canones Concilii Apostolica auctoritate confirmat, & ab omnibus Christi fidelibus suscipiendos, ac servandos esse decernit, ut moris est, & in specie servavit Pius IV. in confirmatione Conc. Trident. ut in ejus Bulla incipien. *Benedictus Deus*, 7. Kal. Februarii 1563. in §. *Cum autem ipsa sancta Synodus*, & de Conciliis universalibus à Summo Pontifice confirmatis loquitur text. in cap. *Sicut*, in fin. 15. distinct. In his enim tribus casibus infallibilitas non est immediatè à Concilio, sed à Summo Pontifice præsente, vel committente, aut confirmante, ad hoc c. *Si Apostolicæ*, de præben. lib. 6. Et quod scripsi in d. cap. 1. à num. 8. supra de pactis.

37 Secundò nota in §. *Ad id autem*, in quibus conveniant, & in quibus differant Circumcisio & Baptismus, qui Circumcisioni successit.

38 Conveniunt enim primò, quia sicut in veteri testamento per Circumcisionem remittebatur originale peccatum, quia vicem baptismi supplebat, ut hic, & in cap. *Quod autem apud*, & cap. *Ex quo*, de consecr. dist. 4. S. Thom. in 3. part. quæst. 70. artic. 4. in corp. Ita in lege Evangelica originalis culpa dimittitur per baptismum, ut in text. & in Concilio Trident. sess. 5. de peccato originali can. ultim. (Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari:
39 Anathema sit.) Et hæc est ratio cur Circumcisio olim non reiterabatur, sicut nec hodie Baptismus, nempe quia causa ejus, idest originale peccatum iterari non poterat, S. Thom. in 4. sentent. dist. 1. q. 2. art. 4. q. 1. ad 2.

40 Conveniunt secundò, quia sicut olim Circumcisio tam adultis, quàm parvulis ex præcepto Domini conferebatur; sic hodie baptisma tam adultis, quàm parvulis est conferendum, ut hic in littera, concordat Concilium Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali can. 4. & sess. 7. de Baptismo can. 12. 13. & 14.

14 Conveniunt tertiò, quia sicut sine Circumcisione tunc nullus salvari poterat lege Mosaica indistinctè clamante Genes. 17. *Anima, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo*. Ita nunc nemo potest sine Baptismo salvari, cum indistinctè vox intonet Evangelica, Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei.*

42 Differunt autem primò, quia, ut hic dicitur, Baptismus est generalior Circumcisione: si quidem hodie ex necessitate medii tam masculi quàm fœminæ baptizari debent, cum Christus dixerit, *nisi*
43 *quis renatus fuerit*, &c. ab hac generalitate, nec sexum, nec ætatem excludens, ut hic in littera; imò includens, quia dum dixit, *nisi quis renatus fuerit*, &c. per verb. illud, *quis*, tam masculos, quàm fœminas comprehendit, ut hic in gl. in ver. *Ætatem excludens*, & ex hoc, & ex tex. collige masculum concipere fœmininum non tantum in lege humana, ut l. 1. ff. de verb. signif. l. Si ita, ff. de leg. 2. cap. *Si quis suadente*, 17. q. 4. juncto cap. *Mulieres*, de sent. excommun. Sed etiam in lege divina, & ita est hic tex. apertus secundum Abb. num. 3. vers. Item nota hic textum.
44 At vero circumcisio in veteri Testamento ad fœminas non pertinebat, Genes. 34. Sed offerebantur in Templum 14. die tantum, ibique nomen eis imponebatur, ut Levit. 12. glos. hic in verb. Fœminæ, & Hostien. num. 9. circa fin. in verb. Quàm fœminæ. Rationem differentiæ assignat D. Tho-
45 mas in 3. part. q. 70. art. 2. ad 4. videlicet quia Circumcisio instituta fuit, ut signum fidei Abrahæ, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissi; & ideo convenienter solis maribus competebat. Peccatum etiam originale, contra quod specialiter circumcisio ordinabatur, à
46 patre trahitur, non à matre. Sed baptismus continet virtutem Christi, qui est universalis causa salutis omnium, & remissionis omnium peccatorum.

47 Differunt secundò, quia multo plus confert hodie Baptismus Christianus, quàm olim Circumcisio Judæis, ut hic in §. *Cautè tamen*: quia etsi originalis culpa remittebatur Judæis per Circumcisionis mysterium, & damnationibus periculum vitabatur: non tamen perveniebatur ad Regnum cælorum, quod fuit omnibus obseratum usque ad mortem Christi; sed per Sacramentum Baptismi deletur culpa, vitatur periculum, & ad Regnum cælorum pervenitur, ut hic in text. & in cap. *Per*
48 *aquam* de consecrat. distinct. 4. Hæc tamen differentia accidentalis est, quia, ut inquit S. Thom. in 4. sentent. dist. 1. q. 2. art. 4. q. 2. ad 3. (Per Circumcisionem auferebatur impedimentum quod erat ex parte personæ ablato peccato originali, prout erat infectio hujus personæ: adhuc tamen manebat impedimentum ex parte totius naturæ: nondum soluto pretio per passionem Christi; & ideo per accidens erat quod januam regni cælestis non aperiebat, quia si etiam Baptismus eandem, quantum in se est, gratiam conferens, quam modo confert, eo tempore fuisset, januam non aperuisset;
49 etsi modo Circumcisio locum haberet, januam aperiret.) Hæc ibi, & idem docuit in 3. part. q. 70. art. 4. ad 4.

50 Differunt etiam secundum Hostien. hic num. 9. in verb. *Cum generalior*, quia Baptismus non modo est generalior, & efficacior, quàm Circumcisio, ut supra in 1. & 2. differentia: sed etiam significantior, ut in cap. *Debitum*, supra de bigam.

Item

Item decentior, ut per se patet. Item facilior, quia in Baptismo non effunditur sanguis, sicut in Circumcisione, ubi tertio die gravissimus vulnerum dolor est, Genes. 34. & sequitur Jo. Andr. n. 5. in ver.
51 Generalior. His adde quod Circumcisio olim non imprimebat in anima spiritualem characterem, ut probat S. Thom. in 4. sent. dist. 1. q. 2. art. 4. quæst. 1. ad secundum, & in 3. p. q. 63. art. 1. ad tertium. Sed Baptismus imprimit characterem incorporantem hominem Christo, & copiosiorem gratiam confert, quàm Circumcisio, & per eumdem in 3. p. quæst. 70.
52 art. 4. in corp. ad finem. Rursus circumcisio conferebat gratiam justificantem ex opere operante tantum, idest, in quantum erat fidei signum de passione Christi futura, non autem ex opere operato, idest ex virtute circumcisionis, ut idem docuit in 3. par. q. 62. art. 6. ad tertium, & q. 70. art. 4. ad primum, & in 4. sent. dist. 2. q. 1. art. 4. quæst. 4. ad secundum. At Baptismus gratiam confert ex opere operato, idest ex sua virtute ut instrumentum Passionis Christi jam perfectæ, ut per eum d. q. 70. art. 4. in corp. ad fin.

53 Tertiò nota in §. *Illud verò*, secundum hæc tempora inter Doctores Theologos duas extitisse opiniones in articulo, An in Baptismo parvulorum infundantur virtutes. Sed hodie approbata est ultima opinio hic relata tanquam probabilior idest infundi virtutes, & cardinales, & morales quoad habitum, licet non quoad usum, ut in Clem. unica, §. fin. de Summa Trinit. & per Butr. hic num. 10. Et ita inter opiniones discrepantes eligenda est probabilior, prout illum text. cum aliis pluribus ad hoc ponderavi in cap. *Ne innitaris*, supra de Constitut.

54 Quartò nota in §. *Verum*. Duplex esse peccatum, originale scilicet, & actuale; originale sine consensu contrahitur, & ideo sine consensu dimit-
55 titur, scilicet parvulis. Actuale verò consensu contrahitur, & ideo sine consensu minime relaxa-
56 tur, ut in littera. Illud est peccatum naturæ: hoc verò peccatum personæ, ut per D. Thom. in 1. par. quæst 100. art. 1. in corp. & in 1. 2. q. 81. art. 1. in corp. & q. 82. art. 1. ad 2. & in 3. part. q. 8. art. 5. ad primum & sæpe alibi.

57 Innocentius hic num. 1. recitat Petrum Lombardum Magistrum sententiarum in ea fuisse opinione, ut peccatum originale sit ipsa pronitas ad peccandum, quæ etiam dicitur concupiscentia, & fomes. Sed hanc opinionem reprobat, quia pronitas hujusmodi remanet etiam post Baptismum, & subdit propter hoc convenire omnes, ut peccatum originale non sit fomes, nec pronitas peccati, sed quædam macula animæ annexa fomiti, quæ qui-
58 dem macula in Baptismo deletur: Sed quia illa macula annexa est fomiti, ideo aliquando fomes, sive illa pronitas dicitur originale peccatum, quod latiùs prosequere, ut per eum, & adde B. Thomam in 1. 2. q. 82. art. 1. in corp. ubi quod peccatum originale est quædam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniæ in qua consistebat ratio originalis justitiæ: Sicut etiam ægritudo corporalis est quædam inordinata dispositio corporis, secundum quam solvitur æqualitas, in
59 qua consistit ratio sanitatis: unde peccatum originale languor naturæ dicitur. Et vide Conc. Trid. sess. 5. in Decreto de peccato originali.

60 Quinto nota in §. *Sed adhuc*. Adultis amentibus, & dormientibus, qui non consentiunt Bap-

tismo, actuale peccatum non dimitti, nec etiam
61 originale. Duas rationes invincibiles habes in tex. Prima ratio est, quia Deus opus imperfectionis non novit, & ob hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit, concordat cap. *Regenerante*, de
62 consecr. dist. 4. & cap. *Sunt plures*, de pœnit. dist. 3. Non obstat, quod ligatus pluribus excommunicationibus possit absolvi ab una, & non censeatur à reliquis absolutus, c. *Cum pro causa*, de sentent. excomm. c. *Si quem*, §. Prævaricator, vers. Si crimina plura, 2. q. 3. Quoniam ut respondet Butr. hic in §. Verum, num. 8. excommunicatio est actus humanus, qui ut plurimum sine perfectione est: Sed absolutio à peccato est actus divinus, qui non debet esse absque perfectione; merito nunquam potest qui liberari ab uno peccato, quin liberetur ab omnibus, ut hic in text. & notat. Abb. n. 1.

63 Secunda ratio est, quia pœna originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis vero est gehennæ perpetuæ cruciatus. Unde si dimitteretur alicui primum altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, & cruciaretur in gehenna perpetuo propter reatum criminis actualis. Sed hæc sibi mutuo adversantur, ut hic in littera.

64 Sexto nota in §. *Item quæritur*. Amentes, vel dormientes, si ante dementiam, vel dormitionem propositum habuerunt Baptismum suscipiendi, characterem suscipere: secus si prius hujusmodi propositum non habuerunt, prout hic est expressa diffinitio Apostolica, & docet S. Thom. in 3. par. q. 68. art. 12. in corp. vers. Alii verò: dicens tales esse judicandos secundum voluntatem, quam habuerunt dum sanæ mentis existerent: & ideo si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi Baptismum debere illis exhiberi in furia, & amentia constitutis, etiamsi tunc actu contradicant; quinimo etiamsi oporteat eos ligari, vel etiamsi injuriam inferant Sacramento, ut per Sylvestrum in ver. Baptismus, 4. q. 2. num. 3.

65 Hoc tamen declara, ut procedat in amentibus qui ex sana mente, quam habuerunt prius in amentiam inciderunt: secus verò in iis, qui à nativitate sunt tales, nec habent aliqua dilucida intervalla, nec in eis apparet aliquis usus rationis: de talibus enim idem est judicium, quod de parvulis, quia nullo peccato gravantur, nisi originali, c. *Indicas* 3. q. 9. & hic notat glos. in ver. Perdurare, Hostien. num. 41. & Butr. num. 10. Ideoque baptizantur ex intentione ecclesiæ, sicut ex actu ecclesiæ credunt, & pœnitent. Si vero habent dilucida intervalla, in
66 quibus recta ratione uti possunt, si tunc baptizari voluerint, baptizari poterunt etiam in amentia constituti. Verum tamen tunc debet eis Sacra-
67 mentum conferri, si periculum timetur: nam, ut hic dicitur circa finem, tales in necessitatis articulo consuevit ecclesia baptizare: alioquin melius est ut tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis, ad hoc, ut devotiùs suscipiant Sacramentum. Ita S. Thom. in 3. par. q. 68. art. 12. in corp. Sylvester in verb. Baptismus, 4. num. 3. Gregor. de Valen. tom. 4. disp. 4. quæst. 3. punct. 2. circa finem, vers. Ad quartum, & quoad habentes dilucida intervalla adde quod scripsi ex sententia Sac. Congregationis Concilii in c. *Tua littera*, num. 80. infr. de Cleric. per salt. promot.

68 Et ex his collige in adultis, qui sunt sanæ mentis ex parte baptizati intentionem requiri ex necessi-

 tate

tate Sacramenti, quod est contra glos. in cap. *Solet, in vers. hoc plorandum, de consecrat. dist. 4.* quæ
incautè dixit, baptizatum recipere Sacramentum,
qualem cumque habeat intentionem, dummodo
minister intendat baptizare; & sic requirit intentionem ex parte ministri tantum, non autem ex
parte baptizati quod etiam sensit glos. hic in verb.
Perdurare. Sed has glos. dicit erroneas Sot. *in 4.*
sent. distinct. 5. quæst. unica art. 7. Et ut prædixi, est hic
aperta diffinitio in oppositum, ut patet ibi, *dormientes autem, & amentes si priusquam amentiam*
incurrerent, aut dormirent in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem
non suscipiunt Sacramenti: Secus autem si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Ex quibus verbis constat evidenter baptizati consensum, seu propositum necessariò prærequiri ad hoc ut character Sacramentalis imprimatur; alioquin frustra tex. apposuisset conditionem illam, *si prius,* &c. Atque ita docent expressè Alex. de Ales *in 4. par. qu. 18. membr. 1.* Scot.
in 4. sent. dist. 4. q. 2. Sanct. Bonaventura *ead. dist. 4.*
art. 2. q. 3. Durand. *ibid. q. 7.* Ricchar. *dist. 6. art. 2. q. 3.*
Petr. de Palude *ead. distinct. quæst. 2.* Sotus, *distin. 5.*
q. unica, art. 7. Silvest. *in verb. Baptism. 4. q. 14.* & est
sententia S. Thomæ, licet ejus verba satis clara
Cajetan. in alium sensum detorqueat, *in 3 par. q.*
68. art. 7. in corp. & in resp. ad secundum ubi sic ait.
(Quod si in adulto deesset intentio suscipiendi
Sacramentum, esset rebaptizandus: si tamen hoc
non constaret, esset dicendum: Si non es baptizatus, ego te baptizo.

70 Cæterum adverte, quia in adultis non requiritur intentio actualis, ut evidenter hic probatur;
nam dormientes, & amentes, qui priùs habuerunt
propositum suscipiendi baptismum, characterem
suscipiunt Sacramenti, ut in littera; & tamen actualem intentionem non habeant. Licet qui baptizatur studiosè curare debeat, ut etiam actualem
intentionem adhibeat. Sed hoc non est totaliter
positum in hominis potestate, quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud Psalm. 139. *Cor*
meum dereliquit me, S. Thomas in *3. par. quæst. 64.*
art. 8. ad tertium in fin. Sufficit ergo in baptizato
71 intentio virtualis. Quo fit, ut si amentes, vel dormientes ante dementiam, vel dormitionem baptizari voluerint, nec postea contradixerint, characterem recipiant; quia consensus, quem semel habuerunt, adhuc durat virtute, cum voluntas semel posita semper durare præsumitur, nisi probetur mutata, cap. *Perlatum, supra de his, quæ vi, met.*
caus. Et hic not. glos. *in verb. Perdurare.* Hostien.
num. 40. in eod. verb. Butr. *num. 9.* & alii communiter, & fusè explicat Cajetan *in 3. part. D. Th. q. 68.*
art. 12. concl. 2. Sed è converso si nunquam consen-
72 serunt, sed postea contradixerunt, non recipiunt
Sacramentum, quia intelligitur in eis contradictionis propositum perdurare, ut hic, & in cap. *A nobis, il secundo, infra de sent. excommun.* & sic deest in
eis intentio virtualis, ut pote evacuata per supervenientem dissensum, ideoque characterem non
suscipiunt Christianitatis impressum, ut hic in littera, & docet D. Thom. *in 3 part. dict. quæst. 68.*
quæ etiam est communis aliorum sententia ut refert Gregor. de Valentia *tom. 4. disp. 4. q. 3. punct. 2.*
ver. Ad quartum, quam etiam hic tenent communiter Canonistæ.

73 Non obstat quod dicitur de fictis, qui quamvis
non ore, corde tamen dissentiunt, & Baptismum recipiunt Sacramentum, ut hic patet, & in cap. *Si-*
74 *cut ficti, 1. quæst. 1.* & in cap. *Solet, de consecr. dist. 4.*
quoniam ficti non dicuntur qui voluntatem non
habent suscipiendi baptismum; non enim tex. dixit fictos, qui corde dissentiunt Baptismo, sed simpliciter qui corde dissentiunt. Unde dicuntur ficti qui apparenter ostendunt se rectam fidem
Christi habere, & Sacramentum venerari, & velle
se Christo conformare, & velle à peccato recedere, & tamen corde dissentiunt. Unde cuicumque
peccato mortali vult homo inhærere si ad baptismum accedit, fictus accedit, quod est indevotè
75 accedere, ita S. Thom. *in 3. par. q. 69. art. 9. ad tertium.* Præterea ut ibi dicitur in corpor. Quatuor
modis, secundum Augustinum dicitur aliquis fictus. Uno modo ille, qui non credit, cum tamen
Baptismus sit fidei Sacramentum. Alio modo per
hoc, quod contemnit ipsum Sacramentum. Tertio modo per hoc, quod aliter celebrat Sacramentum non servans ritum ecclesiæ. Quarto modo
per hoc, quod indevotè accedit. Et hi suscipiunt
76 quidem Sacramentum, cum intendant illud suscipere, sed non effectum Sacramenti eum charita-
77 tem non habeant. Ideoque recedente illa fictione
per cordis contritionem, baptismus sine alia iteratione incipit prodesse in remissionem peccatorum, ut est tex. in cap. *Tunc valere, de consecr. dist. 4.* &
hic notat præcitata glos. *in verb. Perdurare, in fine,* &
de his loquitur hæc Decretalis, & jura præallegata,
non autem de fictis, quibus deest intentio suscipiendi baptismum.

78 Rursus non obstat, quod tunc characterem Sacramentalis imprimat operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem, ut hic
concluditur in fine. Quibus verbis innixus Card.
Cajetan. *in 3. p. q. 68. art. 7. col. 5. vers. His excursis* opinatus est in adultis minimè requiri se voluntatem
suscipiendi baptismum ex necessitate Sacramenti,
sed tantum per accidens in aliquo casu, videlicet
cum quis habuisset prius voluntatem contrariam,
quia tunc ad eam excludendam, & irritandam
deberet consentire in baptismum; secus verò si
nunquam consensisset, nec dissensisset positivè,
sed habuisset se merè negativè, quia hoc casu si
baptizaretur, characterem susciperet, eo quod in
tali non esset reperire obicem voluntatis contrariæ, secundum eum.

79 Id inquam non obstat, quoniam prædicta verba
referri debent ad quæstionem ibi paulò ante determinatam de amentibus, & dormientibus, qui
characterem suscipiunt si prius habuerunt propositum suscipiendi baptismum, nec postea contradixerunt. Hi namque Sacramentum recipiunt per
rationem in littera expressam, quia scilicet characterem Sacramentalis imprimat operatio, cum
non inveniat obicem voluntatis contrariæ obsistentem, nempe quia semel consenserunt, nec postea contradicendo obicem posuerunt. At nullatenus referri debent ad eum, qui nunquam consensit,
quia in tali licet non adsit obex contrariæ voluntatis, quia nunquam dissensit positivè; tamen deest
intentio, & voluntas necessaria ad Sacramentum
suscipiendum. Unde Cajetani opinionem meritò
refellunt Sot. *in 4. sent. d. dist. 5. quæst. unica art. 7.* &
Gregor. de Valentia, *par. 4. d. disp. 4. quæst. 3. punct. 2.*
vers. Sic etiam, & opinionem.

Ulti-

80 Ultimò note in eodem §. differentiam inter
coactionem præcisam, & conditionalem: Nam
præcisa coactio consensum prorsus evacuat, nam
sic coactus dicitur potius pati, quam agere, ut cap.
81 *Sacris, supr. de his, quæ vi met. caus.* Unde si baptizetur, vel ordinetur, nec rem, nec characterem
suscipit Sacramenti, ut in tex. veluti cum aliquis
reclamans immergitur violenter, ut per D. Thom.
in 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 3. in corp. vel secundum
Jo. Andr. in d. cap. *Sacris, num. 15. vers. Exemplum,* si
Judæum vel Paganum Christiani vestibus exuant,
ad fontem portent, & baptizent: vel si hæretici per
eundem modum rebaptizent Christianum: vel si
detrudatur Acolythus invitus coram Episcopo, per
82 quam fit Subdiaconus, ut cap. *Constat. 1. q. 1.* Quia
plus est expressè contradicere, quàm minimè consentire: Sicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans
thurificare idolis cogitur violenter, ut hic dicitur
in vers. *Ille verò,* Videlicet aperiendo manum
ipsius, imponendo grana thuris, & demum ip-
83 sam manum resolvendo super prunas, quæ sunt
ante idolum, ut cap. *Presbyteros, 50. dist.* Coactus
verò conditionaliter, idest qui terroribus, atque
suppliciis attrahitur, & ne detrimentum incurrat,
Baptismi, vel Ordinis suscipit Sacramentum, utique characterem recipit, quia talis coactio, seu vis
compulsiva non evacuat prorsus, sed attenuat consensum, ut dicitur in d. cap. *Sacris, suprà, de his quæ*
84 *vi met. caus.* Quod enim fit per metum, magis habet rationem voluntarii, quàm involuntarii, ut declarat S. Thom. *in 1. 2. quæst. 6. art. 6. in corp. & in respon. ad tertium,* & *in 4. sent. dist. 29. quæst. 1. art. 1.*
& fusius dixi in prædicta Decretali *Sacris, à num. 17.*
usq. ad n. 25. Licet talis rem non suscipiat Sacramenti, ut per eundem in *4. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 3. in corp.*
85 Quippe sic coactus dicitur conditionaliter volens,
licet absolutè non velit, ut hic in littera; quia
coacta voluntas, voluntas est: voluit enim facere,
quia voluit vivere, ut Augustin. ait in c. *A marito*
15. q. 1. licet non sit voluntas absoluta, seu libera,
86 secundum Abb. *hic in 2. not.* ex hoc inferentem,
ut in actu, in quo requiritur absoluta voluntas, ut
in matrimonio, ubi requiritur omnimoda libertas,
cap. *Cum locum, de sponsal.* voluntas coacta non
sufficiat, cap. *Significavit, de eo qui duxit in matrim.*
& tenet glos. *pen.* in cap. *Veniens 3. de sponsal.* &
plenius in cap. *Abbas* in gloss. *unica ante medium,*
de his quæ vi met. caus. quam dicit communiter re-
87 ceptam Cæsar. de Graff. *decis. 2. o. alias 2. num. 5. eod.*
tit [illegible] idem esse in electione [illegible], cap.
88 Ubi periculum, §. *Cæterum de elect. lib. 6.* & in dote
metu constituta, l. *Si mulier, § Si dos, ff. quod met.*
caus.

89 Eadem dicendum in professione, quia nullus
[illegible], idest monachus fieri, nisi spontanea voluntate, ut c. 1. *supra de regular.* & dic spontanea, idest libera, & non coacta, ut in c. *Perlatum,*
supr. quod met. caus. unde professio emissa per metum est ipso jure nulla, cap. *Præsens clericum, 23. q. 3.*
& scripsi plenè in d. cap. 1. *à num. 22. post* glos. *ult.*
ibi, Bur. n. 2. & 10. Anchar. n. 2. Ab. *num.* 1. & Jo. de
Anan. n. 5. Casus autem, in quibus requiritur voluntas libera, enumerat glos. *magna* in c. *Inter cætera 22.* [illegible]

90 QUÆRO, an coactè promotus ad ordinem
Subdiaconatus ad continentiam teneatur.

In hac quæstione, ut clarè à dubiis segregentur,

distinguendum est inter coactum absolutè, seu
præcisè, & coactum conditionaliter, seu causativè,
prout distinguitur in hoc §. *Item quæritur,* & [illegible]
S. ann supra, de his quæ vi met. caus. & per D. Th. *in 4.*
sent. distinct. 29. q. 1. art. 1. & dixi supra n. 80.

91 Et quidem absolutè coactum (videlicet in cujus manum violenter attractam Episcopus ponit calicem vacuum, cum patena vacua superposita, &
debitam verborum formam profert eis invitum,
repugnantemque ordinat Subdiaconum, ut cap.
Constat, 1. q. 1.) planum est non teneri ad continentiam, quia talis nec characterem suscipit Sacramenti, ut cap. *Presbyteros, 50. distinct.* & est aperta
determinatio Apostolica in hoc §. *Via hoc tenent*
omnes, & in d. c. *Sacris,* ut tetigi supra in *ult. notab.*

92 Conditionaliter autem coactus, idest qui metu
inducitur ad sacrum ordinem suscipiendum, si quidem metus sit vanus, seu levis, nullum est dubium,
quin ad continentiam teneatur, quia etiam in
actibus, in quibus requiritur plena libertas, ut in
matrimonio, c. *Cum locum, de sponsal.* & in voto,
cap. 1. *de regular.* & dixi supra *num. 85. & seqq.* talis
93 metus non attenditur, ut cap. *Cum dilectus,* & ibi
plenè notatur, *de his, quæ vi met. caus.* Calderin.
cons. 461. alias unica in fin. qui Clerici vel vovent. &
94 dicitur vanus, qui in constans vir timere non
debet, l. *Metum,* & l. *seq. ff. quod met. caus.* Bellam.
cons. 9. num. 12. Si verò sit metus mortis, vel cruciatus
corporis, vel aliàs cadens in constantem virum,
juxta tex. in d. cap. *Cum dilectus,* juncta glos.
95 *in verb. Metum mortis.* Tunc iterum subdistinguendum: nam aut sic ordinatus uxorem prius
habebat, aut non habebat. In 1. casu conveniunt
DD. ut non teneatur continere quoad usum illius
matrimonii, licet characterem susceperit ut hic
patet, & dixi supra *in ult. notab.* tum quia esset
contra naturalem rationem arctare eum ad continentiam servandam, qui in remedium concupiscentiæ se matrimonio copulavit, & sacrum ordinem suscepit invitus, §. *Ista, 32. q. 2.* glos. in extravag. Joannis xxij *Antiquæ, in verb. Efficax, de voto.*
Tum quia talis ordinari non potuit in præjudicium uxoris, cap. *Conjugatus, infra de convers.*
96 *Conjugator,* & in hoc conveniunt auctores inìndique sententiæ inferius citandi, 99. & n. 102. Quod
locum habet etiamsi matrimonium non sit consummatum, ut per Abbatem in hoc §. *Item quæritur, num. 7. vers. Si tamen iste habuisset uxorem.*
97 Rursus locum habet etiamsi uxor continentiam
promittat, ut tenent Goffred. *in Summ. de ætat. &*
qualitat. num. 11. vers. Circa hanc Hostien. *in Summ.*
eod. tit. num. 5. vers. Sed numquid conditionaliter. S. Antoninus *in Summ. 3. p. tit. 14. cap. 16. §. 18. prope fin.*
vers. De sit coacto ad ordinem, Sylvest. *in verb. Ordo, 4.*
sub num. 1. vers. Et secundo. Tabiena *in verb. Ordo, 2.*
num. 12. Pisanel. *cum supplemento in verb. Ordinatus, 1.*
vers. Verum coacti ordinatum. Archid. in cap. *De iudæis, in fin. 45. dist.* & est communis opinio, quam
etiam probavit Rota, ut dicam infra *num. 102.*
licet Cardinal. in Clemen. *Generale, §. fin. num. 14.*
vers. Decimò quæro, de ætat. & qualitat. teneat indistinctè ordinatum per vim causativam ad continentiam teneri.

98 In secundo autem casu, idest cum ordinatus
per metum prius non habeat uxorem, ardua est
quæstio an teneatur voto continentiæ, necne.

Prima opinio est eorum, qui affirmant hunc teneri, & cogi posse ad continentiam servandam,

hoc

hoc præcipuè fundamento, quia quemadmodum suscipiens Baptismum per vim conditionalem compellitur ad observantiam fidei, & ipsius sequelam, ut determinatur in hoc §. & in c. *De Judæis*, 45. *dist.* Ita & Ordinem suscipiens debet compelli ad observantiam Ordinis, & sequelam ipsius, & sic ad continentiam, quæ sacro Ordini est annexa,
99 cap. *aliter*, 31. *distinct.* cap. *A multis*, *supra de ætat. & qualitat.* & hanc partem tenuerunt Goffred. Hostien. Archid. & alii supracitati *num.* 97. Jo. And. *hic in fin.* Henric. Boich. *num.* 5. qui bene declarat opinionem Joannis, & dum ultimo loco refert opinionem Goffredi, & Raimund. videtur eam sequi Butr. in hoc §. *Idem quæritur*, *num.* 7. dum similiter recitat ultimo loco opinionem Goffredi, Cardin. *in eodem §. vers. Quæro si quis conditionaliter*: nam etsi videatur probare opinionem glossæ, tamen, ut ipse ait, opinio Goffredi
100 est honestior, Abb. *in eod.* § *num.* 7. subdens, quod DD. communiter videntur tenere contra opinionem Joannis, & quod hic est casus, in quo metum passo non succurritur per actionem quod metus causa, quia contra impressionem characteris, cum sit indelebilis, restitutio dari non debet, nec potest, maximè cum iste dici possit ad meliora invitatus, ut in simili notatur in cap. *Cum dilectus*, *in gloss. in verb. Ad firmitatem*, *de his, quæ vi, metus caus.* Idem firmant Raymund. *in summ. de ætat. & qualit.* Cardin. in d. Clem. *Generale*, *in fin. eod. tit.* Stephan. de Gaet. *in repetition.* cap. *Ad limina* 30 *q.* 1. §. 3. *q.* 19. *num.* 96. Alberic. *in Dictionar. in verb. Ordo*, *vers. Virum coactè ordinatum*, & ex Theologis Petrus de Palude *in* 4. *sent. dist.* 38. *q.* 3. *art.* 4. *concl.* 6. *num.* 28. & Sot. *de just. & jure*, *lib.* 7. *q.* 2. *art.* 5. *in solut. ad ultim. arg.*

Secunda opinio primæ opposita est Joannis glossatoris in cap. *Ubi ista*, *in ver. Honorem*, 74. *distinct.* Qui tenuit ordinatum ad sacros Ordines per metum, qui cadit in constantem virum, non teneri ad continentiam ea ratione, quia integritas est res voti, non præcepti, cap. *Integritas*, 32. *q.* 1. & continentia non debet esse nisi voluntaria, c. *ap.*
101 *Ante triennium*, 31. *dist.* & cap. *Præsens*, 20. *quæst.* 3. Licet subdat sic coactum ad continentiam teneri cautativè, scilicet si vel t ut privilegiis clericalibus, quibus aliàs frui non potest: & opinionem Joannis probarunt in d. cap. *Ubi*, Hugo, & Archidiac. *in fin.* Gemin. *ibidem in fin.* Calderin. *cons.* 1. *in fin. Qui cleric. vel voven.* Vitalin. in Clem. *fin. num.* 50. & 51. *de ætat. & qualit.* Ubi sentire videtur sic coactum non teneri continentiam servare, licet assignet rationem, quia coactè ordinatus non recipit characterem, quæ ratio est falsa, ut dictum est supra *num.* 83. Imol. in cap. *Joannes*, *num.* 21. *de cleric. conjugat.* & in cap. *Sacris*, *num.* 7. *de his, quæ vi, met. caus.* Asten. *in summa Confessorum*, *tit. de ætat. & qualit. quæst.* 50. & 51. Turrecrem. *in summ.* 74. *distinct. art.* 2. *ad fin.* dum recitat ultimo loco Raymundum dicentem hanc opinionem esse potiorem, ac benigniorem; & ideo tenendam Præpol. *ibidem num.* 2. Idem firmant hic gloss. *in vers. Conditionaliter*, Hostien. *num.* 38. *in eod. vers.* Henric. Boich. *num.* 7. *in fin.* Cardin. *num.* 1. *quæst.* 1. Rosell *in vers. Ordo.* 5. *num.* 6. Angel. *Ordo.* 3. *num. ult.* Navar. *in Manuali cap.* 12. *num.* 51. *ad fin. & num.* 52. & *lib.* 1. *cons. in tit. de his, quæ vi met. caus. cons.* 2. *num.* 1. & 3. *cons.* 4. *num.* 4. & *seqq.* & *cons.* 5. *num.* 2. Gregor. Lopez in l. 32. *in verb.*

Que le tomara, *tit.* 6. *p.* 1. & ex Theolog. Richard. *in* 4. *dist.* 25. *art.* 4. *quæst.* 2. *ad* 2. Dum ait, continentiam non esse annexam Ordini sacro, nisi quoad eos, qui voluntariè illum suscipiunt: & apertius Major *in* 4. *distinct.* 24. *quæst.* 2. *in solut. ad* 4. Sotus *in* 4. *distinct.* 25. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 3. *vers. Hinc autem emergit.* Henriquez *in summa lib.* 10. *de Sacram. Ordinis*, *cap.* 14. *num.* 5. & *lib.* 11. *de matrim. cap.* 5. *num.* 9. *in Commento littera Q.* & plerique alii ex modernis, & hanc testatur esse communem in opinionem Petr. Ravennas, licet ipse contrarium sentiat, *in compend. Juris Canon. in tit. de Baptism.*
103 Hic casus aliàs contigit in Rota in causa Valentina nullitatis susceptionis Ordinis Subdiaconatus coram Cæsare de Grassis. & proposito dubio, An promotus ad ordinem Subdiaconatus per vim, & metum, qui cadere poterat in constantem virum, teneatur ad illius, & continentiæ observationem, ita ut uxorem ducere non possit, alio sibi impedimento non obstante: post prolixam examinationem sub die 15. Januarii 1575. Domini tenuerunt ordinatum ad Subdiaconatum per vim conditionalem non teneri ad continentiam, si quis habebat uxorem, sed si non habebat, teneri juxta distinctionem Goffredi, & sequacium, de qua supra
104 *num.* 97. Et quia Subdiaconus, de quo tunc agebatur, non erat uxoratus, dixerunt tutius fore, ut peteret dispensationem à Papa ad matrimonium contrahendum, & metum hujusmodi justam causam præbere illam concedendi, ex Navarr. *in Manual fol.* 310. Ut sic viam tutiorem eligeret, ut latius apud eundem Cæsar. de Graff. *decis.* 19. *aliàs prima in tit. de his quæ vi met. caus.*

Verum postea sub die 22. Martii ejusdem anni causa iterum proposita, & articulo diligentius discusso, Rota resolvit promotum ad Subdiaconatum per vim conditionalem non teneri continentiam servare, licet uxorem non habeat, juxta se-
105 cundam opinionem Joannis, & sequacium. Moti fuerunt Domini tum ex ratione illa irrefragabili, quod omnis actus requirens voluntatem non simplicem, sed liberam, ac spontaneam, qualis est continentia, quæ requirit libertatem à coactione, d. c. *Integritas*, 32. *q.* 1. Si fiat coactè, sive per voluntatem coactam, non valet, cap. *Nosti fecisti*, cum gloss. *communi in verb. Licentiam*, 33 *quæst.* 5. Abb.
106 in cap. *Cum locum*, *sub num.* 6. *de sponsalib.* Tum arguendo à voto expresso ad tacitum annexum ordini; nam puer ordinatus in Subdiaconum ante usum rationis non tenetur continere, quia sicut non potest se obligare ad votum expressè, ita nec tacitè, secundum Innoc. in c. *Vel non est compos*, *sub num.* 1. *de tempor. ordin.* & alios in decis. alle-
107 gat. Ergo similiter sicut metus annullat votum expressum, cap. 1. *de voto*, cap. *Periatum*, & cap. *Cum dilectus*, *de his quæ vi met. caus.* ita & tacitum, seu annexum ordini. Tum arguendo ab absurdo, quia si quis in ordine expressè voveret castitatem quod solet ab Episcopis exigi in ordinando, per cap. *Quamquam*, & ibi latè Turrecrem. *num.* 2. *dist.* 23. Metus vitiaret votum expressum per supradicta, & tamen non vitiaret tacitum, in quo videtur inesse minor ratio obligationis, vel saltem par, & æqualis, non major ad regulam Expressa no-
108 cent. Tum denique quia ita se habet stylus, & observantia tum Cancellariæ, tum Pœnitentiariæ, ut attestantur authores citati in d. *num.* 9. & 27. Cum enim

enim in hoc articulo authores sint tam varii, & nihil certi in jure sit cautum, metus attendi debet stylus, & observantia subsequuta, ad l. *Si de interpretatione*, *ff. de legibus.*
109 Nec procedit simil tudo inter coactè baptizatum, & coactè ordinatum: nam baptizatus per metum ideirco tenetur vivere ut Christianus, & fidem Catholicam profiteri, ut in d. cap. *De Judæis*, 45. *distinct.* Quia Sacramentum Baptismatis est essentia-
110 liter, & naturaliter annexa obligatio profitendi fidem. At vero obligatio continendi non est annexa ordini Subdiaconatus essentialiter, seu naturaliter, sed tantum accidentaliter ex statuto Ecclesiæ: Fuit enim tempus quando subdiacono lice-
111 bat contrahere matrimonium, cap. *Placuit*, 32. *dist.* cap. *Ante triennium*, 31. *dist.* & arg. cap. *A multis*, *de ætat. & qualitat.* Unde cum Subdiaconatus, & obligatio continentiæ non sint jure naturæ, vel divino inseparabiliter annexa, sed jure tantum humano conjuncta: merito per metum, qui humana rescindit, & non divina, licet non impediatur essentia Sacramenti Ordinis, & impressio characteris, quæ est divina: impeditur tamen conjunctio continentiæ, quæ est humana. Cujus rei in-
112 consideratio fuit in causa, ut Goffred. Abb. & sequaces contrariam partem errandi tenuerint, non advertentes ex antecedente ordinis illud quidem sequi, ut ordinatus in Subdiaconum per vim conditionalem teneatur secundum naturam, & essentiam Subdiaconatus vivere, sed non secundum illius accidentia, quæ per metum vitiantur, ut ex dictis constat, & ex hoc etiam patet solutio ad objecta, quod Subdiaconus per metum promotus sit verus Subdiaconus, & quod de annexis idem sit judicium, ut bene ibi per Rotam *n.* 24. & 25.
113 Prædictis tamen videtur obstare decretum Conc. Tolet. VIII c. 7. *de his, qui post assumpta ecclesiasticarum dignitatum officia, ad conjugia redeunt*, *to.* 2. *Conc. p.* 2. *pag.* 491. *col.* 1. Cujus hæc sunt verba: (Quosdam enim aut eventu necessitatum, aut metu periculorum adeptos fuisse novimus ecclesiasticarum officia dignitatum: & quoniam cum illis hæc imponerentur, id sibi fieri noluisse testati sunt: ideirco hæc spernunt, atque ad pristina pertendant conjugia, moresque redire, tam nequiter celsitudinis jura solventes, quàm prompti sæculi extam illecebris inhiantes & in fine ad finem, quod si quis post hoc perennis dispositionis edictum nõ syncerius sacris inhæserit cultibus, & abjiciens à se gratiam, quam accepit, relabitur ad conjugium &c. Mox omni ecclesiastici ordinis dignitate privetur, & ut Apostata à S. Ecclesiæ liminibus, & societate fidelium habeatur penitus exclusus, monasterii claustris, donec adjverit, sub pœnitentia retrudendus.) Hæc ibi, unde patet ordinatum per metum, etiamsi uxorem habeat, prohiberi ad conjugia redire.
114 At respondetur primo, hoc decretum posse intelligi de his, qui liberè postea ratificaverunt susceptum ordinem: nam metus, & violentia purgantur per liberum consensum supervenientem, ut per Hostien. *hic num.* 38. *in verb. Conditionaliter.* Io. Andr. *in fin.* Henric. Boic. *num.* 7. *in fin.* & Butr. *num.* 8. Quod colligitur tum ex illis verbis, Et cum hæc sibi imponerentur, se noluisse testati sunt;) quasi dicat, noluerunt, non quidem ab initio sed postea consenserunt: nec non ex verbis seqq.
115 (Et abjiciens à se gratiam quam accepit;) nam qui

metu ordinantur, Sacramentum quidem suscipiũt non gratiam, seu rem Sacramenti, ut patet ex dictis supra *num.* 84. Tum quia gravitas pœnæ quam imponit Concilium, non congruit ex actè ordinatis, nec potuisset Concilium prohibere sic ordinato, ne rediret ad pristinum conjugium in præjudicium uxoris non consentientis, ut dictum est supra *num.* 95.
116 Deinde posset responderi Concilium loqui de metu provenienti ab intrinseco, & causis naturalibus, veluti si quis necessitate victus, vel aliquo impulsus periculo, puta mortis ex infirmitate imminentis, Ordinem sacrum susceperit, ut innuunt verba illa, (Aut eventu necessitatum, aut metu periculorum;) talis enim procul dubio tenetur continentiam servare, ut cap. *Sicut, si secunda*, *de Regular.* & probavi in cap. *Si quis*, *à num.* 81. *eodem titul.*
117 Nec refragantur huic intellectui sequentia verba, Noluisse testati sunt, quoniam intelligi debent de voluntate conditionali proveniente ex illo metu, non autem de noluntate absoluta. Absurdum enim fuisset tales ad continentiam compellere, quia ut legitur in fine hujus capituli, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.
118 Alium intellectum ad concilium Toletanum, posuit Thom. Sanchez *de matrim. lib.* ... *disp.* 29. *in fin.* nempe Concilium sequutum fuisse primam opinionem valde probabilem. Sed hoc stare non potest; Tum quia in conjugato, de quo Concilium loquitur, opinio obligans ad continentiam non est probabilis, cùm oppositum teneant authores utriusque sententiæ. Tum quia, si concilium elegisset opinionem valde probabilem, tunc jam non esset opinio, sed lex necessario tenenda, ut est tex. in Clem. *unica* §. *fin.* & ibi not. gloss. *ult.* communiter approbata, *de Summa Trinit. & fide Catholica.*

De Presbytero non baptizato.

Cap. Veniens.

1 VENIENS. Summa hujus Decretalis habetur in cap. 1. *supra eod.* Vel summari potest sic, Non baptizatus ordinari non potest, & si de facto ordinetur, non recipit Ordinis characterem, licet credatur baptizatus. Hoc dicit, Abb. Siculus. Primo ponit de Baptismo tradito ei, qui non fuerat ritè baptizatus, secunda ibi, *Cumque circa ordinem*, allegat pro, & contra, tertia ibi *quia verò diffinit.*

Pro intelligentia hujus textus vide quod scripsi in cap. *Ne innitaris*, *n.* 245 *de Constitut.*

De

De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

Cap. Audivimus.

S V M M A R I V M.

1 *PRo Sancto aliquem venerari non licet sine licentia Papæ, etiamsi in vita fecisset miracula, & num. 20.*
Declaratur, num. 18.
2 *Canonizare quid sit.*
3 *Canonizari ut quis possit, quæ sint inquirenda, & probanda.*
4 *Miracula sola ad aliquem canonizandum non sufficiunt, & n. seqq. usq. ad n. 14.*
5 *Miracula quandoque fiunt etiam per malos, & peccatores, & n. 7. & 10.*
6 *Magi Pharaonis an, & quæ miracula operati fuerint.*
7 *Antichristus nunquid faciet aliqua vera miracula.*
8 *Miraculum potest esse mendax tripliciter.*
9 *Fides præ cæteris virtutibus in miraculis operatur.*
10 *Fidem maximam quis potest habere sine charitate, ita ut illius virtute faciat miracula.*
11 *Fides sine charitate pro canonizandis adultis non sufficit.*
12 *Charitas sola dividit inter filios Regni, & inter filios perditionis æternæ.*
13 *Ad canonizationem an sufficiat excellentia vitæ sine miraculis.*
14 *Pueri baptizati, & statim mortui non sunt canonizandi: & est speciale in Innocentibus ut pro Sanctis colantur.*
15 *Ad canonizationem Sanctorum qua maturitate, & consilio, quove ordine sit procedendum.*
16 *In Martyribus canonizandis non requiritur examinatio, sicut in Confessoribus.*
Canonizandi modus qui nunc servatur, in primitiva Ecclesia non servabatur, & cur, ibidem.
17 *Canonizationis quis sit effectus.*
18 *Preces porrigere alicui defuncto, quem quis credebat virum probum, eumque secreto venerari non est prohibitum.*
19 *Reverentia duplex.*
20 *Canonizatio est unum ex specialibus Papæ reservatis, & n. seq. usq. ad n. 28.*
21 *Nec fieri potest ab Episcopo in sua diœcesi, & cur. & num. seqq.*
22 *Canonizatus constituitur omnibus communiter adorandus.*
23 *Festa Sanctorum non omnia ubique sunt veneranda.*
24 *Sancti plures coluntur in una tantum ecclesia, vel provincia.*
25 *Carolus Magnus ex tolerantia Romanæ Ecclesiæ colitur ut Sanctus in sola sua capella Aquisgrani.*
26 *Calix & Chrisma ab Episcopo consecrata quocunque portentur, sunt ab omnibus veneranda.*
27 *Canonizatio Sanctorum est una ex majoribus causis quæ inter Christianos proponi possit.*
28 *In canonizatione alicujus Sancti si Ecclesia erraret, quod non est credendum, Deus tamen acceptaret preces in illius honorem porrectas.*
29 *In fide Christi omnia purgantur.*
30 *Ecclesia vix orat pro occisis in ebrietate.*
31 *Vi quod fit tamen fit.*
32 *Ebrietas quot modis accipiatur, & quando sit peccatum, & n. 39. & 63.*
33 *Inebriare aliquem an liceat ad detegendum aliquod secretum concernens publicam salutem, ut proditionis patriæ, vel conjurationis in Principem, & num. seqq. usque in finem.*
34 *Ebrietatis peculiare vitium est secretum nullum custodire, & n. seqq. & n. 45.*
35 *Ebrietas quæ mala producat, & n. 55. & 64.*
36 *In vino veritas, & n. 45.*
37 *Ebrietas voluntaria non est intrinsecè mala.*
Contrarium, n. 63.
38 *Ebrietas formalis, vel materialis quando dicatur, n. 65.*
39 *Ebrietas incepit à Noe, qui primus plantavit vineam.*
40 *Voluntas specificatur ab objecto.*
41 *Ebrietas licita est ad evitandam sævitiam Tyranni.*
Contrarium, n. 67.
42 *Iudex ob publicam salutem potest recedere à jure communi.*
Contrarium, n. 69.
Declaratur, n. 49. & 70.
43 *Princeps potest manu regia causas cognoscere, & terminare omisso rigore judiciario.*
44 *Princeps præ aliis publicam salutem tueri debet.*
45 *Tortura adeo purgantur inditia, ut reus puram veritatem dixisse censeatur.*
47 *Tortura sine novis inditiis repeti non debet.*
48 *Remedio extraordinario uti licet, quando per ordinarium non est sufficienter consultum.*
49 *Dummodo tamen extraordinarium non sit à jure improbatum.*
50 *Remedium juris quando suppetit, non est recurrendum ad remedium facti.*
51 *Tortura insitato tormenti genere inferenda non est.*
52 *Torqueri nemo potest, nisi legitimis præcedentibus inditiis.*
53 *Etiam pro crimine læsæ majestatis, & proditionis patriæ.*
54 *Et de mandato Principis.*
55 *Ebrietatis tortura gravior est, quam tortura consueta.*
56 *Remedio quolibet utendum est ad eum tantum finem ad quem est introductum, & n. 65. & 67.*
57 *Ebrii testimonium non valet, & n. seqq.*
58 *Testes de honestate examinari non debent nisi jejuni.*
59 *Testis non juratus non probat.*
60 *Papa dispensare non potest, ut testis deponat sine juramento, eique fides adhibeatur.*
61 *Ad probandum quis non debet admitti, quod probatum non relevat.*
62 *Ebrii quandoque efficiuntur falsi.*
63 *Ebriosi Regnum Dei non possidebunt.*
64 *Ebrietas est mater omnium flagitiorum.*
65 *Ebrietas cur sit licita ad valetudinem corporalem, non autem ad salutem Reipublicæ, vel ad evitandam sævitiam Tyranni, & n. 67.*
66 *Moralia recipiunt speciem non ab his, quæ per accidens eveniunt, sed ab eo, quod est primo, & per se intentum.*
68 *Defensio propriæ vitæ præponitur defensioni patriæ & parentum.*
71 *Princeps est solutus legibus humanis, sed non lege naturali, & divina.*

1 AVDIVIMUS. Sine Papæ licentia non licet aliquem venerari pro sancto. Hoc dicit secundum Io. Andr. & omnes post eũ. Primò excessum narrat. Secundò improbat ibi, *Cum vix.* Tertiò prohibet ibi, *illum ergo.*

Quia hic tractant Doctores materiam canonizationis Sanctorum, ad evidentiam præmittenda sunt quatuor. Primum quid sit Canonizatio. Secundum quis sit Canonizandus. Tertius quo ordine ad Canonizationem sit procedendum. Quartum quis sit Canonizationis effectus.

2 Circa primum, Canonizare est aliquem Sanctũ per Papam catalogo aliorum Sanctorum adscribere, & publicè, ac solemniter, canonicè ac regulariter declarare, diffinire, ac statuere ut tamquam sanctus ab omnibus honoretur, & pro ipso sicut pro aliis sanctis ejusdem conditionis certa die annuatim solemne officium celebretur. Ita Host. *hic n. 3.* qui sic suppler descriptionem Innocentii *in prin.* & sequuntur Io. Andr. *n. 2.* Butr. *n. 4.* & Abb. *n. 5.* Vel dic secundum Augustin. *Triumph. de potest. eccles. q. 14. art. 1. in corp.* & S. Antonin. *in 3. par. tit. 22. c. 5. §. 5.* Sanctum aliquem Canonizare non est aliud quàm sanctitatem alicujus venerandam, & approbandam manifestare propter fidem ecclesiæ cujus opera imitantis, & beneficia recipientis.

3 Circa secundum canonizari potest is tantum de cujus fide, & excellentia vitæ, miraculis per probationes constat, c. *Venerabili, supra de testib.* & oportet tantam esse vitæ excellentiam ac talia esse miracula, ut excedant vires, & potentiam naturæ. Nec sufficit una tantum excellentia vitæ, imò multæ, & continuæ requiruntur. Ita Inn. *hic n. 1.* qui singula hæc requisita egregiè probat in lineus ad hoc authoritatem Ecclesiast. 44. *Laudemus viros gloriosos* &c. eique per omnia subscribunt Host. *sub n. 5 vers. Hoc autem secundum Dominum nostrum,* & *n. 6.* Joan. Andr. *n. 4.* Butr. *n. 7. vers. Et ulterius.* Card. & Anchar. ambo *n. 5.* quibus adde Hostien. in cap. *Venerabili, n. 2. supr. de testib.* ubi ait. Ad Canonizandum Sanctos inquirendum esse an ei de quo canonizando agitur, anteacta vita testimonium præbeat pro laboribus multis, moribus castis, actibus strenuis, cap. *Miramur 61. dist.* oportet enim hoc præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri, cap. *Quatuor, 12. q. 2.* In primis autem quæri debet de simplicitate, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,* Jacob. 46. Item debet inquiri an in vita persecutiones passus fuerit, cap. *Omnis,* & cap. *Ibi adunati, 7. q. 1.* & an passus fuerit ex charitate, cap. *Vide. 1. q. 1.* Ita Host. cujus verba ad calamum transcripsit glos. in cap. *un. circa med. infr.*
4 *eod lib. 6.* & S. Antonin. *in 3. p. tit. 12. cap. 8. §. 1.* Sola igitur miracula, ut prædixi, ad aliquem canonizandum non sufficiunt sine virtutibus, & vitæ excellentia, quod multiplicem habet rationem.

5 Prima ratio est, quia quandoque etiam per malos, & peccatores fiunt miracula, cap. *Tentamus, 2. q. 1.* Hostien. *hic in princ.* Abb. *n. 4.* & plerique alii. Unde & magi Pharaonis tria operati sunt miracula, ut ait
6 glos. ult. in cap. *Tentamus,* tum virgas in serpentes converterunt, aquam in sanguinem, & fecerunt aquam ranis ebullire, sicut Moyses. Sed tu adverte, quia illa verè non fuerunt miracula, sed magica præstigia, ut legitur in cap. *Nec mirum, 26. q. 5.* Ideòque Innoc. *hic n. 1. vers. Non sufficiunt miracula,* non dixit Magos illos fecisse miracula, sed fecisse multa, quæ videbantur ultra vires naturæ. Admittunt tamen Theologi etiam per malos Christianos quan-
7 doque miracula fieri, ut per D. Thomam *in 2. 2. q. 78. art. 2 ad tertium.* Quinimò etiam Antichristus faciet aliqua vera miracula quoad naturam rei virtute Dæmonum, licet falsa quoad rationem miraculi, & ad decipiendum, ut idem docet *6. q. 17. art. 1. ad secundum:* & de his miraculis, quæ fiunt per malos, consule August. *Triumph. de potest. eccles. q. 15. art. 4.* Item miracula quandoque fiunt ex scientia, & non ex dono Dei, quandoque ex dono Dei, & non ex merito vitæ, ut in Regibus Franciæ, secundum Anton. de Butr. in cap. *Venerabili, n. 1. vers. Nec sufficiunt miracula, supr. de testib.* Non igitur mirum si miracula satis non sint ad hoc ut quis sanctorum numero adscribatur.

8 Secunda ratio, quia hunc facile possent decipi fideles, sicut in hoc cap. Dicuntur diabolica fraude decipi, qui ut sanctum venerabantur hominem quemdam in potatione, & ebrietate occisum. Miraculum enim potest esse mendax tripliciter. Primò scilicet quia deficit à ratione facti, ut in præstigiis. Secundò, quia deficit à ratione miraculi. Tertiò, quia deficit à fine Dei, ut in malis Christianis, S. Thom. *2. Thessalon. 2. lect. 2. in fin. G.* & in his multivariis figmentis, & falsis, documentis decipiuntur, ut legitur in cap. *prox. §. fin. infra eod. tit.*

9 Tertia ratio, quia fides præ cæteris virtutibus in miraculis operatur, secundum illud *Matth. 17. 20* [*Si habueritis fidem sicut granum sinapis dicetis huic monti transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit*
10 *vobis,* Host. *hic n. 6. 10.* Andr. *n. 4. vers. Fides etiã,* adeò ut aliqui propter fidem, quam habent, operentur miracula etiam sine charitate, juxta illud Apost. 1. *ad Corinth. 13. 1.* [*Et si habuero omnem fidem, ita ut mõtes transferam, charitatem autẽ non habuero nihil sum*) & translumptive habetur in cap. *Solet, de consecr. dist. 4.* Abbas *hic n. 14.* adjiciens hoc semper notandum quia potest haberi fides maxima, ita ut eius virtute faciat miracula, sine charitate. Fides autem sine charitate non sufficit in adultis canonizandis, quia sine operibus mortua est. *Iacob 2.* Io. Andr. *hic n. 4.*
11 *vers. In adultis autem.* Quinimò, ut inquit Augustin. *tom. 3. 15. de Trinit. cap. 18.* Sola charitas dividit inter Sanctos enumeratur: Unde si per charitatem quis inter Sanctos enumeratur: ergo sine charitate quis
12 inter Sanctos annumerari non potest, Ita arguit Augustin. *Triumph. de potest. eccles. q. 14. art. 4. in 1. arg. contrario.*

Ultima ratio, quia ut habetur *Matth. 7. 22.* (*Multi dicent mihi in illa die, nonne in nomine tuo Dæmonia*
13 *ejecimus*) &c. & tamen Dominus respondebit eis numquam novi vos, Innoc. *hic n. 1. vers. Non sufficiunt miracula,* E contra vero excellentiam vitæ sine mi-

Ebrii

raculis

raculis putat Innocen, sufficere quoad virtutem, licet dicat ecclesiam non debere tales canonizare ea ratione, quia in secreto potuerunt laxiorem vitam ducere, ut per eum, *n. 1. vers. Vitam tamen*, cum quo transeunt Hostien. *n. 6. vers. Licet autem*, Ioan. 18
Andr. *n. 4. circa fin. eod. vers.* Butr. *n. 7. ad fin.* Cardin. *n. 5. vers. Dixit tamen*, Abb. in cap. *Venerabili, n. 1. vers. Non enim sufficit, supra de testib.* ubi ait, vitam sine miraculis non sufficere ad canonizationem obtinendam, sed bene ad finem beatitudinis: nam ad esse sanctitatis miracula necessariò non requiruntur. Tu dicas hoc esse expressum in Constitutione Gregorii IX. incipit. *Cum dicat Dominus*, edita die prima *Iunii* 1232. §. 5. in Bullar. *tom* 1. *pag.* 43. Cujus 19
hæc sunt verba, (Licet ad hoc ut aliquis sanctus sit apud Dominum in Ecclesia triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia juxta illud, Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: ad hoc tamen ut sanctus habeatur apud homines in ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum, & veritas signorum, merita videlicet, & miracula, ut hæc, & illa sibi ad invicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis.) Hæc ibi.

14 Ex his infertur ut pueri baptizati, & statim mortui non sint canonizandi, quia nec multam gloriâ cumulavit Dominus sua magnificentia. Et est speciale in Innocentibus, ut pro sanctis colatur quia vice Christi mortui sunt, secundum Innocen. *num.* 3. *vers. Ex prædictis apparet*, & Host. *n.* 10. *vers. Apparet ex prælictis*, quibus cæteri subscribunt.

35 Circa tertium, qua maturitate, & consilio, quove ordine ad canonizationem sit procedendum, distincte, & præclare hic explicat Hostien. *num* 3 *vers. Ad hanc autem*, ubi ex ordine recenset decem actus ad canonizationem præambulos, undecimo loco sententiam ipsam canonizationis & definitionis Summi Pontificis, duodecimo quæ canonizationem subsequuntur, quæ singula huc non transfero, quia ab ipso peti possunt, & à Io. Andr. 21
num. 4. & Butr. *num.* 5. & S. Antonin. *in 3 part.* 22.
16 *cap.* 5. §. 5. qui illius verba fere ad amussim transcripsere. Subdit tamen Hostien. prædictum ordinem non semper ad unguem observatum fuisse & maxime quando agebatur de martyrizatis pro fide. Tales autem consuevérunt facilius, & levius expediri. Imo, ut inquit. Aug. *Triumph. de potest. eccles. q.* 14. *art.* 1. Ad secundum in primitiva ecclesia non servabatur modus canonizandi, quinùc servatur, propter duo. Primò quia illi sancti ut plurimum erant martyres, in quibus non requirebatur talis examinatio, sicut requiritur in Confessoribus, ut idem probat *q.* 16. *art.* 3. Secundò ex fervore fidei nascentis ecclesiæ, & ex meritis Christi, & Apostolorum miracula, & alia opera sic erant evidentia, ut nulla possent tergiversatione celari. De modo autem nunc servando in canonizatione Sanctorum, constule eundem *q.* 16. *per tot.* & cur nullus Patrum veteris testamenti fuerit à Papa canonizatus, vide S. Antonin. *in 3. part. tit.* 22. *cap.* 5. §. 5. *circa fin. vers. Sciendum.*

17 Circa quartum breviter dicendum Canonizationis effectum esse, quia per eam Canonizatus consequitur, ut à cunctis fidelibus colatur pro sancto, & ecclesia pro ipso, sicut pro sancto, solemniter officium celebret, & ipse in litanijs inter sanctos publice adnumeretur, secundum illud Ecclesiast. 44. (*Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum annuncies Ecclesia.* Ita Innoc. *in c.* 3. cui Hostien. *sub n.* 10. *vers. Verum secundum Dominum nostrum*, & reliqui adstipulantur, glos. *Magna circa med. vers. Hoc autem consequitur* in c. *un. infra eod. lib.* 6 Quamquam enim, ut idem Innoc. subdit *n.* 4. & alij post eum, qui libet possit preces porrigere alicui de sancto, quem credebat virum probum, ut apud Deum intercedat, ut dicam infra in cap. *Venerabilem n.* 11. tamen pro illo fas non est solemne officium celebrare, aut preces publicas fundere, ut hic. Tu dicas secundum Augustin. *Triumph. de potest. eccles. q.* 14. *art.* 1. ad primum duplicem esse reverentiam, quædam est universaliter injuncta quædam verò voluntaria, & particulariter assumpta. Prima reverentia solum honorandi sunt sancti per ecclesiam Canonizati. Sed secunda reverentia possunt honorariali secundum particularem devotionem uniuscuiusque. Et vide Concilium Tridentinum, *sess.* 25. *de invocatione, veneral. & reliq. sanctor.* & Cardin. Bellarm. *lib.* 1. *de sanct. cap.* 10. 20

Quibus præmissis venio ad notabilia, & primo nota ibi, absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ, non licere aliquem publice venerari pro sancto absq; authoritate Romani Pontificis, etiamsi in vita fecisset miracula, ut hic est casus secundum Abb. Antiq. & omnes, & notant Butr *n.* 3. & Abbas Sicul. *in* 2. *notab.* Atque ita Sanctorum Canonizatio est unum ex specialibus Papæ reservatis, ut notatur in cap *Quod translationem*, in glos. *ult. supra de offic. legati* secundum Hostien. *hic n.* 13. *in ver. Absque authoritate*, Ioan. Andr. *num.* 6. *in verb. Authoritate* Cardin. *in* 2. *notab.* & Anchar. *n.* 4 Idem firmant Augustin. *Triumph. de potest. eccles. q.* 14. *art.* 1. Cardin. Turrecr. *in c.* 1. *num.* 22. *de consecr. dist.* 3. S. Antonin. *in Summa par.* 3. *tit.* 22. *cap.* 5. §. 7. Troil. Malaet. *in tract. de Canonizat. Sanctor. num.* 5. *& seq.* Cardin. Bellarmin. *de sanct. beatitud. tomo* 1. *par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 8. & alibi passim Doctores, & consequenter hæc facultas nulli Episcoporum competit secundum Innoc. & omnes hic & Augustin. *Triumph. d. qu.* 14. *num.* 2. Rationem reddit Innocent. *n.* 2. quia cum per canonizationem sanctus constituatur omnibus adorandus, & nullus omnibus præsit, nisi Papa, qui immediate est ordinarius cunctorum fidelium, cap. *Cuncta per mundum*, & cap. *Per principalem* 9. *q.* 3. Consequens est ut Papa solus hanc universalem adorationem possit omnibus fidelibus indicere. Nam & cuilibet alteri possent respondere nõ subditi, extra territorium jus dicenti impune non pareretur, *l. fin. ff. de jurisd. omn. judic.* cap. *Vt animarum de Constit. lib.* 6. & hanc rationem Innocentii approbant hic Abb. Antiq. *n.* 2. Io. Andr. *n.* 5. Butr. *num.* 7. Cardin. *num.* 6. & Anchar. *in ult. quæstione* Cardin. Turrecr. cap. 1 *num.* 2. *de consecr. dist.* 3. Nec valet si dicas: id licere debet cuilibet Episcopo saltem in sua diœcesi, ut videtur expressum in *c fin in* 1. *resp. supra de feriis* ibi (Cæterisque solemnitatibus quas singuli Episcopi in suis civitatibus cum Clero, & populo duxerint solemniter venerandas) & in cap. 1. *vers Et illa festivitates, de consecr. dist.* 3. nam, ut respondet Innocent. ex quo sanctus est, non solum ab aliquibus, sed ab omnibus, nec solum in una ecclesia, sed in omnibus est communiter venerandus. Aliquin incideremus in illam reprehensionem, quia Apostolus *ad Corinth.* 1. redarguit quosdam dicentes. *Ego quidem*

dem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi.

23 Nec obstat jura in contrarium adducta. Quia ut respondet Hostien *hic n.* 8. & Io. Andr. *n.* 6. *in ver Romani Pontificis*, debent intelligi de sanctis antiquitus approbatis, non enim omnium Sanctorum, & singulorum festa coluntur ubique. Imò aliquod festum in una diœcesi colitur, & non in alia.

24 Cæterum prædictam Innocentii rationem impugnat hic Hostien. *num.* 9. Tum quia multi sunt etiam per Sedem Apostolicam canonizati, qui in una tantum ecclesia, seu provincia coluntur. Et in specie Carolus Magnus ex tolerantia Romanæ ecclesiæ tamquam sanctus colitur in sola sua Ca-
25 pella Aquisgrani, non autem in alijs ecclesijs, & pulchra illius mirabilia recensentur in historia Speculat. *lib.* 25 *cap.* 5. ut hic refert Io. Andr. *num.* 5.
26 Tum quia non est bona consequentia, sanctus est ubique venerandus: ergo Episcopus non potest in sua diœcesi sanctum canonizare, quia etiam calix, & chrisma ab Episcopo confecrata, quocumque portentur, sunt ab omnibus veneranda, & hæreticus ab Episcopo condemnatus ab omnibus fidelibus vitari debet, ut legitur, & notatur in c. *Ad abolendam*, & in cap. *Excommunicamus, il primo, infra de hæret.* Facit textus in cap. 1. & quod ibi dixi *in* 4. *notab. supra de treug. & pace*, & tamen si Episcopus vellet hoc dicere, seu præcipere non subditis, posset ei responderi, extra Territorium jus dicenti, &c. Quare ipse Hostien. *num.* 10. affirmat multiplicem rationem reddi posse cur Sanctorum canonizatio spectet ad solum Romanum Pontificem.

27 Primò scilicet quia hæc est una de majoribus causis, quæ inter Christianos proponi possit. Majores autem causæ ad Sedem Apostolicam sunt referendæ, cap. *Majores, in princ. supra de Baptism.* Secundò, quia miracula attribuuntur fidei, ut dictum est supra *n.* 9. Hæc igitur quæstio cum sit de fide, spectat ad diffinitionem solius Papæ, cap. *Quotiens*, 24. *q.* 1. Tertiò, quia ad Summum Pontificem pernet declarara dubium scripturarum, c. *Per venerabilem*, §. *Rationibus*, *qui fil. sint legit.* cap. 1. *sup. de feud.* Ergo multo fortius dubium sanctitatis, quia circa majora majus periculum vertitur, & ideo cautius est agendum, c. *Vbi periculum*, *de elect. lib.* 6. Quartò, ne populum decipi contingat ob multorum Episcoporum simplicitatem, ut hic, & in cap. *prox. infr. eod.* Quintò ne contingat in infinitum sanctos multiplicari, & sic devotionem frigescere, ac sanctitatem vilescere, cap *Episcopi*, 8. *dist.* Omnis autem infinitas, sed hæc præcipue est vitanda c, *Cum in multis*, *de rescript. lib.* 6. Ita Hostien. à quo prædictas rationes mutuavit glossa magna in cap. *un. infr. eod. lib.* 6, cum quia transeunt ibi Gemin. & Franc. Aliam rationem addit Augustin. *Triumph. de potest. Eccles. q.* 14. *art.* 1. *in corp.* videlicet quia sicut solius Christi est hominem sanctificare, & sanctos facere, juxta illud, Levit. 21. *Ergo sanctus sum Dominus, qui sanctifico vos*, ita est solius Papæ, qui Vicarius est Christi, hominum sanctitatem manifestare, & approbare. Similiter sicut olim Papa est caput totius ecclesiæ, ita ad ipsum solum spectat membris ecclesiæ mandare, ut aliquem colant ut sanctum. Ultetius, sicut opera, quæ sanctitati alicujus testimonium perhibent, fidei ecclesiæ innituntur; ita ad illum pertinet hujusmodi sanctum canonizare, ad quem pertinet quæstiones fidei determinare. Quod quidem planum est spectare ad Summum Pontificem, ut in d. cap. *Quotiès*, 24. *quæst.* 1.

28 Cæterum si ecclesia in hujusmodi Canonizatione erraret, quod non est credendum, tamen preces in honorem talis porrectas Deus acceptaret, ut inquit Innoc. *hic num.* 14. & Hostien. *n.* 10. *circa fin. vers. Quid si ecclesia*, & glos. in cap. *un. in verb. Sedes Apostolica ante med. vers. Et si ecclesia infr. eod. lib.* 6. Omnia enim in fide Christi purgantur, cap. *Vestra*, *in 1. resp. ad fin. sup. de vita, & honest. Clericor. & mulier.* & esto veritas canonizationis deficeret, tamen non deficit fides, c. *Debitum*, §. 1. *ad fin. supra de Baptismo*, & cap. 2. *& 3. ad fin. de Presbyt. non baptiz.*

Sed tu adverte, quia hæc quæstio supponit ecclesiam posse errare in canonizatione sanctorum. Quod tacite admittit Innocent. & fatentur expresse glossa, & Hostien. *locis citatis*, dum dicunt hunc casum posse accidere per textum in cap. *A nobis, il secondo, in 1. resp. infra de sent. excomm.*

Sed contrarium tenent multi; & præcipue S. Thom. *in quodl.* 9. *art. ult.* quare de hac controversia dic ut plene scripsi in cap. *Venerabili, à n.* 10, *usque in fin. supra de testib.*

30 In glossa prima nota ebrietatem non semper esse peccatum mortale. Quod non obscure in sinu st littera hujus capituli dum dicit vix orandum esse pro eo, qui in ebrietate occisus est: nam si sic veniale peccatum, pro tali orat ecclesia, cap. *Pro obeuntibus*, 13. *qu.* 2. & ita quod vix sit, tamen sit, *l. Vix. ff. de judic. cap.* 2. *de cognat spirit. lib.* 6. At
31 quando mortale peccatum est, pro eo qui illud commisit & sine pœnitentia obijt, nullatenus est orandum, cap. *Neque*, 88. *dist.* cap. *Cyprianum*, 21. *q.* 3. cap. *Placuit*, 25. *qu.* 5. Tunc autem glossa dicit ebrietatem esse peccatum mortale, quando est assidua, alioquin esse tantum veniale, ut 25. *dist.* §. *Alias, vers. Et quamvis Apostolus*, & vers. *Quæ autem sunt minuta*, & sequitur Hostien. *n. hic num.* 12. dicens secundum hanc distinctionem esse intelligendum, cap. *Episcopus*, 25. *dist.* c. *Nullus*, *de consecr. dist.* 5. & cap. *Ecrapula*, *de vita*, *& honest. Clericor.*
32 Verum alio modo distinguebat Vincentius in d. c. *Ecrapula*, cum quo transeunt *hic* Joan. Andr. *n.* 8. *vers. Dicebat*, Butr. *nu* 6. *vers. Quando autem*, & Anchar. *num.* 3. videlicet ebrietas in quantum est qualitas, quæ inest homini, qui facile inebriatur, fortè ex debili cerebro, non est peccatum. In quantum verò est passio, ut quia lacet vino sepultus, itidem non est peccatum; nec putat talem excommunicatum, si tunc percuteret Clericum, c. *Sanè* 15. *q.* 1. In quantum autem est actus, si est assiduus (non dico assiduus quod idem iteretur, sed quia similes præcedunt,) tunc est mortale. Idem in illo, qui se scienter inebriat. Si verò ignoranter, ut quia ab uxore decipitur, vel ignorat vini potentiam, tunc peccat venialiter.

33 QUÆRO An liceat aliquem inebriare ad detegendum aliquod secretum concernens publicam salutem puta proditionis patriæ, vel conjurationis in Principem.

34 Ad evidentiam propositæ quæstionis, quam non reperiab aliquo excitatam, supponendum est tam ex sacris litteris, quam ex Patrum, & aliorum scriptorum testimonio, hoc peculiare vitium tribui ebrie-

ebrietati, quod secretum nullum custodiat; nam
35 *Proverb. 31.* legitur, *Nullum secretum est ubi regnat ebrietas* in & Augustin. *Epist. ad Sacras Virgines.* (Ebrius, inquit, vultu dejecto, supinus accumbit, & sui omnino nescius, spectaculum se convivio præbet, & nihil consequitur sanum nullo alio cogente, præter vinum, cordis sui arcana patefacit, & amicorum sibi commissa secreta in medium prodit.) & Bernard. *in lib. de contempt. mundi,* (Quid turpius ebrioso, cui fœtor in ore, tremor in corpore, qui promit stulta, pandit occulta, cui mẽs alienatur, facies transformatur; ibi nullum est secretum, ubi regnat ebrietas,) Item Seneca *Epist. 28.* (Mero onerati, quemadmodum non retinent cibum vino redundante, ita nec secretum, quod suũ est, & aliorum, pariter effundunt,) & infra. (Ebrio nemo secretum sermonem committat.) & *Epist. 85* (Certè detegit omne vitium ebrietas, & incendit; ubi possedit animum nimia vis vini, quidquid malè latebat, detegit, vel emergit.) Similiter Virgil. *de Vin. & Vener.*

Multos cauus amor cogit secreta fateri;
Arcanum demens detegit ebrietas.

& Horat. *lib. 1. Epistol.*

Quid non ebrietas designat? operta recludit.
Fœcundi calices quem non fecere disertum;

Hinc Aeschines dicere solebat speculum formæ esse æs, vinum autem animi: insinuas nil tam secretum esse animo nostro insculptum, quod homo
36 ebrius non effutiat. Sed & Plinius *lib. 15. cap. 22.* Scriptum reliquit, vinum usque adeo mentis arcana prodere, ut mortifera etiam inter pocula loquantur homines, & ne per jugulum quidem redituras voces contineant; vulgoque, inquit, veritas attributa est vino: unde etiam prodiit adigium illud. (In vino veritas.) Item illud. (Non audivi verum, nisi à tribus hominum generibus, pueris, ebriis & insanis,) ut refert Paul. Manut. *in Adagiis*; necnon illud Græcorum apud Plutarch. in opusc. de garrulis; quod in corde sobrii, id in lingua ebrii. Quæ cum ita sint, si contra aliquem suborta sit suspicio, quod sit conscius proditionis, vel machinationis occultæ in Principem, aut regnum, contingit dubitari, an ad eam detegendam fas sit illum inebriare, præsertim si veritas aliter haberi non possit.

37 Ad partem affirmativam arguitur primo, quia ebrietas non videtur intrinsece mala: aliquando enim, & ex aliqua circumstantia potest esse sine
38 peccato. Ideoque secundum Cardin. Cajetan. *in 2. 2, quæst. 150. art. 2. in respons. ad 3.* Ebrietas scienter non ex delectatione potus, sed propter medicinam, est licita, si medicinæ ars disponat ebrietatem esse necessariam ad evacuationem, seu curam illius infirmitatis, quia in illo casu non est ebrietas formaliter, sed materialiter tantum, cum non sit ex delectatione in potu vini: & idem firmat absolute Marian. Socin in cap. *Si confiteris, num. 20. de accusat.* ubi refert insignem Medicum suo tempore ægrotum quemdam à periculoso morbo liberasse frequenti ebrietate, ut scripsi plenius in cap. *A crapula, num. 33. supra de vit. & honest. Clericor.* Si igitur licita est ebrietas pro salute privata corporis naturalis, longe magis videtur licita pro salute corporis mystici totius civitatis, vel regni, arg Auth. *Res quæ, vers. Ea enim quæ communiter omnibus pro sunt,* C. *Comm. de legat.* cap. *Scias, 7. qu. 1.* glos. & DD. in cap. *Bona, il*
39 *primo, supra de Postul. Prælat.* Hoc enim casu nec respectu ebrii, nec respectu inebriantis videtur ebrietas formaliter. Non respectu ebrii, qui fortè ebriatur ignorans potentiam vini, sicut Noe, qui primus vineam plantavit, dedit naturam, sed ignoravit potentiam, & vinum nec suo pepercit authori, ut legitur in cap. *Sexto die, §. In principio,* 35. *dist.* ad idem cap. *Inebriaverunt,* 15. *qu. 1.* unde talis non peccat, ut per D. Thom. *in 2. 2. qu. 150. art. 2.* & Archid. in d. cap. *Sexto die num. 9.* Vel certè si inebriatur voluntariè, non tamen ex voluptate, & concupiscentia vini, sed ut pereat Principi sic præcipienti: & sic ebrietas respectu ebrii non est formalis, argum. cap. 1. 15. *qu. 6.* Sed nec respectu inebriantis, quia principaliter non inten-
40 dit ebrietatem, sed revelationem secreti, quæ licita est: voluntas enim specificatur ab objecto, cap. *Cum voluntate, infra, de sent. excomm.* l. *Qui injuriæ, in princ. ff. de furt.*

41 Secundò, idem suaderi potest quia licita est ebrietas ad evitandam sævitiam tyranni pro securitate vitæ propriæ, secundum opinionem Martini relati à Cajetano *loco citato.* Ergo similiter licita erit pro securitate Regni, aut Reipublicæ, argum. l. *De pupillo, §. Si quis rivos,* ibi, cum publicæ salutis, & securitatis intersit, *ff. de nov. oper. nunciat.* cum concord. de quibus ibi per glos. *in verb. Securitatis,* ad hoc l. *Ut vim, juncta l. præcedenti, ff. de just. & jur.*

42 Tertiò id constare videtur, quia tametsi ad eruendam à reis, vel testibus veritatem certi modi sint à legibus præfiniti, videlicet rigorosum examen, quæstiones, seu tormenta, ut in *tit. ff. & C. de quæstion.* Tamen si hujusmodi remedia non sufficiant, non videtur illicitum pro communi securitate confugere ad remedium ebrietatis, quia ob publicam salutem receditur à jure communi, ut est text. in d. l. *De pupillo, §. Si quis rivos, ff. de novi oper. nunciat.* Unde Magistratus propter metum periculi, vel scandali Potest leges transgredi, ut notat Bald. in l. *Si quis filio, §. Hi autem, num. 4. ff. de iniust. testam.* & excusatur in syndicatu, qui ob multorum salutem transgreditur statuta, ut idem scripsit in l. *Observare, in 10. quæst. ff. de off. Proconsul.* & dixi plenius in c. *Canonum statuta, n. 180. & seqq. supra de constit.*

43 Quartò, quatenus id non liceat judici, qui potestatem non habet transgrediendi leges secundum ea, quæ scripsi in d. cap. *Canonum statuta, num. 114. usque in fin,* tamen non videtur negandum, quin id liceat Principi, qui legibus suis, vel prædecessorum non adstringitur, l. *Princeps, ff. de legib.* §. *Sed & quod Principi. instit. de iur. natur.* Potest enim Princeps manu regia causas cognoscere, & terminare omisso rigore judiciario, ut notat Bart. in Extravag. *Ad reprimendum in verbo Videbitur, in fin.* Et potest judicare secundum propriam, & particularem conscientiam adversus ea, quæ in judicio sunt allegata, & probata, ob eam rationem, quia potestatem habet legis condendæ & conditas abrogandi, ut firmant Cyn. Bartol, & alii in l. 1. C. *Ut quæ desf. Advoc.* Alber in l. *Illicitas, §. Veritas, ff. de offic. Prædic.* Felin. in cap. *Pastoralis, §. Quia vero, num. 23 vers. Secundò limita, supra, de off. deleg.* Quare cum modus procedendi ad eruendam à reis, vel testibus veritatem sit præscriptus à lege positiva, non videtur dubitandũ, quin supremus Princeps, qui est supra

omne

44 omne jus positivum, possit illam legem tollere, vel saltem super ea dispensare utendo ebrietatis remedio ex causa publicæ salutis, quam Princeps præ aliis tueri debet, l. 3. *ff. de offi. Præfect. Vigil.*
45 Cum præsertim id novum non videatur: nam celebre est Apophtegma cujusdam Persæ, qui negavit tormentis opus esse ad exquirendum verũ, eo, quia vino rectius eliciatur, quod approbãs Horat. *lib. 3. Carm. Ode 21. alt.*

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu sapientium
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo.

Et ita, *arte poëtica,*

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborent,
An sit amicitia dignus.

46 Sed præmissis non obstantibus, dicendum est minimè licere ob prædictam causam aliquem inebriare.

Primò, quia aut contra eum extant legitima indicia, quod sit conjurationis conscius, vel particeps, aut non: Si extant, ad exquirendum verum utendum est contra ipsum remediis præscriptis à jure: debet enim subjici torturæ, ut l. 1 *ff. de quæst.* & l. *Milit, §. Oportet C. eodem,* glos. & DD. in cap. *Cum contemplatione, i. fra de reg. iur.* Quam si sustinuerit, jam purgavit indicia, & quidquid deposuit; dicitur esse pura veritas, secundum communem, & ubiq; gentium servatam opinionem, de qua per Alber. *in rubr. C. de quæst. num. 9.* & in C. *Ed illum, n. 2. ff. eod.* & alios apud Iul. Clar. *in Pract. Crimin. §. fin. q. 64. vers. Illata*
47 *reo tortura.* Unde iniquum esset eum torquere iterum, & cruciare ebrietate, ex notatis per Bart. in l. *fin. in princ. ff. de quæst.* Petr. de Bellapert. & Salic. in l. *Si qui adulteri, C. de adulter.* & Alex. in l. *Unius, §. Reus, in ver. Nec consitetur, ff. de quæst.* Ebrietas enim est species torturæ, secundum illud Ovidii *lib. 1. Epist. ad Gell.*

Commissus leges & vino tortus, & ira.

necnon illud Horat. *& torquere mero.,* ut dixi supra *num. 45.* & Assessores, qui sine novis indiciis tormenta repetunt, nec Deum, nec leges habent præ oculis. ut inquit Cyn in l. *fin. n. 1. in fin. C. de quæst.* latè Hippol. de Marsil. in l. *Repeti, num. 6 & seqq. ff. eod.*

48 Nec dicatur hoc casu, in quo urgent indicia contra aliquem, posse Principem relicto remedio ordinario torturæ, ab initio adhibere extraordinarium remedium ebrietatis, si cognoscat aliter securitati publicæ non esse sufficienter consultum, argum l. *Qui bona fide, §. Si quis opus,* ubi Bart. *numero 2. vers. Aut per ordinarium. ff de damn. infect.*

Quoniam hoc procedit, dummodo extraordinarium remedium non sit à jure improbatum, ut efficaciter probat textus in cap. *Consuluisti, 2. q. 5.* ubi Stephanus Papa reprobans indicium purgationis vulgaris; (Ferri, inquit, candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent Canones, & quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata, debita, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare. Occulta verò, & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda fidelium hominũ.) Hæc ibi.
50 Quandiu ergo suppetit remedium juris, non est recurrendum ad remedium facti l. *Negãtes,* C. *de action. & oblegat.* l. *Extant, ff. Quod met. caus.* Rom.
51 *cons. 71. Visis dubiis, numer. 6* Et quamvis adsint legitima contra reum indicia, non tamen sine gravi peccato, uti licet inusitato hoc tormenti genere sed solito tantum, & consueto, ut notat Bald. in l. *1. num. 4. C. de emendat. serv.* Brun. *in tract. de indit. & tortur. in 2. part. qu. 2. numero 7* & alii apud Prosper. Farinacc. *in eodem tract. qu. 38. numero 35. & seq.*

25 Aut non extant inditia, & similiter non licet eum inebriare & torquere vino, argum. d. l. 1. & l. *Maritus,* & l. *Unius, § in ea causa,* & l. *fin. ff. de quæstion* & d. c. *Cum in contemplatione,* & notat Bald. in l. *numero 4. C. Quor appellat.* Hippol. de Marsil. *singular 17. incip. Ad torturam deveniri*
53 *non potest, in princ.* Quod procedit etiam in crimine læsæ majestatis, l. *Si quis alicui,* & ibi glos. *in ver. Consilium* Cyn. Bald. Salic. & aliis communiter, C. *ad leg. Iul. Maiest* & in proditione patriæ, ut per Angel. *de malefic in ver. Che hai tradito la*
54 *tua patria, in princ. num. 1.* Etiamsi Princeps hoc mandaverit, ut colligitur ex Grammat *Voto, 32. n. 9.* ubi testatur se respondisse Cardinali Columnæ Proregi Neapolis, nec regia authoritate ipsum mandare posse hominem torqueri, contra quem non extabant inditia sufficientia ad torturam: & eodem modo affirmat se respondisse Afflictus Regi Federico, ut refert Clar. *in § fin. q. 64. vers. Dixi quoque,* & Carrer. alios adducens *in Pract. Crimin. in 2. tract. de indit. & tortur. vers. Circa quartum,* qualiter & quando ad torturam deve-
55 niatur, *num. 12.* Quod si inferri non potest tortura consueta, longè minus tortura ebrietatis, quæ gravior est: nam illa torquet corpus: hæc verò corpus, & animam; unde Galen. relatus à Luca de Penna *in rubr. C. de legat. lib. 10 num. 12. vers. econtra* (Ebrietas, inquit, obvolvit memoriam, evacuat sensum, denigrat mentem, confundit intellectum, concitat libidinem, involuit linguam, impedit sermonem, corrumpit sanguinem, obtundit visum, perturbat venas, obturbat auditum, infirmat nervos, comprimit sensum, resolvit viscera, onerat cerebrum, debilitat memoriam, aufert fortitudinem, excitat somnum, obdurat animum, maculat corpus, & hominem suo coinquinat vitio, ac sine honore facit alienum.) Hæc ille. Et prolixius quæ, & quanta mala ex ebrietate proveniant, commemorat Philo Hebræus *de plantat. vin. Noe,* Clem Alexandr. *lib. 1. Pedagog. cap. 2. per tot.* & ex Juriperitis Lucas de Penna in l. *1. num. 7. C. de erogat. milit. annona lib. 12.* & Tiraquell ad lib. *Connubial. l. 9. à nu. 203* & patet ex dictis *supra n. 35.* & ex dicendis infra *num. 64.*

56 Secundò idem suadetur, quia ebrietas non est ordinata ad revelandum secretum, sed revelatio contingit per accidens, quia ebrius perdit usum rationis, secundum quam secretum occultabat, cap. *Venter 35. dist.* & cap *Sanè 15. quæst. 1.* Unde Marcus Tullius in Topicis inter ea, quæ certam faciunt fidem, commemorat somnum, imprudentiam, violentiam, insaniam. Quolibet autem remedio utendum est ad eum tantum finem, ad quem est introductum, ut notatur in cap. *In quæstionis, supr glos. 2. infra, de accusat,* text. cum glos. in cap. *Quia contingit, supra de relig. domib.* Petr.

 Bri-

Brixien in repert. in verb. Remedium.

57 Tertiò, idem deducitur, quia revelatio secreti, quam quis faceret, dum laborat ebrietate, nullius esset momenti, cùm ebrii testimonium non valeat, c. Sane & cap. Inebriaverunt, 15. q. & notant in cap. 1. supra de test. Bald. in fin. Dec. numero 22. & communiter Doctores, Rota decis. 45. numero 22. par. 6. recentior. Quinimò iura disponunt, ne quis testimonium dicat nisi ieiunus, ut in d. c. 41. Et quamvis
58 gloss. fin. ibi, Bald. in fin. & Doctores dicant illud esse consilium, & non præceptum nec servari de consuetudine: nihilominus ostendit quam longè abesse debeat ebrietas ab eo, qui testimonium
59 perhibet. Præterea ebrius hoc casu de secreto conjurationis deponeret non juratus, ac proinde nulla fides ei esset adhibenda, quia in juramento consistit substantia depositionis, l. Iuris iurandi C.
60 de test. cap. Nuper nobis, eod. tit. Rota decision. 19 numero 12. part. 7. recent. adeò, ut propterea nec Princeps supremus dispensare possit ut testis deponat non juratus, eique sic deponenti fides adhibeatur. Quod in Summo Pontifice tenuerunt Augustinus Triumph. de potestat. Eccles. quæst. 55. art. 4. inducens ad hoc authoritatem Apostoli dicentis ad Hebræos 6. Homines per majores suos jurant, & omnis controversia eorum ad confirmationem veritatis finis est juramentum. Felin in cap. Constitutus, numero 10. de Rescript. Ioan. Crot. in tractatu de testibus par. 7. numero 4. Roland à Valle cons. 8 Sententia, n. 14. lib. 4. Deferre autem juramentum ante ebrietatem esset non tam impium, quàm frustratorium, quia ebrius, qui non est mentis compos, moveri non posset ad veritatem aperiendam Iurisjurandi religione, juxta textum in d. l. Iurisiurandi, C. de
61 testibus. Quare cùm revelatio ebrii irrita sit, tam ex defectu usus rationis, quàm juramenti consequens est, ut nullo modo fas sit adhibere hoc medium ebrietatis ad revelandum secretum, quod revelatum non revelaret, ut l. Ad probationem, C. de probat. Cassodor. decis. 2. de dilat. Caputaq. decis. 68. par. 3. Rota in recent. decis. 31 n. 8. par. 7.

62 Quartò posset probabiliter contingere, ut ebrius in exilio mentis nominaret aliquos uti complices conjurationis aut proditionis, qui tamen verè culpabiles non essent. Ergo illius depositio, quæ in nihilo prodesse potest, ut patet ex dictis in præcedenti fundamento à n. 57. & multis noceret nullatenus extorqueri debet mediante ebrietate. Ad hoc bonus textus in cap. Denique, 14. quæst. 5. & quod notat glos. in l. Fluminum, § ita verb. Provinciæ, ff. de damn. infect. & Iacob de Arena in l. 1. in fin. ff. de aqua pluv. arcen.

Assumptum probatur, quia ut de ebrio legitur Proverb. 23. (Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa, & eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo, & dices verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, & ego non sensi; quando evigilabo & rursus vina reperiam. (Item Esa. 28.) Sacerdos, & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, & ignoraverunt judicium, & Iob. 12. (Errare faciet eos quasi ebrios.) Unde meritò Bernard in lib. de contemp. mundi dixit, ebrium stulta promere, eumque nescire quid loquatur, dicit text. in d. c. Sane, 15. q. 1.

Quintò idem suaderi potest quia aut Princeps, vel Magistratus intendit aliquem inebriare invitum, & reluctantem; aut volentem & consentientem. Et quidem primum non licere, satis superque ostensum est in præcedentibus fundamentis, & dicam infra n. 63. Sed nec secundum licere satis convincitur ex eo, quia cùm ille possit ultrò prodere veritatem, & arcanum conjurationis liberè fateri, stultum planè esset si se inebriaret ad hoc ut postea temulentus, & usu rationis privatus veritatem aperiret. Non enim eget hoc medio illicito, qui meliùs potest verum prodere, dum est sanæ mentis, ut ex se patet. Vnde scienter se inebriando, cùm nulla causa, vel necessitas eum excuset mortaliter peccat, quia ebrietas voluntaria semper est culpa lethalis, ut patebit in sequenti fundamento, & consequenter peccat etiam Princeps, vel Magistratus qui eum inducit ad mortale peccatum; nam & qui peccat & qui peccanti consentit, uterque Reus est, c. Ita corporis, 11. q. 1. & si quis alterius errori consenserit, & illi consilium dederit, sciat se cum illo simili modo judicandum culpabilem, cap. Qui consentit, ead. caus. & quæstione cap. Notum sit, in fin. 2. q. 1.

63 Vltimò omissis aliis, hoc ipsum evidenter ostenditur: quia ebrietas voluntaria intrinsecè, & secundum se est illicita, & mala, dicit enim Apostolus 1. ad Corinth. 6. Neque ebriosi regnum Dei possidebunt, & Prov. 23. Ne intuearis vinum quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color eius ingreditur blandè, & in novissimo mordebit ut coluber, sicut regulus venena diffundet, & Prov. 23. 29. 30 & 31. Cui væ? Cui rixæ? Cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? & Esa. 5. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis, & 22. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Nam illud, væ est comminatio pœnæ æternæ, quæ non fit nisi pro mortali peccato, ut cap. Væ qui dicit, 11. quæst. 3. & cap. Væ eis de pœnitentia distinct. 4. & in puncto tenet Turrecr. in cap. Sexto die numero 6. 35 distinct. sed & Au-
64 gustinus in epist. ad sacras Virgines, (Ebrietas inquit est vitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntatis, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela,) & infra, Ebrietas in utroque sexu cuncta mala appetit, & nefanda cõmittit) & ut ait Apostolus, Regna cœlestia appetentibus denegat, & idem August. in epist. 182. Ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, suave peccatum, quam qui habet, seipsum non habet, quam qui facit, peccatum non facit, sed totus est peccatum. Et procedunt hæc quamvis ebrietas non sit assidua: nam nihilominus semper est mortale peccatum, si sit voluntaria, ut ex sententia D. Thomæ, & Cajetani in 2. 2. q. 150. art. 2. Archidiac. in d. cap. Sexto die, num. 9 & Turrecr. num. 1. 35. dist. & aliorum. Probavi latissimè in c. A crapula, à numero 24. usque ad num. 33. supra, de vita, & honest. Cleric. & fuit opinio Vincentii, ut tetigi supra, num. 32. Quamobrem licet ex revelatione ebrii prodiret commune bonum Reipublicæ, tamen nefas esset uti hoc medio ebrietatis quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ut in hac specie scripsit Cajetan. d. art. 2. ad tertium vers. Ad

alterum

alterum verò. Et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Proverb. 11. & secundum Augustin. epist. 182. Quicumque ad bibendum pronus fuerit, vel convivio alios suos adjuvabit pro se, ut & pro ipsis in die judicii reus erit.

Non obstant contraria. Ad primum enim respondetur, non valere illationem, Ebrietas est licita ad vomitum provocandum, & recuperandã corporis valetudinem; ergo etiam est licita ad detegendum secretũ pro salute civitatis, aut regni.
65 Namin primo casu potus in ordine ad proprium, & proximum finem valetudinis non est immoderatus si medicinæ ars tantam vini copiam requirat ad provocandum vomitum, & morbum depellendum. Vnde ebrietas tunc non est peccatũ, quia est per accidens, & non provenit ex inordinata concupiscentia vini, cum cognitione potentiæ illius ad inebriandum, quæ est ratio formalis ebrietatis, ut declarat Cajetan. in 2. 2 qu. 150. d. artic. 2. ad 3. vers. Ad alterum verò. in secundo autem casu potus non ordinatur per se ad revelationem secreti, vel ad salutẽ Reipublicæ, sed proprius, & proximus illius finis est ebrietas, & revelatio postea contingit per accidens, ut tetigi su-
66 pra num. 56. Moralia autem recipiunt speciẽ non ab his, quæ per accidens eveniunt: sed ab eo, quod est primò, & per se intentum, ut in proposito docet S. Thomas d. art. 2. & Archid. in cap. Sexto die n. 9. 35. dist. Quare hoc secundo casu ebrietas est formalis, & sic intrinsecè mala ut constat ex dictis supra in ult. n. 63.

67 Ad secundum respondetur doctrinam illam Martini, quod licita sit ebrietas ad evitandam sævitiam Tyranni, non esse tutam, eamque post Cajetan. loco citato plenè confutavi in dict. cap. A crapula, à num. 37. usque in fin. supra de vit. & honest. Cleric. Vnde hinc potius sumi potest validum fundamentum, pro hac parte: nam si non licet se inebriare ad evitandam mortem proprii corporis à tyranno imminentem, ob eam rationẽ, quia proprius, & proximus finis immoderati potùs eo casu est ebrietas, & evitatio mortis est per acci-
68 dens. Ergo ob eamdem causam multò minus licita erit ebrietas ad hoc, ut ea sequatur revelatio conjurationis, & ex revelatione liberatio Reipublicæ. Quia jure naturæ magis adstringimur ad tutelam proprii corporis, quàm ad tutelam patriæ, vel parentum, ut probat text. in Clem. Si furiosus, juncta glos. in ver. Suum, de homicid. & scripsi plenè in cap. Petitio, eod. tit.

69 Ad tertium respondetur, imò secundum veriorem sententiam Iudici non licere leges transgredi, etiam ob publicam salutem, ut latè deduxi in cap. Canonum statuta, à num. 114. usque in fin. de Con-
70 stitut. Et quatenus id liceret, non tamen fas esset uti mediis ex sui natura illicitis, & malis, sicut est ebrietas.

71 Ad quartum, omissa responsione quod Princeps, quamvis sit solutus legibus vi coactiva, illis tamen adstringitur vi directiva rationis, ut probavi latissimè in d. cap. Canonum statuta, à num. 57. usque ad n. 64. Respondeo, Principem esse solutum legibus humanis, sed non lege naturali & divina, cap. Sunt quidam, 25. q. 1. c. Si quis præest, 10. qu. 3. & c. Quæ contra, 8. dist. cum multis similibus, ebrietatem verò lex Dei, & naturæ vetat, ut constat ex dictis supra n. 63. & seq.

De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

Cap. Cum ex eo.

SUMMARIUM.

1 *Reliquias vendere, vel passim ostendere, aut de novo inventas sine licentia Papæ venerari non licet.*
2 *Sacræ res non sunt in dominio alicuius, nec recipiunt æstimationem.*
3 *Spiritualia vendens capitale crimen cum simonia committit.*
4 *Reliquiæ non debent extra capsam ostendi, præsertim quæstus causa.*
5 *Reliquias novas an, & quando venerari liceat sine licentia Papæ.*
Et quid post Concilium Trid. n. 6. & seqq.
6 *Reliquias non canonizati an hodie possit Episcopus recognoscere, & approbare, & num. seqq. usque ad num. 10.*
7 *Miracula nova canonizati admitti non debent, nisi recognoscente, & approbante Episcopo, & num. 9.*
Qui tamen debet negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittere, & eius responsum expectare, num. 10.
8 *Determinatio una respiciens duo determinabilia debet utrumque pariter determinare.*
9 *Nisi in uno diversa sit ratio, quàm in altero, & numero 21.*
Vel nisi aliàs induceretur iuris correctio, n. 22.
11 *Reliquias novas Sancti non canonizati secretò venerari, seu ad illas devotionem habere, non est prohibitum.*
12 *Reliquiæ portari possunt suspensæ ad collum, dummodo id fiat ex fiducia Dei, & Sanctorum, non autem superstitiosè.*
13 *Quæstorum fraudes, & figmenta varia.*
14 *Corpora Sanctorum an Episcopus possit de Ecclesia ad ecclesiam transferre sine authoritate Papæ, & num. seqq. usque ad num. 29.*
15 *Reliquiæ transferri possunt Episcopi authoritate.*
16 *Intellectus, cap.* Corpora Sanctorum, de consecrat. dist. 1. *& num. seqq.*
17 *Corpora Sanctorum iniussu Principis non sunt transferenda.*
18 *Translatio reliquiarum, & corporum Sanctorum fieri non debet authoritate Principis sæcularis.*
19 *Consilium in spiritualibus à laicis petere, non est prohibitum.*
20 *Consilium petere qui tenetur, illud sequi non cogitur.*
23 *Consilium, & consensus se invicem compatiuntur.*
24 *Corporum defunctorum translatio cur legibus imperialibus interdicta.*
25 *Corpora excommunicatorum, & hæreticorum exhumari debent.*
26 *Sepulchrum tangere olim non licebat, etiam reficiendi causa.*
27 *Gladius uterque restitutus Sacerdotibus ab Ethnicis Principibus usurpatus.*
28 *Reliquiarum translationem cur Concilium Moguntinum fieri decreverit authoritate Episcoporum.*

29 *Corpora Sanctorum transferre an possit Episcopus sine Capituli consensu.*
30 *Capitulum maioris ecclesiæ aliquando Concilium appellatur.*
31 *Corpora Sanctorum de loco ad locum sine iusta causa transferri non debent.*
32 *Translatio reliquiarum est species alienationis.*
33 *Aquileiensis Concilij decretum de translatione Sanctorum corporum, & reliquiarum, refertur.*
34 *Corpora Sanctorum transferens sine legitima licentia qualiter sit puniendus.*
35 *Pœna est arbitraria iudici, ubi à iure non reperitur determinata.*
36 *Delictum transferentis Sanctorum corpora cui assimiletur.*
37 *Extravagans Ambitiosæ locum habet in alienantibus res temporales, non autem spirituales.*

1 CUM EX EO. Sanctorum reliquias vendere, vel passim ostendere, aut de novo inventas sine licentia Papæ venerari nō licet. Hoc dicit. Et tria facit. Primo ponit duplicem excessum, quem secūdo prohibet distinguendo inter veteres, & novas reliquias, ibi, *præsenti*, Tertiò fraudes per Prælatos cohiberi præcipit ibi, *Prælati*.

2 Nota primò ibi, *exponunt venales* Sanctorum reliquias vendi non posse, ut hic, & in l. *Nemo C. de sacr. sanct. eccles.* Idque duplici ratione. Altera est, quia res sacræ, quales sunt reliquiæ, non sunt in dominio alicujus, nec recipiunt pretii æstimationem, l. *Sacra loca*, §. *ult. ff. de rer. divis.* & consequenter vendi non possunt; quia sine pretio venditio non consistit, l. 2. §. *Sine pretio*, *ff. de contrah. empt.* & §. *Item pretium instit. de em-*
3 *ption. & vendit.* Altera ratio est quia spiritualia, & spiritualibus annexa non possunt vendi sine labe simoniæ, cap. *Quærelam, infra de simon.* cap. *De iure, supra de iurepatr.* Imo qui spirituale vendit, capitale crimen cum simonia committit, cap. *Qui studet, 1. q. 1.* glos. 1. *hic* Host. *in princ.* Butr. *n. 1.* & Abb. *in 1. notab.*

4 Secundò nota, ibi, *extra capsam*, Antiquas reliquias non debere extra capsam ostendi, ne Christianæ Religioni detrahatur, ut dicitur in littera. Ex hoc enim secundum Host. *n. 5.* Io. Andr. *n. 1. in verb. Extra capsam*, Butr. *num. 3.* & Abb. *in 2. not.* Detractores sumunt occasionem obloquendi, & blasphemandi: nam videntes ossa nuda, ut verbis Host. utar, dicunt, truffæ sunt, si enim sanctus esset, non esset sic consumptus, non advertentes ad illud quod generaliter omnibus dictum est, Genesis 3. *Cinis es, & in cinerem reverteris*, aliam rationem habes infra n. 28. in fin. maximè, autem procedit hæc prohibitio si reliquiæ è capsa extrahatur quæstus gratiâ, ut largiores fiant oblationes, qui enim hoc faciunt, possunt dici venales, sicut & mulier fatua, & Advocatus, & pugil, cum passim se offerunt pecuniæ causa, secundum Hostien. *numero 6. in ver. Nec exponantur*, & *n. 7.* Io. Andr. *num. 2. in eod. ver.* Butr. *n. 4.* Cardin. Anchar. & Abb. *omnes in 1. not.* Hæc enim est quædam larga venditio secundum Abb. Quo autem modo, seu forma, quove ordine ac decentiâ Sanctorum reliquiæ sint populo exhibendæ explicat præclarè Concilium Aquileiense primum in *tit. de reliq. Sanctor. tom. 4. Concil. part. 2. fol. 564. col. 2.* Subdit tamen Host. *n. 10. in ver. Auctoritate*, hoc minus bene servari, quia statuta omnia frangit avaritia, & insolentia Clericorum, quod esset corrigendū. Facit, cap. *1. in fin. supra de decim.* Ad hoc Conc. Trid. *sess. 25 de invocat. venerat. & reliq. Sanctor. &c. circa finem* ibi, In reliquiarum veneratione omnis turpis quæstus eliminetur. Et Concilium Aquileien. *loco citato littera F.*

Quemadmodum autem fas non est veteres reliquias extra capsam ostendere, aut venales habere, ut hic dicitur; ita nec licet illas transferre sine licentia Papæ, secundum Hostien *n. 6. in verb. Nec exponantur*, & Io. Andr. *num. 2.* Sed hoc latissimè examinabitur *infra in 1. quæst.*

5 Tertiò nota ibi, *Inventas autem de novo.* Nemini licere reliquias de novo inventas publicè venerari sine auctoritate Romani Pontificis, ut hic est casus secundum omnes. Quod intellige de reliquiis omnino novis: nam si essent antiquæ, licet de novo inventæ, non esset locus huic prohibitioni, secundum Io. Andr. *hic n. 3.* & Butr. *num. 5.* & hoc verum, si certum sit illas esse reliquias sancti antiquitus approbati, puta si cum eis inventa esset scriptura, seu documentum, authenticum de hoc fidem faciens, secundum Hostien. *numero 9. in ver. De novo*, secus si esset dubium, quia tunc sine auctoritate Papæ illas colere non liceret, ut per Abb. *num. 1. vers. Sed dictum glossæ*, qui ita intelligit hunc textum.

6 Neque verò hæc distinctio inter reliquias veteres de novo inventas & reliquias omnino novas videtur hodie sublata à Concilio Trident. *sess. 25 de invocat. venerat. & reliq. Sanctor.* ubi statuitur novas reliquias non esse recipiendas, nisi recognoscente, & approbante Episcopo, qui simulatque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit. Quandoquidem Cōcilii dispositio videtur intelligenda de reliquiis de novo inventis, quæ sunt alicujus sancti antiquitus approbati, non autem de omnino novis, ut sic recipiat interpretationem passivam à jure communi ad l. 2. C. *de noval.* & nō corrigat hanc decretalem; expedit enim jura juribus concordare, d. cap. *Cum Expectas, de election. lib. 6.* Præsertim verò, quia si Episcopus posset publicæ venerationi exponere novas reliquias non canonizati; utique hoc modo per indirectum posset in sua Diœcesi etiam Sanctos Canonizare, & unicuique liceret de licentia solius Episcopi aliquem venerari pro sancto, contra text. in c. *prox. supra eod.* contra unanimem Doctorum sententiam, & inveteratam consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, ut ibi dixi in *1. notab.*

7 Sed dices Concilium sub unica verborum conceptione determinat nulla admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo. Sed respectu miraculorum S. Congregatio ejusdem Concilii interpres consulta, an hæc dispositio quæ videtur admodum universalis, intelligenda sit de miraculis personæ etiam non canonizatæ, an verò de miraculis Sanctorum canonizatorum dumtaxat: Respondit de omnibus esse intelligendam. Ergo similiter respectu reliquiarū intelligi debet de omnibus reliquiis etiam sancti non canonizati;
8 quia una determinatio respiciens duo determinabilia, debet utrumque æqualiter determinare,

l. *Iam*

l. *Iam hoc iure*, §. *Sed si*, & ibi Bart. *num. 1. ff. de vulg. & pupillar.* l. *fin. Cod. de sent.* Decius in cap. *Novit, num 56. supra de iudic.*

9 At respondetur dictam regulam dupliciter limitari, primò enim non procedit, quando in uno ex determinabilibus est diversa ratio, quàm in altero, l. 2. & ibi glos. *1. ff. de offic. Proconsul. & legat.* & ita eam limitat Imola in l. *Cum, in 3 column. ff. solut. matrim.* & Pomat. in addit. ad Bart. in l. *Si quis maior, col. 2. in ver. Ex hoc not. vers. Eo quia una determinatio, Cod. de transact.* Et quamvis hanc limitationem in dispositione hominis revocet in dubium Alex. ubique in dict. l. *Iam hoc iure*, & post eum Ias. *ibid. num. 11. in 2. limit.* tamen eam admittunt in dispositione legis, secundò non procedit prædicta regula, quando aliàs induceretur correctio juris, ut dicam infra *num. 22.* utraque autem limitatio concurrit in casu præsenti: quandoquidem versamur in dispositione legis Conciliaris. Et longè diversa est ratio inter nova miracula, & novas reliquias: nam de jure communi potest Episcopus inquirere, ac testes recipere super miraculis, & vita alicujus canonizandi, ut l. & not. in c. *Venerabili, supra de testib.* Vnde intelligendo decretum Concilii generaliter de novis miraculis tam sancti jam canonizati, quàm canonizandi, nulla sequitur absurditas, aut juris correctio. At verò quo ad reliquias si Concilium intelligeretur de omnino novis, corrigeretur jus vetus, & sequerentur absurda, quorum superius meminimus.

Præterea ex eo, quod Episcopus recognoscat miracula alicujus canonizandi, non ideo licet eū venerari pro sancto, ut c. *prox. supra eod.* quia miracula quandoque fiunt etiam per malos, cap. *Teneamus, 1. qu. 1.* glos. 1. in cap. *Venerabili, supra de testib.* & sic Episcopus per hoc nihil novum in ecclesia statuit. At secus esset, si approbaret, & reliquias alicujus nondum canonizati, quia sic sanctum novum in Ecclesia introduceret, & tamen Concilium circa finem decreti præallegati Episcoporum facultatem in recognoscendis novis reliquiis limitat in hæc verba, videlicet ita tamen ut nihil inconsulto Sanctiss. Rom. Pontifice novum, aut in ecclesia hactenus insuetatum decernatur. Tene igitur neque de jure communi, neq; ex Concilio Trident. licere Episcopo approbare reliquias omnino novas, idest sancti antiquitus non approbati; quidquid contra scripserint Moderni Collectores.

10 Adde, quod hodie ex decreto san. mem. Vrbani VIII. die 13. Martii 1625. edito in Generali Congregatione S. Romanæ, & universalis Inquisitionis, ac relato per eosdem modernos *hic nu. 6.* Quamvis Ordinarii locorum possint recognoscere, & approbare miracula alicujus, qui Martyrii fama, vel sanctitatis opinione celebris è vita migravit, tamen ne quid novum, ac inordinatum in re tamen gravi committatur, jubentur negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittere ejusque responsum expectare.

11 Quartò nota ibi, *Nemo publicè venerari præsumat.* A contrario sensu non esse prohibitum in secreto venerari reliquias, de novo inventas, alicujus sancti ab ecclesia nondum canonizati, seu ad illas devotionem habere, prout *hic* notant Host. *num. 10.* Ioan. Andr. *num. 3* Butr. *num. 6.* & reliqui omnes, de quo in cap. *un. infra eod. lib. 6.* & post
12 Innoc. & alios dixi supra in cap. *prox. num. 18.* Vnde nec videtur prohibitum hujusmodi reliquias gestare ad collum suspensas; æquè enim licet occultam hanc devotionem habere ad has novas, sicut ad antiquas reliquias, ut proximè dictū est, De antiquis autem hoc licere author est S. Thomas in *2. 2. q. 96. art. 4. ad tertium, in illo arg. contrario*, ubi docet, reliquias sanctorum, vel divina verba licitè portari suspensa ad collum, si portentur ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum sunt reliquiæ: secus si attenderetur aliud vanum, quod non pertineret ad reverentiam Dei, & Sanctorum, quia esset superstitiosum, & illicitum: sequitur S. Anton *in 2. part. tit. 12. cap. 8. in princ. vers. Item portare reliquias*, Sylvest. post alios *in verb. Reliquiæ, num. 4.* Navar. *in Manual. cap. 11. num. 35. in fin.*

13 Vltimò nota ibi. *Prælati verò non permittant.* Ad Prælatorum officium pertinere pravos quæstorum abusus corrigere, ne fidelis populus variis illorum figmentis, & falsis documentis decipiatur. Ad hoc Concil. Trident. cap. *9. sess. 21.* & multas illorum fraudes commemorat hic Host. *num. 11.* & alii post eum, & vide quod scripsi in cap. *Tuarum, n. 2. infra de privil.*

14 QVÆRO An Episcopo absque Sedis Apostolicæ authoritate saltem de suo Capituli consensu liceat Sanctorum corpora de ecclesia ad ecclesiam transferre.

15 Authoritate Episcopali citra scientiam Sedis Apostolicæ translationem reliquiarum, vel corporū Sanctorum fieri posse affirmat Angel. *in ver. Reliquiæ, num. 1.* quem sequitur Sylvester: nam etsi eum non nominet, transtulit tamen ejus verba in summa *in verb. Reliquiæ, num. 3* & Armil. *in verb. Reliquiæ*, & Tabien. *in eod. verb.* Et pro hac opinione adduci potest irrefragabile fundamentum ex regula, quæ habet posse Episcopum in sua diœcesi quæcunque Conditor canonis sibi expressè non reservavit, cap. *Nuper, de sent. excom.* ubi glos. *in ver. Retinuit*, & cap. *Clerici*, §. *De adulteriis, de iudic.* ubi per glos. & Doctores hoc axioma explicatum est. At hic casus non recensetur inter reservatos eminentiæ Sedis Apostolicæ, licet Specul. *enumeret 80. in Rubr. de legat. §. Nunc extendendum*, & Hostien. *41. in summ. de off. legat.*

16 Nec obstat authoritas glos. Io. in c. *Corpora Sanctorum, de consecr. dist. 1. in ver. Principis*, ubi exponit verbum Principis, idest Papæ. Vnde elici videtur, id fieri non posse sine Papæ licentia: quod sentit Host. *in summ. tit. de reliq. & vener. Sanct.* & alii, qui scribunt super d. c. *Corpora*, & idem Host. *hic num. 6. in ver. Nec exponantur*, & Ioan. Andr. *n. 2.* Paul. de Castro in l. *idem Iulianus, quæ est 41. §. Constant, de legat. 1. num. 6.* & Franciscus Aretin. *ibid. in fin.* dicentes id esse verum etiam de aliis corporibus defunctorum. Id, inquam, non obstat, quia dicta expositio est satis aliena à verbis dicti canonis, sicut est etiam aliàs similis explicatio glos. quæ exposuit text. in l. *final. Cod. de relig. &*
17 *sumpt. fun. augusti affatum*, idest Papæ. Et hoc esse verum iura iuribus declarando, comprobatur, quia Concilium Moguntinum non statuit aliquid novi, sed idem, quod antiquis legibus, & iure gentium prius, & sanctionibus Imperatorum & Gentilium & Christianorum fuerat ordinatum ut corpora quorumcumque defunctorum non transferantur

rentur injussu Principis, ut in l. *final. C. de religios. & sumpt. fun.* quæ fuerat lata anno Domini 388. per Imperatores Valentianum, Theodosium, & Arcadium, quoniamne forte posset controverti, an dicta dispositio traheretur ad corpora Sanctorum, statuit dictum Concilium idem, quod in l. *Ossa*, & d. l. *final.* scilicet ut id attentaretur sine licentia Episcoporum, vel sine jussu Principis, & Imperatoris. Dicta autem jura, scilicet l. *Ossa*, & l. *fin.* super quibus fundat se glossa, nullo modo patiuntur glossæ intellectum, cum Ulpianus conditor d. l. *Ossa* fuerit Ethnicus, & Imperatores in illis verbis, Augusti affatibus, nulla ratione de Papa sensisse videri possint, cum ipsa verba repugnent, & eadem glos. Decreti parum sibi constans idem ver. *Principis*, quod habetur in cap. *Diffinimus, 17. q. 4. in fin.* exposuit, Principis, idest Iudicis ecclesiastici, cum verba similiter concepta essent de Principe temporali, & sæculari; & si inspiceretur prototypon, seu originale Concilii Moguntini primi, in c. 51. unde desumpserunt, & Gratian. & Ivo. & Buccardus hunc canonem, fortasse reperiretur tunc ab Ecclesia nihil aliud actum fuisse, quã ut sanctio prohibens transferri corpora prophana, etiã in corporibus sacris observaretur. Et mirum est glossam civilem in d. l. *final. C. de Relig.* incidisse in hanc expositionem, dum in l. *fin. ff. de mort. infer.* Exposuit verb. *Pontificis*, in materia translationis corporũ defunctorũ, idest Episcopi, qui in talibus suum exercet officium, & in l. *Hereditas, ff. de petit. hæreditatis in fin.* exposuit verba, *principali*, seu Pontificali authoritate, Principis, vel Papæ, seu Episcopi, & in l. 3. § *Tamen Divus Marcus, ff. de sepulc. violat. cens.* Translationem fieri permissu Principum, quæ glossæ expositio corroborat opinionem pro Episcopo.

18 Porrò à legibus Imperialibus hoc tantum discrepat Concilium Moguntinũ, quod illę loquũtur de jussu Principis, hoc verò de consilio tantũ. Id quod eam habet rationem; quia cum actus translationis reliquiarum, & Sanctorum corporum sit spiritualis fieri non debet authoritate, ac jussu Imperatoris, cui nulla est de rebus spiritualibus disponendi facultas, c. 1. 96. dist. & habetur, 10. dist. per totam, cap. *Iudicatum*, 89. dist. & cap. *Solitæ*,
19 *de maior. & obed.* At consilium in his peti etiam à laicis sacri Canones non repugnant. cap. *Ad nostram, de consuetudin.* Neque enim consilium est necessitatis, sed voluntatis, cap. *ult.* § *Quod præ-*
20 *cipitur, 14. quæst. 1.* Ideoque qui tenetur consilium petere, illud tamen sequi non cogitur, cap. *1. de Capell. Monachor.* cap. *Cum olim, de arbitr.* glos. in cap. *Cum in veteri, in ver. Expectatum, de elect.* & sæpius in similibus casibus respondit S. Congregatio Concilii.

21 Neque obstat quod cum textus d. cap. *Sanctorum*, loquatur de consilio Principis, vel Episcoporum, quemadmodum respectu Episcoporum importat consensum, secundum glos. in cap. *1. § fin. in ver. Cum consilio, Ne sede vacan. lib. 6.* ita & respectu Principis, ex regula l. *Iam hoc iure, § Sed si, ff. de vulgar. & pupillar.* Nam respondetur eam regulam non procedere, quando determinabilia diversam habent rationem, ut habet hoc casu Princeps laicus ob ejus incapacitatem. Ita colligitur ex cap. *Cum Marthæ, in princ. de celebrat. Missar.* DD. in cap. *Translatio, de Constit.* & dictum est supra *num. 9.*

22 Quemadmodum nec procedit dicta regula, quando alias juris correctio induceretur, ut declarat Bald. in c. *Inter cæteras, de rescript.* & Abb. in d. c. *Translato, circa fin.* Sicut induceretur hoc casu; nam cum reliquiarum translatio fieri non possit sine authoritate Episcopi: si verbum, *consilii*, respectu Episcoporum staret in propria significatione, corrigerentur jura, quæ consensum requirunt. Præterquam quod etsi verbum illud importaret verum, & proprium consilium etiam respectu Episcoporum; Satis tamen est, ut necessitas exigendi Episcoporum consensum eliciatur ex aliis juribus: cum consilium, & consensus sibi invicem compatiantur, ut in c. *Cum in veteri*, ubi glos. *in verb. Expectatum de elect.* Præterea observandum est accuratè ver. illud, *consilio*, fuisse appositum respectu Principis tantum; respectu autem Episcoporum fuisse appositum ver. *Licentia*, quod habetur ibi in fin. & refertur tam ad Episcopos, quam ad Synodum, cap. *Secundo requiris, supra de appellat.* Vnde sensus est: Corpora Sanctorum non transferantur sine consilio Principis, vel licentia Episcoporum, sanctæque Synodi; & sic cessat omnis difficultas, quia utrumque verbum retinet propriam significationem.

23 Sed etsi expositio glossæ in d. cap. *Corpora*; admitteretur, nõ tamẽ ex ea inferretur, ut hujusmodi translatio competeret soli Papæ, quia nec ipsa, nec ejus sectatores hoc affirmant, nec si affirmarent, esset verum, quia idẽ canon contradiceret, & repugnaret, cum in ultima parte det facultatẽ Episcopis expressè; loquitur enim alternativè ibi, sine consilio Principis, vel Episcoporũ: ex quo sequitur, ut non competat soli Papæ, sed Papæ, & Episcopis, videlicet Papæ in universo orbe, & Episcopis in sua cuique diœcesi, ut exponunt glos. præallegatæ, & affirmant Summistæ citati supra *num. 15.* Ideoque Hug. & post eum Turrecr. in d. cap. *Corpora, num. 2.* Sylvester *in verb. Reliquiæ, quæst. 3.* dicunt ad Papam, vel ad Episcopos hoc jus pertinere: & tamen est verum quod Pisanella affirmat in verb. *Reliquia*, idest decretum prædicti Concilii admittere generalem dispositionem legum Imperatorum, quibus cautum erat, ut hæc facultas pertineret etiam ad alios, quam ad Principem.

Nec obstat ratio, quam inducunt scribentes in cap. *prox. supra eod.* cur Papæ tantum competat facultas canonizandi Sanctos, juxta tex. ibi. & in cap. *Venerabili, de testib.* scilicet, quia festum, & officium illorum celebrandum est ab omnibus; & propterea idem sit dicendum de translatione. Nam respondetur festum translationis celebrari in ecclesia particulari. Episcopus autem sicut statuere potest, ut festum aliquod celebretur in particulari ecclesia, ita etiam potest constituere ut celebretur festum in honorem alicujus Sancti, cujus corpus, vel notabiles reliquiæ sint in illa ecclesia, & loco particulari, ut firmant communiter Doctores, in d. *cap. proxim.* & ibi dixi *num. 23.* & consequenter etiam translationem potest facere sine Papæ authoritate.

Minus refragatur id quod sancitum est in Concilio Tridentino *sess. 25. in decreto de invocat. vener. Sanct.* Quia per illud tantum abest ut aliquid detrahitur Episcoporum authoritati, ut potius videatur augeri illorũ facultas quoad recognoscẽdas, & approbandas novas reliquias, quæ de jure
com-

communi non ita clarè eis competebat, ut patet in hac decretali, & dictum est supra *numero 5. & seq.*

24 Opportunum esset investigare causam, cur ita dispositum sit circa translationem: causa enim non parum conducit ad comprobandam, quam sequimur, opinionem. Quippe ratio legum Imperialium expressa est in l. *Ossa, ff. de relig. & sumpt. funer.* Erat enim injuria, & pro tali æstimabatur,
25 ut cadaver humatum semel effoderetur. Vnde etiam apud Ecclesiam receptum est, ut in ignominiam exhumentur corpora excõmunicatorum, & hæreticorum, in decretali, *Sacris, de sepult.* cum
26 simil. Item in l. *Divi fratres, eodem tit.* Cavetur ne justæ sepulturæ traditum; idest terra conditum corpus inquietetur, & ne ex levi causa corpora, quæ quiescebãt, huc illucque asportentur: & ideò sine Principis licentia fas non erat vel saltem Præsidis provinciæ, l. *1. eodem tit. de religios.* & d. l. *Divi fratres*, & l. *Si quis autem, ff. eodem.* Item erat prohibitum etiam Religionis causa, ob quam nec permissum erat sepulchrum tangere, etiam reficiẽdi studio: erat enim violare sepulchrũ, ut in l. *fin.*
27 *ff. de mor. infer.* Vnde ad curam Pontificum gentilium spectabat idem permittere, vel etiã ad Principem, qui etiam Pontificiam dignitatem exercebat: quod hodie commutatum est, quia Principi gladius tantum temporalis; Sacerdotibus verò uterque datus est, imo uterque restitutus est, cum uterque malè usurpatus esset ab Ethnicis Principibus, ut in Extravag. Bonifac. VIII. *Vnam sanctam, de maior. & obedien.* Hæc de gentilitate.

28 Sed quoad Concilium crederem duplici causa id institutum; primo, ut honorificentius majori cultu adhibito fieret translatio, & major cura adhiberetur; ut cautè ad id procederetur, ne extraherentur in publicum ossa extra capsam, seu arculam: quod videtur desumptum ex d. l. *Divi fratres*, ad vitandum periculum supponendi alias falsas reliquias, quibus populus deciperetur, ut legitur & notatur in hac decretali & ideo id transferendi munus providentissimè Episcopo est tributum.

29 Sed majus dubium est, an Episcopus id possit sine consensu Capituli suæ ecclesiæ: & quamvis Archidiac. in d. cap. *Corpora, de consecr. dist. 1.* Sylvest. & Armill. supracitati *num. 15.* videantur hanc facultatẽ Episcopo absolutè attribuere per disiunctivam, *vel*: tamen contrarium videtur verius, tum ratione rei, quæ gravis est, unde secundũ omnes regulas, cap. *1. tot. tit. supra de iis, quæ fiunt à Prælat. sine consensu Capituli*, Episcopus tenetur ad hoc Capitulum suum convocare, & audire, ita ut sine ejus collaudatione nihil validè facere possit, maximè quia sumus in materia alienationis quodammodo rerum ecclesiæ; tum quia d. c. *Corpora*: quando agit de Principe, nihil ad-
30 dit. At quando agit de Episcopo, ei per copulativam, *que*, annectit sanctæ Synodi licentiam; quam Synodum Petr. de Sampl. Hugo, Archidiac. Bellam. & Turrecr. exponũt pro clericis Majoris Ecclesiæ, & sic Capituli Cathedralis, quod aliquãdo appellatur Concilium, ut cap. *Pluerit 12. qu. 2.* Vnde alii DD. cum loquuntur de Episcopi auctoritate in hac materia addunt etiam synodi licentiam copulativè, ut est videre apud Summ. Cõfessor. *lib. 1. tit. 14. q. 24.* Quæ est tertia sub rubricella de reliq. Alberic. de Rosate *in Dictionario in verb. Reliquia.* § *ultimo ad med.* Summa Baptistin. 2,
31 & Rosellæ supplementum d. verb. *Reliquia*: ex quibus videtur concludendum Episcopum sine licentia Summi Pontificis cum consensu tamen sui Capituli posse Sanctorum corpora transferre de loco ad locum, licet id sine justa causa, quarum aliquas ponit Turrecrem. in d. cap. *Corpora, q. 5.*
32 facere non debeat. Et forte etiam non teneat hæc translatio facta sine causa, cum sit species alienationis, cum corpus, quod aliquo modo ad unam spectabat ecclesiam, alteri tradatur; unde non tenet alienatio, cap. *Sine exceptione, 12. q. 2. cum simil.*

Nec obstat Staphil. *de Brevib.* qui postquam *n. 42.* Dixit quando datur licentia extrahendi reliquias ex Capella monasterii S. Anastasii, addi clausulam, *& de licentia Commendatarii*: & ad hoc facere cap. *Corpora de consecr. dist. 1.* Vbi dicitur, Nemini licere corpora Sanctorum de loco ad locum transferre sine consensu Papæ, quoniam non ob id excludit licentiam Episcopi, quam ipse impertiri potest, ex eod. cap. *Corpora.*

33 Cæterum etsi putem supradictum intellectum ad illum text. esse verum, & germanum; Fateor tamen expositionem glossæ præbuisse materiam plerisque existimandi translationem sanctorum corporum esse Sedi Apostolicæ reservatã; adeo ut in Concilio Aquileian. l. *in tit. de reliq. Sanctorum* cautum reperiatur ut infra, videlicet corpora Sanctorũ transferri quidem non possunt sine Sedis Apostolicæ licentia. Reliquiæ insignes de loco ad locum transferri ita demũ poterunt, si Episcopus decretum in Archivio Episcopali, & libro particulari servandum ad rei gestæ perpetuam memoriã fecerit, cur id fieri permiserit *tom. 4. Conciliorum part. 2. fol. 585. col. 1.* Et quamvis illud Concilium sit provinciale, & non confirmatum à Sede Apostolica, ideoq; extra provinciam non habeat vim canonis, ut scripsi in cap. *Canonum statuta, num. 14. supra de Constitut.* Est tamen magnæ authoritatis, cum fuerit recognitum, & emendatum à S. Congregatione Concilii ad præscriptum Constitutionis Sixti V. super institutione ejusdem Congregationis.

34 Sed quatenus dicta translatio non possit fieri sine auctoritate Apostolica, dubitatur qua pœna esset puniendus, qui hujusmodi corpora sine tali licentia transferret. Respondetur considerandum an subsit causa excusationis dolum excludens, ad l. 3. §. *Prima verba, ff. de sepul. viol.* ex reg. glossa in l. *Plagii in ver. Iusta, C. ad legem Flaviam, de*
35 *Plag.* Quod si nulla causa adducatur, cum in jure certa non reperiatur huic facto annexa, pœna arbitrio judicis erit imponenda, argum. c. *De causis, in fin. de offic. deleg.* & cap. *Sicut dignum, de*
36 *homicid.* Sed quia in arbitrariis ex similibus proceditur, l. *Non possunt, ff. de legib.* videndum erit propterea cui delicto hoc assimiletur: & quidem non videtur simile ei, qui cadaver spoliavit, de quo in d. l. 3. §. *Adversus, ff. de sepulc. viol.* nec ei, qui violando sepulchrum corpus eruit, de quo in l. 4. & l. *fin. C. eod.* cum in casu nostro cesset modus injuriosus, seu violẽtus, & injuriosæ spoliationis. Nec est simile vero sacrilegio, quia rei furtum facere noluit; unde videtur potius simile alienanti res ecclesiasticas, ut elici potest ex Abb. in c. *Nulli, in princ. de iure patr.* & Calder. *in cons. 1. de Baptis.* ubi simile dicit de eo, qui jus baptizandi

alij

37 alii confert ecclesiæ: & tamen hunc censet indistinctè non incidere in excommunicationem latam contra alienantes res ecclesiæ per Extravag. Pauli II. *Ambitiosæ, de reb. eccles. non alien.* quæ loquitur de alienantibus res temporales ecclesiæ, non autem spirituales; quia cum d. c. Excommunicatio sit latæ sententiæ, ad alium casum non potest per judicem extendi, saltem pro delicto jam perpetrato: quia non potest judex per suam extensionem facere, ut qui non erat excommunicatus, sit modo excommunicatus sine novo delicto. Unde videtur pœna esse omninò imponenda arbitrio judicis, secundum regulam, d. c. *De causis.*

De observatione Ieiuniorum.

Cap. Consilium.

SVMMARIVM.

1 Vigiliæ omnium Apostolorum sunt in præcepto, præter vigilias Apostolorum Philippi, & Iacobi, & Ioannis Evangelistæ.

2 Nec valet contraria consuetudo Gallicana.

3 Carnium esus in Quadragesima ægrotis est indulgendus.

4 Carthusiensium statum, qui languentibus in extrema necessitate carnes non concedunt, an sit periculosum, & quare.

5 Carnium esus an aliquo casu sit necessarius ad liberandum infirmum à mortis periculo.

6 Carnibus non vescebantur homines in prima ætate, ideft ante diluvium.

7 Iuramentum, & votum non ligant, cum sine interitu salutis aliter aliàs servari non possint.

8 Carnibus in Quadragesima vescendum licet, etiam ex legitima causa sine licentia Episcopi.
Et quid si causa sit urgent. n. 10.

9 Referendarij in Quadragesima ovis, & lacticiniis, & de consilio utriusque Medici carnibus vesci possunt.

10 Ieiunium an, & quando possit quis solvere propria auctoritate.

11 Quid si causa sit evidens.

12 Et quid si dubia sit.

13 Et quid si subsit periculum scandali.

14 In ieiunio anexa iusta causa dispensare possit proprius Sacerdos.

15 Consuetudo an in ieiunio sit servanda, & num. seq. usque in finem.
Quid in consuetudine ieiunij inducliva, n. 16.
Quid in ieiunij translativa, n. 30.
Et quid in ieiunij relaxativa, n. ...

16 Ieiunium quid sit.

17 Ieiunia consuetudinaria servanda sunt à diœcesanis, & indigenis perinde atque indicta ab Episcopo.

18 Episcopus inducere debet observantiam consuetudinis inducendi ieiunium, vel abstinentiam à carnibus in sua diœcesi.

19 Carnium abstinentia seclusa consuetudine in sola die Veneris per totam hebdomadam est in præcepto.

20 Carnes comedere in Sabbatho est mortale, ubi non est consuetudo comedendi, aliàs secus.

21 Carnium usus apud Græcos in die Sabbathi est tolerandus, ubi sine scandalo fieri potest.

22 Intellectus, c. Sabbatho, de consecr. d. ill. 3. & cap. Quia dies, dist. 5.

23 Ieiunium in sexta feria non est ex præcepto, sed ex consilio tantum.

24 Ieiunium in Adventu Domini non est ex præcepto, nisi hoc habeat consuetudo.

25 Idem in vigiliis Rogationum.

26 Consuetudo in ieiunijs non extenditur de loco ad locum.

27 Nec de uno ad aliud genus personarum.
Consuetudo laicorum in ieiunijs non ligat clericos, nec clericorum secularium religiosos, ibidem.

28 Consuetudo de una in aliam diem ex rationabili causa ieiunium transferens servanda est.

29 Consuetudo regionum servari debet in colenda festivitate S. Bartholomæi.

30 Idem in festivitate B. Margaritæ.

31 Ieiunium propter magnam loci solemnitatem potest authoritate Episcopi in aliam diem transferri.

32 In Gallia, ubi sunt ecclesiæ S. Quintini, non ieiunatur in vigilia omnium Sanctorum, sed festa præcedenti die.

33 Peregrini, & viatores in ieiunijs, & abstinentia à carnibus debent se conformare consuetudini loci, ubi reperiuntur.
Contrarium, num. 37.
Declaratur, n. 38.

34 Cathalani, & Francigenæ, qui in suis partibus solent vesci carnibus in die Sabbathi, peccant, si alibi vescantur ubi non est talium, & n. 40.

35 Idem in Sedisonensibus, qui alibi comedunt carnes in diebus Carni privij.

36 Et in Castellanis in Sabbatho vescuntur extremis, vel interioribus partibus animalium in Lusitania, Navarra, ubi non est consuetum.

37 Intellectus, cap. Illa 12. dist.

38 Exteri in ieiunio tenentur servare consuetudinem loci, si eo venerint animo habitandi, alias secus, seclusa scandalo.

39 Scholares, & peregrini ligantur consuetudinibus loci, ubi moram trahunt.

40 Cathalani existentes in studio Tholosano peccant si iuxta consuetudinem Catholonia vescantur carnibus in Sabbatho, sed non converso.

41 Habitatio de præsenti sufficit ad fortiendum forum pœnitentiale, nec requiritur domicilium.

42 Viatores non fortiuntur forum loci, per quem transeunt.

43 Nec dicuntur moraliter in eo esse.

44 Consuetudo ieiunij relaxativa valida est, si sit generalis in tota ecclesia.

45 Consuetudo particularis ex rationabili causa potest in partem ieiunium relaxare, seu interpretari quoad horam, collationem, & cibos, & n. seq.

46 Ieiunij de integritate quæ sint.

47 Ieiunium solvitur ex geminata comestione.

48 Sexta si aliquid sumatur pro collatione serotina magis ad sustentationem naturæ, quàm ad delitias.

49 Et refellitur quorumdam opinio circa collationem in vigilia Natalis Domini.

50 Hora comedendi in diebus ieiunij, qua sit de consuetudine.

51 Et quæ de iure scripto.

52 Cur in Quadragesima sit hora Vesperatum.

Dies

53 Dies ille repletus dicitur post vesperas.

54 Ovis, & lacticinijs vesci licet in ieiunijs extra Quadragesimam, nisi obstet consuetudo.

55 Consuetudo quæ in totum relaxat ieiunium an valeat.

56 Quid in ieiunijs solemnibus.

57 Et quid in aliis non solemnibus.

58 Ieiunia, quæ à singulis Diœcesanis per singulas Diœceses indicuntur, ab omnibus subditis sunt servanda.

CONSILIVM. Doctores non summant propter varia dicta, quę satis per se sunt clara. Dividitur in septem partes, quæ patent per septem distinctos.§§

1 Nota primò ex principio litteræ, jejunium esse in præcepto in vigiliis omnium Apostolorũ hoc est duodecim, quos enumerat glossa in cap. *nunc, in ver. Duodena, de reliq. & vener. Sanct. lib. 6.* præterquam in duabus vigiliis hic exceptis Apostolorum scilicet Philippi, & Iacobi, & Ioannis Evangelistæ ob rationem in littera expressam, &

2 hoc non obstantibus Gallicanis versibus, quos hic recitat glossa 1. videlicet:

Petrum, & Andream, Paulum cum Simone, Iudam,
Vt ieiunemus nos admonet, atque Matheum.

Nulla enim est ratio diversitatis inter hos, & alios Apostolos; & cum omnes fuerint pares merito, pari etiam cultu sunt venerandi, secundum Abbat. *hic num. 4.* ut eorum sit æqualis festivitas, quorum æqualis est Sanctitas, cap. *Scite, 70. dist.* Io. Andr. *hic num. 8.* in glos. 1. & Cardin. *n. 2. vers. Oppono.* Ad hoc d. cap *unico, de reliq. & vener. Sanctor. in 6.* Neque enim in his solemnibus jejuniis quidquam operatur consuetudo, cum sit irrationabilis, ut latius dicam infra n. ... & in c. *seq. n.*

3 Secundò nota in § *Item detur esus carnium in Quadragesima ægrotis esse indulgendum*, & pondera rationem in textu expressam videlicet ut debilibus, & infirmis propter abstinentiam à carni-

4 bus periculum non emergat. Quam litteram inducunt quidam contra Monachos Carthusianos, quorũ statũ asserunt esse periculosum ex defectu charitatis, quia languentibus in extrema necessitate carnes non concedunt, Hostiens. *num. 5. in verb. Ab aliis*, redarguit illos qui infirmis non compatiuntur more Carthusiensium. Sed illorum statum, ut *hic* recitat Ioan. Andr. *num. 3.* efficaciter tuetur Magister Arnaldus de Villa Nova summus Medicus, & Theologus, prosequendo verbum illud Psalmi 68. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta*, &c. subinducens illud Cantici 5. *Percusserunt me, vulneraverunt me, & tulerunt pallium meum*, & illis in proposito coaptatis, probat oppugnantium doctrinam esse phantasticam, & falsam; imò & hæresim sapere. Falsitas patet, quia qui se obligat ad illud statutum ordinis, hoc facit ex amore Dei. Sed illa charitas est suprema, quæ Deum respicit ut objectum. Ergo quod fit propter Deum, & non in odium proximi, non potest dici contra charitatem. Quod

5 autem dixit hæresim sapere, probat, quia adversatur approbationi, & tolerantiæ Romanæ ecclesiæ, & fingit novum dogma in pertinentibus ad utilem statum fidelium, ponendo languentes quandoque non posse à mortis periculo sine esu carnium liberari, & sic ad vitæ longitudinem esum carnium necessarium: (nam, ut ipse ait, virtus vitalis deficit aut propter malitiã morbi illam resolventis aut propter defectum alimenti, per quod habet conservari, vel reitaurari.) Primò casu probat auctoritate Hippocratis dicentis: Si deficientibus præfuria morbi cibus exhibeatur, suffocationis, vel alterius vexationis gravamine superaddito, coguntur vitam finire celerius. Deficientibus autem propter penuriam alimenti si denegetur cibus, & medicationi subdantur, expirant velocius tabefacti. Vnde fit, ut deficienti propter morbi magnitudinem non prosint, sed obsint carnes. Deficientibus verò propter alimenti penuriam, prosint. Sed probat plus competere vinum mediocre, maximè aromaticum, & vitellos ovorũ mediocriter molles; quia velocissima digestione convertuntur in laudabilem, & multum sanguinem, & quasi sine fecibus Carnibus autem, & exteris alimentis aliqua prædictarum conditionũ deest. Concludit ergo adversarios moveri, aut ex invidia, aut ex animi passione aut ex ignorantia physicæ, secundũ quam ad virtutem vitalem, vel cognitivã magis competunt supradicta, quã carnes. Licet fateatur ad conferendã virtutẽ motivam magis convenire carnes. Sed dicit inducẽdo Galenum confortationem virtutis motivæ non esse in ægris necessariam, quia modicũ egent ipsius operatione. Ergo nec egent necessario esu carnium. Demum subdit in sacra Scriptura non reperiri esum carnium infirmis necessarium; quod tamen de vino legitur *1. ad Timoth. 5. c. Desi Christus ad finem, supr. de iureiur.* Idem ad Roman. 14. *Qui infirmus est, olus manducet*, non dixit carnes. Item Psalm 103. *Vinum lætificat cor hominis*, & panis confirmat illud; Cor autem est principium materiæ virtutis vitalis, quæ confortatur per cordis lætitiam. Inducit quoque exempla Christi, quem multi etiam infirmi sequebantur, ut à langoribus sanarentur, *Luca 6.* (Quibus tamen egentibus alimento, quia tribus diebus jejunaverant, paravit non carnes, (sed pisces.) *Marc. 8.* (Similiter nec David illi Amalechitæ, qui tribus diebus, & noctibus non comederat, *1. Reg 30.*) Item virtute deficiente propter penuriam cibi esum carnium non esse necessarium confirmat experientia: nam videmus in ipso ordine octuagenarios, &

6 centenarios mundorum sensuum. Item in prima ætate, ideft usque ad Diluvium, diutius vixerunt homines, quàm in aliis ætatibus 1 & tamen non vescebantur carnibus, sed terræ nascentibus. *Genes. 3. ad fin.* ibi, Comedes herbas terræ. Ad Noe autem dixit post diluvium, *cap. 9.* omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, cap. *Ab exordio, 35. dist.* quod est Hieronymi *contra Iovinian. lib. 1.* & subiecit Ioan. Andr. se hunc libellum ita in compendium redegisse, quia etiam suo tempore quamplures notabilis status amicis suis Carthusiensibus, apud quos est vera religio, detrahere cernebantur, & illius verba ad litteram hic referunt, & sequuntur Anton. de Butr. *num. 10.* Cardin. *in § Item. de illa, n. 2.* & Ioan. de Anan. in cap. *Sicut ex litterarum, n. 2. infra de homicid.* & consentit hic Petr. de Anchar n. 4. in ult. not.

7 Verum Abb. in cap. *Si vero, n. 2. vers. Et per hoc dicerem, supra de iureiur.* Si, inquit, à peritis medicis diceretur Fratrem Carthusien. Ordinis non posse aliter mortem evadere, nisi per esum carnium non obstante regula, seu voto deberet carnes comedere. Sicut enim juramentum non ligat propter

pter periculum mortis, c. fin. 22. q. 4. ita nec votum cum paribus passibus ambulent, ut notatur in cap. 1. eadem. caus. & quæst. in cap. Debitores, de iureiur. in cap. Licet, & in c. Magnæ, de voto. Et quanvis mox fateatur Arnaldum de Villa Nova summum, & quasi divinum Medicum in tractatu hac de re edito concludere vitam posse restaurari sine esu carnium: Subdit tamen, Si ex circumstantiis Medici dicerent contrarium, procedere primum dictum. Item posset contingere, ut ova infirmo essent fastidio, & horrori, ita ut non posset illa sumere, ut pluribus accidit, quo casu in dubio hoc esset tenendum; quoniam necessitas excusat ab omni præcepto, ut hic in textu, qui etiam non obscurè supponit hanc necessitatem in proposito esse possibilem. Vnde conclusio est, juramentum, & votum non esse servandum, cum sine interitu salutis corporalis servari non potest, prout etiam concludit glos. 1. in d. cap. Si verò. Itaque, ut verbis Sylvestri utar in ver. Iuramentum, 4. num. 10. vers. Ex prædictis, Abbas Carthusienses indistinctè non reprobat, sed tantum in casu, & judicio meo benedicit.

8 Vltimò nota in §. Præterea, non debere quem vesci carnibus in Quadragesima, & solemnibus jejuniis sine licentia Episcopi, etiamsi legitima causa subsit eas comedendi, puta infirmitas, seu debilitas, ejusmodi enim licentia exigitur, quia multi possent ægritudinem fingere, & inter infirmitatem & infirmitatem est distinguendum, sicut inter coactum & coactum, ut in c. Maiores, § Propter quod, supra de Baptism. secundum Host. hic n. 5. in ver. Sic tamen, Io. Andr. n. 4. Butr. n. 10. in fine, & Abb. n. 5. Tu dic apertè hoc sancitum esse in Concilio Toletano VIII. cap. 9. in hæc verba. (Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate diebus Quadragesimæ esum carniū præsumpserit attentare, non solum reus erit Resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione. & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi verò, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quàm à Sacerdote permissum accipiant) refertur ab Yvone par. 15. cap. 89. & tom. 2. Concil.
9 par. 2. pag. 492. Porrò in indultis vescendi carnibus consuevit apponi clausula, de consilio utriusque Medici, ut in indulto referendariorum utriusque Signaturæ, de quo in Constitutione Pauli III. debita, in § 17. ibi, (Quadragesimalibus, & aliis temporibus, quibus esus carnium, ovorum, casei, & lacticiniorum, de jure, vel consuetudine est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro, & aliis lacticiniis; ac de utriusque Medici consilio carnibus absque conscientiæ scrupulo uti, frui, & ves-
10 ci, &c.) in Bullar. tom. 1. pag. 560. Verumtamen si causa esset urgens, non peccaret qui sine licentia carnibus vesceretur, ut hic patet in § Cum autem, & tenet Abb. n. 4. in ult. notab. Confert. text. in l. 1. in princ. ibi, (nam interdum locus, vel tempus nō patitur plenius deliberandi consilium, ff. de exercit. act. & quod dixi in cap. Relatum. à n. 33. supra de
11 Cler. non resid. Plenius tamen in hoc distinguit Sylvest. in ver. Ieiunium n. 20. vers. Tertium, tradens regulam, quam dicit servandam esse ex mente omnium Doctorum: nam aut certum est quem jejunare non posse ex causæ evidentia; Et tunc po-
12 test propria auctoritate jejunium dimittere. Aut est dubium; & consulendus est vir bonus, & peritus, puta medicus, aut confessor, vel alius, & si illius judicio causa sit evidens, similiter potest jejunium frangi propria auctoritate: nam & in eo casu causa evidens dici potest. Sin autem idē peritus sit dubius; tunc oportet adire Superiorem, qui declarare potest authoritativè dispēsando in
13 dubio. Verum si subesset periculum scandali, etiā stante causa evidenti, petenda esset dispensatio. In
14 hujusmodi autem dispensatione Superior est Episcopus tantum, nec sufficit licentia simplicis Sacerdotis etiam ex justa causa, secundum Host. hic, nisi summa necessitas immineret, ita ut sine periculo ad Episcopum recursus haberi non posset, licet S. Thomas in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. q. 4. ad tertium teneat Sacerdotem posse dispensare, Sed Canonistæ contra per hanc decretalem.

15 QVÆRO generaliter, utrum in jejuniis servanda sit consuetudo.

Pro clariori solutione puto tres casus esse distinguendos. Aut enim consuetudo est jejunii inductiva, aut est jejunii translativa, aut jejunii relaxativa.

16 In primo casu absque dubio servanda est consuetudo, cap. Illa, 12. dist. & Præpos. num. 5. & cap. Vtinam, 76. dist. nam, ut inquit Innoc. communiter receptus in rubrica aliàs in cap. 1. n. 2. vers. Tertium ieiunium, supra eodem. Iejunium est abstinentia victus secundum ordinationem ecclesiæ, si-
17 ve scripto, sive consuetudine approbatam. Vnde Petr. de Palude in 4. dist. 15. apud Sylvestr. in ver. Ieiunium, n. 7. dicit ad jejunia consuetudinaria ipsam consuetudiem ligare, etiam si scriptura non dicat, arg. c. In his rebus, 11. dist. Ideoque si in aliqua diœcesi consueverit certo die jejunare, hoc jejunium servandum esse à diœcesanis, & indigenis, sicut si Episcopus jejunium indiceret. Quod
18 clarè probatur, hic in § Item de illis, ubi Pontifex consultus de illis, qui carnes comedunt in Sabbatho, respondit: Super hoc consuetudinem tuæ regionis filcias observari. Vnde per hanc litteram Episcopum Diœcesanum indicere debere observantiam consuetudinis inducentis jejunium, seu abstinentiam à carnibus in sua Diœcesi, docent Host. n. 4. in ver. Consuetudinem, & num. 5. in verb. Sic tamen, Butr. num. 6. Cardin. in § Item de illis, num. 1. & reliqui.

19 Hinc infertur primò, ut abstinentia à carnibus circumscripta consuetudine in sola die veneris per totam hebdomadam sit in præcepto, ut in c.
20 De esu carnium. Et quod ibi notatur, de consecrat. dist. 3. At comedere carnes in Sabbatho est mortale ubi non est consuetum, ut in cap. Quia dies, de consecrat. dist. 5. non autem ubi est consuetudo comedendi, ut in Francia, Catalonia, & aliis partibus; quia statur consuetudini, ut in d. c. Illa au-
21 tem, dist. & concludit Abb. hic in 1. notab. & Sylvest. in verb. Ieiunium, num. 28. vers. Tertium. Vnde & apud Græcos tolerandus est usus carniū in die Sabbathi, ubi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum, & inter eos tantum, ut cavetur in Constitutione Clementis VIII. pro instructione
22 super aliquibus ritibus Græcorum, edita 31. Augusti 1595. in §. 6. in Bullar. tomo 3. pag. 47. Nec obstat text. in cap. Sabbathis, de consecrat. distinct. 3.

per

per quem textum Glossa hic in verb. In Sabbatho, dicit non debere carnes comedi in die Sabbathi. Quoniam loquitur de consilio, sicut cavetur de die Mercurii secundum Abb. & Sylvest. locis citatis. Unde Archid. ibi, quem cæteri sequuntur, exponit verbum, non debemus, de honesto, non de præcepto. Rursus non obstat text. in cap. Quia dies, de consecr. dist. 5. ubi dicitur: Quicumque se Christianæ religionis participē esse desiderat, ab esu carnium eadem die (scilicet Sabbathi) abstineat. Etenim eodem modo Gregorius VII. eo loci non loquitur de præcepto, sed de consilio, ut probat littera ibi, admonemus, & notat glossa in eod. ver. Et Sylvest. ubi supra, nisi sit consuetudo, ut abstineant, ut ibi per glossam.

23 An autem sexta feria non solum abstinentia à carnibus, sed etiam jejunium sit in præcepto, Doctores non conveniunt. Sed communiter tenetur jejunium non esse ex præcepto, sed ex consilio tantum, prout de communi testatur Abb. in cap. seq. num. 1. & notat Innoc. in rubr. aliàs in cap. 1. supra eodem.

24 Infertur secundò, ut quamvis in Adventu Domini ex præcepto non sit jejunandum, ut hic est: extus quasi expressus in §. Ieiunium. Secundum Abbat. ante num. 1. post Innoc. ubi supra num. 5. Quidquid dixerit Butr. hic, nu. 2. tamen secus sit, si hoc habeat consuetudo: Unde Pontifex hic dicit tamen apud nos jejunatur, quasi dicat, habemus hoc de consuetudine; Super hoc autem nullum statutum facimus, nec aliquem adstringimus, sed quilibet consuetudinem suam servet, ut formaliter Inquit Host. hic num. 4. in ver. Apud nos, cujus dictum sequuntur Jo. Andr. num. 1. in eodem vers. Cardin. num. 3. Collectar. num. 4. & Abb. ante
25 num. 1. vers. Unde hic Papa. Et quod dictum est de Adventu, idem intellige de Vigiliis Rogationum, in quibus consuetudo servanda est ut notatur in cap. Rogationes, de consecr. dist. 5. & per Abb. in rubr. sup. eod. num. 6. in fine, vers. Item dubitatur de vigiliis Rogationum.

26 Adverte tamen, quia in hujusmodi consuetudinibus non fit extensio de loco ad locum, adeò ut nec consuetudo peculiaris Ecclesiæ Romanæ sit necessario observanda in aliis locis, ut notat glossa in cap. 11. in ver. Docuit, de Summa Trinit. l. 6. & Abbas hic num. 1. & probatur in cap. Illa, 12. distinct.

27 Rursus adverte, quia in his consuetudinibus nec fit extēsio de uno ad aliud genus personarū; ideoque consuetudo laicorū non ligat Clericos, nec Clericorum sæculariū religiosos, quia distincti sunt modi abstinentiæ inter hos tres status, & plures abstinentias habent Clerici, quàm laici, & religiosi, quàm clerici sæculares. Unde non oportet ut ad eorum jejunia ligentur, quorum etiam consuetudinibus à suis jejuniis non absolvuntur, secundum regulam juris, quem non honoro, nec onero. Ita Sylvest. in d. ver. Ieiunium n. 7. Et hæc de consuetudine jejunii relaxativa.

28 In secundo autem casu principali, idest in consuetudine jejunii translativa, cōclude servandam esse consuetudinem, secundum quam jejunium in certa die ab ecclesia indictum in aliam diem ex rationabili causa translatum est, ut hic per Host.
29 num. 4. in ver. De cuius, & probatur in §. De festivitate, ubi est expressum in colenda festivitate S. Bartholomæi, & consequenter in ejus vigilia servandam esse religionis cōsuetudinē, hoc enim ex rationabili causa introductum est: nam cum die 24. Augusti fuerit excoriatus, & die sequenti obierit, alicubi colitur dies martyrii, alicubi verò, ut Romæ, dies obitus, secundum Petr. de Sampsone, Abb. Antiq. & Hostiens. ubi supra Collectar. num. 1. & Io. Andr. eod. num. in ver. Bartholomæi, qui adducit simile de festivitate B. Margaritæ, cujus festum diversis diebus colitur propter sui diversa martyria; nam secundum eum apud Bononienses celebratur die 15. Iulii, vel die 14. se-
30 cundum Anton. de Butr. n. 9. subdit tamen Ioan. Andr. se reperisse in Specul. Histor. lib. 14. c. 2. coli debere die 20. Iulii, & ita colitur Romæ, & Patavii, ut refert Card. num. 4. in fine.

31 Et hinc collige propter magnam loci solemnitatē in die jejunii contingentem licitè fieri translationem, seu commutationem jejunii in diem præcedentem auctoritate Episcopi ad eum modum, quo festum Nativitat[illegible]mini Assumptionis Beatissimæ Virginis, [illegible]us Apostolorū, si contingat feria sec[illegible] jejunatur in die Dominico, sed in Sabb[illegible]edenti, ut est casus in cap. prox. supra eod. [illegible]net Innocen. su-
32 pra in rubr. aliàs in cap. 1. [illegible] 3. ubi refert in quibusdam locis Franciæ [illegible]cet ubi sunt ecclesiæ Sancti Quintini, non jejunari in vigilia omnium Sanctorum, sed tertia præcedenti die, & sequitur Abbas, hic in 2. notab. Præpos. in cap. Denique num. 23. in fine 4. distinct. & Sylvestr. in verb. Ieiunium, num. 19.

33 Hinc etiam, & ex textu collige peregrinos, & viatores in jejuniis, & abstinentia à carnibus debere se conformare consuetudini loci, ubi reperiuntur, & ad hoc per Diœcesanos compelli posse, ut hic patet, & est optimus textus in d. cap. Illa, 12. dist. ubi Augustinus: (Nec disciplina ulla est in his melior gravi, prudentique Christiano quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque fortè devenerit.) & infra. (Mater mea Mediolanum me consecuta invenit ecclesiā Sabbatho non jejunantem, cœperat fluctuare quid ageret. Tunc ego consului hac de re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium, & ille ait: Cum Romam venio, jejuno Sabbatho, cum Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam forte ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.) ubi glossa in ver. Societatem, refert illud vulgatum:

Si fueris Romæ, Romano vivito more,
Et si sis alibi, vivito sicut ibi.

34 Et pro hac parte concludit Abb. hic in fine subdēs propterea peccare Cathalanos, qui comedunt in his partibus carnes in die Sabbathi, licet illis in eorum partibus licitè vescantur. Quod ante ipsū docuit Cardinal. in Clem. Dignum, q. 5. de celebr. Miss. & sequitur Sylvest. ubi supra n. 28. dicens, Qui carnes in die Sabbathi in suis partibus comedere consueverunt, ut in Francia, & Cathalonia, comedendo in partibus aliis, ubi hoc non est consuetum, secundum Directorium peccant, ut in cap. Quia dies, de consecr. dist. 4. & cap. Illa, 12 dist.
35 à contrario sensu. Et idem dicendum de Mediolanensibus, qui in aliis locis comedunt carnes in diebus carnisprivii. De quo tamen vide Christophor. Porc[illegible] Sed quod Principi, in fine instit. de iure natur. ubi etiam prosequitur quid in Scholaribus, qui Mediolani reperiuntur eo tempore quo

Me-

Mediolanenses ex privilegio S. Ambrosii vescuntur carnibus. De quo privilegio latiùs dicam in cap. sequenti, à n..

36 Id ipsum sensit Navarr. in Man. cap. 28. nu. 120. vers. sexto, ubi dicit peccare eum, qui vescitur carnibus, vel alio cibo vetito in aliqua regione, etiam eo tempore, quo liceret ei vesci in sua; sicut è converso non peccat vescendo eis in regione, quam transit, vel in qua moratur, licet in sua id ei non liceret. Navarrus enim, & Lusitanus vescentes in Castella die Sabbathi extremis, vel interioribus partibus animalium, non peccant, licet in suis terris id eis non liceret: Castellanus autem idem faciens in Lusitania, vel Navarra, peccaret. Hæc Navarrus, & consentit illius auditor Covarr. lib. 4. variar. resolut. cap. 20. n. 8. in fine.

37 Contrariam opinionem, idest peregrinos, & viatores cessante scandalo non teneri in jejuniis, & abstinentia à carnibus se conformare consuetudini loci, ad q[...]ertunt, tenet Archid. post Hugon, in d. c. [...] 12. dist. Bellam. num. 2. Turrecr. num. 2. [...]ras, & Præpos. nu. 6. vers. Nota quod peregrin[...] enim extraneos, qui ad tempus vivunt in[...]ios, qui talem habent consuetudinem, debere illam observare, si non observando generent scandalum. Quod satis innuit littera ibi, (Si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.) Ait enim Apost. 1. ad Corinth. 7. Si scandalizavero fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Vel certè ille textus loquitur de consilio, & persuasione secundum Hostien. relatum ab Archid. ubi supra. Et complures Theologos pro hac sententia novissimè citat Thomas Sanchez de matrim. lib. 3. disput. 18. num. 6. Pro qua præcipuè allegatur text. in eod. cap. illa 12. dist. in illis verbis: (Alia verò, quæ per loca terrarum, regionesque variantur, sicut est quod alii jejunant Sabbatho, alii non, &c. totum hoc genus rerum liberas habet observationes.) Sed profectò alius videtur sensus Augustini in eo canone: nam primò docet observandas esse traditiones, quæ in tota ecclesia observantur. Unde dum immediatè subdit, (Alia verò, quæ per regiones variatur, liberas habet observationes;) non videtur intellexisse liberum esse unicuique speciales consuetudines observare, vel nõ observare; alioquin consuetudines locales non essent ab incolis observandæ, contra textum hic. Sed dixit liberas, idest sine peccato, ita ut sit sensus, Illa quæ ex generali consuetudine recepta sunt, ab omnibus servari debent; Sed illa, quæ ex consuetudine particulari sunt alicubi introducta, ut comedere carnes in Sabbatho, possunt observari liberè, & absque divinæ majestatis offensa, & hoc sensu liberas habent observationes, quia illa observantes non peccant. Sed hinc non sequitur ut illas observare non teneantur. Vel certè intellexit liberas, idest quoad extraneos, qui non tenentur illas observare, nisi illuc divertant, ut innuunt sequentia verba, & declarat Turrecr. num. 2.

38 In hac varietate placet distinctio Glossæ in dict. cap. illa, in ver. Veneris, ubi dicit referre, an peregrini sint moraturi, vel citò recessuri, idest an venerint animo habitandi, an verò recedendi, ut primo casu teneantur servare consuetudinem loci, ubi moram trahunt; in secundo autem non, secluso scandalo, ut explicat Glossa in cap. Quæ contra, in ver. Aut Peregrini, 8. dist. Quam distinctionem sequitur in d. c. illa, Archid. num. 1. in ver. Servat, Turrecr. n. 2. ubi verba illa, liberas habet observationes, exponit, idest quantum ad extraneos, quia apud eos libera est hujusmodi observantia, nisi veniant moraturi, vel nisi non observando, generent scandalum. Nec dissentit Præpos. n. 6. dum sequitur Archid. quoad eos, qui veniunt animo non permanendi. Eodem modo distinguit Sylvest. in ver. Ieiunium nu. 7. ubi post Paludan. tenet ad jejunia consuetudinaria teneri indigenas, & diœcesanos: aliengenas verò; si veniant animo habitandi, ex tunc ligari jejunio consuetudinario, sicut & scripto. Si autem transeant solùm, non ligari consuetudinibus, & statutis terræ, licet in comedendo cavere debeant à scandalo; nam si esca fratrem meum, &c.

39 Primum membrum distinctionis Glossæ, videlicet de exteris, & peregrinis, qui in loco sunt moraturi, probatur in d. c. Quæ contra mores 8. dist. ibi, (Nullà civis, aut peregrini libidine violetur.) Per quem textum Speculat. in rubr. de Constit. nu. 7. dicit evidenter probari scholares, & peregrinos
40 ligari consuetudinibus loci ubi moram trahunt. Unde benè Cardin. in Clem. 2. in 5. quæst. de celebrat. Missar. scripsit Cathalonos existentes in studio Tholosano peccare, si contra consuetudinem Cathaloniæ vescantur carnibus in Sabbatho, juxta consuetudinem patriæ, & consentit, Imola ibidem, col. 2.

41 Et quamvis Glossa præalleg. in d. c. Quæ contra, dicat solos perpetuo habitantes obligari lege civitatis, ut l. Debitor, ff. de Pignor. tamen illud verbum, perpetuò, plerique ex Doctoribus non ponunt, sed simpliciter exigunt, ut habeant animum habitandi, vel ut sint morituri, quod in idem recidit & ad sortiendam Parochiam, seu forum, Pœnitentialem non requiritur translatio domicilii, vel animus perpetuò illic permanendi, sed sufficit sola habitatio de præsenti, secundum opinionem Feder. de Sen. cons. 254. incipien. Quæstio subsequens. Quam pluribus tuetur Anchar, in cap. De uxore, num. 3. de Sepultur. & eam commendat, Abb. in cap. Extirpandæ, §. Qui verò, nu. 11. de præben. & magis communem dicit in cap. Omnis utriusque, nu. 23. de Pœnit. & remiss. Quam etiam sequuta est Sacra Congregatio Concilii, ut scripsi in cap. fin. supra de Paroch. ubi hunc articulum valdè à Doctoribus controversum plenè examino.

42 Secundum verò distinctionis membrum, scilicet de illis, qui statim sunt recessuri, & sic de transeuntibus, clarè probatur per text. in l. Heres absens, §. Proinde, ff. de iudic. ubi patet viatores non sortiri forum loci, per quem transeunt, & subnectitur ratio, quia durissimum est, quotquot locis quis navigans, aut iter faciens delatus est, tot locis se defendere. Circa quod vide quod scripsi in
43 cap. fin. supra de foro competen. Item facit pro hac parte, quia qui transit, aut brevi tempore divertit ad aliquem locum, non dicitur moraliter in eo esse, l. Quæsitum, § fin. & l. Sitia, ff. de legat. 3. cap. Nam & ego, de verbor. significat. & cap. Ad nostram, de regular. ubi Glossa in ver. Statim, dat concordantes. Confert decretum Concilii Trid. in cap. 1. sess. 23. ibi, (Quoniam qui aliquantisper tantùm absunt, ex veteri Canonum sententia nõ videntur abesse.) Ad idem textus in cap. Is qui de Sepultur. lib. 6. ubi qui ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exer-

ceat

ceat, non efficitur ibi parochianus; & notat Cardin. in Clem. 2. num. 8. ubi etiam Vitalin. num. 29. de privileg.

44 In tertio denique, & ultimo casu principali, id est, in consuetudine jejunij relaxativa, distingue. Aut consuetudo est universalis in tota Ecclesia; aut est particularis in aliqua regione, vel loco. Si consuetudo sit universalis, illa proculdubio servanda est, text. est in d. cap. Illa, 12. distinct. ibi, (& si quid aliud tale occurrerit, quod servetur ab universa, quacumque se diffundit Ecclesia.) & tenet glossa communiter approbata in cap. proximo, in ver. Consuetudinem, infra eodem. Consuetudo enim Ecclesiæ universalis tamquam lex servanda est, cap. Perniciosum, sup. de celeb. Missar. Et est ratio, quia illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum observantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs commendata, atque statuta retineri, quę sunt verba textus in d. cap. Illa, & ibi notat Archid. in princ. & inde fit ut illi, qui nec voto, nec regulari observantiâ sunt adstricti, in sexta feria si festum Nativitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possint, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis, ut est casus in cap. prox. infra eodem. Confert decretum Concilij Tridentini de Canonicis scripturis, sess. 4. ubi S. Synodus traditiones vel tanquam oretenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continuâ successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu, ac reverentiâ suscipit, ac veneratur. Ad idem sess. 13. de Sanctiss. Euchar. Sacram. cap. 8. ibi, Qui mos tamquam ex traditione Apostolica descendens jure, ac merito retineri debet.

45 Sin autem consuetudo sit particularis in aliqua regione, vel loco, iterum subdistinguenda sunt duo membra. Primum est, cùm consuetudo non relaxat jejunium in totum, sed in partem dumtaxat. Et in hoc primo membro cum de integritate jejunij secundum Richar. in 4. apud Sylvest. in ver.
46 Ieiunium, n. 9. Tria sint, videlicet comestio unica, determinata hora comedendi, & abstinentia à carnibus; item ovis, & lacticinijs in Quadragesima: in his omnibus aliquid potest rationabilis consuetudo, ut tenet Abb. in rubr. supra eod. num. 4. ubi quod dixit Hostien. hic, videlicet consuetudinem nihil posse in jejunijs solemnibus, declarat procedere quando consuetudo ex toto vult illud tollere. Secus si interpretetur qualiter sit explendum jejunium, puta quoad collationem, horam, & cibos, & hujusmodi; quia consuetudo est optima legum interpres, cap. Cum dilectus, de consuet. & sequitur Sylvest. in verb. Ieiunium, num. 8. Dummodo tamen hujusmodi consuetudo ex rationabili, & honesta causa introducta sit, non autem ut homines intendant ventri, & gaudijs temporalibus, ut per Abb. in cap. seq. num. 3.

47 Hinc infertur primò, ut quamvis geminata comestio in die jejunium solvat, eò quod universalis Ecclesiæ consuetudo, quæ pro lege habenda est, sic obtinuit, ut semel tantùm comedatur, ut tenet Goffred. & communiter Theologi in 4. dist. 15. teste Sylvestro in ver. Ieiunium. num. 9. & probat Abb. in rubr. n. 3. inducens ad hoc cap. Quadrage-
48 sima, de consecr. dist. 5. & cap. Sint tibi, dist. 4. Tamen secundum eum aliquid sumere pro collatione serotina magis ad sustentationem naturæ, quàm ad delicias, non est peccatum, nec jejunium frangitur, dummodo hoc fiat temperatè secundum consuetudinem loci, de quo vide pleniùs per Sylvestr. ubi supra n. 10. vers. Tertium, de collatione serotina; licèt non defuerint ex Recentioribus, qui in hac materia usque adeo laxaverint habenas, ut scri-
49 pserint, in vigilia Nativitatis Domini propter consuetudinẽ licere pro refectione serotina comedere usque ad sexdecim uncias panis, & dulciariorum, inter quos Facundez precept. 4. lib. 1. cap. 4. num. 19. Quinimò Medina in 1. parte Instruct. de Confess. cap. 14. §. 10. vers. Donde se sigue; amplius putavit licere ex pane & fructibus sumere quantum libuerit.

Sed profectò hoc non esset jejunium moderari, seu interpretari; sed prorsùs solvere ac destruere. Unde consuetudo hujusmodi in tam solemni jejunio dicenda esset potius corruptela, ut patebit infra in 2. membro.

50 Infertur secundò, ut similiter quoad horam prandij in diebus jejunii consuetudo sit lex, & statutum Ecclesiæ; & hoc secundum omnes est ut hora nona comedatur, teste S[...] in ver. Ieiunium, num. 12. Sed quia hora n[...]tur, & in principio, & in fine, S. Thom. in 4. [...] q. 3. art. 3. q. 3. videtur velle, ut in omni jejunio prandendum sit horâ nonâ completâ, idest, horâ tertiâ post meridiem, ut explicat Sylvest. ubi supra n. 11. & 12. Cæterum Petr. de Palude, cui adhæret Sylvester ibidem, asserit hoc verum esse tantummodo quoad jejunium quadragesimale: in aliis verò dicit licitum esse prandere in principio Nonæ, id est, in meridie. Sed quia hujusmodi lex est consuetudo, propterea, ut ipsi dicunt, consuetudini standum est populi Dei, ut in meridie non post Astrolabiũ, sed grosso modo computato comedatur, ut in cap. In his, 11. dist. Quod etiam docuit S. Thomas loco citato, & post eum Turrecrem. in d. c. Solent, num. 2. vers. Respondeo dicendum: & in verb. Hora, de consecr. dist. 1. Jure tamen scripto nulla hora est determi-
51 nata comedendi in die jejunii, nisi hora vesperarum tempore quadragesimali, ut est text. in d. cap. Solent, & tenent Abb. in rubr. supra eod. n. 2. & Syl-
52 vest. ubi supra n. 12. Rationem egregiè assignant Petr. & Hugo, & post eos Archid. in d. cap. Solent, & Abb. ubi supra, quia scilicet jejunium Quadragesimæ majoris celebramus ad imitationem Christi; & quia Christus jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus nihil comedens, debemus & nos toto illo tempore jejunare nullâ die, vel horâ comedentes, si natura pateretur humana. Sed quia hoc non est possibile in humanis præter divinum miraculum, statuit Ecclesia, ut saltem per omnes quadraginta dies fictè sumptos fideles
53 jejunarent: nam post vesperas expletas dies fictè expletus dicitur, cùm aliud officium diurnum non supersit, ut latius per Archid. ubi supra, quem totidem verbis sequitur ibi Bellam. n. 2. vers. Sed quare hoc sic statutur, & Turrecrem. n. 2. in ver. Hora, vers. Dicit autem Hugo.

54 Infertur tertiò, ut extra Quadragesimam in diebus jejunii liceat vesci ovis, & lacticiniis, si hoc habeat consuetudo, ut est notabile dictum Archid. in cap. Rogationes, de consecr. dist. 3. quem sequitur Abb. supra in rubr. n. 5. vers. Sed vide notabile dictum: subdens hanc videri laudabilem consuetudinem, præsertim in civitatibus, ubi non est copia piscium, ut Senis.

Jure tamen scripto quamvis Goffredus in defi-

nitione jejunii comprehendat abstinentiam à carnibus, & trahentibus sementinam originem à carnibus, ut ab ovis, lacte, & caseo, cap. *Denique*, 4. *dist.* idemque videatur sentire Innocent. *supra in rubr.* dum dicit, ex causa, puta propter penuriam piscium fratri posse, ut liceat uti illis lacticiniis, licèt utentes extra Quadragesimam secundum eum non frangant jejunium, sed peccent. Veritas tamen est esum lacticiniorum non esse ab Ecclesia vetitum, nisi in Quadragesima: nam d. cap. *Denique*, 4. *dist.* quod facit mentionem de his lacticiniis, loquitur de jejuniis Quadragesimalibus. Sed in aliis jejuniis nullus textus specificè de hoc disponit; & sic transeunt communiter Doctores, ut Abb. testatur *supra in rubr. n.* 5. & sequitur Sylvest. in ver. *Jejunium*, n. 15. dicens esum ovorum, & lacticiniorum interdictum esse in Quadragesima, ut in d. cap. *Denique*: non autem in aliis secundum S. Thomam, Petr. de Palude, & communiter Doctores; nisi hoc habeat consuetudo, quam ubique servandam in jejuniis dixerunt Augustinus, & Ambrosius in c. [illegible] *dist.* & in c. *Vitiam*, 76. *dist.* Unde in omnibus jejuniis præter Quadragesimam hæc comedi possunt, ubi consuetudo habet ut comedantur.

55 Secundum membrum superiùs propositum est, cum consuetudo relaxat, & solvit jejunium in totum: & sunt opiniones; nam glos. hîc, quam propter ejus auctoritatem dicit esse mente tenendam Abb. *n.* 5. *vers. Sed nota glossam*, sentit consuetudinem hanc jejunii relaxativam validam esse, idemque sentit Host. *in summ. hoc tit. §. Quando jejunandum.*

56 Verùm idem Host. *hic n.* 2. *vers. Teneas tamen primò*, retractat quod scripsit in Summa 5 ait enim esse quædam jejunia solemnia, in quibus contraria consuetudo non operatur, sicut Quadragesimæ, & Quatuor Temporum, & festivitatum præcipuarum. Et hoc dictum Hostiens. sequuntur hic Jo. Andr. *num.* 8. Butr. *num.* 12. Card. *num.* 2. & reliqui omnes. De communi Præpos. in cap. *Denique*, *n.* 23. 4. *dist.* In aliis autem habet locum consuetudo,

57 nisi Prælatus aliud injungat, ut idem Host. notat post Innoc. *in rubr. supra eod. vers. Sunt autem jejunia indicta necessaria*, & *vers. Adhæc*, & secundum hoc dicit esse intelligendum quod scripsit in summa.

58 Jejunia enim, quæ à singulis diœcesanis per singulas diœceses indicuntur, ab omnibus subditis sunt servanda, cap. 1. *ad finem. de consecr. dist.* 4. cap. *Jejunia, dist.* 5. & notant Hostiens. *hic n.* 5. *in ver. Et alijs solemnibus jejunijs.* Jo. Andr. *n.* 4. *in fine, in eod. ver.* Butr. *n.* 4. & 11. Anchar. *n.* 3. *in* 4. *not.* & Cardin. *in* §. *Præterea*, *n.* 1. De hac tamen consuetudine jejunii relaxativa dicam plenius *in cap. seq.* in quæstione, An ex consuetudine immemorabili in populo Mediolanensi potuerit præscribi contra numerum quadragintà duorum dierum Quadragesimæ ab Ecclesia institutum.

De Observatione Iejuniorum.

Cap. Explicari.

SVMMARIVM.

1 *Carnibus vesci licet si festum Nativitatis contingat in sexta feria, exceptis professis, & ventibus.*

2 *Regulares in sexta feria an teneantur à carnibus abstinere ex voto, an ex regula, & n. seq. usq. ad n.* 11.

3 *Et an, & quando teneantur ex voto ad observantiam regularem.*

4 *Regula Prædicatorum non obligat transgressores ad aliquam culpam neque mortalem, neque venialem, sed tantum ad pœnam taxatam. & n.* 9.

5 *Religiosi ad quæ obligentur ultra communia Christianorum vincula.*

6 *Fratres Minores obligantur ex voto professionis ad omnia, quæ in regula ipsis sub verbis obligatoriis indicuntur.*

7 *Et in specie ad jejunandum in sexta feria.*

8 *Votum in dubio intelligitur de simplici.*

9 *Præcepta regulæ ex sui natura obligant ad mortale.*

10 *Obligatio nunquam inducitur ubi constat de mente legis obligare nolentis.*

11 *Carnibus vesci non possunt in die Nativitatis Domini, qui voverunt illas unquam comedere.*

12 *Vovens abstinere à carnibus in sexta feria an teneatur abstinere si eâ die occurrat festum Nativitatis, & n. seq. usq. ad n.* 30.

13 *Votum debet intelligi ut non sit inutile, sed aliquid operetur, & n.* 20. & 22.

14 *In voto magis attenditur intentio voventis, quàm verba.*

15 *Vovens abstinentiam à carnibus in die, in qua pervenerit ad locum peregrinationis, vel in qua occurret salutatio Virginis, tenetur abstinere etiam in Dominica Resurrectionis.*

16 *Votum abstinentiæ à carnibus in die Veneris, an obliget in die Nativitatis ubi non apparet de intentione voventis, & n.* 34.

17 *Et quid si votum fuerit emissum in memoriam Passionis Domini.*

18 *Dictum festum licet non tantùm spiritualiter, sed etiam corporaliter honestè lætari in cibis, & vestibus.*

19 *Authoritas legis, vel Superioris in juramento, & voto semper intelligitur excepta.*

20 *Votum abstinentiæ à carnibus in die Veneris, nisi comprehendat diem Nativitatis, est dei sortum, Contrarium, n.* 22.

21 *Statutum est nullum si dispenset idem quod jus commune.*

22 *Voto se adstringere ad id, quod est in præcepto, non est inutile.*

23 *Funiculus duplex difficilius rumpitur.*

24 *Vovens abstinere à carnibus in diebus alias permissis tenetur abstinere etiam in die Nativitatis.*

25 *In voto non fit extensio de casu ad casum.*

26 *Legis intellectus referri debet ad casum frequentèr contingentem.*

27 *Jejunare vovens in sextis feriis tenetur etiam in die Natalis Domini.*

28 *Consuetudo universalis Ecclesiæ censetur traxisse originem ex traditionibus Apostolorum, vel ex Generalibus Conciliis.*

29 *Consuetudo potest jejunium modificare, si ex rationabilis causa sit introducta, non autem ut homines intendant ventri.*

30 *Mediolanenses an potuerint præscribere contra numerum quadragintà duorum dierum Quadragesimæ ab Ecclesia institutum, & num. seq. usque in finem.*

31 *Quadragesima ratione jejunij est de jure divino, ratione temporis ex traditione Apostolorum.*

32 *Quadragesima quot habeat hebdomadas.*

33 *Quadragesima nulla reperitur, quæ saltem quadraginta duos dies non habeat, & n.* 42.

34 *Quadragesima in Ecclesia Orientali, in qua non jejunatur Sabbatho, incipit in Quinquagesima. Quadragesima quadraginta duorum dierum, quæ utitur Ecclesia Romana, additi fuerunt alij quatuor, ibidem. Mediolanensis Ecclesia hos quatuor dies non admisit, n.* 37.

35 *Quadragesima S. Ambrosij quæ sit, & n.* 38.

36 *Quadragesima est decima pars totius anni, instituta ut decima temporis Deo redderetur.*

37 *Mediolanenses, qui in baptismate puerorum pedes lavant aquâ consecratâ, excusantur ob authoritatem Ambrosij.*

38 *Quadragesima Mediolanensis Ecclesiæ in quo differat à Quadragesima Ecclesiæ Romanæ.*

39 *Consuetudo præsertim jejunij relaxativa ut tollat legem, debet esse rationabilis, & legitimè præscripta, & n.* 43.

40 *Ratione legis manente, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit.*

41 *Consuetudo irrationabilis, & imprascriptibilis est, quæ discrepat ab instituto universalis Ecclesiæ, aut quæ est contra Ecclesiasticam disciplinam.*

42 *Quadragesimam totam violavit, qui unam diem abstinendo prætermisit.*

43 *Consuetudo requirit patientiâ cum voluntate Principis, cujus est legem abrogare.*

44 *Privilegium in materia non verisimili præsumitur falsum, & subreptitium.*

45 *Can. Denique, 4. dist. non est B. Gregorij, licèt sub illius nomine referatur.*

46 *Crimina sunt sustinenda ratione scandali, vel schismatis.*

47 *Consuetudo in delictis excusat multitudinem à pœna temporali, sed non gehennali.*

1 EXPLICARI. Si festum Nativitatis contingat in sexta feria, licitum est carnes comedere, exceptis professis, & voventibus. Hoc dicit. Communis divisio. Decisa consultatio, & responsio. Secunda ibi, *Rosponderunt.*

2 Nota 1. ibi, *nec voto*, nec regulari observantiâ. Regularem non teneri à carnibus abstinere ex voto, sed ex regula, secundum Abb. *hic n.* 1. *in* 3. *not.* Qui dicit hinc colligi argumentum optimum,

3 Religiosum non teneri ex voto ad omnia, quæ continentur in regulari observantia: sed votum verlatur duntaxat circa tria substantialia regulæ, de quibus in c. *Cùm ad monasterium, in fine, de statu Monachor.* & in hac opinione dicit fuisse B. Thomam, & Archid. *in c.* 1. 27. *q.* 1.

4 Sed de doctrina Abbatis ego valdè dubito: nam

aut regula non obligat transgressores ad aliquam culpam, aut in religione Fratrum Prædicatorum, in qua similes transgressiones non obligant ad culpam neque mortalem, neque venialem, sed solùm ad pœnam taxatam sustinendam, teste D. Thoma *in* 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 1. Et nunc certum est religiosis licere absque peccato vesci carnibus in die Nativitatis Domini. C. *Quisquis præcepit*, 3. *Quod præcipitur*, 14. *q.* 1. & c. *Denique*, 5 *illæ est legimus*, 4. *dist.* Neque hoc casu habet locum exceptio, de qua hic, quia loquitur tantummodo de his qui ad abstinentiam obligantur ex voto, vel ex regula, ut probat littera ibi, *adstricti*. Aut regula obligat transgressores ad culpam, prout regulariter contingit si utatur verbis præceptivis, vel æquipollentibus, ut in juribus supracitatis: & notat Abb. in cap. *Nam consuetudinem*, *num.* 2. *vers. Et tunc aut ista loquitur per verba præceptiva*, *supra de Constitution.* & dicendum est religiosos teneri ad observantiam regulæ ex vi voti obedientiæ: quia qui resistit regulæ, Superiori resistit, & sic Deo, cap. *Qui resistit*, cap. *Si Dominus*, & cap. *Iuliamus*, 11. *q.* 3. & notat [illegible] *loco citato*. Quid enim refert an Superior oretenus, aut scripto aliquid præcipiat? Et hujus sententiæ est apertè Di-

5 vus Thomas *ubi supra*: Nam in corpore docet transgressionem regulæ in his, quæ pertinent ad exercitium exercitium, sicuti sunt omnes exteriores observantiæ, obligare ad mortale indistinctè in concernentibus principaliter tria vota substantialia, scilicet paupertatis, continentiæ, & obedientiæ. In alijs verò, quæ ad prædicta ordinantur, obligare ad mortale in duobus casibus, videlicet propter contemptum, vel propter præceptum, sive oretenus à Prælato factum, sive in regula expressum: Quia, inquit, hoc esset facere contra obedientiæ votum. Et in responsione ad primum ait; (Ille qui profitetur regulâ, non vovet servare omnia, quæ sunt in regula; sed vovet regulare vitam, quæ essentialiter consistit in tribus prædictis. Unde & in quibusdam religionibus cautius aliqui profitentur nõ quidem regulam, sed vivere secundũ regulã, idest tendere ad hoc ut aliquis mores suos informet secundum regulam, sicut secundum quoddam exemplar. Et hoc tollitur per contemptum. In quibusdam autem religionibus adhuc cautiùs profitentur obedientiam secundum regulam, ita quod professioni non contrariatur, nisi id, quod est contra præceptum regulæ. Transgressio verò, vel omissio aliorum obligat solùm ad peccatum veniale, quia hujusmodi dispositiones sunt ad principalia vota. Peccatum autem veniale est dispositio ad mortale in quantum impedit ea, quibus aliquis disponitur ad observanda principalia præcepta legis Christi, quæ sunt præcepta Charitatis.) Hæc S. Thomas, quem totidem verbis sequitur Archid. in cap. 1. *num.* 2. 27. *qu.* 1. & ipsemet Abbas in cap. *Nam cùm scientiam*, *num.* 4. *vers. Nec obstat si dicatur*, *supra de Constitution.* atque ita S. Doctor sentit manifestè transgressionem observantiarum, quæ præcipiuntur in regula, contrariari professioni, & voto solemni obedientiæ. Unde Cajetanus post princip. notat Religiosos omnes ultra communia vincula omnium Christianorum teneri etiam ad tria Religionis vota, item ad præcepta facta à regula, vel Prælato, quæ tamen sub voto obedientiæ comprehenduntur, & ad con-

6 temptum. Præterea contra Abbatem allego textum

expressum in cap. Exiit. §. In primis, vers. Ad omnia, de verb. signif. lib. 6. Ubi Nicolaus III. dissertis verbis declarat Fratres Minores obligari ex voto professionis ad omnia, quæ in eadem regula ipsis
7 suis verbis obligatoriis indicuntur. Et Clemens V. in Clemen. Exivi, in §. Item quia, eod. tit. commemorans quæ illa sint, recenset in specie obligationem jejunandi in sextis feriis. Quamobrem verum non est quod dicit Abbas, Religiosum non teneri ex voto a carnibus abstinere, sed ex regula: imò enim quisquis tenetur ex regula, tenetur itidem
8 ex professione, & voto solemni obedientiæ. Neque obstat hæc decretalis, quia dum excipit adstrictos ex voto, potest intelligi de voto simplici, prout in dubio intelligi solet secundum ea, quæ notantur in cap. Rursus, & cap. Meminimus. Qui Cler. vel voven. & per Brixien. in ver. Votum, dum verò excipit adstrictos ex regula, intelligitur de adstrictis ex voto soleni, & sic nulla est superfluitas. Ad hoc d. c. Meminimus, cap. Veniens, & cap. Rursus, eod. tit.

Salvari posset dictum Abbatis in eo casu, in quo regula jejunium præscribens in 6. feria non obligaret ad culpam mortalem, sed ad venialem duntaxat. Tunc enim Regulares si in illa die incideret festum Nativitatis, tenerentur jejunare ex regula, non autem ex voto, secundum D. Thomam loco citato.

9 Adverte etiam ad id, quod ex D. Thoma superius dictum est, videlicet (Fratres Prædicatores ex similibus transgressionibus non obligari ad culpam neque mortalem, neque venialem: hoc enim non provenit ex eo, quòd præcepta regulæ ex sui natura non obligent ad mortalem reatum, juxta text. in dict. Clement. Exivi, §. Item quia, de verbor. significat. Sed quia Constitutionibus Ordinis ita cautum est, videlicet: Ut igitur unitati & paci totius Ordinis provideamus, volumus, & declaramus, ut regula nostra, & Constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam, nisi propter præceptum, vel contemptum. Præceptum autem in Regula nullum, nisi quod de natura sua est ratione trium votorum, vel divinæ, aut Ecclesiasticæ legis contineri volumus, & declaramus. Et idem in Constitutionibus, nisi ubi ponitur sententia excommunicationis, aut formaliter exprimitur per verbum, Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ. Et hoc idem in ordinationibus, & Prælatorum verbis, & litteris intelligi volumus.) Hæc ibi.
10 Non igitur mirum si Regula, & Constitutiones prædicti Ordinis non obligent ad culpam; quia ubicumque constat de mente legis obligare nolentis, nunquam inducitur obligatio, ut declarat Abb. in d. c. Nam concupiscentiam, n. 2. vers. Distingue sic, quod aut certum est de mente legis, supra de Constitutionibus.

11 Secundò nota in eod. vers. Exceptis, eos, qui generaliter voverunt nunquam vesci carnibus, non posse illis vesci in die Nativitatis Domini. Rationem reddit glos. 1. hic, quia quæ sine conditione voventur, sine conditione solvuntur, cap. ult. 32. q. ult. Nam ex quo in voto emisso nihil exceperunt, generaliter tenentur, arg. cap. Quia circa, de privileg. & l. Si servitus. ff. de servit. urban. prædior. Atque ita glossa intelligit exceptionem hic positam in eo, qui vovit generaliter carnes nunquam comedere. Et in hoc conveniunt omnes, ut testatur Abbas n. 3. vers. In glossa prima.

12 Sed valdè controversum est quid juris sit in illo, qui specialiter vovit abstinere à carnibus in die Veneris, nunquid talis possit eas comedere, si in illa die occurrat festum Natalis Domini, Abbas hic num. 3. vers. Sed præcedens opinio, concludit hunc teneri abstinere etiam in die Nativitatis. Et hanc opinionem dicit esse veriorem, & in eam inclinare Moderniores, tum ob rationem glossæ: quia qui generaliter vovit, tenetur abstinere in
13 qualibet sexta feria; Tum quia, ut ipse ait, si intelligeretur votum de esu illicito, ille vovisset Deo de vento. Unde ut videatur Deo aliquid offerre, debet intelligi quòd abstinebit feria sextâ, etiamsi alias licitè possent carnes comedi. Nam dispositio debet semper intelligi ut non sit inutilis, sed ut aliquid operetur, c. Abbate, infra de verbor. signif. & l. Quoties, de verbor. obligat. Sed si votum prædictum referretur ad esum illicitum, de nihilo serviret Deo illud votum, arg. l. Qui bis, ff. eod. ergo debet generaliter intelligi, ut comprehendat etiam esum licitum. Idem videtur sentire Sylvest. in ver. Iejunium, in 10. q. n. 27.

Sed oppositum tenet Io. Andr. hic n. 4. in glos. 1. nam secundum eum, licet tutum sit hoc tenere, quod dicit glossa; tamen si quis vovit non comedere carnes in sexta feria, occurrente eo die festo Nativitatis, comedere poterit, nisi etiam eum casum in voto includere intendisset, ut sic illud votum intelligatur de esu non licito, allegat cap. Petitio, & cap. Ad nostram il terzo, de jurejuran. cap. Super quibusdam, de verbor. signific. & l. Adigere, §. ult. ff. de jurepatr. Et quod hic dicitur de voto, Joan. Andr. intelligit de eo, qui vovit nunquam comedere carnes. Et idem putat si vovisset non comedere die aliàs permisso, & tunc festum occurreret; nam & eo casu locus esset glossæ. Ita Joan. Andr. quem hic referunt, & sequuntur Henric. Boich. num. 1. & 2. Anton de Butr. num. 4. & Petr. de Anchar. nu. 3. licèt eum reprobet Cardin. nu. 3. quia, inquit, hodie, ex quo emanavit istud Capitulum, quicunque voveret non comedere certâ die, puta sexta feriâ, vel die, qua venerit Salutatio Virginis, si ea die venerit Nativitas, tenebitur servare votum, ex quo non excepit hunc casum, Regula Contra eum, lib. 6.

Posset sic distingui. Aut vovens non comedere carnes in sextis feriis intendit comprehendere etiam diem Nativitatis; & extra dubium est hunc teneri abstinere etiam in illa sexta feria, in qua occurrit Nativitas, quia eatenus quis adstringitur
14 voto, quatenus intendit & non ultra, leg. Obligationem, ff. de action. & obligat. cap. Litteraturam, & ibi glos. 1. supra de voto. Magis enim in voto attenditur intentio voventis, quàm verba, cap. Su-
15 per eo, §. Rursus, eodem tit. Et idem puto si habitualiter intendisset obligare ad abstinentiam à carnibus etiam in die Nativitatis, ut quia si hoc memoriæ occurrisset ita deliberasset, ut declarat Sylvest. in ver. Iejunium, q. 10. num. 27. vers. Ego distinguo. Ad hoc l. Cum in testamento, ff. de rebus dub. & l. Tale pactum, §. fin. cum concord. de quibus illi per gloss. fin. in fine, ff. de pact. & multò magis si tacitè se obligasset ad abstinentiam etiam in die Nativitatis, puta quia in illa die, quæ contigit in sexta feria, carnes comedit, & sibi accidit aliquid sinistrum, & ideò vovit in omnibus sextis feriis à carnibus abstinere. Idemque dicendum esset si vovisset abstinere in die, in qua perveniet ad

ad locum peregrinationis, secundum exemplum Joan. Andr. hic in princip. in ver. Voto. Nam si pervenerit ad locum destinatum in die Dominico; imò & in paschate Resurrectionis, utique teneretur abstinere. Et idem esset si voluisset per annum abstinere in die, in qua occurreret Salutatio Virginis, secundum exemplum Cardinalis: nam si hoc festum contingeret in die Dominico, absque dubio teneretur abstinere, etiam in Dominica Resurrectionis.
16 Non igitur apparet ratio, cur non item teneatur in die Nativitatis. Quod si de intentione voventis nec expressè, nec tacitè appareret, tunc recurrendum esset ad causam, qua motus fuit ad vovendum. Nam si vovisset abstinentiam à carnibus in die Veneris, quia pluries comederat, & voluit præcepto Ecclesiæ addere etiam obligationem voti, ut hoc vinculo se à peccato cohiberet; hoc casu non videtur se voluisse adstringere ad abstinentiam in die Nativitatis; quia in illa die nullum est peccatum vesci carnibus in sexta feria, ut hic patet. Et sic cessat ratio motiva, propter quam vovit, arg. cap. Etsi Christus, ad finem, supra de
17 jurejuran. Idemque arbitror dicendum in eo, qui vovit abstinere à carnibus in sextis feriis in memoriam Dominicæ passionis. Verisimiliter enim non videtur se voluisse adstringere ad abstinentiam in die Nativitatis, sed potius se conformare cum consuetudine ecclesiæ universalis, quæ licet indesinenter recolat memoriam passionis Domini; tamen in festo Nativitatis indulget fidelibus esum carnium ob tantæ festivitatis venerationem,
18 ut hic patet. Nam propter excellentiam diei detrahitur abstinentiæ, & macerationi carnis. Unde colligunt Doctores, in diebus festis licere non tantùm spiritualiter, sed etiam corporaliter honestè lætari in cibis, & vestibus, ut in specie hic notat Abb. num. 2. & Sylvest. in ver. Iejunium, num. 27. vers. Ex quibus elici potest. Quamobrem sicut in
19 juramento intelligitur excepta authoritas ecclesiæ, & legis, cap. Constitutus; à contrario sensu de rescript. cap. Venientes, de jurejuran. Bald. cons. 29. n. 2. in fine, vers. Namsicut in juramento, lib. 1. ita & in voto, ut præfertur, emisso, cap. Non est voti, supra de voto, glos. unica in cap. Dum qui, supra de vita & honest. Cleric. Hostiens. in cap. Rursus, infra ne Cler. vel Monachi. Ad quod optimè faciunt jura per Jo. Andr. allegata, de quibus supra n. 13. vers. Sed oppositum.
20 Neque obstat quòd secundum Petr. de Anch. hic in 3. notab. cùm abstinentia à carnibus in die Veneris sit in præcepto, votum super hoc emissum videatur derisorium, cùm non possit augere effectum obligationis contractæ ex juris dispositione, ut l. Creditori ff. de leg. 1, & l. Qui bis ff. de ver-
21 bor. obligat. Sicut statutum est nullum, si disponat idem quod jus commune, ut notatur in cap. 1. de Constitut. lib. 6. Ac propterea ut votum aliquid operetur præter jus commune, includere debeat etiam diem Nativitatis. Nam respondetur, cessare hanc difficultatem, si intelligamus hunc textum procedere in eo tantùm casu, in quo quis vovit nunquam carnes comedere, juxta intellectum Jo. Andr. talis enim proculdubio se adstringit ad abstinentiam ultra jus commune, atque ita votum non est inutile.
22 Quod si loquamur in eo, qui in specie vovit abstinentiam à carnibus in die Veneris, tunc respon-

deo non esse inutile ut quis se voto adstringat ad id, ad quod tenetur ex præcepto Dei, vel Ecclesiæ.

Quod optimè explicat Cardin. Cajetanus in 2. 2. q. 186. art. 9 vers. Dubium circa hanc litteram, ait enim (Quemadmodum id quod cadit sub jure positivo communi, si in regula statuatur, obligatur illius professor duplici vinculo, scilicet, juris Canonici & propriæ regulæ ad id servandum, verbi gratia, si in regula indicuntur inter alia jejunia etiam illa, quæ sunt ab ecclesia instituta, tenetur Religiosus ille jejunare non solum ex ecclesiæ statuto, sed & ex suæ regulæ mandato: Ita si præcepta Dei, vel naturalis juris in regula statuantur servanda, tenetur professor illius regulæ ex duplici capite ad illa præcepta servanda, scilicet ex divino jure, & ex sua regula. Non enim inconvenit præceptum à jure iterum præcipi ab alio jure, vel judice, ut patet.) Hæc ille.

Præterea non est inutile ut aliquando quis voveat abstinentiam à carnibus in diebus alias prohibitis. Nam aliquis abstinet à peccato propter votum, qui non abstinet propter præceptum. Ideoque pœnitenti, qui in peccatum aliquod frequentius labitur, providus Sacerdos quandoque suadet cum fructu ut voveat ad tempus, ut vel sic se à lapsu compescat.

23 Unde non subsistit quod dicit Abbas hunc vovere Deo de vento, quia funiculus duplex difficilius rumpitur, cap. 1. de treg. & pace, & duo vincula magis stringunt, quàm unum. §. Affines autem institut. de nupt. Authen. Itaque, C. de commun. de success. cum simil.

Quod si neque ex causa impulsiva, neque ex
24 aliis circumstantiis, & conjecturis discerni possit an vovens non vesci carnibus in sexta feria intenderit se adstringere ad abstinentiam in die Nativitatis necne, sed res prorsus dubia sit: tunc existimo veriorem esse opinionem Jo. Andr. ut scilicet textus noster procedat in eo tantùm, qui generaliter vovit nunquam carnes comedere; non autem in eo qui vovit eas non comedere in sextis feriis. Considero enim inter hos duos casus esse evidentem rationem diversitatis. Nam qui vovit generaliter nunquam vesci carnibus, utique voluit privare se libertate illas comedendi etiam in diebus aliàs permissis. Unde cum ex vi suæ obligationis teneatur ab illis abstinere, etiam in Dominica Resurrectionis, non est ratio cur similiter non teneatur in die Nativitatis, æqualiter enim permittit Ecclesia esum carnium in paschate, atque in Nativitate. Unde Doctores dicunt eum, qui vovit abstinere à carnibus in omnibus quintis feriis, teneri utique abstinere etiamsi in die Jovis occurrat festum Nativitatis.

Quod apertè sentit Jo. Andr. n. 4. in glos. 1. vers.
25 Item puto. At verò qui vovit specialiter abstinere à carnibus in die Veneris, vovit abstinentiam in illis diebus, in quibus ex prohibitione Ecclesiæ interdictus est esus carnium: ergo non censetur vovisse abstinentiam in die Nativitatis; quia in illa die, etiamsi sit feria sexta, esus carnium non est ab Ecclesia interdictus. Non enim est facienda extensio ex sextis feriis alias prohibitis ad sextam feriã Nativitatis ab Ecclesia permissam, cum in voto nõ debeat fieri extensio de casu ad casum, ut notatur in cap. non solum de regular. lib. 6. & probatur in cap. Litteraturam; supra de voto. Et in dubio creden-

dum

dum est futurum fuisse ut vovens excepisset diem Nativitatis, si memoriæ occurrisset, ut sic cum Ecclesiæ usu se conformaret, & non esset singularis in sua familia, ut videtur advertisse Molina *tom.2. de just.disput.272. col.2.vers. Exempla sunt.*

26 Præterea frequenter accidit ut quis generaliter voveat nunquam edere carnes, ut patet in Carthusianis, & Minimis S. Francisci de Paula. At vix reperietur ut regula præcipiat in specie abstinentiā à carnibus in die veneris; hoc enim ferè esset ridiculum, cùm non tantum Religiosis professis, sed omnibus Christianis in ea die sit esus carniū interdictus. Item rarissimè accedit ut quis voto se astringat ad carnes non edendas in die Veneris, & ferè hic casus vix potest contingere nisi in eo, qui aliquando edit, & propterea vult se à lapsu coercere, addita voti obligatione. Ergo hic Canon adaptari debet ad primum casum, qui frequenter accidit, l. *Nam ad ea, ff. de legibus*, non autem ad secundum, qui aut perrarò, aut nunquam contingit. Nam ex iis, quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur. Imò quæ semel, aut bis accidunt, contemnunt legislatores, ut l. Ex iis, & l.

27 *Quoniam, ff. eod.* Ex his apparet fortè aliud dicendū esse in his, qui ex voto, seu ex regula tenentur jejunare in omnibus sextis ferijs, ut Fratres Minores. Hi enim voto sunt adstricti ad id, ad quod de jure non tenentur, cum jejunium in sexta feria non sit in præcepto, ut dixi in *capite præcedenti, num 23.* & consequenter sunt adstricti etiam ad jejunium in die Natalis Domini, cum quoad jejunium non sit differentia inter illam diem, & alias sextas ferias. Atque ita in eo, qui in sextis ferijs vovit jejunare, tenent Palud. *in 4. dist. 38. q.3. art.4. num.26.* Navarr. *in Summa Hispana, c.28 addit. ad n. 27. c.21.* & alij apud Sanch. *in Summ. tom.1. lib.4. cap.11. n 61.*

28 Vltimò nota ibi, *secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis*, valere consuetudinem in relaxatione Iejunij, quod dicit mente tenendum Abbas, *hic num. 3.* subdens hunc textum optimè facere pro glossa in cap. præcedenti, & contra dictum Hostiensis ibi. Sed tu adverte, quia textus hic loquitur in consuetudine universalis Ecclesiæ, quæ censetur traxisse originem vel ex traditionibus Apostolorum, vel ex decretis Conciliorum generalium, ut legitur in cap. *Illa*, ubi Archid. & omnes notant, 12. *dist.* Unde non mirum si tanquam lex ubique servanda sit, cap. *perniciosus. supra de celebr. Missar.*

29 Quod si consuetudo sit localis, tunc subdistingue. Quædam enim est consuetudo, quæ non relaxat jejunium in totum, sed illud modificat, & interpretatur quoad horam, qualitatem ciborum, & unicam comestionem. Et hæc valida est, si ex honesta, & rationabili causa sit introducta: non autem ut homines intendant ventri, & gaudijs temporalibus, ut dixi plenè in *cap. præcedenti, nu. 46.* Quædam verò est consuetudo, quæ in totum solvit jejunium, & in hac sunt opiniones, quas recitant in eodem, *cap. Præcedenti, num. 55.* Abbas, ibi, *num. 5.* distinguit An Papa sciat, & tolleret necne. Hic verò, *n.3.* ponit aliam distinctionem, videlicet An cōsuetudo habeat in se causam rationabilem, & honestam, an non. Sed tu dic latius, ut in quæst. seq. præsertim à *num. 39.*

30 QVAERO, An ex consuetudine immemorabili in Populo Mediolanensi potuerit præscribi contra numerum 42. dierum Quadragesimę ab Ecclesiæ institutum, ita ut non possint Mediolanenses compelli ad inchoandum jejunium, sive abstinentiam die Dominico, qui præcedit feriam secundā, quæ ex prædicta consuetudine ipsis est initium quadragesimæ continentis dies 41.

31 In hoc dubio supponendum est primò Quadragesimam ratione jejunij esse de jure divino; ratione temporis esse ex traditione Apostolorum, ut per multos Canones antiquos, & dicta Sanctorum Patrum docet Martinus Ajala *de tradit. par.3. de jejunio, & quadragesima.* Et Cardinalis Varmensis de cæremon. à tempore sumptis, *c.1.*

32 Supponendum est secundò Quadragesimam habere aut sex, aut septem hebdomadas, ut tradit Cassianus *in collation. de remiss. Quadragesimæ.*

33 Nam illi, qui jejunant septem hebdomadis subtrahunt abstinentiæ septem dies dominicos, & sex dies Sabbathi: qui verò sex hebdomadis, sex dies dominicos, ut B. Gregorius docet *homil. 16.* tractans de numero dierum quadragesimę, ita ut non sit reperire quadragesimam, quæ saltem non

34 habeat quadraginta duos dies. Ecclesia siquidem Orientalis, in qua non jejunatur Sabbatho, incipit quadragesimam in quinquagesima; & sic continet septem hebdomadas. Ecclesia verò Romana servat numerum quadragintaduorum dierum, quibus, ut idem Gregorius tradit *de consecrat. dist. 5. can.* Quadragesimę additi fuerunt quatuor alij dies.

35 Supponendum est tertiò quadragesimam Sancti Ambrosij fuisse quadraginta duorum dierum, & incœpisse à die dominico, ut ex ipso habetur *sermon. 23. & 24.* ait enim in serm. 23. Sanctę quadragesimæ rationem, cujus hodie initium celebramus. Qui dies per sequentem sermonem probatur fuisse dies dominicus, dum inquit; Retinent adhuc sensus vestri, Fratres, nos hoc superiore Dominica prædicasse. In utroque autem sermone explicat, cur Quadragesima habeat quadraginta duos dies, cujus figuram quadraginta duas illas mensiones dicit habuisse. Quin etiam Decius Do-

36 ctor Mediolanensis in cap. *Ad audientiam de rescrip. num. 20.* habet hæc verba: (Quadragesima instituta fuit ut decima temporis Deo redderetur, quæ est in triginta sex diebus, prout est quadragesima, exceptis diebus dominicis, & ulterius additi sunt quatuor dies, & sic sunt quadraginta ad imitationem Christi, qui quadraginta diebus jejunavit, can. *Quadragesima, dist. 5.* Quod fusius ante eū explicat Gemin. *cons. 37. num. 2. vers. De hoc est.*

37 Mox subdit Decius: Ecclesia verò Mediolanensis non accepit illos quatuor dies.) Hæc ille. Et in hoc Mediolanenses excusari possunt ob auctoritatem Ambrosij. Quemadmodum etsi pedes eorum, qui baptizantur, prohibeantur lavari in Concilio Eliberitano, *cap. 48.* relato in cap. *Emendari, 1. q. 1.* tamen excusantur Mediolanenses, qui Ambrosij auctoritate Puerorum pedes lavant

38 aqua consecrata, ut ait ibi glos. *in v. Laudandi sunt.* Cum igitur Quadragesima Ambrosiana differat solum in quatuor diebus à quadragesima, quam Romana servat ecclesia, sequitur ut quadraginta duos dies contineat, & incipiat in ipso die dominico; ut ostensum est ex eodem sancto, & testatur etiam Divus Gregor. *ind. homil. 16.*

39 His suppositis ad dubium videtur negativè respondendum. Nam consuetudo, ut tollat legem, debet

debet esse rationabilis, c. *fin.* ubi Abb. *n. 4. de consuetud.* glos. *un.* in cap. *1. eod. tit.* per illum textum, Felin. in c. *Cum ex officij, de præscript.* Aym. *cons. 96. n. 3.* Anton. Gabr. *lib. 5. de præscript. conclus. 1, n. 36.* alios congerens. Quod maximè est verum in consuetudine jejunii relaxativa, ut hic per Abb. *num. 3.* Talis autem non est hæc consuetudo, cùm nulla ratio sit cur eo die, quo non modò Ecclesia Mediolanensis, sed tota ab Oriente usque ad Occidentem Ecclesia incipit officium Quadragesimale, & luget peccata, ut inquit Cassianus *ut supra script. collat.* Solus populus Mediolanensis intem-

40 perantiæ indulgeat. Ergo cùm prorsus sit contra rationem, ut tanta deformitas publicè in Ecclesia appareat; sequitur ut talis consuetudo non possit tollere legem maximè rationabilem: quinimò cùm maneat ratio eadem, ut inquit D. Thomas *in 1.2. q.97. art. 3. ad 2.* Propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit. Quamobrem in solemnibus jejuniis, præsertim Quadragesimæ, consuetudinem absolutè nihil posse docuit Host. *in cap. præced. nu. 2.* retractans quod prius scripserat in summa: quem ibi sequuti sunt Jo. Andr. *num. 8.* Butr. *num 12.* Cardin. *num. 2.* & alii frequentiori calculo. Et ita communiter teneri testatur Præpos. in c. *Denique, n. 23. 4. dist.*

41 Præterea illa consuetudo dicitur irrationabilis, & nullo tempore præscribi potest, quæ est contra Ecclesiasticam disciplinam, cap. *Cùm inter, de consuetud.* Felin. in cap. *Accedentes, n. 6. vers. Fallit 4. de præscript.* Balbus *in tract. de præscript. in prima parte sexta partis principalis n. 7.*

42 Sed hujusmodi consuetudo non modò simplici disciplinæ Ecclesiasticæ, sed & ipsi Apostolorum traditioni adversatur, ut ostensum est supra in secundo supposito, cùm non detur species Quadragesimæ, quæ habet dies 41. & Ambrosius in eodem sermone de Quadragesima dicat: (Si quisquam unam diem abstinendo prætermiserit, totam Quadragesimam violavit, & propter modici temporis cibum, magnum fructum laboris amisit;) & si solvitur jejunium uno die, tota Quadragesima inhonoratur, cap. *Non liceat, consecr. dist. 3.* & cap. *Non oportet, ead. dist.* Ergo talis consuetudo præscribi non potuit.

43 Altera conditio ad hoc ut consuetudo immemorabilis possit legem abrogare vel in totum, vel in partem, est ut sit legitimè præscripta, Abb. in d. cap. *fin. num. 4. de consuet.* & requiritur patientia cum voluntate Principis, cujus est talem abrogare. Innocent. *in rubr. de consuetud.* Felin. alios allegans in cap. *Cum ex officij, n. 8. de præscript.* Aym. *cons. 95. n. 7.* Sylvest. *in ver. Iejunium, n. 8.* Nec sola tolerantia sufficit ut ex ea colligi possit consensus Principis; multa enim tolerantur, quæ si in judicium deducerentur, non deberent tolerari, cap. *Cum jamdudum, in fin. de præbend.* Sed in proposita consuetudine non potest ostendi Summi Pontificis voluntas, qui semper reclamant per Prædicatores ut in specie testatur Sylvest. *ubi supra his verbis*: (Ego verò primam limitationem approbo, quando consuetudo est irrationabilis; secundam (hoc est, quoad interpretationem jejunii qualiter sit explendum) concurrentibus duobus. Primò quod Papa sileret sine reclamatione, secus ubi reclamet per Prædicatores, sicut ubique facit de jejunio Quadragesimæ, quod à minori parte fidelium servatur: & tamen consuetudo non excusat. Secundò, quòd consuetudo talis sit apud timoratos, & non eos, qui non jejunant, credentes tamē & scientes se jejunio obligatos, quia non est consuetudo, sed corruptela.) Hæc Sylvester. At in casu nostro Papa semper reclamat per prædicatores contra non observantes præcepta Ecclesiastica, nec apparet Mediolani omnes etiam timoratæ conscientiæ hoc modo jejunasse, sed potius contrarium ex Dec. supra cit. Ergo talis consuetudo cùm non sit legitimè præscripta, non debet obtinere adversus instituta universalis Ecclesiæ, Ecclesiasticam disciplinam, & traditiones Apostolorum.

44 Non obstat quòd habens consuetudinem immemorabilem possit allegare privilegium, cap. 1. Ubi Doctores *de præscript. in 6.* quia quando allegatur privilegium in materia non verisimili, præsumitur falsum, & subreptitium, Felin. in c. *Cum ex officij, n. 13. de præscript.*

45 Nec obstat Can. *Denique, dist. 4.* Primò, quia ex illis verbis clarè non habetur, de qua Dominica loquatur. Denique allegatur nomine Gregorii; & tamen non reperitur usquam tale dictum apud ipsum. Imò repugnat expressè verbis Gregorii supra relatis *Homil. 16.* Sed neque ex illis verbis c. *Denique*, potest colligi voluntas, & consensus Papæ.

46 Demum prædictus Canon ubique probat consuetudinem illam vescendi carnibus in Dominica Quadragesimæ esse corruptelam, & populos, qui ab ea dimoveri non poterant, mortaliter peccare. Et quamvis dicat cum venia suo ingenio relinquendos esse, tamen, ut inquit in ver. *Venia*, hoc debet intelligi de venia pœnæ, non de venia culpæ; tolerat enim Gregorius illud crimen vescendi carnibus in Dominica Carnisprivii propter periculum schismatis, vel scandali. Unde non est dicendum quòd ignoscatur eis, licet non puniat eos propter multitudinem, vel scandalum. Sustinenda enim sunt crimina ratione scandali, vel schismatis, ut 24. *q. 4.* cap. *Non potest*, & ratione multitudinis, ut 50. *dist.* cap. *Ut constitueretur.* Hæc ibi, & in ver. *Consuetudine*, glossa dicit, consuetudinem hujusmodi excusare à pœna temporali, ut ibi, sed

47 non à gehennali. Imò enim consuetudo non minuit peccatum, sed auget. c. *Schisma, 24. q. 1.* c. *Flagitia, 32. q. 7.* c. *Non satis, de simon.* & sequuntur ibi Archid. Bellam. Turrecrem. & Præpos.

Ultimò non obstat quod legitur in recentioribus Homiliariis, Dominica Carnisprivii; & tamen sequitur in c. *Quadragesima.* Et quod in Breviariis, & Missalibus Ecclesiæ Mediolanensis prima Dominica Quadragesimæ appellatur, quæ est secunda juxta nostram sententiam. Tum quia inscriptiones hujusmodi procedunt supposità corruptelà inducta post Ambrosium. Tum etiam quia cùm ille dies sit primus, non appellaretur prima Dominica Quadragesimæ, sed potius Dominica in capite jejunii Quadragesimæ.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

Cap. Audientiam, il primo.

SVMMARIVM.

1 Ecclesia nova potest in parochia ædificari propter nimiam distantiam parochialis, cui, certa portio assignari ex redditibus Ecclesiæ antiquæ.
2 Possumus id solum, quod commodè possumus.
3 Horæ congruæ non accedens ad actum explicandum non censetur eidem interesse.
4 Parochia nova erigi non potest ex redditibus Ecclesiæ, cui non supersunt necessaria ad sustentationem Rectoris.
5 Parochiani ergi possunt subministrare quæ sufficiat ad vitam novi Parochi sustentandam, si Ecclesia matrix redditibus non abundet.
6 Et quid si Parochiani sint pauperes, & n. seq.
7 Ecclesia parochialis quandoque erigi potest sine dote.
8 Parochialis noviter erecta quem honorem debeat impendere matrici Ecclesiæ.
9 Et in quibus eidem teneantur subjecta, & n. seq.
10 Ecclesia nulla præter cathedralem fundat intentionem super subjectione alterius Ecclesiæ etiam fundata infra limites parochiæ suæ.
11 Parochia nova erigi potest ab episcopo infra limites parochiæ alterius, etiam invito Rectore.
12 Appellationi potest ab erectione novæ parochiæ ad effectum suspensivum, sed devolutivum tantum.
13 Parochia nova ut erigi possit ab Episcopo infra limites alterius parochiæ, quæ requirantur, & num. seq. usq. in fin.
14 Parochialis Ecclesia in alterius parochia regulariter ædificari non debet.
15 Fallit regulæ à subsistente causa, ibid. n. 15.
16 Et causa justa est magna difficultas Parochianorum accedendi ad Ecclesiam matricem, & n. 23.
17 Non tamen requiritur ut aliquis decesserit sine Sacramentis.
18 Parochiæ amplitudo an sit justa causa erigendi novam parochiam.
19 Et quid si inter populum alicujus villæ, & parochialem intercedat flumen, quod transmeari non possit.
20 Parochialis si intra civitatem sita sit, quibus remediis consulendum sit Parochianis extra civitatem existentibus.
21 Regulares, quibus concessa est parochialis intra civitatem, cogi possunt ab Episcopo ad construendam Capellam extra civitatem, eique inserviendum per seipsos, vel Capellanum amovibilem.
22 Parochialis nova construi potest ob necessitatem seposorum, sine gravi tamen præjudicio Parochialis antiquæ.
24 Parochia erigi non potest ex sola causa quòd populus sit valdè numerosus, sed tunc cogendus est Rector sibi coadjutores adjungere.
25 A parochia antiqua non potest Episcopus loco erectionis novæ parochiæ aliquam partem populi separare, & alteri commodiori applicare.
26 Nec duas Parochias unire.
27 Vicarius duas perpetuas in parochiali Episcopus erigere non potest ex eo, quòd populus sit valdè numerosus.
28 Parochia ut erigi possit quot incolæ sint necessarij.
29 Parochia erigi non potest nisi citato Rectore Ecclesiæ matricis, & aliis quorum interest, & n. seq.
30 Parochiæ erectio si nulla sit ex defectu citationis; non tamen prohibetur Episcopus si causa subsit, iterum ad erectionem procedere.
31 Parochialis erigenda infra limites alterius parochiæ quo ordine sit procedendum in assignatione dotis, & nn. seqq.
32 Parochiali erigendæ assignari possunt redditus Ecclesiæ matricis, etiamsi sit Cathedralis, nùn autem aliarum Ecclesiarum.
33 Pro parochia noviter erigenda potest Episcopus facere unionem beneficiorum, si alij redditus non supperant.
34 Et quid de Canonicatibus habentibus curam animarum annexam in alia Ecclesia non Collegiata.
35 Jus patronatus Ecclesiæ noviter ædificatæ infra limites alterius parochiæ, quibus sit reservandum.
36 Patroni plures esse possunt unius Ecclesiæ ex causa fundationis, vel dotationis, etiamsi inæqualiter dotaverint, & n. seq.
37 Acta quid sit.
38 Ecclesia matrix, ex cujus obventionibus erigitur nova parochia, efficitur patrona simultanea alio dotante.
39 Ecclesia matrix non acquirit jus patronatus in Ecclesia fundata intra suos limites, nisi de suo aliquid contulerit, quamvis oblationes futuræ dicantur esse loco dotis.
40 Capella si intra Ecclesiam ædificetur, & ab alio dotetur, Ecclesia efficitur patrona.
41 Mandatum speciale requiritur ad erigendam novam Parochiam.
42 Ad parochiæ erectionem Episcopus an procedere debeat authoritate ordinariâ, vel delegatâ.
43 Parochiæ novæ concurrentibus requisitis possunt Episcopi erigere etiam in parochijs Regularium, & Ordinum Militarium.
44 Regulares Ecclesias ab Sacramentorum necessitatem non possunt Episcopi in parochiales erigere.
45 Appellatio ab Episcopo procedente authoritate delegatâ in eo casu, in quo uti poterat etiam authoritate ordinariâ ad quem sit interponenda, & nn. seq. usq. ad n. 49.
Et quid si procedere non poterat authoritate ordinariâ, n. 47.
46 Potestas delegata cur sit Episcopis per Concilium Tridentinum attributa.
48 Appellatio ab erectione parochialis facta ab Episcopo infra limites parochiæ regularibus subjectæ interponi non potest nisi ad Papam.
49 In parochia erigenda an Episcopus teneatur adhibere consilium, vel consensum Capituli, & n. seqq. usq. ad n. 55.
50 Quid de jure communi.
Et quid ex Concilio Tridentino, n. 52, & 54.
51 In parochia dismembratione requiritur tractatus.
53 In unionibus, & aliis actibus, quæ sunt authoritate delegatâ, non requiritur Capituli consensus.
Declaratur, n. 54.
54 Capituli consensus non requiritur, si nova parochia ab Episcopo erigatur in parochia Regularibus subjecta.
55 Decima ad Ecclesiam matricem pertinentes an transeant

eant ipso Jure in parochialem noviter erectam infra illius limites.
56 Ecclesia quæ non est in parochialem erigitur, an Episcopus in vim Concilij Tridentini possit unire aliquem ex Canonicatibus Ecclesiæ matricis, & nn. seqq.
57 Vniendi facultas non venit in generali dispositione.
58 Tituli non sunt ab Episcopo transferendi ab una ad aliam Ecclesiam sine magna causa.
59 Parochiæ ex justa causa possunt dividi etiam invitis Clericis.

1 AD AUDIENTIAM. Propter nimiam distantiam Ecclesiæ potest nova Ecclesia in illius parochia construi, eique certa portio assignari ex redditibus Ecclesiæ antiquæ. Hoc dicit. Dividunt in duas partes. In prima ponit facti narrationem. In secunda provisionem, ibi, *Quia igitur*. Quæ primò provider quando rector consentit. Secundò, quando dissentit, ibi, *Si verò*.

2 Nota primò ibi, *Sine magna difficultate*, hanc esse justam causam dividendi parochiam, & novâ ecclesiam infra illius limites construendi, si Parochiani ad ecclesiam antiquam sine magna difficultate accedere nequeunt pro Sacramentis percipiendis, & divinis officijs audiendis. Et quod hic dicitur, sine magna difficultate, Concilium Tridentinum dixit, Sine magno incommodo, in *cap. 4. sess. 21.* meritò; nam illud solum possumus, quod commodè possumus; ut L. Nepos, *Proculo*, ff. *de verborum. significs.* cap. fin. *supra*, *de diat.* cap. *Quia propter*, *de elect.* cap *fin*, & penult. *de procurat.* glos. in cap. *Factat*, *in ver. Non potest*, *in fin. 22. quæst. 2.* & hic notant Hostien. *in princ. in ver. Sine magna difficultate*, Jo. Andr. *num 2.* Butr. *n. 4.* Cardin. *num. 2.* & Anchar. *in 2. not. ab.* Sive autem hæc difficultas adeundi ecclesiam matricem proveniat ex distantia loci, sive ex alia causa, nihil refert, ut dicam infra *in 1. q. num. 18.*

3 Secundò nota ibi, *congruo tempore*: eum, qui congruo tempore non accedit ad actum explicandum, non censeri eidem actui interesse, argum. cap. *consulatis*, §. 1. *supra*, *de offic. deleg.* secundum Hostien. *hic in princ.* Jo. Andr. *num. 2.* Butr. *num. 4.* omnes in ver. *Congruo tempore*, & Card. *in 2. not. ab.* Quod facit contra Canonicos, qui accedunt ad Chorum post officium inchoatum; & contra eos, qui ad Missam cœptam veniunt diebus festis, ut præcepto Ecclesiæ non satisfaciant. De quo tamen dicit per Innocent. in cap. *Dolentes*, *ad fin. pers. Item si aliquis non interfuit*, *supra de celebrat. Missar.* per Archid. in cap. *Missas*, *de consecr. distinct. 1.* & Sylvest. *in ver. Missa*, 2. *nu. 1. vers. Dicitur quarto.*

4 Tertiò nota ibi, *convenienter valeat sustentationem habere*: non esse locum erectioni novæ parochiæ ex redditibus Ecclesiæ antiquæ, nisi Ecclesia matrix adeò redditibus abundet, ut ejus Rector absque proventibus novæ ecclesiæ assignatis competenter valeat sustentari, ut *hic* & in cap. *Roma rei. 12. q. 2. cap. Quicumque*, *16. q. 1. cap. Ecclesia*, *supra*, *de decim.* & cap. *proximo*, *supra eodem*. Quamobrem si Rector matricis ecclesiæ egeret redditibus sibi subtractis, illius causa potior habenda esset, argum. cap. 1. *supra*, *de paroch.* cum aliis hic allegatis per Hostien. *num. 3 in verb. Inconvenientes*, *vers. Sed quæri si antiquus Rector*, & Butr. *n. 10*

5 nam agris suis fruentibus alieni non sunt irrigandi, l. *Præses*, C. *de servit.* & ita concludunt *hic* gl. in ver. *Conveniente*. Hostien. *num. 3.* Joan. And. *num. 7.* in glos. 2. Butr. *num 4. in Ver. Abundare*, & Anchar. *in 3. not. ab.*

Verum hanc conclusionem limitat ibidem Hostien. & glossam corrigit in eo casu, in quo nisi fieret erectio novæ parochiæ, animarum periculum immineret, puta quia Parochiani decederent sine confessione, & aliis Ecclesiæ Sacramentis: tunc enim putat novam parochiam esse ab Episcopo erigendam, etiamsi ecclesia matrix redditibus non abunder, nam rebus animæ sunt præferendæ, ut notatur in cap. *extirpanda*, §. *Cum igitur*, *supra de præben.* & cap. 1 *de pignor.* Sed tu adverte, quia glossa habuit optimum intellectum relata ad textum; non enim negat quin sit faciendæ erectio ubi periculum immmet animarum; sed sentit illam non esse faciendam ex redditibus ecclesiæ antiquæ, quando hujusmodi reditus non sufficiunt ad sustentationem Rectoris, & sic glossa non discrepat à sententia Hostiensis. Dic ergo in hoc casu in quo ecclesia antiqua nihil habet præter necessariam sustentationem, & subest periculum animarum, cogendum esse ab Episcopo subjectum parochiæ populum, ut presbytero instituendo necessaria ministret, argum. cap. *Cum sit Romana*, *de Simon.* & expressè cautum est decreto Concilij Tridentini *cap. 4. sess 21.* ubi innovatur hoc cap. & statuitur ut si necesse fuerit, compellere possit Episcopus populum ea subministrare, quæ sufficiant ad vitæ ipsius Sacerdotis sustentandam, facit c. 7 *sess. 21.* ibi, in illorum defectum Parochianos omnibus remedijs opportunis ad prædicta cogant, & *cap. 13. sess. 24.* in illis verbis: (per Parochianorum Symbola, aut collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur, quod pro Rectoris, aut parochiæ necessitate decenter sufficiat.) Hæc ibi. Sin autem paupertas Parochianos excuset,

6 cogat Episcopus Abbatem, vel Præpositum, cui parochia illa in temporalibus subest ad suppeditanda vitæ necessaria Sacerdoti instituendo. ut cap. *Sanctorum*, *vers. Si quo tamen capella*, 70. *dist.* & c. *Extirpanda*, §. *Cum igitur*, *supra de præben.* Quod si hi illos excuset inopia, provideat Episcopus ex mensa sua, argum. cap. *fin. infra eod.* & c. *inter cætera. supra*, *de offic. Ordin.* Ad hoc enim tenetur Episcopus, si commode potest, ut cap. 2. *16. q. 1. cap. Præcipimus*, & cap. *Ecclesiasticum*, 2 *q. 1. c. Regenda*, & *per totam*, 10 *q. 1.* & cap. *Episcopus habeat potestatem*, 10.

7 *q. 2.* Ad extremum si neque id fieri possit, & egestate omnes laborent, novus Parochus propria manibus ex artificio victum sibi quærat, cap. *clericus*, 1. & 2. 91. *dist.* & sic dabitur casus, in quo parochialis ecclesia construi poterit sine dote, cui scilicet urget necessitas, & alia ratio non supperit, quod nota singulariter secundum Abb. *hic n. 7.* ad limitationem, cap. *Nemo*, *de constitut. distinct. 1.* prohibentis ecclesiam ædificari sine competenti dote. Itaque secundum ordinem superius propositum procedendum erit ab Episcopo in assignatione redituum pro sustentatione Rectoris novæ parochiæ, prout concludunt hic Hostien. *num. 3.* Joann. Andr. *num. 7. in glos. 2.* Butr. *num. 9.* Cardin. *num. 5. in 2. quæst.* Anchar. *num. 5. in 1. quæst.* & Abb. *n. 7.* Et alias declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretū. Censuit enim in terminis Concilij assigna-

signationem faciendam ex fructibus ad Ecclesiam matricem pertinentibus; & si ii non sufficiant, tunc demum populum compellendum esse; quod si nec ipse ob paupertatem compelli possit, Episcopum de suo dare debere.

8 Quartò nota ibi, *competens in ea honor*, Ecclesiam constructam infra limites alterius Parochiæ teneri aliquem honorem impendere matrici Ecclesiæ, scilicet annuum censum in signum subjectionis, arg. cap. *Omnis anima, supra de censib.* moderandum tamen arbitrio Episcopi, arg. cap. *De causis, supra de offic. deleg.* secundum glos. *hic in ver. Honor.* Vel dic Clericos Ecclesiæ noviter ædificatæ teneri majorem Ecclesiam adire pro baptismo, Scrutinio, Capitulo, & consimilibus, vel solvere illa jura, quæ capellæ debent Ecclesiæ matrici, ut cap. 2. *de Capell. Monach.* & cap. *His, quæ de major. & obed.* secundum Innoc. & Abb. Antiq. *in ver. Honor*, Hostiens. *num. 3. in ver. Provideat tamen*, Joan. Andr. *num. 10.* Butr. *num. 12.* Anchar. *in 5. notab.* & Abb. *num. 6.* Vel certè antiquæ Ecclesiæ reservabitur sepultura, ut cap. *Transmissa, de præscript.* & tenet Joan. Andr. *d. num. 10.* & in cap. *Certificari, de se-*
9 *pultur.* Cæterum adverte, quia dum glossa dicit hujusmodi honorem deberi antiquæ Ecclesiæ in signum subjectionis, hæc ratio est falsa, & nullo jure probatur secundum Abb. *num. 8.* imò hic textus probat oppositum: nam reservando majori Ecclesiæ patronatum, & competentem honorem pro facultate loci, in reliquis videtur illam Capellam eripere à potestate Rectoris antiquæ Ecclesiæ.
10 Præterea nulla Ecclesia præter Cathedralem fundat intentionem de jure communi super subjectione alterius ecclesiæ etiam fundatæ infra limites parochiæ suæ. Quamobrem ecclesia intendens sibi vendicare jus in aliam ecclesiam, eatenus obtinebit, quatenus probabit sibi competere ex jure speciali. Ad quod dicit esse textum, & communem Doctorum theoricam, in cap. *Dilectus, de Capell. Monach.* Pro opinione Abbatis allego §. *Sicut duo*, post cap. *Præcipimus*, 16. q. 1. ubi baptismales, & parochiales ecclesias episcopus dicitur posse dividere de consensu Clericorum suorum, & mox subjungitur: Quod cùm factum fuerit, illa pars populi, quæ novis ecclesiis supponitur, à jure prioris ecclesiæ absolvitur, ubi glossa dicit novam ecclesiam solutam esse a jure prioris ecclesiæ. Itaque verius videtur, excepto patronatu, & competenti honore, jura subjectionis non deberi ecclesiæ matrici, nisi inquantum Episcopus prædicta jura illi reservaverit in limine erectionis. Quod clariùs procedit hodie post Concilium Tridentinum, ut inferiùs patebit *num. 55.*

11 Quintò nota in vers. *Si verò*, procedi posse ex causa hic expressa ad erectionem novæ parochiæ etiam invito, & contradicente Rectore matricis Ecclesiæ, quamvis id cedat illi in diminutionem honoris, & commodi temporalis, ut hic patet expresse in illis verbis: Si persona matricis Ecclesiæ opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, & virum bonum, appellationis cessante diffugio, instituere non omittas: & firmant Hostiens. *num. 3. in verb. Obventiones*, Joan. Andr. & Butr. ambo *num. 7.* Anchar. *in 6. notab.* & Abb. *num. 16.* Cardin. *cons. 8. Quidam Syndicus, num. 3. vers. Dico tamen.* Verùm glossa *ult.* in cap. 2. *99. distinct.* sentit hoc fieri non posse invito Rectore, nisi per Papam, vel de illius mandato, prout hoc factum fuit. Idem tenet glos. *hic in ver. Obventiones*, dicens hoc Pontificem fecisse de plenitudine potestatis propter animarum periculum, quod imminebat. Et quia præter proventus illius villæ Rector majoris Ecclesiæ poterat competenter sustentari. Sed Episcopus hoc facere non posset, nisi de consensu Rectoris matricis Ecclesiæ, ut cap. *Ecclesia*, & cap. *Quicunque*, 16. q. 1. quia non potest jura illius Ecclesiæ dare alteri, c. 1. *de reb. Eccles. non alien.* & arg. cap. *Constitutum*, & cap. *Præcipimus*, §. *Si duo, ead. cau. & quæst.* Quapropter dicebat Vincentius, hic removeri appellationem, quia fit ex mandato Papæ; sed si fieret ab Episcopo, liceret appellare, ut refert. Cardin. *in 4. notab.*

Sed hujusmodi controversiam sustulit jus novissimum Concilii Tridentini *in d. c. 4. sess. 21.* ubi disertis verbis statuitur, ut Episcopi in Ecclesiis parochialibus, vel baptismalibus, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invitis Rectoribus juxta formam Constitutionis Alexandri III. quæ incipit. *Ad audientiam*, constituere possint, & Sacerdotibus noviter præficiendis competentem portionem assignare ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus. Quo decreto clarè corrigitur opinio glossæ, & approbatur opinio Hostiensis: nam ut vides, ex Concilio possunt Episcopi novas parochias erigere, & Sacerdotibus de novo præficiendis certam portionem assignare ex redditibus Ecclesiæ antiquæ etiam invitis Rectoribus.

12 Similiter eo decreto corrigitur opinio Vincentii, sentientis, non removeri appellationem cùm nova parochia erigitur authoritate Episcopi; nam cùm Concilium det Episcopis facultatem erigendi ad præscriptum hujus decretalis, & hic tollatur appellationis obstaculum; utique ex hoc manifestè liquet, Episcopum posse hoc casu procedere appellatione remotâ. Quæ tamen clausula non impediret appellationem ad effectum devolutivum, sed suspensivum duntaxat, ut est textus in c. *Pastoralis, Sed si appellans, supra de appellat.* & est communis opinio, ut ibi testatur Abbas *num. 12.* & Præpos. *num. 6.*

13 QUÆRO, generaliter quæ requirantur ad hoc ut nova parochia erigi possit ab Episcopo infra limites alterius parochiæ.

14 Respondeo multa esse necessaria, quorum si vel alterum deficiat, erectio non sustinetur. Et quidem ante omnia requiritur justa causa, de qua constet legitimè: nam regula est, ut parochialis ecclesia in alterius Parochia ædificari non debeat,
15 ut cap. *Ecclesia*, & cap. *Quicumque*, 16. q. 1. Sed hæc regula fallit, legitimâ subsistente causâ, ut apertè probatur hic: nam Pontifex primò narrat causas erectionis, deinde præcipit erectionem fieri adjectâ clausulâ, *Si res ita se habet*, ergo causâ subsistente, eâque probata, & non aliàs permittitur erectio. Ad hoc cap. *Præsenti*, §. *Loca, de præbend. lib. 6.* & deducunt *hic* Anton. de Butr. & Abb. ambo *in 1. notab.* & Rebuff. *in Praxi benefic. in 1. par. in tit. de erect. in curat. vel Parochial. num. 2.* & ante eos gloss. *ult.* in cap. *Nulli*, *99. distinct.* est enim hujusmodi erectio, & dismembratio à Parochia antiqua instar alienationis jurium ecclesiæ, quæ sine

cau-

causa fieri non debet, ut cap. 1. *de reb. Eccl. non alienan. lib. 6.* Abb. *ubi supra*, Achil. *decis. un. de reb. Eccle. non alienan.* Rotæ *decis. 1. eod. tit. in nov.* & *decis. 68. num. 1. par. 7. Recent.*

16 Præcipua autem causa, quæ justificat erectioné novæ Parochiæ, est magna difficultas, seu magnú incommodum Parochianorum adeundi ecclesiam matricem ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda, ut hic patet expresse, & in præalleg. decreto Concilij Tridentini, *cap. 4. sess. 21.* & tenet *hic* glos. 1. Innoc. & Hostien. ambo *in princip. in ver. Sine magna difficultate*, & alij supracitati in 1. *notab.* Aliqualis ergo incómmoditas non suffi-
17 cit secundum Abb. *hic num. 7.* non tamen requiritur ut Parochiani aliquando decesserint sine Sacramentis. Neque id exigunt Hostien. Abb. & Doctores. Sed tantummodo hujusmodi casus mentionem faciunt per modum exempli. Vnde satis est ad validitatem erectionis ut immineat periculum ne sic decedant, neque hujusmodi eventus est exspectandus, quin potius præveniendum ne contingat, cùm satius sit occurrere in tempore, quam post exitum vindicare, seu post vulneratam causam remedium quærere, dicit textus in l. 1. C. *quand. lic. sine jud.* & in l. *ult. ad finem. C. in quibus, caus. in integr. restit. non est necess.* Et ita censuit S. Congregatio Concilij, videlicet pro erectione novæ Parochiæ non esse exspectandú ut Parochiani absque Sacramentis decesserint. Quod benè nota, quia frequenter audivi Parochorum querelas, quod Episcopi processerint ad erectionem no-
18 væ Parochiæ, absque eo quod ullus ex Parochianis unquam obierit sine Sacramentis. Porrò ad hanc difficultatem accedendi ad Ecclesiam matricem pro suscipiendis Sacramentis, & divinis officijs audiendis aliæ causæ omnes reducuntur. Unde infertur primò, ut distantia loci ab Ecclesia parochiali sit justa causa novam parochiam erigendi, ut hic est casus, & in *d. c. 4.* Et quamvis Jo. Andr. Cardin. Abbas, & alij in Summa hujus textûs videantur ad hoc exigere nimiam distantiam; verè tamen magna longinquitas, & viarum discrimen non requiritur, ut observat Ant. de But. *n. 3. in ver. Distare* Sed solum requiritur talis, ut propterea parochianis sine magno incommodo non pateat accessus ad majorem Ecclesiam, ut *hic* patet, & tenent Domini de Rota *decis. 484. n. 2. p. 1. rec.* Sufficit ergo pro causa divisionis, ut Parochia Ecclesiæ antiquæ sit adeò ampla, ut populus præsertim adversis temporibus non possit sine magno incommodo illuc horis congruis ad divina officia confluere, secundum Abbat. *num. 3.* Atque ita ob distantiam loci permittitur quod aliàs non permitteretur, ut notat glos. 1. in cap. *Et temporis, 16. q. 1.* & est simile in l. *Cùm post sententiam, C. de appellat.* & in l. *Si longius, ff. de judic.* in cap. *Cùm longè, 63. distinct.* in cap. *Si quis extra, de consecr. distinct. 1.* & in cap. *Quoniam quidem, 18. distinct.* Quanta autem debeat esse hujusmodi distantia, seu parochiæ amplitudo, ad hoc ut parochiani dicantur non posse sine magno incommodo ad Ecclesiam accedere, cùm jure diffinitum non sit, judicis arbitrio relinquitur, cap. *De causis, supra de offic. deleg.* & tenet Menoch. *de arbitrar. iud. cent. 5. casu 497. nu. 4.* ad quod vide bonam glossam in cap. *ult. in ver. Longè, 80. dist.*

19 Infertur secundò ut similiter justa sit erectionis causa, si inter populum alicujus villæ, & parochialem torrens, vel flumen aliquod intercedant, quæ nec pontem habeant, nec vado transiri possint, ut l. *Fluminis interventione, ff. de servit. rustic. præd.* præsertim hyemali tempore cùm pluviæ inundant, juxta textum hic. Quæ causa sufficiens est etiam sine distantia loci. Undecunque enim proveniat magna difficultas percipiendi Sacramenta, dicitur subesse justa causa erigendi novam Parochiam, ut ex dictis patet. Ideoque Concilium Tridentinum *in d. cap. 4. sess. 21.* alternativè loquitur ibi; ob locorum distantiam, sive difficultatem, ita ut propterea alterutrum sufficiat, c. *Inter cæteras, supra de rescript.* cum suis concordan.

20 Infertur tertio, ut eodem modo justa sit causa erigendi novam parochiam in casu allegationis, Lap. *alleg. 66.* incip. *Quoddam monasterium, per totam*, ubi proponit monasterium S. Ambrosii, cui cura imminebat personarum sæcularium, fuisse inclusum intra mœnia civitatis Florentiæ, & aliquot familias eidem curæ subjectas extra ambitum civitatis remansisse; unde contigit ut iidem rustici sine maxima difficultate, aut incommodo nequiverint divina Officia audire, & Ecclesiastica Sacramenta percipere, cùm fores dictæ civitatis singulis diebus ante noctis tenebras claudantur, & sic clausæ remaneant, nec ulli aperiantur usque ad claram lucem sequentis diei. Quapropter non poterat Capellanus præsto esse Sacramentis administrandis in casibus repentinis infirmitatis, vel mortis, præsertim parturientibus. Præterquam quod Parochiani degentes extra cum suis mulieribus, & familia rusticis, & abjectis vestibus induti non poterant cum debita consolatione diebus festis ad Ecclesiam confluere, & cum civibus divitibus, & pretiosis vestibus amictis se admiscere, sed potius risui & delusioni patebant ob fortunæ, & morum disparitatem, quibus sæpissimè à divinis retrahebantur. Lapus hac de re consultus proposuit duo potissimum remedia. Primum, videlicet ut si parochialis prædicta habeat in villa aliquas obventiones, sine quibus ejus Rector possit commodè sustentari, & reperiatur aliquis qui velit novam Ecclesiam fundare, & obventiones illas competenter augere, Episcopus erigat novam Parochiam, eique assignet ejusmodi obventiones, cum dicto augmento, & rectorem in ipsa instituat, qui gerat curam incolarum extra mœnia existentium. Quod dicit probari ad litteram in hac decretali, & subdit propositas causas esse plures, & urgentiores illis, quas hic consideravit Pontifex.

Ideoque erectionem fieri posse ab Episcopo etiam invito Rectore Ecclesiæ matricis, cùm non habeat justam causam contradicendi. Alterum remedium est, ut rector majoris Ecclesiæ si redditibus abundet, novam capellam fundet in dicta villa, & eam dotet pro sustentatione unius Sacerdotis ibidem deputandi, & constituat ipsam capellam manualem matricis Ecclesiæ, ita ut illius Capellanus sit ad ejus nutum amovibilis, de quibus manualibus notatur in Clem. *un. de suppl. negl. Prælat.* & in cap. *Cùm singula, de præbend. lib. 6.* Utrumque remedium alias probavit S. Congregatio Concilii; censuit enim Parochianis, qui cum sint dispersi extra civitatem, & parochialem Ecclesiam intra civitatem sitam habeant, etiam ob locorum distantiam, seu difficultatem patiuntur incommoda in percipiendis Sacramentis, & in divinis Officiis audiendis, succurrendum esse remedio *cap. 4.*

sess.

sess. 21. Item censuit ad providendum necessitati Parochianorum extra civitatem existentium, quorum parochialis est intra civitatem, novam Capellam extra civitatem esse erigendam, quæ non sit Ecclesia ipsa per se, sed in proprietate matricis Ecclesiæ, in qua constituatur Sacerdos amovibilis ab Ordinario approbatus, qui administret Sacramenta illis, qui sunt extra civitatem, ad quos non potest Parochus in nocte, quia portæ civitatis clauduntur, accedere; quod est unum ex remedijs Lapi *alleg. 66.* Posse tamen esse locum etiam alijs remedijs ad præscriptum sacrorum Canonum.

21 Rursus in causa Novarien. censuit Episcopum posse compellere regulares, quibus concessa fuit parochialis Ecclesia civitatis Novarien. ad erigendã novam capellam extra civitatem, ubi plures familiæ sub dicta cura existunt, cui capellæ possunt vel per seipsos præviâ Ordinarij approbatione inservire, vel per Capellanum ad nutum amovibilem.

22 Infertur quartò, ut similiter legitima sit causa construendi novam Parochialem necessitas leprosorum, sine gravi tamen præjudicio Parochialis antiquæ, ut legitur, & notatur *in cap. proximo, suprà eod.* secundum Host. *hic n. 2. vers. Et est alia causa*, & plenius *in summa eod. tit. § fin.*

23 Et ex prædictis collige, in effectu unicam esse causam erigendi novam parochiam, videlicet magnam difficultatem accedendi ad Ecclesiam matricem pro Sacramentis percipiendis, & divinis officijs audiendis: nam aliæ causæ, videlicet distantia loci, flumina intermedia, portæ civitatis clausæ, necessitas leprosorum, & alia id genus impedimenta in tantùm justificant erectionem, in quantum pariunt difficultatem hujusmodi; aliàs secus, ut ex jam dictis constat.

24 Veruntamen glos. *ult.* in cap. *Nulli, 99. dist.* adducit aliam causam construendi novam Ecclesiam in parochia antiqua, videlicet cùm multitudo fidelium excrevit: & movetur argum. illius textûs ibi, (Nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit propter multitudinem eorum primatem constitui:) & cum illa glossa simpliciter transeunt ibi Gemin. & Præposit. ambo *in fin.* ad idem textus in cap. *Præcipimus, 16. quæst. 1* (quo præcipitur, ut ubi multitudo fidelium excrevit, ibi ordinentur Episcopi. Tu dic contra: quoniam hoc casu nova parochia non debet erigi, sed utendum est remedio Concil. Trident. *d. cap. 4. in princip. sess. 21.* ubi statuitur, ut (Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati in omnibus Ecclesijs parochialibus, vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo; cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum.) Hæc ibi. Unde S. Congregatio ejusdem Concilij Interpres jampridem censuit ex ea sola causa, quòd populus alicujus parochiæ adeò sit numerosus, ut unus Rector non possit sufficere Sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo, minimè quidem licere Ordinario novam parochiam erigere, nisi & alia concurrant, quæ exprimuntur in Constitutione Alexandri III. quæ incipit *Ad audientiam*, & innovatur decreto Concilii *cap. 4. sess. 21. vers. In his verò.* Sed ob magnum hujusmodi numerum debere Ordinarium uti remedio *d. cap. 4. in princip.* scilicet cogendo Rectores, ut sibi Sacerdotes adjungant, quot sufficiat ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum cele-

25 brandum. An autem quibus in causis ex decreto Concilii *sess. 21. cap 4.* potest Episcopus novas parochias erigere, possit etiã loco erectionis faciendæ certam partem populi separare ab antiqua parochia, & alteri commodiori applicare, si vel exiguus numerus populi, vel inopia, vel alia causa impediat erigi novam parochiam: Responsum est

26 non posse ex decreto Concilii. Item responsum, ex eo decreto non licere Episcopo parochias unire,

27 sed tantum novas constituere. Item responsum, non potuisse Episcopum erigere in Ecclesia parochiali duas Vicarias perpetuas, eò quòd populus esset numerosus. Hactenus de causa.

28 Secundò principaliter ad erectionem novæ parochiæ requiritur, ut in illa parte parochiæ antiquæ, ubi nova parochia est erigenda, sit competens numerus parochianorum. Et quidem Rota *decis. 380. n. 8. & 29 par. 5 recent.* Videtur tenere ad hoc non sufficere quatuor domos, & duodecim animas aptas ad communionem, per c. *Unio, 10. q. 3.* Sed certè ille textus magis innuit ut sufficiant decem animæ: ait enim, (Ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat Sacerdotem: quæ verò minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Ecclesiis.) Hæc ibi. Et meritò, quia decem faciunt plebem, ut ait ibi glos. *in ver. Mancipia.* Item Concilium Tridentinum *d. c. 4. sess. 21.* videtur requirere ut nova parochia habeat populum, ut patet ibi, Compellere possit populum. At decem homines populum faciunt, ut notat glos. 1. in c. 1. *de elect.* & Bart. in l. *Prætor, la seconda, n. 4. ff. de vi bonor. rapt.* Insuper adverte ne decipiaris, quia dum Rota ad hoc requirit sufficientem numerum animarum, quæ sint aptæ ad communionem, hæc aptitudo non est necessaria, quia usum rationis habentes tametsi non sint apti ad communionem, tenentur tamen semel in anno confiteri proprio Sacerdoti, & Missam audire Dominicis, & festis diebus, eisque dari debet Sacra Unctio: Baptismus verò etiam parvulis. Ergo si parochiæ incolæ ad Ecclesiam sine magna difficultate ad hujusmodi Sacramenta recipienda, & divina audienda accedere nequeant, sive sint ad communionem apti, sive non, succurrendum est eis remedio hujus cap.

29 Tertiò principaliter requiritur ad erectionem novæ parochiæ, ut citetur Rector matricis Ecclesiæ: nam etsi erectio fieri possit etiam ipso invito, ut ostensum est supra *in 5. notab.* tamen non potest fieri nisi eodem citato, & requisito, ut cap. *Multis consilijs*, & cap. *Felix*, & cap. *seq. 16. quæst. 1.* & tenet glos. *fin.* in cap. *Nulli, 99. distinct.* & Lap. *alleg. 66. num. 3 vers. Debet tamen requiri:* & jam censuit S. Congregatio ad erectionem novę parochię non esse procedendum aliter, quàm citato Rectore parochialis, intra cujus fines nova parochia fuerit erigenda; & erectionem omissâ hujusmodi citatione ab Ordinario factam nullius momenti

30 existere. Nec tantùm Rectoris Ecclesiæ, sed etiam aliorum omnium, quorum interest, prærequiritur citatio. Unde quęrenti an requiratur consensus Rectoris, vel Commendatoris, aut Magni Magistri ad erigendam novam parochiam infra limites parochialis subjectæ Ordinis S. Joan. Hierosolymitani: responsum est ad erectionem posse procedi etiam invito Rectore, dum tamen præcesserit citatio tam ipsius, quàm omnium aliorum, quorum interest. Cæterùm etsi nulla videatur erectio ob defectum citationis, tamen si causæ erigendi subessent, licere Episcopo de novo erigere; ideò scribendum viciniori Episcopo, ut se instruat de causis, quæ si suberunt, peti poterit confirmatio à Sanctissimo, licet postea in casu illo resolutum fuerit erectionem nullam defectu citationis, nec causas subesse.

Quartò, principaliter requiritur ut erectio novæ parochiæ fiat ab Episcopo de Capituli consilio, vel consensu, ut plenè dicam infra in tertia quæstione.

31 Quintò principaliter requiritur, ut Ecclesiæ noviter construendæ dos competens assignetur, ut cap. *Nemo, de consecr. dist. 1.* Et jam censuit Sacra Congregatio in erectione novarum parochiarum

32 prius cogitandum de dote. Et quidem si aliquis reperiatur, qui velit eam ex bonis propriis competenter dotare, omnia erunt plana: alioquin in constitutione dotis hoc ordine erit procedendum. Primò enim competens portio pro sustentatione Rectoris assignanda erit ab Episcopo ex redditibus ad matricem Ecclesiam quomodocunque pertinentibus, ut *d. 4. sess. 21.* Idque ex sententia S. Congregationis procedit, etiamsi Ecclesia matrix esset Cathedralis, & quæcunque matrix; & posse assignari portionem ex redditibus illius matricis duntaxat; non autem ex aliis Ecclesiis; quòd si redditus hujusmodi insufficientes sint, nec sit aliquis, qui velit illos augere, cogendus erit Abbas, vel Præpositus, cui parochialis illa subest in temporalibus; & in eorum defectum populus est subministrare, quæ ad vitam Rectoris sustentandam sufficiant. Si populus inopiâ laboret, tenebitur Episcopus ex mensa sua. Demum si nimia egestas omnes excuset, Sacerdos novæ Ecclesiæ præficiendus proprijs manibus victum sibi comparabit, prout hæc omnia fusè explicavimus *supra in*

33 *3. notab. n. 4. usque ad n. 8.* Posse etiam Episcopum facere beneficiorum unionem pro nova parochia in terminis Concilij erigenda, si non sint fructus, vel obventiones, ex quibus deduci possit portio, ex voto Sac. Congregationis Concilii dixit sanct.

34 memor. Gregorius XIII. Et cùm dubitaretur, an Ordinarius in erectione parochialis Ecclesiæ factæ juxta formam Concilij Tridentini *cap. 4. sess. 21.* Potuisset vigore ejusdem Concilij unire eidem Ecclesiæ in actu ipsius erectionis unum ex quattuor Canonicatibus habentibus curam animarum annexam existentem in alia Ecclesia non Collegiata, quæ erat parochialis loci, in quo nova parochia fuit erecta: affirmativè respondit S. Congregatio. De assignatione autem decimarum ad matricem Ecclesiam spectantium dicam infra *in 4. quæst.*

35 Sextò principaliter requiritur in erectione novæ parochiæ, ut jus patronatûs & præsentandi Sacerdotem noviter instituendum reservetur illis, quibus de jure: & quidem si reperiatur aliquis, qui velit Ecclesiam fundare, & sufficienter dotare, planum erit jus patronatûs eidem fore reservandum; quinimo ad eum pertinebit ipso jure etiam sine alia Episcopi reservatione, ut est text. in cap. *Significavit*, ubi Jo. Andr. Bald. Butr. & alij notant *supra de testib.* & est receptissima conclusio, ut dicunt Domini de Rota *decis. 167. n. 4 p. 2. diversor.*

Similiter si nova Ecclesia fuerit dotata ex redditibus ad matricem Ecclesiam pertinentibus, planum erit jus præsentandi Sacerdotem pertinere ad Rectorem matricis Ecclesiæ, ut probat hæc litera ibi, Ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris. Sed nihilominus etiam fundator Ecclesiæ noviter ædificatæ habebit jus patronatûs, ut hic concludunt glos. 3. *in fin.* Innoc. *in ver. fundatoru*, Abb. Antiq. *num. 1.* Host. *num. 3. in verbo Ad præsentationem* Joan. Andr. *n. 3. in ver. Fundatoru*, Butr. *num. 5.* Cardin. *n. 4. in 1. opposit.* Anchar. *in 4. notab.*

36 & Abb. *num. 9.* qui testatur hanc opinionem communiter teneri. Atque ita secundum eos duo erunt patroni parochialis noviter erectæ, videlicet Ecclesia matrix ex causa dotationis, quia ex proprijs bonis eam dotavit; & fundator ex causa fundationis si tantummodo fundum dedit; & ex causa fundationis, & dotationis si simul dedit fundum, & dotis residuum, prout fecit in casu hujus decretalis dominus villæ, qui pro dotis residuo de-

37 dit viginti acras terræ frugiferæ, (& dic acras, id est jugera; & est vulgare Anglorum; & jugerum habet octo staria triginta sex tabalarum ad perticam pedis Luitprandi, quæ habet duodecim pedes trium semissium, & trium digitorum, ut per Anton. Augustin. *in notis ad primam collationem Decretal. tit. 35 de Eccles. ædifican. cap. 1.* & vide *cap. 5. Qui fil. sint legit. in eadem collect.* in parte decisa, ubi fit mentio de acris quadraginta. Galli appellant harpentum, Itali bubulcam secundum Hostien. & Jo. Andr.) & ad prædicta vide glos. notab. *in Summam fin. 63. dist.* Quæ vult, ut quamvis fundatores Ecclesiæ æqualiter non contribuerint ad dotationem ipsius, tamen omnes efficiantur patroni; & ita sit patronus ille, qui dedit modicum, sicut est ille qui dedit multum. Quod tamen limita, & declara, dummodo omnibus simul conflatis Ecclesia remaneat competenter dotata. Secus si dos non fuerit integra, ut tenet glos. in cap. *Quicunque, 16. q. 7.* quam multum extollit Abb. *hic num. 4. in 3.*

38 *notab.* Et hanc sententiam alias probavit S. Congregatio Concilij. Censuit enim donationem obventionum ad matricem Ecclesiam pertinentium, si alius concurrat ad dotationem Ecclesiæ noviter ædificatæ, efficere Ecclesiam matricem patronam simul cum alio dotante.

39 Verùm si Ecclesia matrix ex proprijs redditibus nihil contulerit, ambigui juris est an acquirat jus patronatûs ecclesiæ in sua Parochia ædificatæ. Innoc. in cap. *Cum venerabilis, de except.* sensit majorem Ecclesiam acquirere jus patronatûs indistinctè, & eum sequitur Joan. Andr. in cap. 1. *de Capell. Monachor. lib. 6.* Sed oppositum concludit Abb. *hic num. 9.* Quia nullus alius textus præter hunc reperitur in jure, qui tractet de hac materia. Unde in hoc tantùm fundari potest opinio DD. Sed hic textus hoc non probat simpliciter, quia loquitur in eo tantùm casu, in quo Ecclesia matrix ex proprijs redditibus aliquid contulit pro erectione novæ Parochiæ. Ergo si nihil contulerit, non efficitur patrona, cùm hoc nullo modo probetur. Imò contrarium videtur probari, arg. *c. prox. supr. eod.* ubi agitur de ecclesia constructa in alterius parochia, & tamen non reservatur patronatus antiquæ ecclesiæ, quæ de suo nihil contulit. Accedit quòd patronatus non requiritur nisi ex fundatione, vel constructione, aut dotatione, ut notat glos. in c. *Pia mentis, 16. quæst. 7.* & est receptissima omnium con-

conclusio. Sed ex constructione ecclesiæ infra limites parochiæ dumtaxat ecclesia matrix non dat fundum, quia loci proprietatem non habet, nec sumptus ad constructionem, nec dotem ponit. Ergo patronatum non acquirit, & facit, cap. *Quoniam, de jurepatr.* Opinio Abbatis vera est, eamque probavit olim S. Congregatio Concilij: declaravit enim matricem Ecclesiam non acquirere jus patronatûs in ecclesia fundata intra suos limites, nisi de suo aliquid contulerit, non obstante quòd oblationes futuræ dicantur esse loco dotis.

40 Sed objicies. Si Capella intus ecclesiam ædificetur, & ab alio competenter dotetur, ecclesia acquirit jus patronatûs in ipsa Capella, ut hic firmat Abb. *num.* 11 dicens hanc quæstionem se hactenus non reperisse ab alio tactam, plenè Lambertin. *in tract. de jurepatr. in* 1. *part.* 2. *lib.* 2. *in* 2. *quæst. principali, art.* 15. *n.* 1. *&* 2. Ergo idem dicendum de ecclesia ædificata infra limites alterius parochiæ, licet ecclesia matrix nihil contulerit. Solutio. Die diversam esse rationem inter utrumque casum: nam in quæstione Abbatis negari non potest, quin ecclesia antiqua ponat fundum, cùm in sua proprietate, & solo fuerit Capella ædificata, unde ex causa fundationis bene acquirit jus patronatûs. ut d. cap. *Quantum, de jurepatr.* cum concord. & not. in d. cap. *Piæ mentis, 16. q.* 7. Sed ecclesia matrix non ponit fundum, cùm parochia non sit de illius proprietate, ut superius dictum est.

Septimò principaliter requiritur, ut matrici ecclesiæ pro qualitate loci pro parochiali noviter erecta præter patronum competens honor servetur, ut hic dicitur in verf. *Providens tamen*. In quibus autem ejusmodi honor consistat abunde ostensum est *supra in* 4. *not ab.*

41 Octavò principaliter requiritur, ut novam parochiam Episcopus erigat ipse per se, vel per suum generalem Vicarium ad id speciale mandatum habentem, ut probat text. in cap. *Nemo*, juncta glos. *in ver. Veritas per se, de constit. d.* 1. & jam pridem visa est sententia S. Congregatio Concilij in casu parochialis ecclesiæ sub titulo S. Franciscæ Romanæ extra mœnia civitatis Mediolanensis erectæ à Vicario Cardinalis Archiepiscopi, licèt in eo casu inclinaverit speciale mandatum præsumi, cùm ecclesia ipsa jam esset erecta in parochialem, & in ea quasi possessione existeret; ac propterea dicenti Vicarium non habuisse speciale mandatum onus probandi incumbere, cùm hæc negativa esset fundamentum suæ intentionis, ex Put. *decis.* 78. *lib.* 2. & aliis cumulatis ab Anton. Gabr. *Comman. conclus. in tit. de probat. concl.* 6. *art.* 1.

42 Denium cùm ex Concilio Tridentino Episcopus procedere possit ad erectionem novæ parochiæ etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus sit cautus, ut vel in decreto exprimat se procedere utraque potestate, ordinariâ scilicet, & delegatâ: nam si non valebit ex una, valebit ex altera, & abundans cautela non nocebit, nec vitiabit adjectio supervacua, vel procedat simpliciter nullâ factâ expressione authoritatis delegatæ, vel ordinariæ: nam duplicem potestatem habens censetur eâ usus, quæ facit actum valere. Vel denium exprimat se uti potestate delegatâ, si procedat contra exemptos, alioquin si procederet jure ordinario, cùm in eo casu non habeat, nisi potestatem delegatam, erectio non valeret, prout hæc omnia late comprobat Feder. de Ben. *cons.* 130. *Factum tale est.* Quædam domus, & Rot. *decis.* 56. *par.* 2. *divers.* post Bald. & Anchar. in decis. allegator. Licèt clausula, *omnia meliori modo*, salvaret erectionem, ex glos. in leg. *cum ver. Consentiant, in fin. ff. de jurisd.* & scripsi pleniùs in cap. *Ex parte, num.* 36. & 37. *supra de arbitr.*

43 His omnibus observatis, & causâ cognitâ in processum redactis totò poterit Episcopus procedere ad erectionem novæ parochiæ etiam in paro. hujus exemptorum: nam cùm in hoc vota Cardinalium in S. Congregatione essent divisa, Sanctissimus respondit, facultatem erigendi novas parochias, & assignandi portionem novis parochijs attributam Episcopis habere locum etiam in parochijs Regularium, & S. Congregatio exinde censuit, concurrentibus requisitis posse exigi novam parochiam ab Episcopo etiam in Ecclesijs
44 Ordinum Militarium. Sed Episcopo quærenti, an liceret ob gravem Sacramentorum necessitatem erigere ecclesiam regularem in parochialem? respondit, Congregationem ejus esse sententiæ, ut cura animarum à prædecessore applicata ecclesiæ regulari applicetur sæculari.

45 Secundò QUÆRO. Si Episcopus processerit ad erectionem novæ parochiæ ad præscriptum Concilij Tridentini, *cap.* 4. *sess.* 21. vel aliud fecerit tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, quod tamen jure ordinario facere poterat, & ab illius decreto appelletur, an rectè adire possit Metropolitanum, an verò necessariò appellandum sit ad Summum Pontificem.

Dic breviter, in omni casu posse appellari ad Papam omisso medio, cap. *Ad Romanam, 2. quæst. 6.* glos. in cap. 1. *in verb. Legationis*, & ibi Doctores *supra de Offic. legat.* & in cap. *Romani, in princip. in verb. Ad curiam, de Appellat. lib. 6.* & notanc Restaur. Castald. *in tract. de Imperat. quæst.* 95. *num.* 1. Nepos de monte Albano *in tract. de except. except.* 24. *num.* 12. *distan.* Villadieg. *de legat. quæst.* 8. *num.* 38. Sed nihilominus regulariter a sententia Episcopi appellatur ad Metropolitanum, cap. *Duo, supra de offic. Ordin.* & d. cap. *Ad Romanam, 2. quæst. 6.* & notat Baptista à S. Blasio *in tract. de contradict. leg. & Canon. num.* 153. Hieronym. Zanettin. *de differen. jur. canon. & civil. num.* 69. Quod locum habet etiamsi Episcopus processerit tanquam Sedis Apostolicæ delegatus: hujusmodi enim authoritas attributa est Episcopis, ut firmiori jure procedere valeant contra exemptos Sedi Apostolicæ immediatè subjectos; & quia ex authoritate delegata exemptiones non violantur, ut notat Abbas in cap. *Grave, num.* 1. *&* 5. *de offic. Ordin.* Non autem ut, per hoc tollatur jus commune, per quod appellationes deferuntur Metropolitanis; legum enim correctio vitanda est: vulgat. jurib. & ita censuit S. Congregatio Concilij *die* 7. *Julij.* 1575.
47 Intellige tamen hanc resolutionè obtinere, quando Episcopus potest utroque jure procedere, scilicet ordinario, & delegato, & in casu erectionis novæ parochiæ; nam cum Episcopus posset eam erigere authoritate Ordinaria ex dispositione hujus cap. secundum communem opinionem, de qua *supra in* 5. *not ab.* Nihilominus ex decreto Concilij Tridentini *in d. cap.* 4. *in princip. sess.* 21. potest hoc facere etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus: meritò in hoc, & similibus casibus appellari potest etiam ad Metropolitanum. Secus autem est quando Episcopus nò potest procedere ordinario jure, putà

putà contra exemptos, contra quos procedere non potest, nisi tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, ut in casu *cap.* 3 *sess.* 6. in *cap.* 4 *sess.* 14. in *cap.* 9 *sess.* 22. & alibi sæpè: tunc enim appellari non potest nisi ad Papam: & ita suprascriptam resolutionem postea declaravit eademmet S. Congregatio. Nam proposito dubio, An cùm Episcopi procedunt uti Sedis Apostolicæ Delegati in causis, quæ sub eorum ordinaria jurisdictione non comprehenduntur, possit ad alium, quàm ad Sedem Apostolicam appellari: Sacra Congregatio censuit non posse, neque ex hoc inferioribus judicibus ullum fieri præjudicium: Sed quando jurisdictio delegata cumulatur cum ordinaria, Episcopum non posse hujusmodi delegationis prætextu declinare jurisdictionem Metropolitani in casibus illis, in quibus ante Concilium tamquam Ordinarius poterat uti eodem jure, eâdemque potestate.

48 Et hinc notabiliter infero, ut si Episcopus erigat novam parochiam infrà limites parochiæ regularibus subjectæ, quod potest secundum ea, quæ dicta sunt *supra n.* 43. Tunc si gravet, appellari non poterit ad Metropolitanum; quia cùm contra exemptos non potuerit procedere, nisi jure delegato, necessario appellandum erit ad Summum Pontificem delegantem, ut cap. *Super quæstionum, supra de offic. deleg.* cap. *Licet in corrigendo, de offic. Ordin.* & tradit Marian. Soci. *cons.* 83. *pro clariori, num.* 5. *& per tot. lib.* 4. Intellige ad effectum devolutivum, non suspensivum, cùm in casu hujus c. appellatio sit inhibita, ut dixi *supra n.* 12. & ad prædicta vide quod scripsi in cap. *Studuisti, n.* 28. 46. *&* 47. *supra de off. Legat.*

49 Tertiò QUÆRO, An Episcopus in nova parochia intra fines parochiæ alterius erigenda teneatur adhibere consilium, vel consensum Capituli,

50 Host. *hic n.* 2. *verf. Non est tamen hoc*, & Jo. Andr. *eod. num. verf. Hoc tamen faciat*: tenent Episcopum debere hoc facere de Capituli consilio, per cap. *Pastoralis supra de donation.* & consentiunt Butr. Cardin. & alij. Sed certè ille certus exigit consensum, ut patet in extremis verbis ibi: Consensus est sui Capituli requirendus; ubi hoc tenet glos. *ult.* & Joann. Andr. *in addit. ad specul. in tit. de decim. litteræ D. in verb. Vnica, circa finem additionis, verf. Secundus est*; & meritò, quia cùm hæc divisio parochiæ, & dismembratio redditum ad matricem Ecclesiam pertinentium sit instar alienationis rerum Ecclesiæ, ut dixi supra *num.* 15, sine Capituli consensu fieri non potest, ut cap. *Cùm nos*, cap. *Tua*, & cap. *Pastoralis, supra de his, quæ fiunt à Prælatis*, & cap. *Dudum, de reb. Eccles. non alien. lib.* 6. Præterea in Ecclesijs ad invicem uniendis necessarius est Capituli consensus, Clem. *Si una, eodem tit.* & cap. *Pastoralis in fin. supra de donat.* Ergo & in parochijs dividendis, argum. cap. 1. *infra de reg. jur.* l. *Heredes palam*, § *Si quis post. ff. de testamen.* cum simil. ut per Roman. *cons.* 63. *visis themate, num.* 2. Idcirco autem. Hostien. & alij requirunt
51 consilium Capituli, quia in dismembratione parochiæ præcedere debet tractatus, ut resolvit Rota *decis.* 1. *de reb. Eccl. non alien. in nov.* Unde in consilio includunt etiam consensum. Simile in cap. 1. *supra*, *de for. compet.* ibi dixi in 4. *not ab.* post Petr. de Anchar. in 3. *not ab.* Et ad prædicta vide Archid. in cap. *Præcipimus, num.* 4. *in ver. Cum consensu, 16. quæst.* 1. Hæc procedunt inspectâ

52 juris communis dispositione. Sed ex jure novissimo Concilij Tridentini res est magis ambigua. Ratio dubitandi oritur ex decreto *d. cap.* 4. *sess.* 21. ubi facultas constituendi novas parochias tribuitur Episcopis etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatis: Clausula enim, quæ habetur in princ. textûs, censetur repetita in §. *Inprs verò*, qui venit continuativè ad præcedentia, ut alias fuit resolutum. At quando Episcopus procedit tamquam delegatus Apostolicæ Sedis, non requiritur Capituli consensus, ut concludit Ægid. Bellam. *decis.* 514. incip. *Conclusio quod in unione*: ubi resolvit in unione faciendâ per Legatum de latere non exigi consensum Capituli, etiamsi fiat unio Episcopali dignitati; quoniam etsi potestas Episcopi propter conjunctionem, quæ est inter ipsum, & Capitulum suæ Ecclesiæ, sit arctata ad consensum, vel consilium hujusmodi adhibendum, ut cap. *Novit, de his, quæ fi. à Prælat.* & d. Clem. *Si una*: Tamen in Legato, qui cum Capitulo hujusmodi unionem non habet, hoc non reperitur jure cautum; quam decisionem in Legato habente à Sede Apostolica specialem authoritatem uniendi, sequitur Marian. Socin. in cap. *Sicut unire, in* 6. *artic. principal. conclus.* 14. *num.* 105. *infra de excess. Prælat.* Quia sicut Sedes Apostolica non tenetur requirere consensum alicujus inferioris, ita nec Legatus, qui vices illius obtinet.

Similiter cùm in cap. *Ad audientiam, infra eodem*, tribuatur Canonico electo in Episcopum facultas uniendi ecclesiam, cujus fuerat Canonicus monasterio regulari, dummodo episcopus consentiret: quæritur ibi Joann. Andr. *num.* 5. Cardis. & Ancharan. ambo *in* 1. *oppos.* & Abb. *in fin.* Quid operetur hoc indultum, cùm sine illo posset unio fieri authoritate episcopi: & respondent hujusmodi delegationem hoc inter cætera operari, ut consensus Capituli non exigatur. Eodem igitur modo si Episcopus novam parochiam erigat authoritate delegatâ sibi à Concilio tributâ, non videtur egere Capituli consensu. In contrarium facit, quia decretum *dicti cap.* 4. Quamvis tribuat episcopis potestatem delegatam, tamen disertis verbis exprimit, ut eâ potestate uti possint juxta formam Constitutionis Alexandri III. quæ incipit *Ad audientiam*, & sic videtur se restringere ad formam juris communis. Sed de jure communi in erectione novæ parochiæ adhibendus est consensus Capituli, ut ostensum est supra *num.* 50. Ergo hujusmodi consensus erit adhibendus etiamsi fiat erectio authoritate delegatâ: & est simile *in cap.* 5. *sess.* 21. ubi tribuitur episcopis etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis facultas faciendi uniones parochialium ecclesiarum; & tamen quia ibi expressum est, ut uniones hujusmodi fieri debeant juxta formam juris; ex S. Congregationis sententia requiritur Capituli consensus, prout re-
54 quiritur de jure, ut in d. Clement. *Si una*. Quid dicendum? Cùm episcopus hoc casu duplicem habeat potestatem, unam scilicet ordinariam, quæ illi competit ex dispositione hujus decretalis, eiqs non fuit adempta à Concilio: Alteram verò delegatam, quæ illi tribuitur *in d. cap.* 4. Et accumulatur potestati ordinariæ per illa verba: Etiamsi tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ponderando particulam, *etiam*, quæ est augmentativa, & implicativa præcedentium; videtur sic distinguendum: aut in erectione novæ parochiæ episcopus proce-

dit jure delegato in eo casu, in quo jure ordinario non potest procedere, puta quia erectionem facit in parochia subjecta regularibus exemptis, secundum ea, quæ dicta sunt *supra num. 43.* Et hoc casu existimo non requiri consensum Capituli, per rationes adductas a Bellamera, & Mariano Socino locis citatis. Capitulum enim hoc casu non potest conqueri, quòd se inconsulto fuerit processum ad erectionem, cùm Papa, cujus vices gerit delegatus, ad illius consensum requirendum non adstringatur, argum. l. 1. §. *Qui mandatam ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisdict.* Aut procedit ad erectionem authoritate ordinariâ in eo casu, in quo potest jure ordinario, puta in parochia non exempta; & tunc censeo necessarium esse consensum Capituli, sicut erat ex jure veteri, cujus dispositionem hac in parte Concilium Tridentinum non sustulit; nam quod non mutatur, &c. l. *Sanctimus, C. de testam.* & l. *Præcipimus, C. de appell.* & hanc distinctionem in Legato de latere probavit in effectu Marian Socin. in d. cap. *Sicut autem, n. 105*, ut scilicet si procedat jure ordinario legationis, teneatur adhibere Capituli consensum ad eum modum, quo Ordinarius tenebatur. Secus si procedat speciali jure delegationis; & eamdem distinctionem probavit S. Congregatio in materia appellationis interponendæ ad Metropolitanum, vel ad Sedem Apostolicam, ut dixi in quæst præced. *num. 46. &* 48.

55 Quartò QUÆRO, An Decimæ ad Ecclesiam matricem pertinentes transeant ipso jure in ecclesiam parochialem noviter erectam infra illius limites.

Hæc quæstio inspecta juris communis dispositione est admodum difficilis ob varietatem opinionum, quas recenset Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. in tit. de decim. littera D. in ver. Voica*, Glos. Host. & alij *hic in ver. Obventiones.* & Doctores in cap. *Cum contingat*, & ibi dixi *à n. 31. infra, de decim.* licet opinio Calder. quod decimæ prædiales debeantur Parochiali noviter ædificatæ videatur magis communis, & servetur in Rota. Verum hanc difficultatem dissolvit Tridentina Synodus in sæpius alleg. *cap. 4. sess. 21.* ubi statuit, ut Sacerdotibus, qui novis Ecclesijs erunt præficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus. Quæ verba aperte excludunt transitum decimarum prædialium ipso jure in novam Parochiam, prout eis lingillatim perpensis probavi latissime in prædicta decretali *Cum contingat. à num. 43. usque ad num. 52.*

Quinto QVÆRO An Ecclesiæ, quæ noviter in
56 Parochialem erigitur, possit Episcopus unire aliquem ex Canonicatibus Ecclesiæ matricis in vim Concilij Tridentini *c. 4. sess. 21.*

57 Decretum *d. c. 4.* nihil de unione dicit, nec sub illis verbis: Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesijs noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio ex fructibus ad ecclesiam matricem pertinentibus; debet includi facultas supprimendi Canonicatus Ecclesiæ matricis, & illos uniendi Ecclesiæ noviter erectæ; quia facultas uniendi debet specialiter exprimi, nec venit sub generali dispositione, ut ex Innoc. in *c. ad hæc, supra de off. Archid.* tradit Gemin. *cons. 30. pro clariori, n. 10.* & pluribus comprobant Paris. *cons. 14. ex his, quæ in*
58 *facto, n. 1. lib. 4.* & Rebuff. *in Praxi Benef. in forma Vicariatus, n. 102.* & cum erectiones novarum Ecclesiarum debeant fieri cum minori præjudicio antiquarum Ecclesiarum, quamfieri possit, ex traditis per Butr. *hic num. 10.* credendum non est Concilium voluisse ab Ecclesijs antiquis subtrahi posse non solum partem redituum, sed etiam titulos beneficiorum, & numerum ministrorum diminui, quod tenderet in diminutionem Divini cultus, cap. *penult. de constitut.* & in damnum quoque Parochianorum, quibus expedit plures habere Sacerdotes, qui Missas, & divina officia celebrent, & Sacramenta ministrent; nec sine magna causa debet Episcopus ex una Ecclesia ad alteram titulos transferre. Oldrad. *cons. 260. Quod unio, num. 2. vers. Tertia ratio.* Et Lapus *allegat. 66.* consultus quomodo esset providendum Ecclesiæ Parochiali noviter ob necessitatem erectæ, nihil dixit de unione, sed alijs modis non præjudicialibus. Berterandus verò in *cons. 36. vol. 2. p. 1.* loquitur de ecclesia parochiali noviter erecta, & sensit illi providendum esse per subtractionem oblationum, & decimarum Ecclesiæ matricis in casu, quo Curatus Ecclesiæ antiquæ, & ejus vicarius ex reditibus restantibus se sustentare possint, & sic supponit ex provisione facienda ministris novæ Ecclesiæ statum antiquum, & numerum ministrorum eccle-
59 siæ antiquæ alterandum non esse. Quodcomprobatur ex eo, quod scribit Cardin. in *c. Avaritia. in fin. ubi.* etiam Butr. *num. 7.* & Imol. *col. 1. in fin. de prebend.* videlicet ex justa causa Parochias posse dividi etiam invitis Clericis, cum hoc tamen ut congruam sustentationem habeant, id quod supponit numerum Clericorum Ecclesiæ antiquæ non esse reducendum. Nec quidquam facit quòd Concilium *in cap. seq.* episcopis ex causa ibi tradita facultatem uniendi tribuat. Quia loquitur de ecclesijs jam erectis. Item loquitur de unionibus in calibus a jure permissis, inter quos hic, de quo agitur, connumerari non potest. Præterea est differentia inter fructus, & Canonicatus, *c. Cum M. Ferrarie. de Constitut.* & ideo verba ipsa Concilij *in d. c. 4.* disponentia de fructibus matricis, ad Canonicatus extendi non debent.

De immunitate Ecclesiarum, Cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium.

Cap. Pervenit.

SVMMARIVM.

1 *AD murorum custodiam tempore magnæ necessitatis tenentur etiam existentes sub protectione Romanæ Ecclesiæ.*
2 *Item exempti, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjecti,*
3 *Item Ecclesiarum Rectores.*
4 *Compelli tamen debent per suos judices, non per sæculares potestatem.*
5 *Senes majores annorum septuagintà sunt immunes ab excubijs.*
6 *Si tamen sint divites, tenentur mittere alium pro se.*

Excu-

7 *Excubiæ fieri debent vicissim, & successivè, nisi tanta sit necessitas, ut oporteat omnes simul adesse.*
8 *Patriam quilibet tenetur defendere, & pro ejus defensione excusatur pater occidens filium.*
9 *Clerici an teneantur ad custodiam murorum civitatis perinde ac laici, & n. seqq. usq. in fin.*
Et quid in Clericis primæ tonsuræ, n. 14.
Et quid in Clericis conjugatis, n. 16.
10 *Intellectus quatuor hujus cap. & nn. seqq.*
11 *Decretales debent esse communes, nec facilè judices debent locales.*
12 *Ad murorum custodiam instante necessitate tenentur homines Ecclesiarum, ut mancipia, rustici, & similes.*
13 *Ad murorum vigilias ut Clerici teneantur, quæ necessitas requiratur.*
14 *Clerici etiam primæ tonsuræ gaudent immunitate à muneribus realibus, & personalibus.*
15 *Etiamsi habitum, vel tonsuram non deferant, nisi tertio moniti, contumaces extiterint.*
16 *Clerici conjugati non bigami habitum, & tonsuram deferentes gaudent privilegio fori, & canonis, non autem immunitate à muneribus.*
17 *Clerici an teneantur ad refectionem murorum civitatis.*

1 PERVENIT. Legitur quatuor modis, ut dicam *infra num. 10.* & ideo congruè summari non potest, sed secundum intellectum Abbatis hoc intendit. Tempore magnæ necessitatis non debet aliquis excusari à murorum, sive civitatis custodia. Primò ponit dictum. Secundò rationem, ibi, *Quatenus.*

Nota primò ibi, *Per nostra*, à murorum custodia, si magna subsit necessitas, quemquam non excusari, etiam sub prætextu quòd sit sub protectione Romanæ Ecclesiæ, prout intelligit hanc litteram
2 Host. *hic in princ.* Quinimò attentari posset ad id teneri etiam exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectos. Tales enim videntur esse homines Ecclesiæ Romanæ, de quibus loquitur hic Papa in illis verbis, *Per nostra.* Unde Abbas Antiq. sic summat hanc Decretalem, videlicet homines Ecclesiæ Romanæ, vel alterius Ecclesiæ à custodia civitatis minimè sunt immunes. Ecclesiæ Romanæ, id est, eidem subjecti, vel ad jus illius, aut simpliciter ad eam pertinentes. Quælibet enim ex his formis privilegium exemptionis conferunt, ut cap. *Si Papa, §. 1 de privil. lib. 6.* Hoc tamen esset intelligendum, nisi super hoc essent specialiter exempti; vel privilegium haberet clausulas adeo urgentes, ut esset aptum comprehendere etiam immunitatem ab oneribus personalibus, prout hunc text. limitant Domini de Rota *dec. 72. n. 7. p. 1. Recent.* & colligitur ex glossa hic in ver. *Omnes*, dum limitat hunc textum in senibus, qui ab hujusmodi oneribus specialem habent immunitatem in corpore juris clausam, ut dicam *infra n. 5.*

3 Secundò nota, ad custodiam murorum, vel civitatis teneri etiam Ecclesiarum Rectores, ut probat littera ibi, *vel Ecclesiæ suæ.* Nam Ecclesia non dicitur esse hominum; imò homines sunt Ecclesiæ, cap. *Ecclesiarum servos, 12. quæst. 2.* & l. 1. *C. de episcop. & Cleric.* sed Ecclesia dicitur propriè ipsius Rectoris ratione jurisdictionis, quam habet in ipsa, ut probatur in cap. *Si vir absenti, de præbend. lib. 6.* secundum Abbat. *hic num. 3. vers. Et plus puto.*

4 Tertiò nota ibi, *compellantur*, Clericos, & alios de jurisdictione Ecclesiæ existentes ad custodiam civitatis compellendos esse per judicem Ecclesiasticum, non per sæcularem potestatem, cap. *Non minus, infra eodem.* Præterea enim hic textus dirigitur Episcopo, eique injungitur, ut non patiatur quemquam excusari à vigilijs murorum, sed omnes generaliter compellantur, id est, per ipsum, & ita in hac specie firmat Hostiens. *in summ. §. A quibus, vers. Materia*, dicens, Clericos ad murorum custodiam posse per Episcopum, non per Judicem sæcularem distringi, & consentit Butr. *hic num. 5.* ibi, *præcepto Episcopi*, & apertiùs Abb. *n. 3. vers. Sed adverte*, & Beilam. *cons. 46.* incipien. *Et primo, in princ.*

5 In glossa, *Omnes*, nota senes esse immunes ab excubijs, seu vigilijs murorum, Intellige si annum septuagesimum excesserint, ut l. *Si ultra, C. de decurion. lib. 10* secundum Host. *hic n. 2. in ver. Patiantur*, Butr. *n. 5. vers. sed.* glossa. Item intellige, nisi alias sint divites; quia tunc non excusantur omnino, sed debent mittere alium pro se, l. *Sextum decimum, §. Corporis ff. de vacat. muner.* & l. *Semper ff. de jur. immunit.* & tenet Franc Lucan. *de fisc. & ejus privileg. part. 3. n. 28. inter tract. comm. tom. 12. fol. 10.* & vide quod scripsi in *c. Cum sis, infra de conver. conjugat.*

6 In glossa ultima observa ordinem faciendi excubias; debent enim fieri non ab omnibus simul, sed vicissim, & successivè, nisi tantum periculum immineret, ut oporteret simul omnes adesse: expedit enim Reip. plures habere defensores l. *Nam Reipublicæ ff. de nov. oper. nunciat.* l. 1. 2. & 3. *ff. de offic. Præsid. vigil.* & cum hac glossa Vincent. transeunt hic Host. *num. 7.* & Jo. Andr. *num. 5* Item
8 secundùm eos quilibet tenetur juxta dictum Sapientis patriam defendere, *c. Fortitudo, 23. q. 3.* & cap. *Omni tempore, q. ult.* Pro cujus defensione excusatur pater occidens filium, ut l. *Minimè ff. de relig. & sumpt. funer.* Unde Poëta:

Præferre patriam liberis Regem decet?

9 QUÆRO generaliter, an Clerici teneantur ad custodiam murorum civitatis perinde ac laici?

Regulariter Clerici non tenentur ad custodiam murorum civitatis, etiam contra piratas maritimos, ne ab orationibus, & Divinis Officijs avocentur, cùm militum Christi sit Christo servire, militum verò sæculi sæculo, ut est textus in cap. *Reprehensibile, 23. q. 8.* Ad idem cap. *Non minus, infra eodem*, ubi generaliter videntur clerici excusa-
10 ri à gravaminibus publicis. Sed quia hic disponitur omnes generaliter teneri ad custodiam murorum, ut cunctis vigilantibus melius valeat civitas custoditi: Doctores videntes regulam esse in contrarium, variè hunc textum interpretati sunt. Quidam enim dixerunt Decretalem procedere in civitatibus, quæ sunt de temporali dominio Ecclesiæ, sicut hæc Terracinæ, cujus Episcopo Papa scribit, ut fatentur hic ferè omnes, & patet ex *lib. 7. Epist. 20. indict. 1. Registri B. Gregorij*, ubi sic legitur: (Gregorius Episcopus Agnello Episcopo; & in margine est adnotatum, Terracinensi. Mandosè enim ex Contio, & alijs scriptum est, Archiepisc. Tricenti, ut observat Ant. Augustin. *in notis ad primam collectam Decretal. lib. 3. tit. 36. cap. 2.* & hunc intellectum posuerunt *hic* Host. & Jo. Andr. ambo *num. 1.* & videtur probare Butr. *in 1. notab.* & apertiùs Calder. *cons. 144. Statute, n. 2. vers. Ta-*

men quandoque tenentur, aliàs 2. de cenſib. & ſic non obſtant jura in contrarium adducta.

11 Verumtamen hæc prima lectura à DD. non recipitur, quia textus loquitur indiſtinctè, & ratio eſt communis ad omnes civitates, & loca, & Decretales debent eſſe communes, nec facile judicari debent locales, ſecundum Cardin. *hic num. 3. in 3. oppoſitionis.* & Abb. *num. 3.* ad hoc c. *Canonum ſtatuta, ſupra de conſtitut.* & quod ibi dixi *num. 15.* poſt Hoſt. Jo. Andr. & alios. Quidam verò imrel Iexerunt, quod hic dicitur, locum habere, cum Infideles maritimas Urbes direptionibus expoſitas infeſtant: Nam temporibus hujus decretalis Saraceni impugnabant maritimam. Unde cum Terracinæ civitas ſit juxta mare, propter commune. & improviſum periculum quod timebatur. & quotidie imminebat, noluit Pontifex aliquem à vigiliis murorum excuſari, & hunc dicit eſſe verum intellectum, Hoſt. *num. 1.* cum quo tranſeunt Joan. andr. eodem num. Henric. Boich. *num. 2. ad fin.* Butr. Anchar. & Joan. de anan. omnes *num. 1.* Archid. in c. *Eccleſiarum ſervos, numero. 3tio. 12. q. 2.* Bellam. *conſ. 47. incip. & primo, verſ. Super ſecundo,* quod eſt Oliverij Maligemmæ tunc Rotæ Auditoris, ad hoc c. *Igitur, C. Scire,* & c. *ſeq. 23. q. 8.* ſed & hæc lectura nimis reſtringit generalitatem hujus Decretalis, ſecundum Cardin. *n. 3. verſ. Tertiò legi poteſt,* & forè alia fuit mens Hoſt. ut deducam infra *in 4. lectura num. 12. verſ. Alij demum.*

12 Alij autem opinati ſunt hunc text. de Clericis apertè non loquentem, ſed tantum de Eccleſia mentionem facientem, non eſſe intelligendum de Clericis, ſed de hominibus eccleſiæ, puta mancipijs, & ruſticis, qui licet non debeant regulariter angariari, c. *Eccleſiarum ſervos, 12. q. 2.* & l. 1. & ibi per Bart. *C. de epiſcop. & Cleric.* tamen ad cuſtodiam ob publicam utilitatem compelli debent, ut hic, unde gloſ. 1. & Hoſt. *in princ.* exponunt litteram ibi, *Nullum,* ſcilicet de hominibus Eccleſiæ, & conſentit Abb. Antiq. *in princip.* & huic lecturæ videtur clarè adhæſiſſe Hoſt. *in ſumma hujus tituli, § A quibus, verſ. materia,* dum dixit, inſtante neceſſitate homines Eccleſiæ non excuſari à cuſtodia civitatis, ut hic; Clericos autem non debere in hoc gravari, niſi magna eſſet neceſſitas. Hunc tamen intellectum refellit Abb. *hic ſub n. 3. verſ. Et plus puto,* & meritò, quia textus non obſcurè loquitur de clericis in illis verbis, vel Eccleſiæ ſuæ: nam Eccleſia propriè dicitur ipſius Rectoris ratione juriſdictionis, ut deduxi ſupra in 2. *not.* Unde ſecundum eum hæc littera debet generaliter intelligi tam de hominibus Eccleſiæ, quàm de Clericis.

Alij demum, & melius exiſtimarunt hanc decretalem eſſe intelligendam generaliter, ut tam homines Eccleſiæ, quàm Clerici teneantur ad vigiliam murorum, quoties ſubeſt magna neceſſitas & quandocunque imminet periculum invaſionis, terræ ab hoſtibus etiam non infidelibus; & hoc non obſcurè ſentit Innoc. hic dum dixit, quod hic dicitur habere locum, & eſſe ſpeciale ubi timor eſt communis, & ſubitus, & improviſus, nec ullammentionè fecit de Saracenis, ſeu infidelibus, quod cogit me credere hanc etiam fuiſſe mentem Hoſtien. *n. 1.* Nam quamvis dicat tunc temporis maritimas infeſtari à Saracenis, & ideo Papam noluiſſe ut aliquis excuſaretur à cuſtodia: non ta-

13 men per hoc reſtrinxit ſe ad cauſam, in qua civitas impugnetur ab infidelibus, ſed factum narravit ad eum modum, quo tunc occurrebat. Idem tamen verisimiliter dixiſſet ob rationis identitatem ſi periculum contigiſſet ab hoſtibus non infidelibus, quod ex eo patet, quia Hoſt. dicit hunc eſſe verum intellectum ſecundum D.N. ſcilicet Innoc. & tamen Innocentius non reſtringit ſe ad Saracenos, ſed generaliter loquitur, ubi timor eſt communis & repentinus; & ita Hoſt. & ſequaces ſunt apertè pro hac lectura; & ferè omnes loquuntur de Saracenis per modum exempli: eamdem opinionem tenuit gloſ. uit. in d. cap. *Eccleſiarum Servos, 12. q. 2.* Dum generaliter dixit tam clericos, quàm eorum mancipia teneri ad onera civitatis ſi ſubſit magna neceſſitas. Quam gloſſam ad propoſitum hic allegat Henric. Boich. *num. 2.* & ſequitur Butr. *nu. 5* ubi Goffred. in eandem ſententiam citat Hoſtienſ. *in ſumma hujus tit. §. A quibus, verſ. Materia.* Innoc. in cap. *Non minus, num. 5. in fin.* & ibi etiam Io. Andr. *num. 8, infra eodem,* Angel. *in ver. Immunitates, num. 34.* Et explicitè Clericos teneri ad cuſtodiam civitatis quocieſcumque imminet periculum impugnationis etiam ab hoſtibus non infidelibus, cenſuerunt hic Cardin. *nu. 3. in 3. oppoſ. Tertio legi poteſt,* & Abb. *numero. 3. verſ. Sed certè* Quamobrem dubitari non poteſt, quin hæc lectura ſit communis ferè omnium Doctorum: nam prima, & tertia, quaſi nullos habent ſectatores, & authores tertiæ ab hac ultima non

14 diſſentiunt, ut ſupra proximè deductum eſt. Oportet tamen ut neceſſitas non ſolum ſit talis, quæ poſtulet murorum cuſtodiam; ſed etiam quæ requirat omnino, ut Clerici tali munere fungantur, eo quod ſine eis non poſſint commodè mœnia cuſtoditi per laicos, ut per Abb. *hicnum. 6.* Angel. *d. n. 34* Nattam *conſ. 280. incip. de jure commu, n. 6. prope fin. verſ. Intelligo tamen.* Ripam *in trait. de peſte, tit. ad remed. ad conſerv. uberi. n. 224.* ubi dat generalem doctrinam, quòd exempti teneantur ad excubias & cuſtodiam, quando magnum ſubeſt periculum, ut ſine auxilio exemptorum locus facilè cuſtoditi non poſſit: & conferunt quæ ſcripſi in c. *Petitio, n. 4. & 14. infra de homicid.* An autem hæc neceſſitas ſit talis, necne, ad Epiſcopum pertinet judicare, ſecundum Anton. de Butr. & Angel. *locis ſupra citatis,* & ab ipſo tantùm Clerici poſſunt diſtringi, non autem à judicibus ſæcularibus, ut dixi *ſupra in 3. not. ab.*

Ex quibus ad propoſitum dubium videtur reſpondendum, Clericos non teneri, niſi tanta neceſſitas judicio Epiſcopi ſubeſſet, ut à ſolis Laicis abſque Clericorum auxilio mœnia facilè cuſtoditi non poſſent.

15 Ampliatur hæc concluſio, ut locum habeat etiam in clericis primæ tonſuræ: nam jura exemptionem clericis tribuentia à muneribus realibus & perſonalibus, etiam clericos primæ tonſuræ comprehendunt, ut notat gloſ. in c. *uit. in ver. Tonſuram, de tempor. ordinat. lib. 6.* & eſt communis opinio, ut teſtatur Covar. *Pract. queſt. cap. 31. nu. 9.* Et

16 quamvis idem Covar. ex aliquorum ſententia ſubjiciat id verum eſſe, quando veſtes clericales, & tonſuram deferunt: tamen veriùs eſt clericos primæ tonſuræ non privari privilegiis à jure canonico ſibi tributis propter dimiſſionem habitûs, vel tonſuræ clericalis, niſi tertiò moniti in contumaciam inciderint, juxta text. in cap. *uit. ſupra de vit.*

vit. & honeſtat. Cleric. & ibi notat Imol. *in prima col.* & poſt eum Covar. *d. n. 9. prope fin.* & de communi aſſeritur Alexand. *conſ. 8. videtur, n. 2. lib. 1.* ubi egregiè hanc materiam declarat Rolan. à Valle *conſ. 4. in cauſa num. 31. vol. 1.* & quamvis Concilium Tridentinum *cap 6. ſeſſ. 23.* voluerit ejuſmodi Clericum non gaudere privilegio fori, niſi clericalem habitum, & tonſuram deferens, alicui eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat, vel beneficium eccleſiaſticum habeat: tamen diſpoſitio Concilij procedit quoad privilegium fori duntaxat, de quo loquitur; ſed quoad cætera privilegia nihil novi juris induxit, ut jamdudum declaravit S. Congregatio ejuſdem Concilij Interpres.

16 Limita nunc propoſitam concluſionem, ut non procedat in Clericis conjugatis: nam tales, quamvis gaudeant privilegio fori, & canonis, ſi duxerint unicam, & virginem, & in habitu, & tonſura incedant: cæteris tamen privilegijs clericalibus minimè potiuntur, ut in cap. *un. de cleric. conjugat. lib. 6.* Innovato per Concilium Tridentinum *dict. c. 6. ſeſſ. 23.* Ideoque immunitatis privilegio quoad munera non fruuntur, ac profundè ad cuſtodiam murorum tenentur non ſecus ac laici, gloſ. in d. *cum in ver. Cæteris;* & ibi omnes, Abb. in cap. *Ex parte, in 1. notab. ſupr. de cler. conjug.* Covar. qui alios adducit, & de communi teſtatur, *pract. queſt. c. 31. num. 9.*

17 Secundò QUÆRO, An clerici teneantur ad refectionem murorum civitatis.

Refert hic Henric. Boich. *num. 3.* ſe vidiſſe induci hanc Decretalem in Parlamento Franciæ per cives Rhemenſes contra Clerum illius civitatis, quem petebant compelli ad contribuendum cum eis in refectione murorum propter timorem Bavari, qui velle Regnum Franciæ invadere dicebatur: ad hoc l. *Ad inſtructiones, C. ne Sacroſ. Eccleſ.* l. *Ad portus, C. de oper. publit.* & l. *final. C. de quib. munerib. nem. lic. ſe excuſar. lib. 10.* ſed Joannes tenet contra cives in cap. *juxta il ſecondo 16. queſt. 1.* dicens, illam legem ad inſtructiones eſſe correctam: ſed dato quòd Clerici poſſent ad hoc compelli, non tamen per brachium ſæculare: ad quod benè facit cap. *Conſtantinus, in verſ. Eccleſiis, in fin. 96. diſtinct.* Pro civibus etiam allegabatur cap. *Cùm ad verum, 96. diſtinct.* cap. *Magnum. 11. queſt. 1.* & cap. *Convenior, 23. queſt. 8.* ſed parum faciunt. Contra cives facit etiam textus in cap. *Gravem, in fin. infra de ſentent. excommunic.* & in hoc reſidet ubi ſupra Henric. Boich. Ego dico illam legem, *Ad inſtructiones,* quæ nominatim ſtatuit contra Eccleſiam, fuiſſe nullam ab initio defectu poteſtatis, per text. in cap. *Eccleſia S. Mariæ,* & ibi plenè ſcripſi *à num. 17.* poſt Abb. *n. 10. verſ. Ad primum, ſupra de Conſtit.* Et in ſpecie hoc de illa lege adnotavit ibi Dec. *num. 42.* & Barbat. *conſ. 1. lib. 3.* & *conſ. 29. lib. 4.* & tenet gloſ. in d. cap. *juxta,* alias eſt ſub cap. *Generaliter, 3. Novorum, in ver. Collationibus, 16. qu. 1.* Joan. Andr. in cap. *Non minus. num. 14.* & poſt eum Butr. *num. 10.* Abb. *n. 18. & 20.* & ibi dixi *n. 50. infra eod.* Calder. *conſ. 2. incip. Statuto Perufino, n. 3. verſ. Reperio, de cenſib.* Aliæ verò leges pro civibus allegatæ non loquuntur nominatim de Clericis, vel Eccleſijs; & ideo ad perſonas Eccleſiaſticas, aut earum bona in earum præjudicium, non extenduntur, prout eſt concors ferè omnium juris civilis, & canonici Interpretum determinatio, ut dixi in prædicta Decretali, *Eccleſia Sanctæ Mariæ, n. 2.* poſt Joan. de Lignan. Butr. Anchar. Imiol. Abb & alios plurimos.

De Immunitate Eccleſiarum.

Cap. Non minus.

SVMMARIVM.

1 *LAici collectas imponentes Eccleſijs, vel Clericis, vel juriſdictionem illorum uſurpantes ſi monniti non deſiſtant, excommunicati ſunt cum ſuis ſantoribus, & n. 33. & 36.*

2 *Poteſt tamen Epiſcopus cum Clero eis in neceſſitate præbere ſubſidia.*

3 *Collectam imponentes Eccleſijs, vel Clericis excommunicati ſunt, etiamſi Imperiali, vel Regali dignitate præfulgeant, & n. 63.*

4 *Bona Clericorum de jure divino immunia ſunt à Collectis, & impoſitionibus Laicorum.*

5 *Angariæ Eccleſiæ, & Eccleſiaſtica perſona affligi non debent, & n. ſeq.*

6 *Angaria, & perangaria quæ dicantur, & in quo differant.*

7 *Clerici cum eorum familia immunes ſunt ab angarijs, & perangarijs, niſi pro vigilijs murorum, & ratione feudi.*

8 *Bona Eccleſiarum quoad fundationem, manſum, vel dotem Eccleſiæ, immunia ſunt à tributis, & oneribus Laicalibus, etiam privatis, & antea impoſitis.*

9 *Bona tranſeunt ad Eccleſiam cum oneribus antea impoſitis: dummodo hujuſmodi onera ſint vera, realia, perpetua, & invariabilia.*

10 *Bona poſtquam ſunt effecta Eccleſiæ, immunia ſunt à tributis, & oneribus Laicalibus de novo imponendis.*

11 *Principes Laici facere non poſſunt omnia prædia tributaria, ita ut cùm devenerint ad Eccleſias, obnoxia ſint collectis poſtea imponendis.*

12 *Clerici tenentur ad onera, quæ ratione quadam naturali ipſis rebus inſunt, ut reficere iter ante domum, & purgare puteum neceſſarium totivicinia.*

13 *Et vicini poſſunt hoc caſu propriâ authoritate collectam indicere.*

14 *Clerici, & eorum mancipia, & coloni ad ſordida munera non tenentur, & n. ſeq.*

15 *Munera ſordida quæ ſint.*

16 *Bona patrimonialia Clericorum, & bona Eccleſiarum quoad immunitatem à Collectis à pari procedunt.*

17 *Bona Religioſorum, & bona Hoſpitalium immunia ſunt à collectis, & impoſitionibus Laicalibus, & n. 19.*

18 *Pauperum appellatione veniunt etiam Clerici.*

20 *Verba ſub anathemate diſtrictione non important canonem latæ ſententiæ, & n. ſeq.*

21 *Secus in verbis: Excommunicationi te noveris ſubjacere.*

22 *Clerici ut licitè ſolvant collectas, & impoſitiones Laicorum, ſex requiruntur, & nu. ſeq. uſq. ad nu. 33.*

Primò, deliberatio Epiſcopi, & Cleri, n. 23.

Secundò magna neceſſitas, vel utilitas, n. 25.

Tertiò, ut hæc neceſſitas, vel utilitas ſit communis,

ram laicorum, quàm clericorum, n. 26.
Quartò ut laicorum facultates non supperant, n. 30.
Quintò, ut contributio fiat sine nulla exactione laicali.
Sextò, ut Romanus Pontifex consulatur, n. 32. & 52.
23 *Collectam pro subsidio laicorum Episcopus imponere non potest clericis sine consensu Cleri.*
24 *Nec sufficit consensus Capituli.*
25 *Necessitas, vel utilitas quanta esse debeat ad hoc, ut clerici teneãtur solvere collectam pro subsidio laicorum, pendet ex arbitrio Episcopi, & Cleri dijudicare.*
26 *Collectam clerici non tenentur, nec possunt solvere ad relevandas necessitates, vel utilitates laicorum tantum.*
Sed ubi versatur necessitas, vel utilitas laicorum simul, & clericorum, possunt clerici illam solvere concurrentibus aliis requisitis, ibid. & n. seq.
27 *Intellectus hujus cap. in ver.* Communes.
28 *Ioseph Prorex Pharaonis subjecit eidem, ac tributariam fecit universam terram Aegypti, praeter Sacerdotum, qua libera ab hac conditione fuit.*
29 *Exemplum declarat dispositionem de similibus esse intelligendam*
31 *Clerici nullo casu ad collectam sunt compellendi per secularem, sed per Ecclesiasticum judicem, de cujus foro sunt personae, licèt res sint de foro laicali.*
33 *Laici collectantes Ecclesias, vel Clericos, aut Prælatorum jurisdictionem impedientes, non sunt excommunicati ex hoc cap. nisi post canonicam monitionem se non correxerint.*
34 *Et sufficit unica monitio.*
Sed hodie ex Bulla Cœnæ sunt excommunicati ipso jure, n. 36.
35 *Pedagia exigentes à clericis incidunt in excommunicationem latæ sententiæ.*
37 *Absolutio ab excommunicatione, quam incurrunt laici collectantes Ecclesias, hodie est Papæ reservata.*
38 *Clerici an teneantur ad contributionem gabellæ pro annona civitatis impositæ, & nn. seqq. usq. ad nu. 55.*
39 *Vietus nulla major, quàm pauperes, & patriam sublevare.*
40 *Clerici sunt membra Reipublicæ.*
Declaratur, n. 49.
41 *Clerici tenentur ad instructionem viarum, & pontium.*
Contrarium, n. 50.
41 *Clericitenentur contribuere pro construenda, vel instaurandu muru, fontibus, & similibus ad communem utilitatem spectantibus.*
Contrarium, n. 50.
43 *Clerici tenentur ad collectam impositam ad redimendam vexationem, & incursionem hostium patriam depredari volentium.*
Contrarium, n. 45. vers. Contraria opinio, *& nn. seqq.*
44 *Clerici tenentur contribuere ubi agitur de communi utilitate laicorum, & clericorum.*
45 *Contrarium n. 45. vers.* Contraria opinio.
45 *Collectam tenentur solvere omnes, qui gravari poterant oneribus, in quorum locum collecta successit.*
46 *Laici non tenentur ad impositiones clericorum, nisi respiciant communes necessitates vel utilitates.*
47 *Bona Ecclesiarum sunt deputata publico usui spirituali; laicorum verò profusa Reipublicæ mundanæ.*
48 *Authores utriusque opinionis expenduntur.*
Concilitantur. n. 54.
49 *Clerici quas ob causas non teneantur subire onera Reipublicæ laicalis, & n. 61.*
50 *Leges civiles in præjudicium ecclesiæ & personarũ ecclesiasticarum non valent, & n. 53. & 59.*
51 *Nec censentur canonizatæ, licet aliquæ reperiantur inserta à Gratiano in volumine Decreti.*
55 *Clerici an teneantur contribuere ad collectas, quæ sunt propter pestem in locis, ubi pestis grassatur, & num seqq. usque in fin.*
56 *Ad collectas, quæ ob pestem imponuntur, de jure Civili tenentur etiam habentes exemptionem generalem ab oneribus personalibus, realibus, & mixtis.*
Secus de jure canonico, n. 58.
57 L. Ad institutiones, C. de sacrosanct. Eccles. *non fuit correcta per Auth.* Item nulla, de Episc. & Clericis.
60 *Argumentum de bello ad pestem validum est.*
61 *Pestis est bellum Dei, in quo magis pugnant Clerici, quàm Laici.*

1 NON MINUS. Laici collectas imponentes Ecclesijs, vel Clericis, vel jurisdictionem illorum usurpantes, si moniti non desistant, excommunicati sunt cum suis fautoribus.
2 Potest tamen Episcopus cum Clero eis in necessitate præbere subsidia. Hoc dicit secundum Joan. Andr. cui Butr. Card. Anchar. Abb. & omnes consentiunt. Dividitur in duas partes. Prima narrat, & aggravat horrendam oppressionem Ecclesiæ, quam faciebant potestates sæculares. Secunda providet ibi, *Quocirca*, & hæc tria facit. Primò comminatur pœnam. Secundò ponit casum permissum. Tertiò pœnam comminatam imponit.
3 Nota primò ibi, *& alij, qui potestatem habere videntur*, non tantùm Consules, & Rectores civitatum, seu Magistratus inferiores collectantes ecclesias, seu Clericos, incidere in pœnam hic statutam; sed etiam alias potestates sæculares, ac Principes: de talibus enim intelligitur hæc littera, quasi dicat propter jura Imperij hanc potestatem habere videntur; sed verè non habent, quia abutuntur, secundum Hostiens. Joan. Andr. & Cardin. omnes *in princip.* Butr. *num.* 2. simile in cap. *Ea quæ*, ibi, Id quod videmini habere. *supra de censib.* Vel dic, potestatem habent de facto, sed non de jure, ut exponit glos. notab. in c. *Stributum in ver. Potestatem*, 11. q. 1. Hodie est expressum in Bulla Cœnæ Domini, §. 18. ibi etiamsi Imperiali, vel Regali præfulgeant dignitate.
4 Secundò nota ibi, *in pristina libertate dimisit*, non tantùm Sacerdotes, vel Clericos, sed etiam eorum possessiones, & bona de jure Divino esse immunia à collectis, & impositionibus laicorum, ut hic probatur evidenter, licet DD. non advertant: nam hic nõ dicitur de Pharaone quòd Sacerdotibus immunitatem concesserit, sed quòd Sacerdotes, & eorũ possessiones in pristina libertate dimiserit, quamvis Divinæ legis notitiam non haberet. & hic præservavit immunitatem eis competentem ex lege Divina, & ante omnẽ humanam constitutionem. Ad hoc tex. opt. in l. *Sanctum*, ibi, Competens prærogativa cœlesti favori conservetur, C. *de sacrosanct. Eccles.* & tex. clar. in c. 1. *de censib. lib. 6.* ibi, Ecclesiæ, Ecclesiasticæ personæ, ac res ipsorum non solùm jure humano, quinimò & divino à sæcularium exactionibus

bus sunt immunes, & probatur *Gen.* 47. ex 1. *Esdr.* 7. *Num.* 3. & *Matth.* 17. adjuncta ibi expositione Hieronymi, & Augustini, ut fuit deducit Rota, licet tex. noster, ut sup. non ponderet in *Alben Gabella seu onerum* 38. *Jun.* 1630. coram Merlino, quę habetur in impressis *dec.* 339. *part.* 6. *Recen.* ubi egregiè firmatur, hujusmodi immunitatem competere personis Ecclesiasticis, earumq; bonis jure non tantùm Civili, & Canonico, sed etiam Divino, quam decisionem postea sequuta est ead. Rota coram Coccino *in causa Bareinon. exemptionis* 20. *Junij* 1636. & cum ea passim transit S. Congreg. Immunitatis Ecclesiast. ut refertur in argumento illius decisionis, & hæc est unanimis Canonistarum sententia, ut scripsi in c. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, n. 15. *supra de Constitutione.*
5 Tertiò nota ibi, *angarijs*, Ecclesias, & personas ecclesiasticas non debere affligi angarijs, Idem sancitur in Constitutione Federici Imperatoris, ut in Auth. *Item nulla*, C. *de Episc.* & Cler. & in corpore, unde sumitur ibi, Angarias, vel perangarias ecclesijs, vel alijs pijs locis, aut ecclesiasticis personis
6 imponere præsumant. Dicuntur autem Angariæ munera, seu obsequia personalia proprijs sumptibus præstita, Perangariæ autem, ubi persona servit sumptibus alienis: & est angaria munus purum, & merum; perangaria verò mixtum, l. *Munerum, ff. de muner. & honor.* De quibus tamen differentijs consule Alciatum *in admot. ad* 12. *librum eod. tit. de Præpos. Sacr. Cubic.* & novissimè Lexicon Jo. Calvini *in*
7 *ver. Angaria*, post Bart. & Legistas in l. *Neminem*, C. *de sacrosanct. Eccl.* & ab his Clerici omnes cum eorum familia liberi sunt, l. 1. & 2. & l. *Presbyteros*, C. *de Episc. & Cleric.* & c. *Quæ cognovimus*, 10. q. 4. glos. *hic in ver. Angarijs*, Innoc. *nu.* 3. Host. *nu.* 4. Jo. Andr. *nu.* 6. & 13. Henric. Boich. *nu.* 4. Butr. *n.* 9. *vers. ex ab ijsdem*, Card. *in* 3. *not.* & Abb. *nu.* 10. Nisi in casu, scilicet pro vigilijs murorum, sive civitatis, ut in c. *Pervenit*, & ibi dixi *sup. eod.* & nisi ratione feudi aliud sit dicendum, c. *Solita*, §. 1. *vers. Quod autem, supra de major. & obed.* secundum Host. *hic n.* 5.
8 Quartò nota ibi, *Princeps provinciarum facta est sub tributo.* Ecclesiam, & illius prædia non teneri ad tributa, & alia onera realia laicorum. Nam verbum, *Princeps*, exponitur, id est, ecclesia, secundum Host. *hic n.* 5. *in fin.* concordat c. *Secundum*, c. *Convenior*, & § *Quamvis*, 23. q. 8. Sed quia contradicunt jura in cap. *Tributum, eadem caus. & quæst.* in cap. *Stributum*, & in cap. *Magnum*, 11. q. 1. Ideo pro concordia sic distinguo. Aut quæritur de bonis, quæ ubibus Ecclesiasticis dedicantur quoad fundationem, vel mansum, aut cœmeterium, vel domos, vel hortos juxta positos, aut dotem ecclesiæ; & hæc indistinctè sunt immunia ab omnibus tributis & oneribus laicalibus, arg. cap. 1. *supra de cens.* & c. 2. *de Eccles. ædific.* & sic intellige primas concordantias, secundum glos. *hic in ver. Sub tributo*, Goffr. & Innoc. *in princip. vers. Solutis, & n.* 5. & 6. Hostiens. *n.* 6. *eod. vers.* Joan. Andr. *n.* 8. *vers. Ab his autem*, Henric. Boich. *num.* 1. & Butr. *num* 3. Idem tenet glos. 1. in d. c. *Si tributum*, Archid. in cap. *De his*, 16. q. 1. Cardin. *in Clement.* 1. *in* 18. *q. vers. Munera rerum, de vit. & honest. Clericor.* & nullus discrepat. Quod venditur ibi locum in oneribus nedum publicis, & regijs; sed quod magis est, etiam privatis, & antea impositis ob specialem eorumdem bonorum Sanctitatem, ut habetur in d. cap. *Secundum*, 23. q. 8. & pluribus relatis tenet Rota *in præalleg. dec.* 339. *num.* 40. *par.* 6. *Recent.*
9 Aut quæritur de alijs bonis, quæ alijs titulis, vel casu ad Ecclesiam pervenerunt, & tunc refert an agatur de oneribus impositis antequam bona hujusmodi in ecclesiam transirent; an verò de impositis eo tempore, quo bona jam facta erant ecclesiæ. Primo casu bona & prædia hujusmodi transeunt ad ecclesiam cum suo onere, secundum glossam, Innoc. & alios proximè citatos, & Abb. *hic n.* 16. *vers. Sed ego distinguendo*, & probatur ind. c. *Tributum*, 23. q. 8. ibi, De exterioribus Ecclesiæ quod constitutum est antiquitus, persolvendum est. Dixit enim antiquitus, id est, antequam prædia pervenerint ad ecclesiam, & in c. *Si tributum*, & ibi Turrecr. 11. q. 1.

Sed hoc intelligas tu, dummodò copulativè infra scripta omnia concurrant, videlicet ut onera sint vera & realia, idest ipsis fundis infixa, & imposita bonis propter bona; item ut sint perpetua, certa, & invariabilia, ut tenent communiter DD. in c. 1. *infr. eodem lib.* 6. maximè Gemin. *nu.* 9 Turrecr. in c. *Si tributum, vers. Alia verò*, 11. q. 1. & firmavit Rota *in Brundusina Gabellæ* 13. *Febr.* 1604. coram Penia. Quam decisionem uti magistralem in hac materia passim amplectitur S. Congregat. super controversijs jurisdictionalibus, ut asseritur *in præcitata dec.* 339. *par.* 6. *recent.*
10 In secundo autem casu, id est, cum agitur de oneribus impositis eo tempore, quo bona jam sunt effecta Ecclesiæ, certum est ab hujusmodi oneribus Ecclesiam esse prorsus immunem, & in hoc casu loquitur hoc c. Damnat enim horrendam oppressionem, quam faciebant potestates sæculares in diversis mundi partibus, imponentes universa ferè onera Ecclesijs, & bonis ipsarum, & sic loquitur de impositione onerum super bonis, quæ jam erant in dominio, & propietate Ecclesiæ, quam distinctionem sequitur Bald. in l. *Nacet*, n. 10. *vers. Post quam autem res facta est Ecclesiæ*, C. *de sacrosanct. Eccl.*
11 Abb. *hic n.* 16. *vers. Sed ego distinguendo*, & *vers. Ad alia autem onera*, & Rot. *in d. dec.* 339. *n.* 41. & quamvis Bart. in l. *Rescripta*, §. *fin. n.* 3. *ff. de minor.* teneat posse Principes laicos efficere tributaria, & affecta omnia prædia eorum Territorij, ita ut cum postea ad Ecclesias pervenerint, obnoxia sint collectis postea imponendis: tamen ejus cautela est falsa, & contra immunitatem Ecclesiæ, & ab omnibus communiter reprobata, ut post Bald. *loco citato* copiosè deducit Rota *in ead. dec. n.* 44. & *seqq.*
12 Fallit hæc conclusio in oneribus, quæ ratione naturali ipsis rebus incumbunt, ut reficere iter ante domum, l. 1. *ff. de via publica resic.* Bart. in l. *Administrationes*, n. 3. C. *de sacrosanct. Eccl.* Bartol. Cepol. *in tract. de servit. rustic. urb. de via*, q. 25. & tenet Abb. *hic n.* 16. *vers. Idem dico.* Idemque dicendum in purgatione putei necessarij toti vicinię, in qua sita est Ecclesia, ex notat. per Specul. *in tit. de cens.* §. *Nunc dicendum, vers. Item pone quod vicinia.* & Alberic. in l. *Cùm usus fructus. ff. de usufruct.* & tenet Abb.
13 *ubi supra.* Quinimò hoc casu possunt vicini propriâ authoritate collectam indicere, l. 1. §. *Vicinales, ff. Ne quid in loc. public.* secundum Anchar. *hic*, quem refert, & sequitur Decian. *cons.* 14. *Dubitatur an Clerici, n.* 21. & 22. *lib.* 1.
14 Quintò nota ibi *fossata*, Ecclesias, & Ecclesiasticas personas ad sordida munera non teneri, prout hic ponitur exemplum de fossatis, quod est munus sordidum secundum Hostien. *n.* 8. *in ver. Fossata* Jo.

Andr.

15 Andr. Butr. & Cardin. omnes *num.* 3. & sunt munera sordida servitia, ut calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, custodiæ balneorum, & similia, de quibus habentur multa exempla in l. *Munerum*, usque ad §. *Patrimoniorum, ff. de muner. & honor.* & in l. *Maximarum, C. de excusat. munerum, lib.* 10. & hæc non subdit Ecclesia, cap. *Generaliter*, §. *Novarum*, 16. *q.* 1. & l. *Placet, C. de sacrosf. Eccles.* ne scilicet prædia usibus cœlestium secretorum dedicata sordidorum munerum fæce vexentur, ut ibi dicitur: & hic notant Innocent. *num.* 2. Hostiens. *num.* 7. Joann. Andr. *nu.* 5. Henric. Boic. *n.* 2. Butr & Cardin. ambo *nu.* 9. Anchar. *nu.* 4. & Abb. *n.* 14. *vers. Quædam verò munera*, Guliel. de Monte Laud. *in Clem.* 1. *super ver. In rebus*, & ibi etiam Cardin. *in* 18. *q. de vita & honest. Cleric.* & alibi passim Doctores. Quinimo hac immunitate potiuntur nedum Ecclesiæ, & Clerici, sed etiam eorum mancipia, & coloni, ut est expressum in virib. præalleg. & tenet Abb. *loco citato.*

16 Sextò nota ibi, *de bonis Ecclesiarum, & Clericorum*, quoad immunitatem à collectis, & impositionibus laicalibus pari passu ambulare bona Ecclesiasticorum, & bona patrimonialia Clericorum. Hostiens. *hic n.* 8. Butr. *num.* 3. Cardin. *num.* 4. & Anchar. *in* 2. *notab.* Abb. in cap. 1. *nu.* 3. *vers. Fateor tamen*, post Butr. *ibi n.* 5. & Imol. *n.* 1. *supra de consuet.* Rota *in præalleg. decis.* 339. *n.* 23. *par.* 6. *Recent.* de quo dic, ut notatur in cap. *fin. supra de vita & honest. Cleric.* De alijs autem differentijs inter bona Ecclesiarum, & Clericorum, item de differentijs inter bona, ad quorum titulum Clerici sunt ordinati, & alia bona patrimonialia, vide quod scripsi in c. *Episcopus, à n.* 35. *supra de præbend.*

17 Septimò nota ibi, *& pauperum Christi usibus deputatis.* Bona Religiosorum esse immunia à collectis, & oneribus laicalibus, secundum Hostiens. *hic n.* 9. Joann. Andr. *n.* 3. *in ver. Pauperum*, & Cardinal. *num.* 5. qui exponunt verba, pauperum Christi, id est Religiosorum, qui omnia reliquerunt pro Christo, ut cap. *Nimis in qua*, & cap. *Nimis prava, in-*
18 *fra de excess. Prælat.* Vel secundum eos Clerici omnes pauperes appellantur, l. *Privilegia, C. de sacrosf. Eccles.* Nam & quidquid habent, pauperum est, cap. *Quoniam quicquid*, 16. *quæst.* 1. sed tanta est ambitio ipsorum, ut quantumcunque habeant, nihil reputent se habere, cap. *Quia intantum*, & cap. *Avaritia, supra de præbend.* Verùm littera hunc posteriorem intellectum non recipit, quia copula, *&*, insinuat alios esse Clericos, alios pauperes Christi, ad glos. in Extravag. *Suscepti, in ver. Vel electio, de elect.* in uno tamen Tarraconen. & apud Gulliel. particula, *&*, non legitur, ut refert Ant. August. *in notis ad primam Collect. Decretal. lib.* 3 *tit.* 36. *cap.*
19 4. Posset & tertio loco hæc littera non incongruè intelligi de Hospitalibus, quorum bona pauperum Christi usibus sunt deputata, ut in Clement. *Quia contingit, de Religios. domib.* hæc enim, sicut & bona Ecclesiarum, collectari non possunt, ut l. *Omni, C. de Episc. & Cleric.* Anton. de Butr. *cons.* 40. *Statuto civitatis, n.* 2.

20 Octavò nota ibi, *sub anathematis districtione*, hæc verba non importare canonem latæ sententiæ,
21 sed ferendæ. Quod evidenter probatur hic: nam cùm textus paulò infrà excommunicet per illa verba, *excommunicationi se noverint subjacere*, quæ important excommunicationem ipso jure, ut hic per Butr. *num.* 9. Cardin. *num.* 7. & Abb. *in ult. notab.* hoc apertè supponit pœnam excommunicationis antea fuisse comminatam, non autem inflictam, ut advertit Joan. Andr. in divisione tex. cum quo Butr. Card. Anchar. Abb. & alij transeunt Sed Hostiens. contra *num.* 9. dicens prædicta verba esse latæ sententiæ, cui suffragatur c. 1. *De locato*, cap. *Cum esset, de testam.* cap. *Relatum, de jurepat.* cap. 1. *de pignor.* & cap. *Salonitana*, 63. *dist.* sed primum verius, secundum Jo. Andr. *hic n.* 4. Butr. *num.* 5. Cardin. *in* 8. *not.* & ipsummet Host. sibi contrarium *n.* 12. *in ver. Commoniti.* Ad hoc c. 1. & ibi glos. *ult. de sagittar.* Generaliter autem ut scias, quæ sint verba latæ sententiæ, vel ferendæ; consule Felinum casus plurimom cumulantes in c. *Rodulph. à n.* 24. *supra de rescriptis.*

22 Nonò nota in vers. *Nisi*, & observa diligenter plura esse necessaria ad hoc ut Clerici licitè solvant collectas, & impositiones laicorum.

23 Primò enim requiritur, ut Episcopus simul & Clerus super hoc deliberent, & consentiant, ut patet ex littera ibi, Episcopus, & Clerus. Unde hoc non potest Episcopus sine Clero, nec Clerus sine Episcopo, cùm copula, *&*, in textu posita requirat concursum utriusque copulati, l. *Si quis ita stipulatus*, & ibi Bart. *ff. de verbor. obligat.* Ideoque Butr. *hic n.* 6. Nota, inquit casum, in quo Episcopus in diœcesi sua non potest aliquid agere sine consensu Cleri, id est, quando agitur de collecta imponenda pro subsidio laicorum, & in hoc conveniunt Jo. Andr. Cardin. Abb. & omnes supra in summario textûs, dum dicunt Episcopus cum Clero, &c. & probatur apertius in cap. *Adversus, infra eod.* ubi refertur dispositio hujus Canonis, & tex-
24 tus dicit, Episcopus simul cum Clericis. Quo fit, ut nec cum Capitulo Episcopus id possit, quia in tangentibus totum Clerum non sufficit Episcopum habere consensum sui Capituli, sed oportet, ut conveniat consensus Cleri, facit Clem. 1. & 2. *de cens.* & *hic* tenet Abb. *num.* 5.

25 Secundò requiritur, ut evidens utilitas, vel necessitas subsit, ut probatur ex verbis textûs, ibi, tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut hic per Butr. *num.* 8. & Cardin. *in* 9. *notab.* Immò cùm textus dicat, *tantam*, non sufficit qualibet necessitas, sed requiritur maxima, secundum Abb. *hic n.* 5. *vers. Secundò requiritur*, & pendet ex arbitrio Episcopi, cum Clericis hoc judicare, cùm textus dicat, aspexerint, ut hic notat glos. *in ver. Tantam*, & concordat c. *Adversus, infra eod.* ibi, tantam necessitatem, vel utilitatem perspexerit.

26 Tertiò requiritur, ut hujusmodi necessitas, vel utilitas sit communis, videlicet tam laicorum, quàm clericorum, ut probatur in littera ibi, Ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, quæ verba reperiuntur etiam in dict. cap. *Adversus.* Non enim est audiendus Petr. de Anchar. *hic n.* 8. Qui putavit hæc jura loqui in eo tantùm casu, in quo laici pro communibus necessitatibus suis duntaxat volunt, ut Clerici contribuant, ut colligit ex littera ibi, Isti verò onera sua: & ibi, Quælibet sibi arbitrentur: nec non ibi, communes utilitates, scilicet laicorum tantùm, non autem ubi versatur utilitas communis tam laicorum, quàm clericorum, quia tunc non habent locum ista capitula, secundum eum. Unde dat generalem doctrinam, quòd ubicumque tractatur de communi utilitate laicorum, & clericorum simul, & permixtim clerici teneantur contribuere simul cum laicis, puta ad ag-

geres,

geres, qui fiunt juxta mare, vel flumina propter timorem inundationis agrorum, ad evitandum rapinas, incendia, captivitates, & alia his similia. Quandoquidem Ancharani opinionem uberrimè, atque optimis fundamentis confutat, & objectis respondet Abb. *hic num.* 18. *vers. Ego in hac civitate Senarum*, evidenter ostendens hæc capitula esse necessariò intelligenda ubi necessitates sunt Clericis, & Laicis communes, & nihilominus ad eas relevandas Clericos non modo non teneri contribuere, sed nec posse subsidia conferre nisi concurrentibus requisitis hujus cap. & d. cap. *Adversus.* subdens hanc opinionem habere sequaces utriusque juris illuminatores, nec ab illa esse recedendũ in practica; pro qua etiam asserit se consuluisse in civitate Senarum; & habetur illius responsum
27 in 2. *part. cons.* 3. Sed præter considerationes Abbatis, quod hic textus in ver. *Communes*, debeat necessariò intelligi de necessitatibus communibus tam Clericis, quàm Laicis, ego sic ostendo
28 evidenter. Nam textus ad demonstrandam Clericorum immunitatem à collectis Laicorum utitur Historia *Genes.* 47. Ubi Joseph Prorex Pharaonis præ magnitudine famis subjecit ipsi, ac tributariã fecit universam terram Ægypti, præter terram Sacerdotum, quæ libera ab hac conditione fuit.
29 Ecce igitur agebatur tunc de necessitate, quę procul dubio erat communis & Sacerdotibus, & Laicis; nam ut legitur in sacro textu in toto orbe panis deerat, & oppresserat fames terram, maximè Ægypti: & nihilominus Sacerdotes fuerunt in pristina libertate dimissi. Ergo hic textus, qui hujusmodi exemplo innititur, necessariò intelligi debet procedere ubi necessitas est communis simul Laicorum, & Clericorum, non autem Laicorum tantum, ut malè intelligit Ancharanus. Exemplum enim declarat dispositionem de similibus esse intelligendã, l. 1. §. *Quod vulgo, ff. de vi. & vi arm.* & notat Bart. in l. *Scire*, §. *Oportet, il. secundo, n.* 7. *ff.*
30 *de excusat. tutor.*

Quartò requiritur, ut ad relevandas communes utilitates, vel necessitates Laicorum facultates non sufficiant, ut constat ex illis verbis textus, ubi Laicorum non suppetunt facultates: quæ reperiuntur etiam in c. *Adversus, infra eod.* Et ita clerici non concurrunt, nisi in subsidium, ut hic per Abb. *num.* 4. *vers. Tertiò*, & consentiunt omnes. Rationẽ assignat egregiè idem Abb. *hic num.* 18. *vers. Probatur quartò.* Et est simile quod posui in cap. *Perve-*
31 *nit, num.* 13. *supra eod.*

Quintò requiritur, ut contributio ab Ecclesiasticis fiat spontè, & sine aliqua exactione, vel compulsione, ut probat littera ibi, Absque ulla exactione; & alia littera, quæ habet, Absque ulla coactione: sic enim habent vetus Gregoriana compilatio, Concilium Lateranen. Gulielm. & unus Tarraconen. ut refert Ant. August. *in notis ad primam collectionem Decretal. lib.* 3. *tit.* 36. *cap.* 4. Et intellige sine ulla coactione, scilicet laicali, prout exponit Hostien. *num.* 12. *in ver. Coactione.* Ad hoc enim Clerici non sunt per Sæcularem, sed per Ecclesiasticum Judicem, de cujus foro sunt personæ, licet res sint de foro Laici, compellendi, ut formaliter inquit idem Hostien. *num.* 11. Joann. Andr. *num.* 8. *in fin.* & sequuntur alij: & propterea in d. cap. *Adversus, infra eodem*, cautum est, ut Laici humiliter, & cum gratiarum actione suscipiant subsidia, quæ clerici duxerint conferenda: quæ verba excludunt apertè quamcumque exactionem, & coactionem judicis sæcularis.

32 His quinque requisitis addi debet sextum à Concilio Generali sub Innocent. III. inductum in præalleg. c. *Adversus*: videlicet, ut Romanus Pontifex prius consulatur; aliàs enim Clerici non debent communibus necessitatibus subvenire, etiamsi laicorum facultates non suppetant, ut ibi est casus secundum omnes, & dicam *infra n.* 52.

33 Decimò nota ibi, *Commoniti desistere noluerint*, Hoc jure inspecto Concilij Lateranen. laicos collectantes Ecclesias, vel Clericos, aut Prælatorum jurisdictionem impedientes non incidere in excommunicationem latæ sententiæ, nisi prius fuerint moniti, & post canonicam monitionem se non correxerint, ut hic patet, & notant glos. *in ver. Commoniti*, Host *n.* 12. *in eodem ver.* Abb. *num.* 7. &
34 cæteri omnes. Nec requiritur hoc casu trina monitio, sed sufficit unica, præsertim quia hic canon editus est in favorem Ecclesiarum, & odium Tyrannorum, quorum aliqui sunt adeo terribiles, ut nec facile sit eos tertiò monere: nam statim atque monentur, appellant, nec audent Episcopi censuras fulminare, timentes forsan plura perdere. Unde providè cavetur ut sufficiat una monitio, secundum Hostiens. *ubi supra*, cui consentiunt Joan. Andr. *num.* 10. Butr. *n.* 8. *in ver. Commoniti*, Anchar. *in* 4. *notab.* Abb. *num.* 6. & alij communiter, licet Abb. Antiq. requirat trinam.

Non obstat cap. *Clericis*, §. *Nos igitur, infra eod. lib.* 6. ubi laici exigentes collectas ab Ecclesijs & personis Ecclesiasticis, & illorum fautores ipso facto excommunicantur. Etenim Constitutio illa Bonifacij VIII. cum sua declaratione fuit revocata per Clementem V. in Concilio Viennensi, ut in Clem. 1. *de Immunit. Eccles.*

35 Item non obstat cap. *Quamquam, de censibus, lib.* 6. Quoniam non loquitur in imponentibus collectas, sed in exigentibus pedagia, qui sunt ipso facto excommunicati, ut ibi, & in Clem. *Præsenti, eodem tit.* & notat Abb. *hic n.* 7.

36 Sed hodie ex Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, §. 18. *Exigentes*, vel imponentes collectas ab Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis, etiamsi Imperiali, vel Regali dignitate præfulgeant, sunt eo ipso excommunicati: ac similiter impedientes Prælatos quò minus sua jurisdictione utantur, excommunicati sunt per Decretalem, *Quoniam, infra eod. lib.* 6. & per Bullam Cœnæ, §. 16. Unde hoc cap. tam quoad collectas, quàm quoad jurisdictionem respectu monitionis servari non debet.

37 Ultimò nota ibi, *Nec communioni reddantur*: absolutionem ab excommunicatione, in quam incidunt laici collectantes Ecclesias, non esse Sedi Apostolicæ reservatam, cùm conditor hujus canonis illam sibi non retinuerit, c. *Super, infra de sent. excomm.* Host. *hic in fin.* Hodie dic contra, non ex cap. *Clericis, infra eod. lib.* 6. quod est correctum per *Clement. primam eodem tit.* sed ex Bulla Cœnæ, §.
38 22.

QUAERO, An Clerici teneantur ad contributionem gabellæ pro annona civitatis impo-
39 sitæ.

Causa, propter quam imposita est hujusmodi gabella, respicit pietatem, & communem utilitatem: nulla est enim major pietas, quàm pauperes, & patriam sublevare, cap. *Fortitudo*, cap. *Non inferen-*

40 da, 23.q. 3. Et cùm Clerici sint membra Reipublicæ, cap. *Duo sunt genera*, 12. q. 1. Bald. *conf.* 241. *Verba Capituli, in fin. volum.* 3. Oldrad. *conf.* 32. *Quæstio est, utrum Sacerdoti censeri possit, ac debeat de universitate, per totum.* Naturalis ratio postulat ut Reipublicæ indigenti opem ferant; utilitas itidem est communis, cum ex utilitate annonæ tam Clerici, quam Laici communodum sint sensuri: unde videntur etiam Clerici teneri ad contributiones. Primò, quia æquum est eos sentire onus, qui commodum sentiunt Clem. 1. *de cens.*

41 l. *Secundum naturam, ff. de reg. jur.* Quam rationem sæpe ad hoc propositum Doctores inculcant. Secundò per text. in l. *Ad instructionem*, C. *de Sacros. Eccles.* probatur Ecclesiam teneri ad instructionem viarum, & pontium, quia ex eis etiam Clerici commodum reportant. Idemque videtur probari in cap. 2. *supra eod.* & in hoc cap. in illis verbis, *ad relevandas communes utilitates*; quæ repetuntur

42 in cap. *Adversus. infr. eod.* Tertiò hæc est communis opinio Legistarum in d. l. *Ad instructionem*, ubi Cyn. Dyn. Oldrad. Iacob. de Aren. & post eos Alberic. *num.* 3. & Bald. *ibidem* contra glossam tenent pro construendis, vel instaurandis muris, fontibus, & similibus ad communem utilitatem spectantibus, promiscuè teneri tam Clericos,

43 quàm Laicos: quam opinionem sequitus est Bart. in l. *Nullus*, C. *de cursu public. lib.* 12. Dum ex illo textu notat Clericos teneri ad collectam impositam ad redimendam vexationem, incursionem hostium, qui patriam deprædari volebant: & opinio Bartol. communiter approbatur, Rip. post Jas. *in respons.* 168. *num.* 7. cum prædictis concordant Guid. Pap. *qu.* 78. *num.* 1. Bald. *conf.* 246. & 312. *in* 3 *vol.* Jacob. de Alciarot. Parpal. Corn. Bertand. Alex. citati per Decian. *conf.* 14. *num.* 19. *vol.* 1. ubi de communi testatur Barb. *conf.* 1. *col.* 28. *prope med. vol.* 3. ubi etiam de communi

44 Alciat. in d. l. *Ad instructionem, in ver. Itinerum.* Imo hæc videtur etiam communis opinio Canonistarum, quam tenuit Petr. de Anchar. *hic num.* 8. Qui tradit generalem doctrinam, quod ubicunque tractatur de communi utilitate Clericorum, & Laicorum, etiam Clerici contribuere tenentur, & pro hac parte idem Anchar. consulit, ejusque cons. se subscripserunt Ant. de Butr. & Barthol. de Salyc. se tamen subjicientes judicio S. R. E. ut refert hic Io. de Anan. *num.* 10. & 11. & fuit originaliter opinio Philippi, & aliorum quatuor Doctorum antiquorum, quos sequi videtur Archidiaconus in cap. *Iuxta sanctiorem*, 16. *q.* 1. *circa medium*, Innoc. & Cardin. hic Bernar. relat. per Alber. in d. l. *Ad instructionem, num.* 3. & de communi testatur Barbat. *in loco supracit.* Rip. *respons.* 168. *n.* 5. Decian. *d. n.* 19.

Cum ergo Clerici teneantur contribuere in eò-

45 munibus necessitatibus, & utilitatibus, sequitur ut obligati sint ad solutionem gabellæ, quæ pro talibus necessitatibus imponitur: nam ad collectam tenentur omnes illi, qui oneribus, in quorum locum collecta successit, gravari poterant, Rip *d. respons. num.* 4. Natt. *cons.* 311. *num.* 4. *prope finem.*

Contraria opinio, ideò Clericos non teneri pro gabellis impositis ex causa prædicta probatur primò in hoc cap. ubi agitur de communibus utilitatibus, & necessitatibus Laicorum, & Clericorũ, & in specie de necessitate annonæ, ut ostensum est *supra n.* 26. & 27. & nihilominus prohibetur quicquam exigi à Clericis, nisi cum conditionibus ibi positis, & in cap. *Adversus, infra eodem*, scilicet Episcopo, & Clero approbante, & ubi Laicorum facultates non sufficiunt, absque ulla exactione laicali, ac Romano Pontifice prius consulto.

Secundò, quia exemptio concessa clericis tam jure divino, ut dixi *supra n.* 2. *not.* quàm jure humano, per cap. 1. *supra eodem*, l. *Placet*, C. *de Sacros. Eccles.* C. *Quamquam, de cens. lib.* 6. & Clem. *Præsenti, eod. tit.* Authent. *Nulla Communitas*, C. *de Epis. & Cleric.* redderetur elusoria, & Clerici eod. jure cum Laicis censerentur, si tenerentur con-

46 tribuere ob communes necessitates. Nam ad impositiones Clericorum Laici quoque non tenentur nisi respiciant communes necessitates, vel utilitates, Imol. in cap. *Romana, de cens. lib.* 6 quem refert Decian in *loco. supracitat.* Ergo nisi dicamus Clericos non teneri, etiam cum utilitas est communis, tot jura exemptionem clericis tribuentia erunt supervacanea, & nulla erit differentia inter Clericos, & Laicos.

47 Tertiò, bona Ecclesiarum sunt deputata publico usui spirituali. d. l. *placet*, C. *de Sacros. Eccles.* & ideo Laici, quorum utilitas principaliter consistit in Republica mundana, debent subire onera Reipublicæ mundanæ: bona verò Ecclesiarum, quæ sunt Dei, debent tantum deservire publico usui spirituali: Clem. 6. *Quia contingit, de relig. domib.*

48 Hanc sententiam his, & aliis rationibus diligentissimè tuetur Abb. *cons.* 3. *Casu super quo, vol.* 1. quod inserit ad verbum *hic num.* 18. cujus fundamentis adde quod dixi *supra num.* 27. Nec desunt auctoritates, quę opponantur authoritatibus supra in contrarium relatis: nam pro hac sententia citatur glossa penultima in d. l. *Ad instructionem. relat.* per Abb. *ubi supra num.* 2. & Bart. *eodem* nuquæ dicitur sentire Clericos non teneri conferre ad constructionem murorum civitatis. Item pro hac parte adducitur Bart. in d. l. *ad instructionem num.* 3. dum tenet d.l. *Ad instructionem* esse correctam, aut saltem declaratam per Auth. *Item nulla Communitas*, C. *de Episcop. & Cleric.* Subdens, si est onus reale, ut pura quia statuitur quemlibet debere reficere viam ante domum suam, Ecclesiam teneri: si verò est onus, quod imponitur personæ pro rebus, ut pro faciendo viam, vel pontem, & non teneri Ecclesiam; & hic etiam in casu, in quo utilitas est communis: Allegatur etiam glossa juris Canonici in cap. *Generaliter*, §. *Novarum, in ver. Collationibus*, 16. *qu.* 1. quæ tenet ad instructionem, quæ gravat Clericos pro utilitate communi, non valere, cum glos. sentit Io. Monach. relatus per Alber. d. l. *Ad instructionem, num* 3. Hostien. *in summ. tit. de immunit. Eccles.* §. *Quibus muneribus. vers. figo puto.* Anton. de Butr. (licet pro contraria sententia citetur à Deciano) in hoc cap. *Non minus, num.* 10. Jo. Andr. *hic num.* 14. quem refert, & sequitur Abb. *in d. cons.* Ubi dicit, neminem ausurum ab hac opinione in practica discedere, quam renant utriusque juris illuminatores. Et hanc esse communem opinionem Canonistarum testantur Angel. qui Jo. de Lignan. pro hac parte citat in ver. *Immunitas. num.* 33. & Sylvest. *Immunitas, prima. num.* 20.

Ex præmissis patet utramque opinionem rationibus, & authoritatibus esse munitam, nec deesse Doctores hinc inde de communi attestantes. Verum

tùm cùm non sit standum Doctoribus de communi opinione attestantibus, utriusque opinionis authores ponderandi sunt, ut appareat quæ sit verè communis opinio tam apud Doctores juris civilis, quàm Canonici.

Quoad Doctores juris civilis non videtur dubitandum, quòd minus communis opinio sit contra Clericos, ut patet ex Authoribus supractatis, & præsertim Dyn. Cyn. Bald. Jac. de Aren. Alber. Guid. Pap. Corn. & aliis congestis per Doc. *d. cons.* 14. *n.* 19. *vol.* 1. præsertim quia glossa juris civilis, & Bart. supra pro clericis citati re vera pro negativa numerari non possunt: nam quoad glossam etsi citetur à Bart. Alber. & aliis in d. l. *ad instructionem* pro ea opinione quòd Clerici non teneantur ad refectionem murorum; tamen non comperio glossam id tenere, imò ibidem militant contrarium: quæric enim, an Clerici teneantur ad reficiendos muros civitatis, & non dat expressam solutionem, sed refert se ad ea, quæ habentur in l. *fin. C. Qui muner. se excus. lib.* 10. In quo textu cùm Imperator disponat neminem excipiendum esse a constructione murorum; quamvis personali dignitate præfulgeat, sequitur ut glos. ad illam legem se referens, sentiat etiam Clericos teneri. Unde mirum est Doctores aliter glossam citare, nisi dixeris glossam se non referre ad textum in d. l. *final.* sed ad illud, quod ibi dixit in glos. 1. ubi tenuit pro Ecclesia. Vetruit forte glossa, quam ipsi citant, esset Joannis antiqui glossatoris, quâ sublatâ, fuerit postea restituta glossa Accursii illi contraria. Quod ita se habere suadet conjectura desumpta ex verbis Anton. de Butr. *hic n.* 20. ubi refert in nostra quæstione Joannem sentire, quod Clerici non teneantur: Accursium verò esse in contraria sententia; licet credam Butr. intellexisse de Joan. Theutonico Decreti Glossatore, qui hoc tenuit in d. cap. *Generaliter*, §. *Novarum, in ver. Collationibus*, 16. q. 1. Verum etsi glossa in d. l. *ad instructionem*, pro Clericis sentiret; tamen non posset haberi ratio authoritatis glossæ, cum in l. *Placet*, C. *eod. in ver. Munerum*, sentiat contrarium: ibi enim cùm dixisset Ecclesiasticos non teneri ad angarias, & perangarias, subdit, nisi imponatur causa necessitatis, & utilitatis publicæ: & sic glossa vel non dicit id, ad quod allegantur, vel contraria loquitur: & ita nihil ponderis habet in nostra quæstione. Bart. quoque quamvis in l. *Ad instructionem* teneat opinionem favorabilem Ecclesiæ, tamen in l. *Nullus, supracit.* contrarium tenet. Unde cum glossa, & Bart. pro Ecclesia, patum, aut nihil faciant, videtur constare apud Doctores juris civilis non solum opinionem affirmativam esse communem, sed nullum fere habere contradictorem.

Quoad Canonistas item sententia affirmativa videtur magis communis, cùm pro ea stent Bern. Archid. citans alios quatuor Doctores antiquos Innoc. Cardin. Anchar. Joan. de Anan. & Barbat. supracit. & Turrecrem. Franc. & alii allegati per Decian. *in dicta consil.* 14. *n.* 19.

Ex his autem qui tenent negativam glos. juris Canonici in d. §. *Novarum*, non videtur esse alicujus ponderis, cùm illi adverserur alia glossa *hic in ver. Reficiendis*, sed neque Host. quia etsi in summa teneat opinionem negativam, tamen in lectura tenet affirmativam, scilicet in hoc cap. Unde pro hac opinione videntur solum numerandi Joann. Andr. Anton. de Butr. Joan. Mon. Angel. & Sylvest.

Mihi circumscriptis authoritatibus in puncto juris, verior videtur opinio favens Ecclesiæ per rationes superius adductas, & alias, quas tradit Abb. *d. cons.* 3. Quibus neminem video sufficienter respondisse: & quamvis Decianus dicat Barbatiam respondere rationibus Abbatis; tamen si rectè perpendatur, minimè eis respondet: quia Barbatia consuluit in casu, quo res erant affectæ onere reali gabellæ antequam ad Ecclesiam pervenirent: & quamvis teneat contra Abbatem etiam cùm agitur de novo onere imponendo; hoc tamen non fuit ad casum, de quo erat consultus.

49 Ad rationes autem, quibus adversa opinio fulcitur, facilis est responsio: nam quoad primam quamvis Clerici sint membra Reipublicæ, tamen cùm omnia membra non eundem actum habeant, ut Apostolus ait *ad Rom.* 12. Clerici tenentur quidem subvenire Reipublicæ indigenti, & patriam sublevare, sed in præcipuo eorum actu, & ministerio, cap. *Singuli*, 89. *dist.* id est in divinorum officiorum celebratione, in prædicatione Verbi Dei, in Sacramentorum administratione, & aliis hujusmodi, quorum ratione divino, & humano jure exempti fuerunt ab exactionibus secularibus, d. c. *Quamquam, de cens. lib.* 6. *cap.* 1. & 3 *supra eod.* cum concord. Et quemadmodum laici quamvis & ipsi sint membra corporis mystici Ecclesiæ, non tamen tenentur præstare Episcopo Cathedraticum, vel caritativum subsidium, aut procurationem, vel similia onera obire, quæ ad Ecclesiasticos spectant, cap. *Conquerente*, ubi not. *de offic. Ordinar.* Abb. *cons.* 26. *Videtur primo, n.* 3. *vers. Item dico, lib.* 2. & *eod. cons.* 3. *in prima q.* 1. & 2. *dubio.* Ita è converso nec Ecclesiastici subire debent onera secularibus incumbentia: qua quidem ratione Clerici non tenentur sumere arma pro defensione patriæ ab hostibus obtentæ, l. *Sic hoc jure*, ubi notatur, *ff. de just. & jur.* tamen Clericis in propria persona pugnare non licet etiam pro patriæ defensione, cap. *Petitio*, & ibi Doctores, *de homicid.* S. Thom. *in* 2. 2. *q.* 4. *art.* 2. *ad* 2. quia Clericorum arma sunt lacrymæ, cap. *Clerici, qui in quacunque*, 23. *q.* 8. & eorum officium redditur inhabile ad pugnandum. cap. *Ex multa, in fin. de vit.* Allequin si Clerici ex eo, quòd sint Reipublicæ membra, tenerentur universis Reipublicæ oneribus perinde ac laici subire; longè deteriorìs esset conditionis, quàm laici ipsi, quia præter contributiones, ad quas laici tenentur, obstricti etiam essent ad onera, ac subsidia Episcopo, atque Ecclesiæ debita, atque ad alia spiritualia, à quibus laici immunes exsultant. Unde etiam cessat objectum de onere cum commodo jungendo, quia Clerici etsi onera gabellarum non sentiant, gravantur tamen aliis oneribus spiritualistis gummis, cui destinata sunt bona Ecclesiarum: & ita si gravantur in uno, æquum est ut in alio releventur.

50 Ad secundum respondetur optimè per Abbatem, textum d. l. *Ad instructionem*, & alios similes conditos à secularibus Principibus non valere in præjudicium Ecclesiæ: ad tradita in cap. *Ecclesia S. Mariæ, de Constitutionibus*: præsertim cùm de Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis expressam mentionem faciant; quo casu sunt nulla ex defectu potestatis, Doctores in d. cap. *Ecclesia S. Mariæ*; quæ responsio est aperte Joann. Andr. *hic num.* 14.

dicentis: Non video, quòd lex non solùm Digestorum, sed etiam Codicis, & Authenticorum possit constringere Ecclesias ad talia; remittit ad id, quod dixit in cap. *Constitutio*, super glossa *Hoc ideo, de relig. domib.* & sequitur hic Anton. de Butr. *n.* 10. & Abb. *n.* 18. *&* 20. dicens hanc esse communem theoricam in cap. *fin. de solut.* & in d. c. *Ecclesia S. Mariæ*, ubi plenè dixi à *n.* 17. post Dec. *num.* 42. & adde quod dixi supra *n.* 17. & quod dicam infrà *n.* 53. *&* 59.

51 Nec verum est quod ait Decian. *d. cons.* 14. *n.* 20 videlicet textum in l. *Placet, C. de sacrosanct. Eccles.* per quem datur immunitas Ecclesiis à collectis, & excipiuntur communes necessitates, esse approbatum in cap. *Placet, 16. quæst.* 1. Quandoquidem cùm illa lex solùm fuerit volumini Decreti inserta à Gratiano, non aliam habet authoritatem, quam prius haberet, ut notat Joan. Andr. in cap. 2. *num.* 24. *supra de rescript.* & *in Addit. ad Specul. in tit. de appellat.* § *In quibus, vers. Sed pone*: nam illæ tantùm leges censentur canonizatæ, quæ à Papa Canonibus inseruntur, ut in cap. *In primis*, & ibi notat glos. in verb. *Capitali*, 2. *quæst.* 1. Joann. Andr. in d. cap. 2. *num.* 25. quem Doctores ibi communiter sequuntur. Præposit. *in proœm. Decreti num.* 2. post Archid. in cap. *Quicumque*, 11. *quæst.* 1. Rota *decis.* 35. *num.* 59. *part.* 5. *Recent.* Itaque opinio affirmativa nititur majoribus authoritatibus; negativa autem melioribus rationibus. Et ideo videtur amplectenda opinio favorabilis Ecclesiæ, quæ etiam authoritatibus non caret, ad textum in l. *Sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. funer.* Ita tamen eam moderando, ut Clerici non teneantur ad hujusmodi gabellas, nisi infrascripta concurrerent, videlicet deliberatio Episcopi, & Cleri; evidens utilitas, & necessitas tam laicorum, quàm Clericorum, ut laicorum facultates non suppetant; ut exactio non fiat à judice sæculari, & ut obtenta sit licentia à Romano Pontifice. Quæ opinio cum his requisitis probatur irrefragabiliter non cavillando litteram, in hoc cap. & in cap. *Adversus, infra eod.* ut latè deduxi suprà *in* 9. *notab.* à *n.* 22. *usque ad n.* 33. & ita declarant *hic* Ant. de Butr. *n.* 8. Abb. *n.* 5. & Jo. de Anan. *n.* 3. cum quibus conveniunt omnes supracitati DD. dicentes Ecclesias non teneri.

52 Imò ex his, qui allegantur pro opinione affirmativa, multi dicunt Romanum Pontificem esse consulendum, ut Innoc. *hic num.* 8. Philip. quem sequi videtur Archid. d. cap. *Juxta sanctionem, prope finem.* Hugo, & Goffred. relati ab eodem Archid. in cap. *Placet, 16. quæst.* 1. ubi cùm textus prohibeat quidquam exigi à Clericis præter canonicam illationem, interpretantur ea verba, canonicam illationem, cùm sit contributio pro necessitate, & utilitate, juxta cap. *Adversus, infra eod.* & sic consulto Romano Pontifice, ut ibi textus ille requirit. Jo. Andr. & Jo. de Anania *hic n.* 3. Calder.
53 *cons.* 2. incipien. *Statuto Perusino, n.* 3. *vers. Reperio, de cens.* dicens post Jo. Andr. nulla lege Digestorum, vel Codicis potuisse ad hoc astringi Ecclesias; ideoque si tanta esset necessitas, vel pietas, quæ suaderet contributionem fieri per Clerum, consulendum esse prius Romanum Pontificem, Joan. Monachus relatus per Alber. in d. l. *Ad instructionem, n.* 3. Hostien. *in Summa in tit. de immunit. Eccles.* §. *Quibus muner. vers. Ego puto.* Itaque ut concludamus, ex suprascriptis constat crebriorem opinionem esse tam apud Canonistas, quàm Legistas Ecclesiam teneri; sed esse consulendum Romanum Pontificem: id enim sentiunt etiam multi ex his, qui putant Ecclesiam teneri, qui si conjungantur cum his, qui putant Ecclesiam non teneri, erit proculdubio hæc sententia receptissima, ut inconsulto Romano Pontifice non teneatur Ecclesia.

54 Quinimò si rectè expendantur Authores superius relati, videntur omnes in unam sententiam convenire. Nam Legistæ, & Canonistæ illi, qui asserunt Clericos teneri, etsi generaliter loquantur, non tamen excludunt requisita ad id necessaria, cùm de illis nullam faciant mentionem. Quando enim dicunt Clericos teneri contribuere pro communi necessitate, vel utilitate, cum non explicent ad quem spectet hujus necessitatis, vel utilitatis cognitio, hic casus ab aliis prætermissus, suppleri debet juxta tenorem hujus textus disponentis eam cognitionem ad Episcopum, & Clerũ pertinere, consulto tamen Romano Pontifice, juxta d. c. *Adversus.* Et similiter cum Authores hujus sententiæ non explicent qualis, & quanta debeat esse necessitas, vel utilitas supradicta, saniori interpretatione intelligi debent, & restringi ad limites hujus cap. ut scilicet ita demum intelligatur eadem necessitas, vel utilitas concurrere, si laicorum facultates non suppetant. Et ita in specie observat accuratè Abbas, *hic num.* 18. *circa fin.* dicens (Profectò si quis ponderat glos. istius cap. *in ver. Ad relevandas*, non sentit opinionem quam prima fronte sentire videtur. Nam ista glos. est hic posita super casu excepto, scilicet quando Episcopus, & Clerus inspicientes necessitatem, vel utilitatem laicorum, & Clericorum, volunt absque coactione aliqua subsidia elargiri. Unde glossa ista voluit potius exemplificare de hac necessitate, vel utilitate communi, quàm ponere casum exceptum à dispositione istius cap.) Hæc Abb. Itaque Authores contra Ecclesiam constituunt quidem regulam affirmativam, id est Clericos teneri; quæ tamen intelligenda est recipere limitationem similiter affirmativam, id est si concurrant dictorum Canonum requisita; ne alioquin videantur decidere contra expressam illorum determinationem. Econtrà verò Authores pro Ecclesia constituunt regulam negativam, id est, Clericos non teneri. Sed hanc regulam deinde limitant itidem negativè, scilicet nisi concurrant requisita per Canones supracit. Quamobrem si conjungantur regulæ, & limitationes utrinque constitutæ ab utriusque sententiæ authoribus, liquidò constabit eos in effectu concordes esse. Idem enim est asserere Clericos non teneri si concurrant requisita atq; asserere Clericos non teneri, nisi requisita concurrant. Nam etsi dissentiant in regula, consentiunt tamen in limitatione, quæ illorum traditiones unit, & conciliat ad formam hujus Decretalis, & cap. *Adversus, infra eod.* & hoc modo intelligendo DD. sup. allegata opinio pro Ecclesia rerè non habet contradictorem, quam etiam in praxi sæpè vidimus observatã in gravissimis casibus.

55 Secundò QUÆRO, An Clerici teneantur, & cogi possint ad collectas, quæ fiunt propter pestem in locis, ubi pestis grassatur.

56 Videtur respondendum non teneri: nam etsi Ripa *in tract. de peste, tit. de remed. ad conservandam ubertatem, num.* 229. quæstione ad partes disputata

tata concludat ad collectas, quæ ob pestem imponuntur, teneri etiam habentes exemptionem generalem ab oneribus personalibus, realibus, & mixtis, dummodo tamen non urgeat necessitas, & respectu Clericorum compulsio fiat ab ordinariis Ecclesiasticis; eique subscribat Decian. *cons.* 14. *n.* 24. *lib.* 1. tamen decidit articulum in terminis juris civilis tantùm, & nititur hoc præcipuo fundamento, quod ubi agitur principaliter de utilitate publica tam laicorum, quàm ecclesiasticorum, Clerici tenentur concurrere, per text. in l. 1. *C. ut nem. hic in empt. specier. se excusat. lib.* 10. in l. 2. *C.*
57 *Quibus muner. nem. lic. se excus. eod. lib.* & in l. *Adinstructionem, C. de sacrosanct. Eccles.* quam secundùm communem opinionem dicit non fuisse correctam per Auth. *Item nulla, C. de Episc. & Cler.*

58 Verùm secundùm dispositionem sacrorum Canonum, quæ sola attendi debet in hac materia immunitatis ecclesiasticæ à collectis, & oneribus laicalibus, non sufficit communis utilitas laicorum, & Clericorum; sed præterea requiritur, ut laicorum facultates non suppetant, ut Episcopus cum Clero super hoc deliberet, Romanus Pontifex consulatur, & exactio fiat per Ordinarium Ecclesiasticum, ut patet in hoc cap. Et in cap. *Adversus, infra eod.* & latè deductum est supra *in* 9. *notab.* à *n.* 22. *usq. ad n.* 33. & *n.* 45. *vers. Contraria opinio.* Et ad fundamentum de communi utilitate satis responsum est *num.* 26. & 49. Itaque Doctores, qui sentiunt solam communem utilitatem sufficere ad hoc, ut Ecclesiastici ab Ordinariis locorum cogi possint ad collectas pro necessitatibus publicis inductas hallucinantur, quod pertinet ad juris Ca-
59 nonici dispositionem. Nec obstant jura civilia in contrarium adducta. Quoniam leges illæ, sicut & aliæ Imperiales, quæ statuunt in res, & personas Ecclesiasticas, præsertim adimendo, vel limitando immunitatem illis jure Divino, vel Constitutione ecclesiastica attributam, non valent ex defectu jurisdictionis secundùm communem theoricam in cap. *Ecclesia S. Mariæ, suprà de Const.* & in cap *final. de solut.* ut testatur Abbas, *hic n.* 20. & fusius dixi supra *n.* 50.

60 Similiter non obstat argumentum de bello ad pestem, quo utitur Ripa, quoniam in oppositum retorquetur: nam quemadmodum Clerici non tenentur contribuere tempore belli, aut famis, in quibus terminis loquitur hoc cap. Ita nec tempore pestis ex ipsa vi æquiparationis, quam facit Ripa *ubi supra n.* 230. & *in prælud. n.* 9. post Bart. in l. *Naturaliter, ff. de usucap.* & in l. 1. *ff. de bonor. possess. ex testam. milit.*

61 Præterea considerandum est, si ullo unquam tempore Clerici potiri debent privilegio immunitatis à collectis, id potissimum esse cùm pestis grassatur, quia ipsi sunt qui tunc ferunt pondus diei, & æstus, & exponunt se evidenti mortis periculo curam animarum exercendo, Sacramenta infectis labe administrando, cadavera sepeliendo, & his similia peragendo; ita, ut si gaudent exemptione tempore belli, multò magis gaudere debent tempore epidimiæ, quia dum bellum ingruit laici pugnant, Ecclesiastici quiescunt. At dum grassatur pestis, Ecclesiastici sunt qui pugnant laicis quiescentibus. Pestis enim est bellum Dei, ut notant Bart. & scribentes in l. *Naturaliter, ff. de usucap.* Butr. Abb. & Felin. in cap. *Ex transmissa, de præscript.* & Ripa *in tract. de peste in præiud. n.* 8. Exempla sunt recentia in civitatibus Mediolani, Parmæ, & aliis non ita pridem pestilentia infectis, ubi Parochi, Regulares, & Sacerdotes ferè omnes obierunt. Itaque concurrunt Ecclesiastici cum suis oneribus tempore pestis, nempe jejuniis, orationibus, Divinis Officiis, & Sacramentorum administrationibus, & his præsidiis ipsi primò civitatem custodiunt. Et hanc ob causam immunitatis privilegio donati sunt, cap. *Quamquam, de cens. lib.* 6. & dictum est *suprà n.* 49. & sic cessat hoc casu antiqua querela laicorum, quòd Ecclesiæ de die in diem ditantur, & laici ab oneribus strangulantur, cùm Ecclesiæ non subeant onera personalia, nec mixta, nec aliqua extraordinaria, l. *Placet, C. de sacrosanct. Eccles.* & Auth. *Item nulla, C. de Episc. & Cler.* prout exorditur Bald. *cons.* 146. *lib.* 3. relatus à Ripa *in d. tit. de remed. ad conser. ubert. n.* 234.

His etiam accedit, quòd in casu quæstionis propositæ nihil potest generaliter decerni; quia cùm una ex conditionibus requisitis ad contributionem Ecclesiasticorum sit, ut laicorum facultates non suppetant, ut ostensum est suprà *n.* 30. certum est non unam omnium civitatum, & populorum esse fortunam, cùm alii divitiis affluant, alii premantur egestate.

Quamobrem respondendum videtur Ecclesiasticos non esse cogendos ad hujusmodi contributionem cùm non teneantur nisi volentes. Quod si prævio tractatu, & deliberatione Episcopi, & Cleri, assensum præstiterint; tunc Rom. Pontificẽ esse consulendum, & ita resolutum ex omnium sententia in Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Ginnetto, cui interfuerunt RR. PP. DD. Episcopus Ripanus, Datarius Maraldus, Fagnanus, Paulutius, Theologus, & Confessarius Sanctiss. 20. Septemb. 1630.

De immunitate Ecclesiarum.

Cap. Inter alia.

SUMMARIUM.

1 *Malefactor fugiens ad Ecclesiam, immunitate gaudet, nisi in duobus casibus: servus verò restituitur domino de ipsius impunitate juranti, & n.* 10.

2 *Leges civiles statuentes super immunitate Ecclesiæ quandoque allegantur à Papa in dubiis decidendis.*

Et per hoc censentur canonizatæ, & non dicuntur amplius leges civiles, sed Canones, n. 6.

3 *Leges Imperatorum, ac Principum statuentes nominatim de Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, ac bonis eorum, sunt invalidæ ex defectu potestatis, & num.* 64.

4 *Etiamsi redundent in favorem, & commodum Ecclesiarum, & disponant in materia, in qua contrarium non reperitur statutum de jure Canonico.*

5 *Ecclesia non potest etiam spontè se submittere superioritati, ac legibus Imperatorũ.*

7 *Leges Imperatorum dummodo non offendant, sunt cum Canonibus permiscendæ.*

dicentis: Non video, quòd lex non solùm Digestorum, sed etiam Codicis, & Authenticorum possit constringere Ecclesias ad talia; remittit ad id, quod dixit in cap. *Constitutus*, super glossa *Hoc ideo, de relig. domib.* & sequitur hic Anton. de Butr. *n.* 10. & Abb. *n.* 18. & 20. dicens hanc esse communem theoricam in cap. *fin. de solut.* & in d. c. *Ecclesia S. Mariæ*, ubi plenè dixi à *n.* 17. post Dec. *num.* 42. & adde quod dixi suprà *n.* 17. & quod dicam infrà *n.* 53. & 59.

51 Nec verum est quod ait Decian. *d. cons.* 14. *n.* 20 videlicet textum in l. *Placet, C. de sacrosanct. Eccles.* per quem datur immunitas Ecclesiis à collectis, & excipiuntur communes necessitates, esse approbatum in cap. *Placet, 16. quæst.* 1. Quandoquidem cùm illa lex solùm fuerit volumini Decreti inserta à Gratiano, non aliam habet authoritatem, quam prius haberet, ut notat Joan. Andr. in cap. 2. *num.* 24. *suprà de rescript.* & in *Addit. ad Speculat. in tit. de appellat.* § *In quibus, vers. Sed pone*: nam illæ tantùm leges censentur canonizatæ, quæ à Papa Canonibus inseruntur, ut in cap. *In primis*, & ibi notat glos. in verb. *Capitali*, 2. *quæst.* 1. Joann. Andr. in d. cap. 2. *num.* 25. quem Doctores ibi communiter sequuntur. Præposit. *in proœm. Decreti num.* 2. post Archid. in cap. *Quicumque*, 11. *quæst.* 1. Rota *decis.* 55. *num.* 59. *part.* 5. *recent.* Itaque opinio affirmativa nititur majoribus authoritatibus; negativa autem melioribus rationibus. Et ideo videtur amplectenda opinio favorabilis Ecclesiæ, quæ etiam authoritatibus non caret, ad textum in l. *Sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. funer.* Ita tamen eam moderando, ut Clerici non teneantur ad hujusmodi gabellas, nisi infrascripta concurrerent, videlicet deliberatio Episcopi, & Cleri; evidens utilitas, & necessitas tam laicorum, quàm Clericorum, ut laicorum facultates non suppetant; ut exactio non fiat à judice sæculari, & ut obtenta sit licentia à Romano Pontifice. Quæ opinio cum his requisitis probatur irrefragabiliter non cavillando litteram, in hoc cap. & in cap. *Adversus, infra eod.* ut latè deduxi suprà *in 9. notab. à n. 22. usque ad n.* 33. & ita declarant *hic* Ant. de Butr. *n.* 8. Abb. *n.* 5. & Jo. de Anan. *n.* 3. cum quibus conveniunt omnes supracitati DD. dicentes Ecclesias non teneri.

52 Imò ex his, qui allegantur pro opinione affirmativa, multi dicunt Romanum Pontificem esse consulendum, ut Innoc. *hic num.* 8. Philip. quem sequi videtur Archid. d. cap. *Iuxta sanctionem, prope finem.* Hugo, & Goffred. relati ab eodem Archid. in cap. *Placet, 16. quæst.* 1. ubi cùm textus prohibeat quidquam exigi à Clericis præter canonicam illationem, interpretantur ea verba, canonicam illationem, cùm sit contributio pro necessitate, & utilitate, juxta cap. *Adversus, infra eod.* & sic consulto Romano Pontifice, ut ibi textus ille requirit. Jo. Andr. & Jo. de Anania *hic n.* 3. Calder.
53 *cons.* 2. incipien. *Statuto Perusino, n.* 3. *vers. Reperio, de cens.* dicens post Jo. Andr. nulla lege Digestorum, vel Codicis potuisse ad hoc astringi Ecclesias; ideoque si tanta esset necessitas, vel pietas, quæ suaderet contributionem fieri per Clerum, consulendum esse prius Romanum Pontificem, Joan. Monachus relatus per Alber. in d. l. *Ad instructionem n.* 3. Hostien. *in Summa in tit. de immunit. Eccles.* §. *Quibus muner. vers. Ego puto.* Itaque ut concludamus, ex suprascriptis constat crebriorem opinionem esse tam apud Canonistas, quàm Legistas Ecclesiam teneri; sed esse consulendum Romanum Pontificem: id enim sentiunt etiam multi ex his, qui putant Ecclesiam teneri, qui si conjungantur cum his, qui putant Ecclesiam non teneri, erit proculdubio hæc sententia receptissima, ut inconsulto Romano Pontifice non teneatur Ecclesia.

54 Quinimò si rectè expendantur Authores superius relati, videntur omnes in unam sententiam convenire. Nam Legistæ, & Canonistæ illi, qui asserunt Clericos teneri, etsi generaliter loquantur, non tamen excludunt requisita ad id necessaria, cùm de illis nullam faciant mentionem. Quando enim dicunt Clericos teneri contribuere pro communi necessitate, vel utilitate, cum non explicent ad quem spectet hujus necessitatis, vel utilitatis cognitio, hic casus ab aliis prætermissus, suppleri debet juxta tenorem hujus textus disponentis eam cognitionem ad Episcopum, & Clerũ pertinere, consulto tamen Romano Pontifice, juxta d. c. *Adversus.* Et similiter cum Authores hujus sententiæ non expliceat qualis, & quanta debeat esse necessitas, vel utilitas supradicta, saniori interpretatione intelligi debent, & restringi ad limites hujus cap. ut scilicet ita demum intelligatur eadem necessitas, vel utilitas concurrere, si laicorum facultates non suppetant. Et ita in specie observat accuratè Abbas, *hic num.* 18. *circa fin.* dicens (Profectò si quis ponderat glos. istius cap. *in ver. Ad relevandas*, non sentit opinionem quam prima fronte sentire videtur. Nam ista glos. est hic posita super casu excepto, scilicet quando Episcopus, & Clerus inspicientes necessitatem, vel utilitatem laicorum, & Clericorum, volunt absque coactione aliqua subsidia elargiri. Unde glossa ista voluit potius exemplificare de hac necessitate, vel utilitate communi, quàm ponere casum exceptum à dispositione istius cap.) Hæc Abb. Itaque Authores contra Ecclesiam constituunt quidem regulam affirmativam, id est Clericos teneri; quæ tamen intelligenda est recipere limitationem similiter affirmativam, id est si concurrant dictorum Canonum requisita; ne alioquin videantur decidere contra expressam illorum determinationem. Econtrà verò Authores pro Ecclesiâ constituunt regulam negativam, id est, Clericos non teneri. Sed hanc regulam deinde limitant itidem negativè, scilicet nisi concurrant requisitã per Canones supracit. Quamobrem si conjungantur regulæ, & limitationes utrinque constitutæ ab utriusque sententiæ authoribus, liquidò constabit eos in effectu concordes esse. Idem enim est asserere Clericos non teneri si concurrant requisita atq; asserere Clericos non teneri, nisi requisita concurrant. Nam etsi dissentiant in regula, consentiunt tamen in limitatione, quæ illorum traditiones unit, & conciliat ad formam hujus Decretalis, & cap. *Adversus, infra eod.* & hoc modo intelligendo DD. sup. allegata opinio pro Ecclesia verè non habet contradictorem, quam etiam in praxi sæpè vidimus observatã in gravissimis casibus.

55 Secundò QUÆRO, An Clerici teneantur, & cogi possint ad collectas, quæ fiunt propter pestem in locis, ubi pestis grassatur.

56 Videtur respondendum non teneri: nam etsi Ripa *in tract. de peste, tit. de remed. ad conservandam ubertatem, num.* 229. quæstione ad partes disputata concludat ad collectas, quæ ob pestem imponuntur, teneri etiam habentes exemptionem generalem ab oneribus personalibus, realibus, & mixtis, dummodo tamen non urgeat necessitas, & respectu Clericorum compulsio fiat ab ordinariis Ecclesiasticis; eique subscribat Decian. *cons.* 14. *n.* 24. *lib.* 1. tamen decidit articulum in terminis juris civilis tantùm, & nititur hoc præcipuo fundamento, quod ubi agitur principaliter de utilitate publica tam laicorum, quàm ecclesiasticorum, Clerici tenentur concurrere, per text. in l. 1. *C. ut nemo. hic in empt. specier. se excusat. lib.* 10. in l. 2. *C.*
57 *Quibus muner. nem. lic. se excus. eod. lib.* & in l. *Adinstructionem, C. de sacrosanct. Eccles.* quam secundùm communem opinionem dicit non fuisse correctam per Auth. *Item nulla, C. de Episc. & Cler.*

58 Verùm secundùm dispositionem sacrorum Canonum, quæ sola attendi debet in hac materia immunitatis ecclesiasticæ à collectis, & oneribus laicalibus, non sufficit communis utilitas laicorum, & Clericorum; sed prætereà requiritur, ut laicorum facultates non suppetant, ut Episcopus cum Clero super hoc deliberet, Romanus Pontifex consulatur, & exactio fiat per Ordinarium Ecclesiasticum, ut patet in hoc cap. Et in cap. *Adversus, infra eod.* & latè deductum est supra *in 9. notab. à n. 22. usq. ad n.* 33. & *n.* 45. *vers. Contraria opinio.* Et ad fundamentum de communi utilitate satis responsum est *num.* 26. & 49. Itaque Doctores, qui sentiunt solam communem utilitatem sufficere ad hoc, ut Ecclesiastici ab Ordinariis locorum cogi possint ad collectas pro necessitatibus publicis inductas hallucinantur, quod pertinet ad juris Ca-
59 nonici dispositionem. Nec obstant jura civilia in contrarium adducta. Quoniam leges illæ, sicut & aliæ Imperiales, quæ statuunt in res, & personas Ecclesiasticas, præsertim adimendo, vel limitando immunitatem illis jure Divino, vel Constitutione ecclesiastica attributam, non valent ex defectu jurisdictionis secundùm communem theoricam in cap. *Ecclesia S. Mariæ, suprà de Const.* & in cap. *final. de solut.* ut testatur Abbas, *hic n.* 20. & fusius dixi supra *n.* 50.

60 Similiter non obstat argumentum de bello ad pestem, quo utitur Ripa, quoniam in oppositum retorquetur: nam quemadmodum Clerici non tenentur contribuere tempore belli, aut famis, in quibus terminis loquitur hoc cap. Ita nec tempore pestis ex ipsa vi æquiparationis, quam facit Ripa *ubi supra n.* 230. & *in prælud. n.* 9. post Bart. in l. *Naturaliter, ff. de usucap.* & in l. 1. *ff. de bonor. possess. ex testam. milit.*

61 Prætereà considerandum est, si ullo unquam tempore Clerici potiri debent privilegio immunitatis à collectis, id potissimum esse cùm pestis grassatur, quia ipsi sunt qui tunc ferunt pondus diei, & æstus, & exponunt se evidenti mortis periculo curam animarum exercendo, Sacramenta infectis labe administrando, cadavera sepeliendo, & his similia peragendo; ita, ut si gaudent exemptione tempore belli, multò magis gaudere debent tempore epidimiæ, quia dum bellum ingruit laici pugnant, Ecclesiastici quiescunt. At dum grassatur pestis, Ecclesiastici sunt qui pugnant laicis quiescentibus. Pestis enim est bellum Dei, ut notant Bart. & scribentes in l. *Naturaliter, ff. de usucap.* Butr. Abb. & Felin. in cap. *Ex transmissa, de præscript.* & Ripa *in tract. de peste in prælud. n.* 8. Exempla sunt recentia in civitatibus Mediolani, Parmæ, & aliis non ita pridem pestilentia infectis, ubi Parochi, Regulares, & Sacerdotes ferè omnes obierunt. Itaque concurrunt Ecclesiastici cum suis oneribus tempore pestis, nempe jejuniis, orationibus, Divinis Officiis, & Sacramentorum administrationibus, & his præsidiis ipsi primò civitatem custodiunt. Et hanc ob causam immunitatis privilegio donati sunt, cap. *Quamquam, de cens. lib.* 6. & dictum est *suprà n.* 49. & sic cessat hoc casu antiqua querela laicorum, quòd Ecclesiæ de die in diem ditantur, & laici ab oneribus strangulantur, cùm Ecclesiæ non subeant onera personalia, nec mixta, nec aliqua extraordinaria, l. *Placet, C. de sacrosanct. Eccles.* & Auth. *Item nulla, C. de Episc. & Cler.* prout exorditur Bald. *cons.* 146. *lib.* 3. relatus à Ripa *in d. tit. de remed. ad conser. ubert. n.* 234.

Prosp. Fagn. in 2. part. 3. Decretal.

His etiam accedit, quòd in casu quæstionis propositæ nihil potest generaliter decerni; quia cùm una ex conditionibus requisitis ad contributionem Ecclesiasticorum sit, ut laicorum facultates non suppetant, ut ostensum est suprà *n.* 30. certum est non unam omnium civitatum, & populorum esse fortunam, cùm alii divitiis affluant, alii premantur egestate.

Quamobrem respondendum videtur Ecclesiasticos non esse cogendos ad hujusmodi contributionem cùm non teneantur nisi volentes. Quòd si prævio tractatu, & deliberatione Episcopi, & Cleri, assensum præstiterint; tunc Rom. Pontificẽ esse consulendum, & ita resolutum ex omnium sententia in Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Ginnetto, cui interfuerunt RR. PP. DD. Episcopus Ripanus, Datarius Maraldus, Fagnanus, Paulutius, Theologus, & Confessarius Sanctiss. 20. Septemb. 1630.

De immunitate Ecclesiarum.

Cap. Inter alia.

SUMMARIUM.

1 *Malefactor fugiens ad Ecclesiam, immunitate gaudet, nisi in duobus casibus: servus verò restituitur domino de ipsius impunitate juranti, & n.* 10.

2 *Leges civiles statuentes super immunitate Ecclesiæ quandoque allegantur à Papa in dubiis decidendis.*

Et per hoc censentur canonizatæ, & non dicuntur amplius leges civiles, sed Canones, n. 6.

3 *Leges Imperatorum, ac Principum statuentes nominatim de Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, ac bonis eorum, sunt invalidæ ex defectu potestatis, & num.* 64.

4 *Etiamsi redundent in favorem, & commodum Ecclesiarum, & disponant in materia, in qua contrarium non reperitur statutum de jure Canonico.*

5 *Ecclesia non potest etiam spontè se submittere superioritati, ac legibus Imperatoris.*

7 *Leges Imperatorum dummodo non offendant, sunt cum Canonibus permiscendæ.*

8 *Immunitate Ecclesiastica reus ad Ecclesiam confugiens, non est privandus propter quamcumque criminis atrocitatem.*
9 *Immunitatis privilegium, quod consequitur liber homo ad Ecclesiam confugiens, in quibus consistat, & n. seqq. usq; ad n. 20.*
10 *Reus si indebite extrahatur ab Ecclesia, potest petere se eidem restitui.*
11 *Confugiens ad Ecclesiam damnari non potest ad mortem, vel aliam pœnam corporis afflictivam, & n. 17.*
12 *Iudices seculares in perniciem animarum suarum proferunt sententias Capitales, vel corporis afflictivas in confugientes ad Ecclesias, vel ibi residentes, & n. seqq.*
13 *Confugiens ad Ecclesiam non potest criminaliter accusari.*
Nec in carcerem conjici, n. 19.
14 *Potest tamen detrudi in monasterium ad agendam pœnitentiam, & n. 66.*
15 *Quod declara, & n. 96.*
16 *Item potest puniri pœnâ pecuniariâ, & n. seq.*
Item pœnâ exilii, n. 18.
17 *Compellere est pro damno dato, vel offensa, vel injuria pecuniariter satisfacere.*
20 *Principes, & Prælati qualiter delinquant circa immunitatem Ecclesiasticam.*
21 *Latro publicus immunitate Ecclesiæ non gaudet, & n. 49.*
22 *Et dicitur publicus latro, qui palam, & publicè furatur.*
23 *Et idem est quod grassator viarum.*
24 *Et tales occidere licet sine pœna, & etiam sine peccato.*
25 *Non tamen sine irregularitate, nisi pro necessariâ vitæ defensione.*
26 *Item in tales omni die jus redditur.*
27 *Depopulator nocturnus agrorum non gaudet immunitate Ecclesiastica.*
28 *Et quis dicatur depopulator.*
29 *Immunitate Ecclesiæ non gaudet committens in ipsa Ecclesia homicidium, vel mutilationem membri, & num. 47.*
30 *Item nec assassinus, qui tamen extrahi non potest nisi per judicem Ecclesiasticum, & n. 99.*
31 *Item nec homicida proditorius, & n. 49. & 54.*
32 *Item nec hæreticus.*
33 *Item nec reus læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis.*
34 *Exceptio non firmat regulam in casibus exceptis, quando alii casus excipiuntur à jure, & n. 38.*
35 *Etiamsi exceptio sit cum dictione taxativa.*
36 *Immunitate Ecclesiastica de jure civili non gaudent homicidæ, adulteri, & raptores virginum.*
37 *Secus de jure Canonico, cui standum est, & n. seq.*
38 *Lex civilis non potuit restringere immunitatem Ecclesiæ Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam, & n. 64.*
39 *Immunitate Ecclesiastica gaudent fures.*
40 *Sacrilegi.*
41 *Blasphemi.*
42 *Excommunicati.*
43 *Banniti.*
44 *Transeuntes per Ecclesiam dum ad supplicium ducuntur, & n. 85. & 91.*
45 *Homicidæ animo deliberato, seu ex proposito an gaudeant immunitate Ecclesiastica.*
46 *Italia omnium provinciarum domina.*
48 *Intellectus cap. 1. de homicid.*
49 *Homicidium per insidias exponitur, id est, proditorie, & sub specie amicitiæ.*
50 *Homicida proditorius est qui veneno aliquem necat.*
51 *Immunitate Ecclesiastica gaudent rei in omnibus casibus non exceptis in Bulla Gregorii XIV. etiamsi in illis sit eadem, vel major ratio, quam in exceptis, & n. 55.*
52 *Et quid in terminis juris communis.*
53 *Exceptio non excludit casus similes exceptis.*
54 *Immunitate Ecclesiæ non gaudet homicida insidiosus, etiamsi non sit publicus latro.*
56 *Immunitate Ecclesiastica an gaudeat delinquens in ipsa Ecclesia.*
57 *Et quid in confugiente ad Ecclesiam pro debito civili, & n. seq. & 81.*
58 *Mercatores, & campsores, qui in fraudem decoquendo creditores fallunt, in Hispania publici latrones appellantur.*
59 *Iudæi, vel pagani an gaudeant immunitate Ecclesiæ, & n. seqq. usq; ad n. 65.*
60 *Judæorum sepulchra gaudent immunitate.*
61 *Immunitatis privilegium non conceditur intuitu personarum, sed propter honorem, & reverentiam, quæ locis sacris, & divino cultui debetur, & n. 84.*
62 *Judæi sub defensione, & protectione Romanæ Ecclesiæ recepti sunt.*
63 *Gentiles in lege veteri significantur nomine advenarum, & peregrinorum quando ponuntur ad differentiam filiorum Israel.*
65 *Confugiens ad Ecclesiam an in casibus non exceptis possit extrahi per judicem Ecclesiasticum, & n. seqq.*
67 *Ecclesia non præsumitur quem privilegiasse contrà se.*
68 *Verba universalia negativa includunt etiam Ecclesiasticos.*
69 *Impugnare non debet is, qui defendere debet, & n. 85.*
70 *Clerici, & Religiosi an gaudeant immunitate Ecclesiæ, ita, ut non possint per judicem proprium inde violenter extrahi, latè disseritur, ut n. seqq. usq; ad n. 99.*
71 *Partem negativam qui Authores tenuerint.*
72 *Ejus fundamenta, & n. seqq. usq; ad n. 80.*
Partis affirmativæ Authores, n. 78.
Ejus fundamenta, n. 80. & seqq.
Responsio ad objecta, n. 84. & seqq.
73 *Religiosi secundum eorum instituta, & jura communia possunt per Superiorem in monasterio coerceri, verberari, & in carcerem detrudi, & n. 77.*
Nec per hoc violatur Ecclesiæ immunitas, n. 93.
74 *Episcopus judicat in Ecclesiis, vel in Palatio suo, & quandoq; damnat Clericum ad perpetuum carcerem, quandoque ad verbera.*
75 *Clerici pro honestate Ecclesiæ debent in ea verberari per clericum, & non per laicum, & n. 95.*
76 *Clerici debent esse sancti, & in suis actibus relucere.*
79 *Consuetudo favens immunitati Ecclesiæ tamquam pia est attendenda.*
81 *In domo propria nullus debet capi.*
82 *Privilegia locis concessa extenduntur ad omnes personas ibi existentes, sive forenses, sive extraneas.*
83 *Episcopus tenetur omnes confugientes ad Ecclesiam, & præcipuè Clericos defendere.*
85 *Immunitas conceditur non solùm confugientibus ad Ecclesiam, sed etiam in ea residentibus, nec attenditur qua intentione ad eam se contulerint, & n. 86.*
87 *Immunitatis privilegio non potest reus renunciare, permittendo se capi in Ecclesia.*
88 *Privilegio Ecclesiæ nemo potest renunciare.*
89 *Privilegio in favorem duorum concesso alter altero invito renunciare non potest.*
90 *Immunitas Ecclesiæ non violatur si confugiens ad eam se offerat justitiæ, & sponte exeat.*
93 *Religiosi quando ab uno monasterio in aliud arctius detruduntur, Ecclesiæ immunitas non violatur.*
94 *Consuetudo præjudicialis immunitati Ecclesiæ, est nulla, & impræscriptibilis etiam per tempus immemorabile.*
96 *Clericus ad Ecclesiam confugiens in illis casibus, in quibus non gaudet immunitate, an possit extrahi per judicem sæcularem, an verò sit extrahendus per judicem Ecclesiasticum tantum, & n. seqq.*
Et quid ex Bulla Gregorii XIV. n. 100.
97 *Ecclesia non est de territorio Principis sæcularis.*
98 *Nec habet territorium nisi in his, quæ pertinent ad forum Ecclesiasticum.*
99 *Iudex laicus non potest in Ecclesia ullam jurisdictionem exercere.*
100 *Immunitas Ecclesiastica violatur etiam per violentam extractionem rerum ab Ecclesiis, & locis immunibus.*
101 *Et extrahentes sunt sacrilegi, & excommunicandi.*
102 *Non tamen incidunt in excommunicationem Bullæ Gregorii XIV.*
103 *Sed si abstractio fiat auctoritativè, incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini.*
104 *Formula litterarum S. Congregationis immunitatis pro extrahendis rebus in Ecclesiam delatis ad evitandam executionem mandati.*

1 INTER ALIA. Malefactor fugiens ad Ecclesiam immunitate gaudet, nisi in duobus casibus: servus verò restituitur domino de ipsius impunitate juranti. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar. & Jo. de Anan. Sed latius, & notabilius secundum Abbatem summatur sic. Reus criminis ad Ecclesiam fugiens non est violenter ab ea extrahendus, nec debet amplius prætextu criminis commissi damnari ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem; est tamen aliter legitimè puniendus. Fallit in duobus casibus hic expressis. Hoc dicit primò; Servus fugiens ad Ecclesiam timore domini sui, est domino de ejus impunitate juranti restituendus; hoc dicit secundò, & sic duo sunt dicta: secundum ibi, *Si verò*.

2 Nota primò ibi, *Et traditiones legum civilium*. Papam in dubiis decidendis hic allegare legem civilem statuentem super immunitate Ecclesiæ, ad idem cap. *Id constituimus*, 17. q. 4. cap. *Ex antiquis*, 54. *dist*, cap. 1. *de juram. calum.* cum plurimis concordantibus congestis à Felino in cap. *Ecclesia*
3 *S. Mariæ, num. 38. supra de Constitut.* Quod videtur mirabile, quia leges Imperatorum, ac Principum statuentes nominatim de Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, ac bonis earum ponunt falcem in messem alienam, & sunt invalidæ ex defectu potestatis secundum communes theoricas in d. cap. *Ecclesia*, ubi in specie Abbas *in Lectura n. 10. vers. Ad primum dico*, Felin. *num. 4. vers. Recipit autem* *prædicta regula*, in prima limitat. & Dec. *n. 91.* Et-
4 iamsi redundent in favorem, & commodum Ecclesiarum, & disponant in materia, in qua contrarium non reperiatur statutum de jure Canonico, ut plenè scripsi in cap. *Quæ in Ecclesiarum, n. 5. & 7.*
5 *ampliat. n. 26. & 30. de Constit.* Et augetur difficultas, quia Ecclesia non potest etiam spontè se submittere superioritati, ac legibus Imperatoris, ut notat Joann. Andr. in dicto cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ, num. 5. vers. ille verò*, qui est super omne forum; & probavi in cap. *Significasti, à num. 71. de*
6 *elect.* Quomodo ergo Papa hic utitur lege civili disponente in materia Ecclesiastica. Pro solutione adverte, quia lex civilis inserta Canoni, & sic canonizata non dicitur amplius lex civilis, sed mutat nomen, & dicitur Canon, ut notat glos. in cap. *In primis, in verb. Capituli*, 2. q. 1. quam sequitur aliis relatis Felin. in cap. 1. *in 1. notab. suprà de præsumpt.* quia omnia nostra facimus, &c. l. 1. §. *Sed neq;*, *C. de veter. jur. enuclean.* cap. *Si Apostolica*,
7 *de Præben. lib. 6.* cum concord. Alias verò leges Imperatorum, dummodo non offendant, sunt cum Canonibus permiscendæ, ut hic patet, & in cap. 1. *infra de nov. oper. nunciat.* & in cap. 1. *& per tot. 10. distinct.* secundùm Hostien. *hic in princip. in ver. Canonum*, Joann. Andr. *n. 2.* & Abbas *in primo notab.*

8 Secundò nota ibi, *Quantumcumque gravia maleficia perpetraverit*. Reum confugientem ad Ecclesiam non esse privandum immunitate Ecclesiastica propter quamcumque criminis atrocitatem, ut in text. & notant Butr. *num. 4.* Anchar. *n. 2.* & Abb. *in 1. notab.* & hic junge quæ dicam infra *in 6. notab.*

9 Tertiò nota ibi, *Non est ab Ecclesia violenter abstrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam.* Immunitatis privilegium, quod consequitur liber homo ad Ecclesiam confugiens, consistere potissimum in duobus secundum Abbatem
10 *hic num. 3. & 9. vers. Si verò nullo modo.* Primum est, ut inde violenter extrahi non possit, ut hic, & in cap. *Reum*, 17. q. 4. Unde si de facto, & per vim indebitè extractus fuerit, de jure potest petere, ut restituatur pristinæ libertati, cùm ea fuerit de facto privatus, ut notat Bart. in l. *Præsenti, n. 5. C. de his, qui ad Ecclesiam confug.* & ante eum Oldrad. *cons. 154. Quidam deliquit, num. 4. in fin.* dicens abstractum restituendum esse Ecclesiæ; sicut in aliis restitutoriis judiciis, ut cap. *Sæpè, suprà de restitut. spoliat.* & sequitur Abb. *hic nu. 26.* qui ad hoc allegat textum apertum in cap. *Minor*, 17. q. 4. Ubi evidenter colligitur Ecclesiam debere per excommunicationem compellere extrahentem ad restitutionem: & concordat Vitalin. in Clem. 1.
11 *n. 85. de pœnit. & remiss.* Alterum, in quo consistit privilegium immunitatis, est ut fugiens ad Ecclesiam per judicem damnari non possit ad mortem, vel aliam pœnam, scilicet corporalem, seu cum sanguinis effusione, ut infra innuitur ibi, Membra & vitam: concordat d. cap. *Reum*, & cap. *Id constituimus*, 17. q. 4. ibi, De morte, & debilitate, & omni pœnarum genere sint securi, & cap. *De raptoribus*, 36. q. 1. ibi, Mortis, vel pœnarum impunitate concessa: ubi gloss. 1. exponit ver. *Pœnarum*, scilicet corporalium, à quibus liberatur auctoritate Canonum: & hic notat Innoc. qui in ver. *Ad pœnam*, addit corporalem, & exponit, id est, sanguinis effusionem, & consentiunt Hostien. *n. 1. in*

d. ver. Ad pœnam, & Joann. Andr. num. 3. in eodem verb.

12 Quod est contra judices, qui in reos ad Ecclesiam confugientes, & ibi commorantes proferunt sententias capitales, vel corporis afflictivas: hoc enim est contra textum hic, & in d. cap. Reum: nam verba illa, *Nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam*, non possunt intelligi de executione ipsius sententiæ, quia indubitatum est in ipsa Ecclesia humanum sanguinem effundi non posse, cap. Reos, 23. quæst. 5. cap. Cum Ecclesia Dei, supra eodem & cap. 2. eodem tit. lib. 6. Facit cap. In Archiepiscopatu, de raptor. & cap. Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi. Sed sunt intelligenda de ipsa sententiæ prolatione, seu condemnatione, ut innuit

13 verb. Damnari. Et ita reum super eo, quod commisit, omnino non posse de cætero criminaliter accusari, quia alias modica esset immunitas, post Goffred: tenent hic Hostien: num. 1. Joan. Andr. num. 8. vers. Accusari vero, Anchar: in 2. notab. & plerique alii, glos. in dicto cap. Reum, in verb. Vel ad mortem, 17. quæst. 4. Archid: ibid. num. 2. & in d. cap. De raptoribus, num. 3. 36. quæst. 1. Oldrad. consil. 154. Quidam deliquit n. 4. vers. Et secundum Goffred. Quod bene nota, quia judices laici hoc non servant in perniciem animarum suarum. Dicunt

14 tamen Innocen: Hostien: & Joann: Andr: locis proxime citatis reum confugientem ad Ecclesiam posse detrudi in monasterium ad agendam pœnitentiam, argum: cap. Si Episcopum 50. distinct.

15 Auth. Sed de novo jure, C. de adulter. Dummodo tamen inviti ab Ecclesia non extrahantur, ut hic per Abb. n. 12. vers. Sed circa duo potest dubitari, & adde quod dicam infra n. 96.

16 Quarto nota ibi, *Super hoc tamen, quod inique fecit, est alias legitime puniendus*, confugientem ad Ecclesiam, quamvis damnari non possit pœnâ mortis, vel alia corporali, posse tamen puniri aliâ pœnâ, videlicet pecuniariâ: concordat c. Id constituimus, & cap. Reum, ibi, tamen legitime componat quod inique fecit, 17. q. 4. ubi Archid: n. 3.

17 dicit: (Est enim componere pro damno dato, vel offensa, vel injuria pecuniariter satisfacere.) Et sic opinio Hugonis relati ab Archid: in dict. cap. Reum, num. 2. ubi ait, securè tenendum esse, quod omnis pœna corporalis, scilicet mortis, & membrorum, & verberum debet remitti ex toto, sed tenetur ad pœnam pecuniariam, secundum quod injuriam, vel damnum intulit: idem notat glos. in d. cap. Reum, in verb. Vel ad mortem, dicens hoc esse privilegium Ecclesiæ, ut talis amodò, nec vitam, nec membrum perdat, sed pecuniariter satisfaciat. Archid. in d. cap. De raptoribus, num. 3. 36. q. 1. & hic firmant glos. in ver. Puniendus, Innoc. in eodem verb. Joan. Andr. n. 8. vers. In glossa pecuniariter, Abb. n. 3. in fin. vers. Potest ergo, & reliqui omnes.

18 Item puniri poterit pœnâ exilii, secundum Hostien. hic n. 1. in fin. in ver. Puniendus: numquam ta-

19 men erit in carcerem detrudendus, ut dicit Innoc. hic circa medium, in verb. Puniendus, & Hostien. ubi supra.

20 Verumtamen, ut notabiliter ait idem Hostien: num. 2. in fin. vers. Attamen circa hoc delinquunt Principes, & Prælati. Principes, quia si reus exit Ecclesia ponendo pedes extra, protinus eum capiunt; & si non exit, ipsum tenent obsessum, requiem, & vestem, & victualia denegantes, contra Canones cap. Sicut antiquitus, cap. Frater, & cap. Miror, 17. q. 4. cap. Reos, 23. q. 5. & contra legem, quæ etiam tales dicit læsæ Majestatis crimine irretitos, l. Præsenti, in 1. resp. § 1. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. Prælati vero, & in hoc delinquunt, quia quantumcumque gravia confugiens commiserit, ipsum tamen in totum salvare nituntur, ita ut nullam pœnam, etiam pecuniariam patiatur, contra hoc, quod hic dicitur, & contra justitiam, quæ est summum bonum, cap. Devotissimam, 12. q. 2. Optat autem Hostien. ut in his, & aliis utrique suis terminis sint contenti, cap. 1. de sepultur. & sequitur totidem verbis Jo. Andr. hic num. 5. in ver. Alias & cæteri omnes.

21 Quinto nota in vers. Nisi, duos casus exceptos, in quibus reus ad Ecclesiam confugiens non gaudet illius immunitate. Primus est si fuerit publicus latro, ut hic, & in cap. Sicut antiquitus, ibi, Nisi

22 publicus latro fuerit, 17. q. 4. Dicitur autem publicus latro, qui palam, & publice furatur, ut sunt piratæ, & qui publice stant in stratis, vel qui arcem habent, vel castrum, & disrobant homines transeuntes: quæ sunt formalia verba Abbatis hic n. 5.

23 vers. Dicitur autem. Concordat Constitutio 7. Gregorii XIV. de immunitate Eccles. quæ incipit, Cum alias nonnulli, in §. 3. ibi, (Si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur.) Porrò viarum grassatores pro famosis latronibus intelligit lex Regia pen. tit. 11. par. 1. Covarr. lib. 2. variar. resolut. cap. 20.

24 num. 13. vers. Decimo nono. Et tales sine pœna occidere licet, & etiam sine peccato, cap. Cum homo, 23. q. 5. l. 1. C. quan. lic. unicuique sine judi. gloss. penult. hic Hostien. num. 2. & alii communiter: non

25 tamen sine irregularitate, ut notatur in cap. Interfecisti, & in cap. seq. infra de homicid. nisi pro necessaria vitæ defensione, ut in Clem. Si furiosus, eodem

26 tit. Item in tales omni die jus redditur, ut l. Provinciarum, C. de feriis Joan. Andr. hic n. 6. & Cardin. n. 2.

27 Secundus casus exceptus est si fuerit nocturnus depopulator agrorum, ut hic in littera, concordat præallegata Constitutio 7. Gregor. XIV. in d. § 3.

28 ibi, Aut depopulatores agrorum. Dicitur autem nocturnus depopulator agrorum, quia in nocte segetes destruit, dum ibi se abscondit, vel latet, vel præter homicidia, vel rapinas, quas facit in strata, comburit, & destruit agros eorum, qui ei non serviunt; quæ sunt verba Innocentii hic post med. in ver. Nocturnus, cum quo concordat Hostien. num. 3 in ver. Populator, Joann. Andr. num. 6. Butr. num. 7. Cardin num. 3. & reliqui omnes, Oldrad. d. consil. 154. Quidam deliquit, n. 2. ubi ait, Depopulatorem propriè dici, qui agros alienos nocturnus destructor accedit, ut l. 1. C. Quando lic. unicuiq. sine jud. se vind. & dicitur depopulator, id est, devastator fructuum in agris pendentium, secundum Vincentium hic Joann. Andr. Butr. & Cardin. loc. cit. Itaque in his duobus casibus rei ad Ecclesiam confugientes non gaudent illius immunitate: & hæc est unanimis omnium Canonistarum sententia, ut post alios attestatur Julius Clarus in praxi criminal. §. final. q. 30. vers. Quæro numquid generaliter omnes; quòd si quæras cur publicus latro, & depopulator potius extrahantur ab Ecclesia, quàm alius malefactor, qui fortè est deterior. Respondet gloss. ult. in fin. in cap. fin. infra eodem; quia magis interest illos punire, quàm alios malefactores, ex quo pluribus exitia cogitant, quàm alii, cap. Est injusta, 23. qu. 4. Concordat Hostien. hic n. 4. in ver. Qui, & Abb. num. 21. vers. Vnde allego aliam rationem.

29 Verumtamen præter duos casus hic exceptos sunt & alii casus excepti per alios Canones, in quibus rei non gaudent immunitate Ecclesiæ.

Primus est in cap. ult. infra eodem videlicet in eo, qui sub spe immunitatis in Ecclesiis homicidia, vel mutilationes membrorum committit: non enim debet ab Ecclesia defendi qui Ecclesiam violat, argum. cap. De vero, 12. q. 2. cap. An sit, supra de appellat. secundum Innocen. hic prope fin. vers. Item etiam potest dici. Hostien. num. 4. vers. Si dicas: hic casus hodie est etiam exceptus in prædicta Constitutione 7. Gregorii XIV. in eod. § 3. ibi, (Quive homicidia, & mutilationes membrorum in prædictis Ecclesiis, earumve cœmeteriis committere non verentur.

30 Secundus est in assassino, qui etiam cum suis bonis mundanis omnibus tamquam Christianæ Religionis æmulus à toto Christiano populo perpetuò diffidatus est, ut legitur in cap. Pro humani, de homicid. lib. 6. Et ideò si ad Ecclesiam confugiat, non est tutus illius immunitate, sed potest inde extrahi per quemcumque judicem sæcularem: & hæc est crebrior apud omnes recepta opinio, ut dicit Plaza in cap. 19. num. 24. & Jul. Clar. in §. Assassinorum, vers. Item licet. Hodie hic casus reperitur etiam exceptus in dicta Bulla 7. Greg. XIV. in §. 3. ibi, Aut assassinii: extractio tamen nullatenus fieri potest à Curia sæculari, ut dicam infra in ult. quæst.

31 Tertius casus exceptus est in homicida proditorio, qui absque dubio immunitate Ecclesiæ non gaudet; de hoc enim intelligitur text. in cap. 1. in ver. Per insidias, de homicid. & declarat Alex. in consil. 145 Viso themate, num. 5. lib. 7. & est communis opinio, ut inquit Covar. lib. 2. var. resolut. cap. 20. nu. 7. subdens eam esse consuetudinem Christiani orbis admodum receptam: & alii plures, quos cumulat Jul. Clar. in d. §. fin. q. 30. vers. Scias tamen quod hæc conclusio. Hic quoque casus hodie reperitur nominatim exceptus in prædicta Constitutione Gregorii XIV. dicto § 3. ibi, aut qui proditorie proximum suum occiderint.

32 Quartus casus est in hæretico, qui si ad Ecclesiam confugiat, non gaudet illius immunitate, glos. in auth. de mandat. Princip. §. Publicorum, in ver. Cogentur, ad fin. Remig. de immunit. Eccl. Fallent. 18. Gondisalv. de hæret. quæst. 11. Navarr. in Manuali, cap. 25. numer. 20. glos. pragmat. sanctio. de interdictis indifferenter non imponendis, numer. 5. pag. 251. à tergo, dicens id cautum esse in Extravagantibus Martini IV. & Joannis XXII. directis Inquisitoribus Franciæ, quæ custodiuntur inter chartas Regias, in quibus habetur, quod si hæretiens, Judæus conversus, vel apostata fugiant ad Ecclesiam non ad remedium salutare, sed evitandæ pœnæ causa, dicti inquisitores possunt eos ab Ecclesia extrahere: sequitur Boer. decis. 110. num. 6. Constitutio Joannis XXII. relativa similis Constitutionis Martini IV. habetur in Bullar. tom. 1. pag. 153. hic casus generaliter excipitur in eadem Constitutione 7. Gregor. XIV. dicto §. 3. ibi, vel hæresis.

33 Quintus casus est in reo læsæ majestatis, qui similiter potest ab Ecclesia extrahi, arg. l. Ad bestias, ff. de pœna, & l. Si hominem. ff. Mandati, & quamvis Boss. in practica tit. de captura, num. 32. dicat conclusum fuisse in Senatu, de jure nec pro crimine læsæ majestatis posse reum capi in Ecclesia, quia per hoc cap. quantumcumque gravia quis delicta perpetraverit, tamen est securus, nisi in duobus casibus hic exceptis, qui nec ad similes, nec ad majores extenduntur: secundum DD. nihilominus hæc opinio non observatur in practica, ut inquit Clar. in §. fin. quæst. 30. vers. Quæro numquid generaliter, in fine. Hanc dubitationem sustulit præcitata Constitutio Gregorii XIV quæ hunc casum excipit nominatim, ibi, Aut læsæ majestatis in personam ipsiusmet Principis rei.

34 Itaque secundum Canones, cum quibus concordat præallegata Constitutio Gregor. XIV. septem dumtaxat sunt casus, in quibus rei ad Ecclesiam confugientes illius immunitate non gaudent; Nec mireris, quia etsi duo tantum hic excipiantur, tamen exceptio non firmat regulam, quando alii casus sunt excepti à jure, sed in casibus non exceptis suppletur à jure communi; ut hic notat Abb. n. 15. qui ad hoc allegat tex. in cap. Ad audientiam, cum ibi notatis, supra de cler. non residen.

35 Item glos. & Bart. in l. Servi ff. de usucap. ubi notanter volunt, quod si lex ponit regulam, & excipit aliquem casum cum dictione taxativa, nihilominus excipiuntur alii casus, qui in alia parte juris reperiuntur excepti: ad idem bonus text. juncta glos. 1. in cap. Quoniam frequenter, in 1. responsio supra, ut lite non contest.

36 Non me latet legem civilem plures personas excipere, quæ Ecclesiastica immunitate non gaudent, videlicet homicidas, adulteros, & raptores virginum, ut in Auth. de mandat. Princip. §. Sed neque,

37 vers. Neque autem homicidis. Verum lex illa corrigitur secundum omnes, ut dicit Hostien. hic numer. 1 nam & raptoribus virginum canon præstat immunitatem, ut in cap. De raptoribus, 36. quæst. 1. Stabimus ergo canoni, & non legi, cui per canonem est derogatum, ut dicit glos. 2. in cap. Sicut antiquitus, 17. quæst. 4. Item glos. hic in ver. Nisi publicus latro, Innoc. circa med. vers. Lex plures excipit, & alii communiter, Imol. in Clem. 1. numer. 11. vers. Et in hoc statur canoni, qui corrigit legem, de pœnit. & remiss.

38 Rursus Ecclesiæ immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam, sicut legitur in Concilio Tridentino cap. 20 sess. 25. non potuit lex civilis ullatenus restringere, seu limitare, ut solidissimis fundamentis latè probat Abb. hic numer. 15. vers. Et quamquam ista videantur, & num. 16. & 17. concludens indubitanter standum esse super ista immunitate dispositionibus canonum cum suis casibus dumtaxat exceptis; & ita communiter teneri attestatur Angel. in summa in ver. Immunitas, numer. 17. in fin. & Sylvest. in ver. Immunitas 3. in 1. quæst. num. 2. Et hanc dispositionem juris Canonici esse consuetudine approbatam attestatur Ioan. Faber in §. Sed hoc tempore, post num. 2. instit. qui sunt sui, vel alieni jur. quem refert Alex. consil. 145. Viso themate, & his quæ eleganter, numer. 4. lib. 7. ubi in contingentia facti ita consuluit, & numer. 10. attestatur hanc esse communem opinionem, & sequitur Iul. Clar. in pract. crimin. §. final. quæst. 30. vers. Quæro numquid generaliter omnes.

39 Ergo in reliquis casibus per canones non exceptis firmatur regula in contrarium, ut dixit Dyn. in Rubr. de reg. jur. lib. 6. & habetur in l. Quæsitum §. Denique, ff. de fund. instruct. in l. Nam quod liquide § fin. ff. de penu legata: & in cap. 2. de conjug. leprosorum, cum simil. Unde reliquos omnes tuetur Ecclesia sive sint fures; nam famosum dumtaxat latronem hic canon excipit, innuens aliud esse in simplici fure, Oldrad. d. cons. 154. numer. 2. Belloga in specul. Princip. §. Sed quia, numer. 13. Covar. lib. 2. variar. resolut. cap. 20. numer. 13. vers. Decimo nono, Jul. Clar. in prax. criminal. §. fin. quæst. 30.
40 vers. Quæro, an fures gaudeant immunitate Ecclesiæ sive sacrilegi, Navar. in Manual. cap. 25. numer.
41 19. vers. Gaudet etiam; sive blasphemi, Navar. ibid. numer. 20. vers. Quod nostro judicio, sive excommunicati, qui gaudent immunitate non propter se, sed propter honorem Ecclesiæ Guiliel. de Monte Laudun. in Clem. 1. de pœnit. & remiss. quem ibi
42 sequuntur Anchar. numer. 50. Imola numer. 11. in 2. quæst. vers. Quinimo etiam excommunicatus, & Vitalin numer. 79. Boer. dicens communem, decis. 110. numer. 7. Remig. de immunitat. Eccles. in 19. fallen. numer. 1. Clar. in § final. d. quæst. 30. vers. Quæro etiam numquid excommunicati, dicens propter honorem Dei ab hac opinione non esse in practica
43 recedendum. Sive sint proscripti, seu banniti, vel condemnati etiam capitaliter, Clar. ibidem, vers. Scias autem. Navarr. d. cap. 25. numer. 19. ad fin. vers.
44 Eculei item, sive banniti, etiamsi dum ad supplicium ducuntur, transeant per Ecclesiam, vel cœmeterium; & est communis opinio, ut attestatur Remig. in loco præallegato, in 30. fallentia. Cassanæus dicens ita se vidisse in facto judicari, super consuetudine Burgundiæ, fol. 55. numer. 121. quem refert Boer. dec. 110 post num. 8. & Clar. loco proxime citato.

45 Sed hic QUÆRO, an homicida ex proposito, seu animo deliberato gaudeat privilegio immunitatis Ecclesiasticæ.

Respondeo gaudere secundum communes opiniones, quos servari asserit Alex. in cons. 145. Viso
46 themate, nu. 4. 6. & 11. lib. 7. & quamvis contrarium teneat Practica Papiensis in forma inquisitionis, in ver. Hæc est quædam inquisitio, n. 31. in fin. dicit contrarium prudenter servari in Italia, quæ est omnium provinciarum domina, quæ residet in Monarchia, & in qua est omnis virtus scientiarum, & fructuum affluentia, & locorum, & civitatum pulchritudo, & magna copia, prout eum refert Remig. de immunit. Eccles. fol. 6. & Alciat. de præsumpt. in 3. reg. præsumpt. 33. n. 4. hoc tamen communiter reprobari affirmat Marian. Socin. in c. 1. nu: 3.
47 infra de homicid. & Boss. in pract. criminal. tit. de captura, num: 21. & merito, quia solum homicidium ex proposito in Ecclesia commissum sub spe immunitatis excipitur in c. ult. infra eod. Ergo per locum a speciali in homicidio extra Ecclesiam, licet ex proposito, aliud est dicendum, ut bene per Abbatem hic n: 17. & n. 18.

48 Non obstant verba illa cap. 1. de homicid. (Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.) Nam ut respondet Abbas d. numer. 8. ille textus est legis veteris, nempe Exodi cap. 21. & habet multos intellectus, ut ibi notatur; & intelligendo eum in terminis nostris, ab altari evelles eum, id est, ab Ecclesia extrahes, ut immunitate non gaudeat procedit secundum antiqua tempora, quia altaria veteris testamenti non gaudebant illa immunitate qua hodie gaudent nostra. Sed hæc responsio non satisfacit, quia non sine mysterio Papa inseruit textum legis veteris in compilatione Decretalium, cum præsertim præcepta illa judicialia veteris testamenti fuerint evacuata per Adventum Christi, ut docet sanctus Thomas in 1. 2. qu. 103. art. 4. & quæst. 104. art. 3. sicut nec satisfacit alia responsio Abbatis, quod ille textus intelligi debeat in homicidio commisso in Ecclesia juxta terminos d. c. final. infra eod. quoniam verba
49 illius c. hanc restrictionem non patiuntur, melius igitur responderi potest illum textum non loqui absolute de homicidio ex proposito, sed cum qualitate proditionis: requirit enim copulative, ut fuerit commissum per industriam, & per insidias, id est proditorie, quod est, quando aliud verbis, & aliud mente gerit, & sub specie amicitiæ proximum necat, ut optime declarat Alex. cons.
50 145. Viso themate, num. 5. lib. 7. quo fit, ut dicatur proditorius homicida, qui aliquem necat veneno, ut per Decianum in tract. crimin. cap. 28. nu: 19. talis ergo non gaudet immunitate Ecclesiæ, ut dictum est supra nu: 31. at secus est in homicida ex proposito sine qualitate proditionis, & in hunc sensum accipiendi sunt Innoc. & DD. infra citandi num: 54. Remig. de immunit. Eccles. in 13. fallent. Mill. in pract: criminal: fol: 31: num: 19. & Clar. in §. final. quæst. 30. vers. Hoc autem multo magis, qui scripserunt secundum communem opinionem, quæ in practica observatur, homicidam ex insidiis non gaudere immunitate ecclesiastica nec obstat consuetudo contraria, quia tamquam præjudicialis ecclesiasticæ immunitati est nulla, & impræscriptibilis, ut patebit infra num: 94.

51 Hodie cessat omnis difficultas, quia in sæpius citata constitutione Gregorij XIV. de immunit. Eccles. excipiuntur homicidia in tribus casibus dumtaxat, ut patet in illis verbis: (Qui homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumve cœmeteriis committere non verentur; aut qui proditorie proximum suum occiderint; aut assassinii,) & in §. præcedenti revocantur facultates extrahendi reos ab Ecclesiis, & locis sacris, & religiosis, aliasve in casibus a jure permissis, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis æquipollentibus casibus in jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extensis. Ergo ab homicidio patrato in Ecclesia, aut cum qualitate proditionis, vel assassinii non permittitur extensio ad homicidium ex proposito, cum præsertim illa sint graviora, & gravioribus suppliciis puniantur, ut patet in l. Fallaciter, ubi gloss. in ver: Prodita, C. de abolition. & in c. Pro humani, de homi-
52 cid: lib: 6. Et sic hodie cessant etiam opiniones illorum, qui arbitrati sunt in terminis juris com-
53 munis etiam in aliis casibus consimilibus malefactores ab Ecclesiis extrahi posse, eo quod exceptio, de qua in hoc c. ibi, Nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, non excludat casus similes, imo omnia similia, & æquiparata exceptis censeantur exceptuata, secundum gloss. singularem in l. 1. in ver: Judicati, C. de condict. indeb. & Abb. in c. Quoniam frequenter, numer: 6. vers: Si ergo eadem ratio, supra ut lite non contestat. & in c. Cum omnes, numer: 7. vers. Dominus Antonius videtur hic velle, de constit: ubi pro illa glossa allegat casum in c. Cum dilecta, de confirmat: util: vel inutil. & sequitur Alex. cons. 130: In causa num: 4. in fine vers. Nec etiam videtur obstare, lib: 4. cujus opinionis
54 videtur fuisse Innocentius hic post med. in ver. Qui, nam, ut ipse ait: Quicumque insidiose offendit, etiamsi publicus latro, vel depopulator agrorum non sit, hoc privilegio non gaudet; quia non debet gaudere privilegio, qui committit in legem, c. Quia, infra, de usur. Quod si objicias, quare igitur Decretalis fecit mentionem de his duobus generibus hominum? Respondet Innocen. quia de his semper præsumitur quod insidiose fecerint, arg. l. Qui semisses, ff. de usur. cap. 1. & 3. supra de præsumpt. de aliis vero id non præsumitur, nisi aliud probetur. l. Quoties, § Qui dolo. ff. de probat. l. Ut vim ff. de just. & jur: & cum eo transeunt Ho-
55 stien. numer: 4. post med. vers. Si dicas, & Joan. Andr. numer: 6. circa finem, eod. vers. Sed ut prædixi, hodie cessant hujusmodi opiniones, quia ex const. Gregor. non est licita extensio ad casus similes etiam ex paritate, vel identitate, aut majoritate rationis, quod etiam in terminis juris communis tenuit Bossius supracitatus, num: 31. Adde quod opinionem Innoc. & sequacium validis fundamentis reprobat Abb. hic n. 20. circa fin. vers. Sed ex alio mihi non placet.

56 Secundo QUÆRO, An immunitas Ecclesiæ suffragetur iis, qui in ipsa Ecclesia delinquunt. In casu homicidii, vel mutilationis membri nulla est dubitatio propter decis. c. ult. infra eod. & constitut. Greg. XIV. de immunit. Eccles. sed in aliis casibus sunt opiniones, tu tamen dicas, ut plene scripsi in d. cap. ult. a n. 2. usque in fin.

57 Tertio QUÆRO, An fugiens ad Ecclesiam pro debito civili gaudeat illius immunitate, ut inde extrahi non possit invitus. Respondeo gaudere, ut probat hoc c. Quod generaliter prohibet invitos extrahi, & excipit duos casus dumtaxat, ad idem c. Minor, & c. Si quis contumax, 17. quæst. 4. & clarius probatur in l. Præsenti, C. de his qui ad Ecclesiam confugiunt, Abbas hic numer: 22. & Joann. de Anan. numer. 8. Oldrad. consil. 54. An fugiens pro debito ad Ecclesiam, in princip.
58 Navar. in Manuali c. 25. numer. 19. in princip. circa med. vers. Et mercator, qui decoxit. Boer. decis. 215. num: 7. licet oppositum sentiat in decoctis, vulgo fallitis, in quos acriter invehit, numer: 5. & 6. Covar. lib. 2. variar. resolut: c. 20. num: 14. vers. Nec Jasonis argumentatio, ubi ait sententiam Jasonis, qui in l. Vinum, n. 5. ff. Si certum petatur, dixit fugientem pro debito civili ad Ecclesiam posse inde abduci; fortasse admitti posse apud Hispanos in Mercatoribus, & Campsoribus, qui maximo Reipublicæ dispendio ex pecuniis, & rebus alienis dum negotiationem quæstuariam exercent, operam usuris, & fœnoribus strenue dantes, laute, & opipare viventes decocti tandem versuram faciunt, & ad Ecclesiam fugientes creditores omnes misere fallunt, quod gravissimum crimen est, & ob id famosi latrones appellantur. Sed quicquid dicant isti, res hodie est expedita per const. Greg. XIV. in §. 2. ibi, An fraudulentis decoctoribus.

59 Quarto QUÆRO An Judæi, vel Pagani gaudeant immunitate Ecclesiæ.

Glossa hic in ver: Extrahendus, tenet etiam Judæos gaudere immunitate ecclesiastica, dummodo simulatio absit, id est ut velit vere, & non simulate effici Christianus per textum in l. 1. C. de his qui ad Eccles. confug. & cum glos. concordant hic Innoc. post princ. vers. idem in Judæo, Host. n. 1. in vers. Ab Ecclesia, & infra eod. n. in fin: vers. Et hoc verum, Jo. Andr. num: 8. vers. in gloss. 5. Butr. n. 16. Cardin. numer: 5. & Jo. de Anan. n. 7. Archid. post Hugon. in c. Diffinivit, n. 1. 17. q. 4. Guliel. de Monte Laud. in Clem. 1. de pœnit. & remiss. quem ibi sequuntur Anchar. n: 5. Imol. n: 11. in 2. quæst: vers. Quinimo etiam Judæum, & Vital. n: 80. Boer. decis. 110. n: 4. & cum glos. nostra transire communiter Doctores fatetur Abbas hic num: 6. Hanc etiam sententiam videri fortasse frequentiori Auctorum calculo receptam dicit Covar. var: resolut. lib. 2. c. 20. n: 11. vers. 13. eamq; prævaluisse coram Regia Cæsarea Majestate Carolo V. cum apud eumdem hoc nego-
60 tium ventilaretur ad consultationem Episcoporum Indiarum, refert novissime Mar. Ital. in tract: de immunit. Eccles. c. 3. §. 3. n: 32. nec mirum, quia etiam eorum sepulcra gaudent immunitate, c. Sicut infra de Judæis, secundum Vinc. hic, Jo. Andr. Butr. & Card. loc: cit.

Et quamvis contrariam opinionem, id est, Judæos, & Paganos non gaudere immunitate ecclesiastica teneant gloss. Cyn: Bart: Salicet: & omnes in d. l. 1. C. de his, qui ad Eccles. confug: & idem Cynus in l. Præsenti, in 1. quæst: C. eod. Oldrad: cons. 54. An fugiens, n: 3. eamque communem dicat Marsil: in l: Ex senatus consulto, n: 7. & seqq: ff. ad leg: Cornel: C. de sicar: & magis communem, & veriorem Jul: Clar: in §. fin: quæst: 30. vers. Præterea quæro numquid Judæi. Hoc tamen intelligendum est quando Judæi fugiunt ad Ecclesiam cum simulatione fingentes se velle effici Christianos. Sed si absque simulatione, tunc etiam Judæi, & infideles gaudere debent, ut declarat Joan. de Anan. hic num. 7. vers. Quod intelligitur, & sic opiniones concordant, licet Abbas hic numer. 6. dicat veriorem esse opinionem gloss. in d. l. 1. C. de his qui ad Eccles. confug. quod etiam cessante simulatione non gaudet Judæus hac immunitate, quia illa lex inducit præsumptionem juris, & de jure contra simulationem; ex quo enim Judæus reatu aliquo, vel ære alieno gravatus fugit ad Ecclesiam, & dicit se velle fieri Christianum, præsumitur violenter hoc facere in fraudem; nec debet recipi probatio in contrarium, quia lex illa præsumendo fraudem statuit, ut prius non suscipiantur, quam debita universa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati.

Tu vero dicas indistincte Judæos, & Paganos ad Ecclesiam confugientes etiam timore pœnarum, non autem zelo fidei, vel religionis, non posse inde abstrahi invitos, ut firmant Butr. Cardin. Guliel. de Monte Laud. Anchar. Imola pro 1. opinione allegati, Sylvest. in summa in ver. Immunitas, 3. num. 2. in 3. q. vers. Primum Judæum, & vers. Secundum de pagano, Joann. de Fantuc. & Archid. in cap. Diffinivit sanctum Concilium, ut nullus fugiens, &c. 17. q. 4. ubi primo arguit, quod Judæus, vel Paganus confugiens ad Ecclesiam non gaudeat tali privilegio, quia non debet Ecclesia præstare patrocinium ei, qui semper vult, & nititur eam impugnare, c. Dispar, 23. qu. 8. sed hoc non obstante determinat contrarium, tum quia canones generaliter loquuntur, ut nullus fugiens ad Ecclesiam debeat inde extrahi, nisi publicus latro, & depopulator agrorum, ut hic, & in concordantibus.

Tum

61 Tum quia privilegium immunitatis non conceditur intuitu personarum, sed propter honorem, & reverentiam quæ locis sacris, & Divino cultui debetur, l. *Præsenti, vers. Ipsis servatis locis reveren-*
62 *tia, C. de his qui ad Eccles. confug.* c. *Reum*, c. *Frater*, & dict. cap. *Diffinivit*, 17. *quæst.* 4. Tum denique quia Judæi sub defensione, & protectione Romanæ Ecclesiæ recepti sunt, c. *Sicut, infra de Judæis.*

63 His adde, quod hæc opinio fulcitur etiam auctoritate legis veteris: nam, ut legitur *Numer. c.* 35. de ipsis urbibus, quæ ad fugitivorum subsidia separantur, tres erant trans Jordanem, & tres in terra Canaam tam filiis Israel, quam advenis, & peregrinis, ut confugeret ad eos, qui nolens sanguinem fudisset; idemque habetur Josue cap. 20. Patet autem advenarum, & peregrinorum appellatione in Sacra pagina significari Gentiles quoties ponuntur ad differentiam filiorum Israel, ut *Regum 3. cap. 8. littera E. Exodi cap. 12. Levitici cap. 17. 19. & 24.* Si igitur apud Hebræos fruebantur immunitate etiam infideles, longe magis frui debent hodie in Ecclesia Christianorum, in qua est translata lex, & Sacerdotium in formam excellentiorem, cap. *Translato.* & ibi omnes, *supra de Constit.* unde Abb. *hic num.* 18. dicit, Altaria Veteris Testamenti non gaudere illa immunitate,
64 qua hodie gaudent nostra. Opinio verò contraria nititur tantummodo auctoritate textus in d. l. 1. *C. de his qui ad Ecclesiam confug.* Cujus tamen nulla ratio habenda est, quia posuit falcem in messem alienam; non enim civilis authoritas potest statuere nominatim de Ecclesiis, & locis sacris, etiamsi contrarium non reperiatur statutum de jure canonico, & lex civilis redundet in favorem ipsius Ecclesiæ, ut ostensum est supra *numer.* 3. Ergo longe minus potest lex civilis in Ecclesiam statuere, illius immunitatem restringendo, aut limitando, ut dictum est supra *numer.* 38. & benè observat Abb. *hic numer.* 15. *vers. Et quamquam ista videantur*, & *numer.* 16. & 17. Licet postea ad hæc non adverterit in quæstione de Judæo. Demum hæc opinio videtur de plano procedere post Gregorianam Constitutionem, quæ de laicis loquitur simpliciter non distinguens an fideles, vel infideles & certos tantum casus excipit, & reliquos excludit, etiamsi in eis concurrat paritas, identitas, vel majoritas rationis, ut ostensum est supra *num.* 51.

65 Quintò QUÆRO, An judex ecclesiasticus possit confugientem ad Ecclesiam in quocumque casu inde abstrahere? quod est quærere, an immunitas in casibus non exceptis suffragetur confugientibus ad Ecclesiam respectu judicis laici dum-
66 taxat, an verò etiam respectu judicis ecclesiastici, Innoc. *hic in verb. Ad pœnam dicit*, reum confugientem ad Ecclesiam posse detrudi in monasterium ad pœnitentiam peragendam: & per hoc videtur sentire benè posse inde abstrahi per judicem ecclesiasticum, & puniri ecclesiastica pœna. Et pro hac parte facit, quia contra sæculares potestates, non contra ecclesiasticas videtur hæc immunitas adinventa, ut patet in cap. *Frater*, 17. *qu.* 4. ibi: (Quod nec Potestatibus quidem, vel Principibus unquam licuit perpetrare, ut hominem in sanctuariis constitutum, &c.) & in cap. *Diffinivit, eadem caus. & quæst.* ubi violans Ecclesiæ immunitatem puniri jubetur severitate regia; Ergo de lai-
67 cis loquitur. Præterea Ecclesia non præsumitur quem privilegiasse contra se, cap. *Cum instantia, supra de censib.* Item confugienti ad Ecclesiam debetur immunitas quoad hoc, ut ad mortem, vel membri obtruncationem damnari non possit, ut *hic*, & in cap. *De raptoribus*, 36. *quæst.* 1. Hanc autem pœnam judex ecclesiasticus non imponit, cap. *Novimus, in fin. de verb. signif.* Verum Joan. Andr. *hic num.* 4. non putat Innocentium habuisse hunc sensum; unde concludit ipse abstractionem violentam etiam per judicem ecclesiasticum, vel dominum ecclesiasticum etiam de subdito, vel servo
[68] fieri non posse. Movetur, quia leges, & Canones prohibentes extrahi reos ab Ecclesiis loquuntur per verba universalia negativa, ut patet in l. 2. ibi (Nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere.) *C. de his qui ad Eccles. confug.* & in cap. *Reum*, 17. *q.* 4 ibi. (Reum ad Ecclesiam confugientem nemo abstrahere audeat.) & in d. cap. *Diffinivit, ead. caus. & quæst.* ubi dicitur: Diffinivit sanctum Concilium, ut nullus audeat confugientes ad Ecclesias, vel residentes inde abstrahere: Universale autem negativum etiam ecclesiasticos includit. Et pro hac parte facit text. in cap. *unico,*
69 *infra de natis ex lib. ventr.* Non enim debet ille impugnare, qui defendere debet, cap. *Conquerente, in princ. supra de restitut. spoliat.* Et, Patere legem, quam tu ipse tuleris, cap. *Cùm omnes, supra de Constit.* Et ad objectum, quod ecclesiasticus judex non imponat pœnam mortis, vel obtruncationis, respondet Joan. Andr. *num.* 5. Hanc Decretalem loqui de omni pœna, & apertius loquitur c. *Id constituimus*, 17. *quæst.* 4. ubi cavetur de omni pœnarum genere. Unde quamvis pœna mortis, & obtruncationis ponatur hic respectu judicis laici; aliæ tamen pœnæ ponuntur etiam respectu judicis ecclesiastici: nec glos. Innocentii loquitur de pœna, sed de pœnitentia, & concordat gloss. 1. in d. cap. *De raptoribus*, ibi. Sed & publica pœnitentia mulctatur, 36. *quæst.* 1. & cum opinione Joa. Andr. transeunt hic Collect. *numer.* 16. Butr. *numer.* 11. Cardin. *in 6. quæst. numer.* 7. Anchar. *in ult. quæst. numer.* 9. & Abb. *numer.* 11. & 12. Hodie videtur cessare hæc difficultas, quia Gregoriana Constitutio *de immunitate Eccles. in* § 4. statuit, ut in casibus ibi exceptis dumtaxat extractio fiat de licentia solius Episcopi, vel ejus Officialis, cum interventu personæ ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis: ergo in aliis casibus non exceptis, nec de licentia Episcopi, vel illius auctoritate extractio fieri poterit.

70 Sextò QUÆRO, An clerici, & religiosi gaudeant immunitate ecclesiastica, ita ut non possint per judicem proprium ab Ecclesia violenter extrahi in casibus, in quibus laici extrahi non possunt.

71 Abbas hic *numer.* 13. dicit Doctores hic non attingere hanc quæstionem: nam Joann. Andr. nullam facit mentionem de clericis, vel religiosis fugientibus ad Ecclesiam, vel in ea existentibus, ut dictum est in præcedenti quæstione. Ipse autem Abbas tenet hanc immunitatem eis non prodesse, quin possint auctoritate judicis ecclesiastici ab Ecclesiis extrahi, & ad carceres duci, & puniri; ejusque opinionem sequuti sunt postea Sylvest. *in summa, in ver. Immunitas, 3. numer. 2. in 3. quæst. vers. Tertiam clerici*; & religiosi hac immunitate non gaudent, Joan. Barber. *in suo Iuris Viatorio, in tit. de violatoribus immunit.* dicens clericum, qui disciplinæ fugiendæ causa ad Ecclesiam confugit, posse extrahi, & cum eo transit Boer. *decis.* 109. *numer.* 3. *vers. Et Io. Barber.* Item tenet Gullel. de Monte Lauduno in Clem. 1. *de pœnit. & remiss.* ubi quærit numquid Episcopus, vel ejus officialis possit clericum homicidam extrahere de Ecclesia, & ponere eum in Monasterio ad agendam pœnitentiam, & concludit posse, cum Innoc. *hic in verb. Ad pœnam*, dummodo carcer non sit nimis arctus, aut perpetuus, & cum eo transit ibi Anchar. *num.* 8. & Imol. *numer.* 13. dum ultimo loco recitat opinionem Joann. de Lignano dicentis opinionem Innocentii esse veriorem. Mayner. in l. *Nemo numer.* 31. *fol.* 251. *col.* 2. *ff. de reg. jur.* Gutier. *pract. part. 3. quæst. 3. numer.* 3. Suarez *de relig. tom. 1. lib. 3. in tit. de person. quæ gaudent templ. immunit.* & *de pa... ex tom. 1. cap. 3. §. 3. numer.* 141. & quidam alii ex
72 junioribus. Movetur Abb. primo auctoritate glos. primæ in cap. *Nullus*, 17. *quæst.* 4. quæ in fin. videtur dicere Episcopum, vel Magistrum ex causa odii non debere clericum, vel discipulum ab Ecclesia expellere: ergo à contrario cessante odio, id poterit.

Secundò movetur Abb. quia civilis lex non facit apertè mentionem de clericis, & si faceret, non valeret in præjudicium jurisdictionis Ecclesiasticæ juxta notata per Innoc. in c. *Nuper, de testib.* Canones verò quamvis indistinctè loquantur; tamen videntur respexisse ad laicos tantum, ut innuit littera hujus textus, ibi. Sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam; & ita judices ecclesiastici hoc impetrare debent à sæculari potestate: quod non potest verificari in clericis, qui sæculari potestati non subsunt, sed eorum provisio spectat ad ipsos Ecclesiarum Rectores, id est, Episcopos, & alios Prælatos, cap. *Cùm ab Ecclesiarum, supra de offic. Ordin.*

73 Tertiò; dicit Abbas hoc probari apertissimà ratione, præsertim in religiosis, qui raro, aut numquam exeunt claustra monasterii, cap. *Placuit, el secundo*, 16. *quæst.* 1. & secundùm eorum instituta, jura communia possunt per Superiorem in monasterio coerceri, verberari, & in carcerem detrudi, & si opus fuerit, etiam de monasterio expelli, & in aliis arctioribus recludi, ut leg. & not. in cap. *Universitatis, de sent. excomm.* & in cap. *fin. de Regular.* & in cap. *De lapsis*, 16. *quæst.* 6. & in cap. *Dilectus, il secundo, de simon.* & idem patet in clericis re-
74 spectu Episcoporum: nam Episcopus judicat in Ecclesiis, cap. *Præceptum*, 2. *quæst.* 2. vel in palatio suo, cap. *Qua fronte, de appellat.* & in sententia quandoque damnat ad perpetuum carcerem, quandoque ad verbera, ut cap. *Tua, de pœnis*, cap. *Novimus, de verb. signif.* cap. 1. *de calumn.* cap. 1. *in fin.* 22. *qu.* 5. & cap. *Illi qui*, 5. *q.* 5. & notatur dist. 45. in summa. Durum autem esset, ut in Ecclesia non possent ca-
75 pi, arceri, & verberari: Imo pro honestate Ecclesiæ deberent verberari in Ecclesia, & per clericum, non autem per laicum, ut in cap. *Universitatis, de sent. excomm.*

[76] Quartò movetur Abb. quia si clerici gauderent hac immunitate Ecclesiastica: hoc tenderet non ad decorem, sed ad maximum dedecus Ecclesiæ; cùm videretur velle defendere facinora clericorum, qui debent esse sancti, & in suis actibus relucere, ut in cap. *Oportet Sacerdotes*, 81. *dist.* Cùm præsertim multi sint clerici, qui nihil habent de patrimonio; ac proinde cùm pecuniariter puniri nequeant, eorum delicta remanerent impunita.

77 Quintò, allegat jura in Clement. 1. *vers. Si qui verò contra præmissa, de privileg.* & in cap. *Non solùm de regular. lib.* 6. ubi religiosi delinquentes in religione jubentur subjici gravibus pœnis.

Sextò, & ultimò movetur Abbas, quia cùm clerici præsertim in communi viventes, & religiosi frequenter delinquant in Ecclesia, vel intra triginta, vel quadraginta passus, sequeretur ut numquam, aut raro pro delictis hujusmodi possent puniri, si ab Ecclesia extrahi non possent, contra cap. 2. & cap. *Cùm illorum, de sent. excomm.* cum simil. & concludit Abb. se putare hæc verissima, quæ tamen relinquit consuetudini, quam dicit in hoc multum esse attendendam, ut hic notat Innoc. & de consuetudine hoc servari, ut clerici non gaudeant immunitate Ecclesiæ; sed inde abstrahantur à suis judicibus ecclesiasticis, attestantur Bernard. Diaz *in pract. crimin. canon. cap.* 115. Covar. *variar. resolut. lib. 2. cap. 20. num.* 16. Remig. *de Immunit. Fall.* 71. Jul. Clar. d. §. *final. qu.* 30. *vers. Viterbini quæro.*

Neque verò huic sententiæ refragatur, quin potius favet *Constitutio 7. Gregorii XIV. de Immunitat. Ecclesiarum*, quia nullam facit mentionem de clericis, imo ne laicis nominatim loquitur, ut patet in §. 3. ibi, Ut laicis ad Ecclesias locaque Sacra, & religiosa confugientibus: necnon ibi, Ut laicos in casibus prædictis delinquentes, & in §. 4. ibi, Laicum aliquem, & in §. 5. ibi, Quodque delinquentes laici prædicti: nam ver. *Laici* toties in Constitutione repetitum non debet censeri appositum supervacuè; & sine mysterio aliquid operandi, ad l. 1. *in fin.* cum ibi notatis in gloss. *ult. vers. Item nota hic, ff. ad municipal.* & l. *Si quando, ff. de legat.* 1. cum simil.

78 Sed his non obstantibus tu primum adverte: nam Abbas supponit Doctores hanc quæstionem hic non attingere, & Jo. Andr. non loqui de clericis, vel religiosis; sed certè Jo. Andr. *n.* 4. specialiter quærit, an judex ecclesiasticus possit ab Ecclesia servum, vel subditum suum, & sic clericum extrahere: & ejus rationes concludunt tam in clerico, quàm in laico, ut patet ex dictis supra *in 5. quæst.* Rursus etiam clericos gaudere Immunitate ecclesiastica, tenet Cardin. in Clem. 1. *num. 9. in 7. quæst. de pœnit. & remiss.* ubi firmat Episcopum, vel alium officialem ecclesiasticum non posse ab Ecclesia extrahere clericum homicidam, nec eum detrudere in monasterium ad pœnitentiam peragendam: & ita apertè sentit immunitatem ecclesiasticam suffragari etiam clericis respectu judicis ecclesiastici, & fuit originaliter opinio Genzelini in d. Clem. 1. ubi contra Innoc. & Gul. de Monte Lauduno tenet, Episcopum, vel ejus officialem minimè posse clericum damnatum abstrahere ab Ecclesia, & in monasterium detrudere; quia secundùm eum hoc nullo jure cavetur. Item quia Episcopus tenetur fugientem ad Ecclesiam intra Ecclesiam defendere: ergo non poterit extrahere: & eum sequitur ibi etiam Vitalin. *numer.*
79 70. ubi reprobata opinione Innocentii, dicit, prædicari, ut nemo invitus de Ecclesiis extrahatur, ne dum pro delicto, imò nec pro debito pecuniario propter immunitatem Ecclesiæ, & hanc consuetudinem veluti piam favore Ecclesiæ servan-

dam

dam esse, c. *Ad Apostolicam, de simon.* c. *Super eo de cognat. spirit.* cum simil. & notat Innoc. hic: & mox conclusit idem Vitalinus specialem, & absolutam provisionem esse in hoc c. Super non extractione confugientis, sive sit nobilis, vel ignobilis, sive pauper, vel dives, juvenis, aut senex, Clericus, vel laicus, criminosus, vel ære alieno suppositus. Idem tenet Roman. *cons.* 227. *Spectabilis Domine Collateralis, per totum*, ubi in facti contingentia consuluit quemdam Presbyterum captum in claustro Ecclesiæ gaudere immunitate ecclesiastica; ac propterea fuisse relaxandum, & quia ex adverso dicebatur, quod immunitas Ecclesiæ prodesset laicis duntaxat, non autem Clericis: idem Romanus in *cons.* 134. *Attentendum*, respondit hoc falsissimum, & pluribus probat hoc privilegium commune esse tam Clerico, quam laico, & eum sequitur ibi Mandos. *in Addit.* post Ludovic. Bologn. quem citat in *tractat. de indulgent. col. 3. vers. Hoc etiam probatur*, Remig. *in tractat. de immunitat. Eccles. fall.* 21. & opinionem Romani magis communem esse affirmat Bernard. Diaz *in pract. crimin. c.* 115. relatus a Covar. *var. resolut. lib. 2. c. 20. numer. 16.* & Jul. Clar. *in prax. crimin. §. fin. quæst. 30. vers. Verum quæro*, eamque dicit de jure veriorem Tiberius Decian. *in tractat. criminal. tom. 2. lib. 6. c. 26. tit. de casibus*, qui respiciunt personas confugientium ad Ecclesiam, *num. 21. vers. Puto ego*. Piene Jo. Vischis. *de immunit. num.* 3. ubi sic ait, Stat ergo regula, & vera conclusio, quod Judex etiam Ecclesiasticus non potest fugientem ad Ecclesiam invitum etiam subditum suum, sive Clericum sive laicum extrahere, nec pœnam corporis afflictivam imponere, & *n. 9. & seq.* diluit argum. Abbatis. & *n. 72.* concludit nec Judicem ecclesiasticum etiam disciplinæ causa posse Clericum ab Ecclesia extrahere, & sequuntur plures alii ex junioribus relatis modernis Collectoribus hic.

80 Nititur hæc secunda opinio infrascriptis fundamentis, quæ absque dubio solidiora, ac firmiora sunt.

Primum fundamentum est Romani d. *cons.* 234 *in princ.* & Vitalini in d. Clem. 1. *numer. 70. de pœnit. & remiss.* quia canones prohibentes extrahi reos ab ecclesiis loquuntur generaliter, non distinguendo Clericum à laico, ut *hic*, & in concord. *supra citat. n. 68.* ergo generaliter de omnibus sunt intelligendi, l. *De pretio, ff. de public. in rem action.* cum simil.

81 Secundum fundamentum est ejusdem Romani ubi supra, quia major ratio est in Clerico, ut in Ecclesia capi non possit, quàm in laico; cùm Clericis domus propria quodammodo Ecclesia sit. In domo autem propria neminem capi permissum est, l. *Plerique, ff. de in jus vocan.* l. *Nemo de domo, ff. de regul. jur.*

82 Tertium, & præcipuum fundamentum ex eodem Romano, & ex aliis desumptum est, quia hoc privilegium, ut nullus ab Ecclesia possit extrahi invitus, est concessum loco ipsius Ecclesiæ, quod probant jura allegata in 4. *quæst num.* 61. & constat ex proœmio hujus constitutionis, quæ refertur integra ab Antonio Augustino *in 3. Collect. Decretal. lib. 3. tit. 32. c. Unico*, ibi, Et pro reverentia sacri loci debitas pœnas valeant evitare. Ergo suffragatur cuilibet in Ecclesia existenti sive sit Clericus, sive laicus, facit in simili quod notat. Bart. in l. *final. C. de testam.* & in l. *Cunctos populos, C. de Summa Trinit. & fide Cathol.* & Bald. in l. *Si non speciali, C. de testam.* dicentes privilegia locis concessa ad omnes personas ibi existentes extendi, ad forenses, & extraneos.

83 Quartum fundamentum desumitur ex Genzelino supra cit. in Clem. 1. *de pœnit. & remiss.* & ex Jo. Andr. *hic n. 4.* quia Episcopus tenetur omnes ad Ecclesiam confugientes, & præcipuè clericos defendere: ergo non poterit eos extrahere, quia non debet ille impugnare, qui defendere debet, c. *Conquerente, in princ. supra de rest. spol.* Ad hoc c. *Veniens in fin. de nat. ex liber. ventr. insp.* ibi, Durum est enim, ut si alii pro mercede libertates tribuunt, ab Ecclesia, à qua tueri debent, revocentur, cum concordan. de quibus in glos. ult.

Quintum fundamentum desumitur ex hac Decretali, ubi excipiuntur solummodo latrones publici, & nocturni depopulatores agrorum: ergo in aliis omnibus sive sint Clerici, sive laici firmatur regula in contrarium, ut constat ex dictis supra *num.* 39.

Sextum, & ultimum fundamentum aliis omissis desumitur ab absurdo: nam ex contrario sequeretur, ut Clerici essent deterioris conditionis, quàm laici, imò pejoris, quam Judæi & pagani, qui tamen hoc privilegio gaudent, secundum veriorem
84 & magis communem opinionem, ut conclusum est supra in 4. *quæst.* Et retenta hac opinione uti veriori, & magis communi non obstant argumenta contraria.

Ad primum enim, nempe ad glos. 1. in c. *Nullus Clericorum*, 17. q. 4. Respondetur eam non dicere id, ad quod allegatur, nisi fortè per argumentum à contrario sensu, quod tamen sumere non licet ab auctoritate glos. quæ probabilis est, præsertim ad restrictionem juris communis, ad not. per Jo. And. in cap. *Publicato, n. 18. de elect.*

Ad secundum patet responsio ex dictis in præcedenti quæst. *num. 69. vers. Et ad objectum*, & ex dictis Vital. in Clem. 1. n. 70. *circa fin. vers. Nec obstat dictum* cap. *Inter alia*.

85 Ad tertium, in quo ferè consistit tota difficultas præsentis disputationis, respondent nonnulli Religiosos ad Ecclesiam, vel palatium Episcopi adductos, vel sponte ibi comparentes, ut se in judicio defendant, illuc non confugere eo animo, ut sint tuti in Ecclesia, vel loco immuni. Unde nil mirum si Ecclesiæ immunitate non gaudent, ad quod facit optimè quod notat Vital. in d. Clem. 1. n. 27. *de pœnit. & remiss.* in quæst. An violetur immunitas si captus per Ecclesiam ducatur, & inde invitus abstrahatur, ubi concludit his verbis. Attendo quia iste non confugit ad Ecclesiam, & sic non debet gaudere.

86 Verùm hæc responsio videtur convellere immunitatem ecclesiasticam, quia non tantùm confugientib. ad Ecclesiam, sed etiam in ea residentibus hoc privilegium est concessum, ut in c. *Diffinivit, 17. qu. 4.* ibi, vel residentes inde abstrahere, aut quodcumque nocibilitatis, vel damni, seu spolii residentibus in loco sancto inferre, nec attenditur, qua intentione quis ad Ecclesiam se contulerit, sed satis est, ut modo intendat gaudere illius immunitate, ut dictum est supra *in 4. quæst. de Iu-*
87 *dæo, numer. 60. vers. Tu verò dicas.* Quinimo etiamsi vellet expressè renũciare privilegio immunitatis, & permitteret se capi in Ecclesia, tamē si ibi caperetur,

retur, non obstante illius consensu violaretur Ecclesiæ immunitas, quia privilegium est con-
88 cessum Ecclesiæ, cui ex captura irrogatur injuria, ut constat ex dictis supra *numer: 61. & 84.* & privilegio Ecclesiæ nemo potest renunciare, arg. c.
89 *Contingit, il 1. infra de sent. excomm.* & quatenus immunitas esset etiam concessa intuitu personæ: tamen generale est, ut privilegio in favorem duorum concesso alter altero invito renunciare non possit, c. *Ad Apostolicam*, & ibi gloss. *in ver. Monasterii*, Hostien. *numer: 4. in fin. vers. Sed & ex hoc*, & *numer: 8.* Butr. *numer: 3.* & Abbas *numer: 10. supra de*
90 *regular*, unde si velit non gaudere, exeat sponte Ecclesia; quod bene potest. Nam ut dicit Guil. de Monte Laud. & post eum Vitalin. in d. Clem. 1. *numer: 85. de pœnit. & remiss.* si confugiens sponte se offerat Justitiæ, & de Ecclesia sponte exeat, non censetur violata immunitas; non respectu confugientis, quia beneficio immunitatis solùm gaudet, qui eam petit, & appetit, & volenti non potest fieri dolus, vel injuria, l. *Cum donationis, C. de transactionib.* nec respectu Ecclesiæ, quia cùm non fuerit extractus, sed sponte recesserit, non fuit immunitas violata, & sic nec Ecclesia injuriata, arg. l. *Quod dictum, ff. de pactis*; & ita intelligas quod notant Goffred. & Hostien. in cap. *ult. numer: 1. infra eod.* Ubi quærunt, quid si aliquis volentem de loco immunitatis extrahat, & sic extractum, vel ad mortem, vel ad mutilationem membrorum condemnet, nunquid est offensa Ecclesia? Et respondent non, quia sola violentia punitur, ut hic, & idem sentit Hugo in cap. *Diffinivit, 17. quæst. 4.* & Archid. in cap. *Reum, numer: 1. ead. caus. & quæst.* arg. cap. *seq.* ibi, reluctantem, & concordant in d. cap. *ult. infra eod.* Joan. Andr. *numer: 2.* Butr. *numer: 4.* & Collectar. *numer: 2.* Unde si quis ductus ad Eccle-
91 siam, vel ad Palatium Episcopi, vel sponte ibi comparens ad subjiciendum se examini, vel se defendendum diceret, Ego nolo hinc exire, sed volo frui Ecclesiæ immunitate; utique abstrahi non posset invitus, sicut dicitur de eo, qui dum ad supplicium ducitur, transit per Ecclesiam: nam talis non confugit ad Ecclesiam, sed ducitur nihil cogitans de immunitate; & tamen quia dum ibi existit, intendit gaudere, non potest amodo invitus extrahi secundùm magis communem opinionem, de qua supra *n. 44. & 88.*

92 Igitur & melius argumento Abbatis arbitror sic posse responderi. Religiosi possunt puniri, & carcerari intra claustra, neque per hoc Ecclesiæ, vel monasterii immunitas violatur, quia à loco immuni non extrahuntur: & jura canonica solum prohibent reos ab Ecclesiis abstrahi, ut hic, & in concordantibus supracitatis *in 3. notab.* Castigare autem clericos, aut moderatè verberare etiam in Ecclesia correctionis, vel disciplinæ causa non est prohibitum, ut notat gloss. 1. in cap. *Nullus clericorum, 17. quæst. 4.* & fatetur ipse Abbas in suo argumento contrario, dummodo non sequatur mors, vel mutilatio, ut hic patet, & in cap. *Reum, 17. quæst. 4.* & notat Vitalin in Clem. 1. *numer: 71.*
93 *de pœnit. & remiss.* Quando autem religiosi ex uno monasterio in aliud arctius detruduntur, quamvis extrahantur inviti, tamen loci immunitas non violatur; tum quia hoc fit canone permittente, c. *Qui peccat, 23. quæst. 4.* Tum quia ab uno monasterio, & loco immuni deducuntur ad aliud similiter immune: & ita salva semper remanet Ecclesiæ immunitas, quod clarè explicat Vitalin. in dicta Clem. *prima, num: 71. de pœnit. & remiss.* per hæc formalia verba; & sic salvo opinionem Innocentii, quod contra taliter confugientem potest procedi, & inquiri, & condemnatoria fulminari per judicem ecclesiasticum, & tunc in carcerem detrudendus est, ut pœnam luat. Unde in aliquem locum si sit infra dictam ecclesiam, aut septa ejusdem, detrudetur loco carceris, aliàs extrahatur, & detrudetur in monasterium aliquod, ut ibi sit incarceratus; nec per hoc infringetur ecclesiæ immunitas, quia de ecclesia non extrahitur, ut ad locum privatum deportetur, sed ad monasterium, & sic de Ecclesia non extrahitur, cùm in ecclesia continuè maneat. Per hoc enim, quod confugit, non debet esse delictum impunitum.) Hæc Vitalin. & idem dicendum de clericis sæcularibus, qui possunt castigari, & carceri mancipari intra septa ecclesiæ, vel ad pœnitentiam in monasterium detrudi per judicem ecclesiasticum; & sic de loco immuni ad alium immunem. Per hoc enim ecclesiæ immunitas non infringitur, ut dictum est unde cessat absurdum Abbatis, quia delicta non remanent impunita.

Ad quartum patet responsio ex dictis in responsione præcedenti. Item ecclesia non tuebitur facinora clericorum, quia in criminibus exceptis poterit eos extrahere, & in non exceptis coercere censuris, à pœnis ecclesiasticis, aut pecuniariis secundum ea, quæ dicta sunt supra *in tertio notab. numer. 16.*

Ad quintum, & sextum satis superque responsum est supra in responsione ad tertium & quartum argumentum.

94 Consuetudo autem contraria, cùm sit præjudicialis immunitati ecclesiasticæ non pia, neque laudabilis, sed abusus, & corruptela dicenda est: & ideo est nulla, & impræscriptibilis: etiam si esset tanti temporis, cujus initii non esset memoria, cap. *Cum terra*, & ibi dixi *num. 6. & 7. de elect.* cap. *Cum causa, de sent. & re judic.* cap. *Illa autem, vers. Quod enim, 12. dist.* & cap. *Cùm inter, de consuetud.* Quod de plano procedit post Bullam Urbani VIII. *Romanus Pontifex, editam 5. Iunii 1641.* Per quam sublata est quæcumque consuetudo præjudicialis libertati, & immunitati ecclesiasticæ, etiamsi sit immemorabilis, & cum ea concurrat fama privilegii, ut scripsi plenè in cap. *Consuetudines, n. 59. & 74. supra de consuetud.*

95 Ad ponderationem Constitutionis Greg. XIV. *de immunit. Ecclesiarum* respondetur Constitutionem illam fuisse editam contra Principes sæculares, qui plura indulta, & privilegia extrahendi delinquentes ab Ecclesiis à Sede Apostolica impetrarunt, & illis abutebantur, ut patet ex verbis proœmii: & quia vigore hujusmodi indultorum Principes nullam auctoritatem poterant sibi vendicare in clericos, utpote exemptos ab illorum jurisdictione, sed tantùm in laicos sibi subjectos: propterea Constitutio de laicis tantùm, & non de clericis mentionem fecit. Sed hinc non sequitur ut Clerici non gaudeant immunitate in illis casibus, in quibus gaudent laici. Imo major est ratio in Clericis, ut constat ex dictis supra *in 2. fundamento, n. 83.*

96 Septimò QUÆRO, an in casibus, quibus laici ad Ecclesiam confugientes non gaudent illius immunitate, extractio fieri debeat per judicem Ec-

ecclesiasticum, an verò per judicem laicum. Abb. hic nu. 29. Format hanc quæstionem, sed in solutione decidit solummodo ad quem spectet punitio delicti intra vel extra Ecclesiam perpetrati. & nihil dicit de extractione delinquentis. Cynus verò in l. Præsenti, num. 2. in 2. quæst. C. de his qui ad Ecclesiam confug. distinguit sic: Aut talis deliquit in Ecclesia, & tunc est de jurisdictione Ecclesiastica, & punietur per judicem suum, non per sæcularem: Aut deliquit extra Ecclesiam, & tunc extrahetur per judicem laicum.

97 Sed tu rejecta hac distinctione dicas nullo casu extractionem fieri posse per judicem sæcularem, quia Ecclesia non est de territorio Principis sæcularis, cap. Postulasti, cum ibi not. de for. compet. & cap. Rex debet, 23. quæst. 5. Abb. d. numer. 29. vers. Credo quod non, ubi dicit Ecclesiam non habere territorium, nisi respectu eorum quæ sunt seu pertinent ad forum ecclesiasticum, nec est subdita judici sæculari sed ecclesiastico tantùm ut l. 3. C. de Sum. Trinit. cap. Miror, 17. quæst. 4. cap. Ecclesia S. Mariæ, de Constit. cum plurib. concord. Paul. de Castro in l. Si quis in hoc genus, numer. 4. C. de Episcopis,
99 & Cleric. Ergo judex laicus non potest in Ecclesia ullam jurisdictionem exercere, delinquentes inde extrahendo, quia sic exerceret jurisdictionem extra territorium, l. fin. ff. de jurisdict. omnium judic. cap. Ut animarum, de Constitut. lib. 6. & in Ecclesiam sibi non subditam, cap. A nobis, il primo, in fin. de sentent. excomm. & d. cap. Ut animarum. Unde non evaderet pœnas violantis immunitatem ecclesiasticam Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam, ut in Concilio Tridentino cap. 20. sess. 25.

100 Hodie hoc est expeditum per Constitutionem allegatam Gregorii XIV. de immunit. Ecclesiarum: nam in § 2. vers. Sed universis, disponitur, ut Episcopi, & Ecclesiarum Prælati tam sæculares, quàm regulares, qui confugientes ad Ecclesias aliquod ex criminibus exceptis judicio suo commisisse videbuntur, quando a Curia sæculari fuerint requisiti curare debeant, ut eidem Curiæ tradantur, & consignentur, & in § 4. Disertis verbis statuitur, ut Curia sæcularis, ejusque judices, & officiales ab Ecclesiis, monasteriis, locisque sacris laicum aliquem delinquentem in aliquo ex casibus ibi exceptis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus officialis, & cum interventu personæ ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis ibi expressis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi intervenire, & assistere recusaverint; tuncque reverentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores prædictos delinquentes minori quo id fieri poterit, cum scandalo, & tumultu extrahere curent. & in § 2. statuitur, ut sic a Curia sæculari extracti ad carceres Curiæ Ecclesiast. reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, & opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per Curiam sæcularem detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipse vere crimina superius expressa commiserit: tuncque demum de mandato Episcopi per judicem ecclesiasticum Curiæ sæculari quacumque appellatione postposita consignentur.

Octavò, & ultimò QUÆRO, An violetur immunitas ecclesiastica per violentam extractionem rerum ab Ecclesiis, & locis immunibus adeo ut extrahentes incidant in excommunicationem Bullæ Gregorii XIV.

Palam est immunitatem violari non tantùm per extractionem personarum, sed etiam rerum, ut est tex. in cap. Sicut antiquitus, 17. quæst. 4. ibi: Aut personam hominis, vel bona ejus inde subtraxerit, & in cap. Quisquis, eadem caus. & quæst. ibi: Vel domus, quæ intra prædictos passus fuerit, aliquid inde diripiendo vel auferendo: & infra ibi: Aliqua inde abstulerit: nec non infra ibi: Deposita, vel alia qualibet exinde abstrahunt, damnum no-
101 vies componant, & immunitatem tripliciter. Item sic abstrahentes sacrilegi judicantur, cap. Si forte, & c. Qui rapit, 17. q. 4. Committitur enim sacrilegium auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro, ut legitur in d. cap. Quisquis.

Verum etsi tales ut violatores immunitatis, & sacrilegi de jure communi, nisi emendent, sint excommunicandi, ut in d. cap. Sicut antiquitus, 17. quæst. 4. & notat glos. in cap. Conquesti, in verb. Excommunicatos nuntietis, de sentent. excomm. & scripsi plenius in cap. Cùm pro causa, à numer. 6. eod. tit:
102 Tamen non videntur incidere in censuras Bullæ Gregorii XIV. quia hæc loquitur de extrahentibus personas, nec debet extendi ad eos, qui extrahunt res; tum quia appellatione personarum non veniunt res, ut instit. de jure naturali, §. fin. & de rer. divis. in princ. Unde cum extrahentibus res non adaptentur verba Constitutionis, consequenter nec ejus dispositio adaptari debet, l. 4. § Toties ff. de damno infecto, cum simil. Tum quia Constitutio pœnalis est, & exorbitans à jure communi; & ideo de casu ad casum non extendenda, etiam ex majoritate rationis: textus est notabilis in l. Sed sciendum, ff. Ad legem Pompeiam de Parricid. quem ad hoc ponderat Aretin. in cap. Cùm non ab homine, numer. 59. circa fin. de judic. Facit gloss. in cap. Ubi, in ver. Ejusdem, de ætat. & qualitat. Tum quia non viget tanta ratio in extrahentibus res, quanta in extrahentibus personas: imo qui personas violenter abstrahunt, plus delinquunt, quia inferunt injuriam loco sacro, & personæ simul, cap. Miror, 17. quæst. 4. & ideo plus puniuntur, c. Non afferamus, 24. q. 1. cap. Quæsivit, de his, quæ fiunt à majori parte Capituli, cap. ult. in fine, de excess. Prælat.

103 Cave tamen, quia si abstractio bonorum fieret auctoritativè per ministros Curiæ, vel de mandato judicis, seu Magistratus sæcularis, tam abstrahentes, quàm mandantes, quamvis non inciderent in pœnas Constitutionis Gregorianæ, quæ ut prædixi de personis, & non de rebus loquitur: tamen inciderent in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, §. 17. latam in usurpatores jurisdictionis ad Sedem Apostolicam, vel quascumque ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum pertinentis. Sive enim facultas dandi licentiam abstrahendi res à locis immunibus spectet ad Sedem Apostolicam, sive ad Episcopum, juxta text. in cap. Quisquis, 17. quæst. 4. ibi: Si quis domum Dei violaverit, & aliqua sine licentia illius, cui commissa esse dignoscitur (id est Prælati, secundùm glos. in figuratione casus) inde abstulerit, &c. utroque casu ecclesiasticam jurisdictionem usurpat: & ideo incidit in illud caput Bullæ Cœnæ Domini. Facit textus in cap. 1. supra eodem, & hic junge quæ dixi supra nu. 97 cum duobus seqq.

104 Porrò pro abstrahendis rebus à locis immunibus licentiæ expediri solent per litteras S. Congregationis Immunitatis Ordinario directas sub formula infrascripta, videlicet. Supponendo si per parte di N. di haver ottenuto mandato essecutivo contro li beni, & mobili di N. qual mandato non puol fare essequire per esser stati trasportati detti mobili nella Chiesa, &c. acciò sia rimosso il pregiudizio publico, conservata l'immunità Ecclesiastica potrà V. S. col mezo de' Ministri Ecclesiastici far estraere dalla sudetta Chiesa, ò altro luogo immune le dette robbe, e quelle con inventario consegnate à Giudice competente, affinche sopra di esse si possa esseguire quello sarà di giustitia, concedendo sele con la presente dalla Santità di Nostro Signore la facoltà in ciò necessaria.

DE IMMUNITATE Ecclesiarum, Cœmeter. & rerum ad eas pertin.

Cap. Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1 Ecclesia non consecrata, in qua divina celebrantur, gaudet immunitate, & n. 5.
2 Ecclesia appellatione venit etiam non consecrata.
3 Basilica propriè quæ dicatur. & n. seqq.
4 Monachus appellatur post professionem.
5 Ecclesia non consecrata gaudet immunitate, etiamsi divina officia ibi nondum fuerint celebrat. & n. 8. & 10.
6 Ecclesia non consecrata eodem privilegio gaudet quo consecrata.
7 Et cùm fundata est spectat ad ordinationem Episcopi, & est locus devotus, & religiosus.
9 Statuta Præfecti urbis salvat confugientes ad ipsam.
10 Consuetudo favens immunitati Ecclesiæ tanquam pia servanda est.
11 Ecclesia interdicta gaudet privilegio immunitatis.
Idem in Ecclesia polluta, n. 13.
12 Clericus suspensus, interdictus, vel excommunicatus retinet privilegium fori, & canonis.
14 Ecclesia destructa gaudet immunitate, dummodo subsit spes reædificationis, & auctoritate Episcopi destructa non fuerit.
15 Atrium, & porticus Ecclesiæ adhærens immunitate gaudet.
16 Immunitas in majori Ecclesia ad 40. passus extenditur circumquaque; in minoribus verò Ecclesiis vel capellis ad 30.
17 Nisi Ecclesiæ minores, vel capellæ sint in castellis.
18 Ecclesia gaudet immunitate per circuitum quadraginta, vel triginta passuum, etiamsi cœmeterium minori spatio perstringatur.
19 Nisi infra dictos passus alia domus laicorum interponatur, & n. 30.
Quid servetur de consuetudine.
21 Cœmeterium, & Ecclesia gaudent eodem privilegio, & uno violato censetur & aliud violatum.
22 Immunitatem violat, qui stans extra cœmeterium trahit illum, qui stat intus per partem pallii quæ manet exterius.
23 Oratoria, quæ in domibus privatorum sunt, gaudent immunitate, si auctoritate Episcopi sint constructa. Aliàs secus, n. 25.
24 Oratorium auctoritate Episcopi ædificatum est publicum, & religiosum; nec potest ad humanos usus deputari.
26 Privatum verò hodie est oratorium, & cras potest esse camera.
27 Hospitalia gaudent immunitate, si constructa sint auctoritate Episcopi.
28 Monasteria, & domus religiosæ gaudent immunitate.
29 Palatium Episcopi immunitate gaudet, quamvis sit extra fines Ecclesiæ, vel ultra quadraginta passus, & in eo non sit capella.
Et quid in palatio inferioris Prælati, n. 35. & 36.
31 Familia Episcop. gaudet privilegio fori, licèt sit sæcularis.
32 Palatia Cardinalium an gaudeant immunitate.
33 Et quid in Urbe.
34 Franchitias in Urbe prohibuit Julius III. etiam quoad omnes Principum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales.
35 Archimandrita Messanen. palatium etiam conductitium non fixum, & habens Ecclesiam conjunctam in civitate Messanen. gaudet immunitate Ecclesiastica stante legitima consuetudine.
37 Familiares Archimandritæ gaudent privilegio fori stante etiam consuetudine.
38 Archimandrita in civitate Messanen. degens potest Magistratus coercere censuris suam jurisdictionem turbantes.

1 ECCLESIÆ. Ecclesia non consecrata, in qua divina celebrantur, gaudet immunitate. Hoc dicit secundùm Jo. Andr. Butr. Anchar. Abb. & Joan. de Anan. & sunt duæ partes. Prima ponit dictum; secunda rationem ibi: Quia.

2 Nota primo ex principio text. Ecclesiæ appellatione venire Ecclesiam, licet nondum extite-
3 rit consecrata. Sed Abb. hic numer. 2. dicit hoc verum esse latè sumpto vocabulo: nam strictè & propriè antequam consecretur, non appellatur Ecclesia, sed Basilica; post consecrationem verò assumit nomen Ecclesiæ. Ad quod vide bonum tex. cum gloss. 1 in c. 1. ibi ad basilicam, quæ dedicanda est, supra de religios. domib. ubi Host. numer. 1. post d. glos. primam exponit verbum dedicanda, id est, consecranda: nam tunc demum postquam est consecrata propriè appellatur Ecclesia, antea verò Basilica est: sicut electus in consecratione sua assumit nomen Episcopi, ut c. fin. supra de translat. Episc. & Archiepiscopus in receptione Pallii, no-
4 men Archiepiscopale, c. Nisi specialis, supra de usu pallii, & Monachus nomen Monachi cum professionem facit, quia tunc dedicatur Deo, c. Virginibus, & c. Si quis sacro, 27. quæst. 1. & c. Constitutus, supra de convers. conjugat. & cum Hostien. concordant in d. c. 1. Joan. Andr. numer. 3. Butr. in 1. notab. & numer. 8. vers. Et dicit gloss. & Abb. numer. 1. in 3. notab. & idem Abb. supra in rubr. de consecrat. Eccles. vel altar. numer. 2. Jo. de Vischi in repetit. c. Diffinivit, 17. quæst. 4. Seci in tract. de immunit. Eccles. inter tractatus communes to. 2 fol. 135. Verum etsi cum his

his transeant communiter Doctores, tamen jure non videntur probari, quia sicut Ecclesia dicitur etiam ante consecrationem, ut hic patet, & in c. *fin. supra de consecr. Ecclesia. vel altar.* & c. *Ecclesiam de consecrat. dist.* 1. ita & nomen Basilicæ indifferenter, & promiscuè refertur ad quascunque Ecclesias sive consecratas, sive non, ut c. *Omnes Basilicæ* 16. q. 7. cap. *Perlectis.* §. *Ad Primicerium*, & §. *Ad Thesaurarium*, 25. *distinct.* cap. *Si quis per superbiam* 30. *distinct.*

Unde verius puto Ecclesiam, & Basilicam esse synonyma, ut probatur in c. *ult. supr. de Eccles. ædificand.* ubi tex. pro eod. accipit Ecclesiarum erectionem, ac Basilicarum institutionem, & in c. *Nunc oportet, il secondo ibi. in Ecclesiam seu Basilicam*, 42. *distinct.* ubi Archid. *numer.* 1. (Basilica, inquit, dicitur Palatium Regis; inde dicitur Basilica quælibet Ecclesia, quæ est domus, & palatium summi Regis, & æterni) & ita Archid. accipit nomen Basilicæ pro quacunque Ecclesia; non distinguitur an sit consecrata, nec ne, & sequitur ibi Bellam. *in princ.* & Turrecr. *numer.* 1. & glos. in extravag. *Antiquorum, in verb. Basilicæ de pœnit. & remiss.* nec dissentit Laurentius relatus ibi ab Archid. dum ait Basilicam dici à base, eo quod sit fundamentum omnium Ecclesiarum, vel dicitur Basilica sive regalis, quia ibi Regi regum ministratur secundum Archid. Alii verò dicunt Cathedrales Ecclesias tantùm appellari Basilicas, quia hujusmodi Ecclesias consueverunt reges fundare, & ditare, & in hac opinione fuit Hugo, ut referunt Archid. & Turrecrem. *ubi supra.* Hinc Patriarchales Ecclesiæ in Urbe appellantur Basilicæ, de quibus, & præcipuè de Lateranensi, & Principis Apostolorum ambigi non potest, quin fuerint consecratæ, cùm illarum consecrationis officium in universa Ecclesia celebretur, & de Basilica Principis Apostolorum fit mentio in d. extravag. *Antiquorum, de pœnit. & remiss.* ubi gloss. exponit verbum Basilicam, id est, Ecclesiam: nam propriè est domus regia, vel palatium Regis, sed per translationem dicitur ecclesia, quia est palatium Summi Regis, idem patet ex constitutione prima Gregorii XI quæ incip. *Super universas orbis Ecclesias*; edita super præeminentia Ecclesiæ Lateranensis in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 42. ibi: (Inter omnes urbis, & orbis ecclesias, ac Basilicas etiam super Ecclesiam, seu Basilicam Principis Apostolorum de Urbe supremum locum tenere, &c.) & ex alia Constitutione 93. Pii V. incip. *Infirma, avi conditio*, confirmatoria prædictæ Constitutionis Greg. XI. in Bullar. *tom.* 2. *pag.* 296. ubi pluries fit mentio Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe; & de Basilica Lateranensi patet ex libro Pontificali Damasi Papæ *in libello de munificentia Constantini tom.* 1. *concil. p.* 1. *pag.* 214. *col.* 1. ubi sic legitur: (Hujus temporibus (scilicet Beati Sylvestri) fecit Constantinus Augustus Basilicas istas, quas & ornavit, Basilicam Constantinianam, &c.) & infra *pag.* 215. *col.* 1. (eodem tempore Constantinus Augustus fecit Basilicam Beato Petro Apostolo in Templo Apollinis.) Similiter Ecclesia sanctorum duodecim Apostolorum Urbis Basilica appellatur, ut in c. *Cùm olim, il primo infra de privilegiis.* Ideoque Cardinales Presbyteri scribuntur omnes cum titulo propter unum, qui inscribitur Basilicæ Duodecim Apostolorum Presbyter, ut ibi notat Hostien. *numer.* 1. *in verb. Basilica* & Joan. Andr. *numer:* 3. *in eod. verb.* Et patet ex Constitutione Sixti V. *Rei gestæ* §. 2. in Bullar. *tom.* 2. *pag.* 572. de antiqua acceptione Basilicæ vide tex. in l. *Pediculis*, §. *Item cùm quæreretur*, cum gloss. *in verb. Basilica ff. de aur. & argent. leg.* & in l. *Inter stipulantem*, §. *Sacra, ff. de verb. oblig.*

5 Secundò nota ex textu immunitatis privilegium competere etiam Ecclesiæ non consecratæ, ut hic est casus secundum omnes, & notant Innoc. in cap. *Inter alia in princ. in verb. Ad Ecclesiam, supra eodem*, gloss. 1. in c. *ultim. supra de consecration. Eccles. vel altar.* Sanctus Raymundus *in Summa eodem tit.* Joan. de Friburgh. *in Summ. Confess. rubr. de Immunit. Eccles.* in quæstione utrum Ecclesiæ. Gostred. *in Summ. eod. tit.* §. *Hoc privilegium* Guliel. de Monte Lauduno in Clem. 1. *in gloss.* 2. *de pœnit. & remiss.* Henrich Boich. in hoc c. *numer:* 30. &
6 nullus discrepat. Nam Ecclesia non consecrata eodem privilegio gaudet, quo & consecrata, cap. *fin.* & ibi gloss. 1. *supra de consecrat. Eccles. vel altar.*
7 c. *Ecclesiam de consec. dist.* 1. Hostien. *hic post princ. in ver. Admittitur*, & cùm fundata est spectat ad ordinationem Episcopi etiam antequam consecretur, & est locus devotus, & religiosus c. *Præcepta*, 11. *quæst.* 1. secundùm Archid. in c. *Noverint, numer:* 1. *ead. caus. & quæst.* & Collect. *hic num:* 1. *vers. Vide notat Archid.*

8 Sed dubitatur nunquid ante consecrationem hoc privilegium habeat, si Divina officia ibi nondum fuerint celebrata, & quidem cum tex. loquatur de Ecclesia non consecrata, in qua Divina mysteria celebrantur gloss. 1. arguit à contrario sensu, quod si adhuc ibi non sint Divina officia celebrata, non gaudeat privilegio Immunitatis, & rationem reddit, quia nondum pleuè dedicata videtur divinis obsequiis: & cum gloss. videtur consentire Abb. Antiq. *in princ.* dum sic format casum Qui confugit ad non consecratam Ecclesiam, defenditur ab illa, dummodo ibi Divina officia fuerint celebrata, & hanc partem probasse videtur Clemens Papa IV. qui mandavit, ut effractores Cappellæ Sancti Clementis Trecen. in qua jam celebrabantur Divina, etsi nondum consecrata esset, denuntiarentur excommunicari, ac si consecrata fuisset, ut refert Host. *hic ante nu* 1. *vers. Dominus tamen Clemens*, & in c. *ult: num:* 7. *supra de consecrat. Eccles. vel altar.*

Contrarium tamen determinat idem Hostien. hic in princ. quia sufficit, ut locus sit dedicatus Deo auctoritate Pontificis primarium lapidem imponentis, ut sequentia innuunt ibi, (quia obsequiis Divinis dedicata nullius est temerariis ausibus profananda) arg. c. *Ad hæc, supra de relig. domib.* Neque obstant verba illa textus, In qua Divina mysteria celebrantur, quoniam exponi debent, id est celebrari possunt cùm ad hoc apta sit, non enim tantum consideranda est celebratio Divinorum, quantum dedicatio Deo solemniter facta, ut in tex. nec multum inspicienda est celebratio Divinorum, quod patet in privato oratorio, de quo in 8. ampliatione. Inducit etiam Hostien. quod dicam infra *in* 11 *ampliatione* de Palatio Episcopi, & de Ecclesia interdicta, in qua Divina officia non
9 celebrantur, ut infra *in* 2 *ampliatione.* Item statuta Præfecti urbis salvat, ut §. *fin. institut. de his, qui sunt sui, vel alien. jur.* ergo fortius locus Deo dedicatus, ut *hic*, & in § *Nullus instit. de rerum division.* & multò fortiùs etiam sine aliqua comparatione ipsum corpus Christi, & cum Hostien. per omnia concordant Joan. Andr. *numer:* 4. *vers. in glos.* 1. Collectar. *num:* 1. *vers. Sufficit quod locus.* Henric. Boich. *numer:* 5. *in fin. vers. Et licet.* Bernardus Butr. *numer:* 6. Card. *in* 1. *quæst.* Anch. *num:* 4. Abb. *numer:* 5. & Joan. de Anan. *numer:* 2. *in fin.* Genzelin Guliem. de Monte Laudun. & Joann. de Lignan. in Clem. 1. *de pœnit. & remiss.* Covar. *lib.* 2. *var. resolut. quæst.* 20. *numer.* 4. dicens ita frequentiore interpretum consensu receptum esse, & Remig. *in tractat. de immunit. Eccles. fol.* 15. ubi similiter ait
10 communiter teneri: & sequitur Jul. Clar. *in pract. crimin.* §. *fin. quæst.* 30. *vers. Quæro si constructa.* Et ab hac opinione communi non recedas, cùm etiam servetur de consuetudin. ut post Vitalin. attestatur Remig. *loco citato.* Quæ consuetudo tanquam pia servanda est cap. *Ad Apostolicam, de simon.* cap. *Super eo, de cognat. spiritual.* & notant Innoc. & Hostien. in d. cap. *Inter alia, in verb. Ad Ecclesiam.* Pro qua etiam multum stringit ratio dedicationis, in qua sola se fundat decisio hujus decretalis, ut benè *hic* per Abb. *d. numer:* 5. *vers. Facit judicio meo multum ratio litteræ.* & Joan. de Visch. *in tract. de immunit. Eccles. numer:* 46. Stat igitur regula, quod Ecclesia non consecrata gaudet privilegio immunitatis; & hæc regula ampliatur primò, etiamsi adhuc non fuerint ibi celebrata divina mysteria, ut ex dictis constat.

11 Ampliatur secundò, etiamsi Ecclesia sit interdicta, quia nihilominus retinet hoc privilegium
12 ad instar clerici interdicti, suspensi, vel excommunicati, qui retinet privilegium immunitatis circa manuum injectionem, & circa forum cap. *Dictum*, 81. *dist.* secundùm Goffred. & Vincent. *hic*, & concordat Hostien. *numer.* 3. reddens rationem, quia Deus, in cujus honorem datur immunitas, in aliquo non deliquit, cap. *Quæsivit, de his, quæ fiunt à major. part. capit.* & satis affligitur ex eo, quod sibi debitum pensum subtrahitur, c. 1. *de celebrat. Missar.* nec est addenda afflictio afflicto, cap. *Cùm percussio*, 7. *quæst.* 1. Quod latius prosequitur idem Hostien. *in summa eod. tit.* §. *In quantum, ver. Sed numquid hoc privilegium*, & sequuntur hic Joann. Andr. *numer:* 2. Collectar. *in princ.* Butr. *numer:* 4. Cardin. *numer:* 5. Anchar. *numer:* 3. Joan. de Anan. *eod. numer.* Archid: in cap: *Uxor, nu:* 2. 17. *quæst.* 4. Et ita sequuntur communiter Doctores, ut dicit Abb. *hic numer.* 8. & Joan. de Visch. *de immunit. Eccles. numer:* 49. Summa Angelica, *in verb: Immunitas, q.* 27. & Julius Clar. *d.* §. *fin. quæst.* 30. *vers. Idem dicendum est.*

13 Ampliatur tertiò, etiamsi Ecclesia sit polluta, ut videtur sentire glos. 1. & Abb. *n.* 6. in cap. *fin. supra, de consecr. Eccles. vel Altar.* & tenet Remig. *in tract. de immunit. Eccles. in* 4. *ampliat.*

14 Ampliatur quartò, etiam in Ecclesia destructa, dummodo tamen sine auctoritate Superioris destructa fuerit, & subsit spes refectionis: secus verò si destructa esset Superioris auctoritate, & spes reædificationis non subesset, quia tunc privilegio immunitatis non gauderet: & hæc est communis opinio, ut attestatur Remig. *de immunit. Eccles. fol.* 92. *in* 20. *ampliat.* & Clarus, *d. quæst:* 30. *vers. Majus est dubium:* & pro hac distinctione vide quod scripsi post Innoc. in cap: *Cum ex injuncto, in ult. notab: infr. de nov. oper. nunciat.*

15 Ampliatur quintò, etiam in atrio Ecclesiæ seu porticibus Ecclesiæ adhærentibus, ut est tex. in c. *Si quis contumax:* ibi: De atrio Ecclesiæ, vel de porticibus quolibet modo Ecclesiæ adhærentibus per vim abstraxerit, 17. *q.* 4. & not: Joan. Andr. in cap: *Inter alia, num:* 30. *supr. eod:* qui ex hoc infert, ut pœna insultantis ad domum habeat locum etiam in insultantibus ad porticum, de quo in Speculat: *de injuriis, vers. Pœna in statuto*, & sequitur Abb. *hic n:* 10. *vers. Idem dic quod porticus*, & Jo. de Visch: *de immunit: Eccles. n.* 60.

16 Ampliatur sextò, ut privilegium immunitatis non restringatur ad portas, aut parietes, vel atrium Ecclesiæ tantùm, sed per quadraginta passus in majori Ecclesia, & per 30. in capellis, vel minoribus Ecclesiis extendatur circumquaque, ut est diffinitum in cap: *Sicut Antiquitus*, & in cap: *Diffinivit*, 17. *quæst:* 4. & utrobique notant glos. Archid: & omnes, Hostien: in cap: *Inter alia, num:* 2. & ibi etiam Jo. Andr. *num:* 7. Abb. *in ult: notab:* Felin. *n.* 2. & Marian. Socin. *num:* 10. *supra eodem.* Turrecremata in cap. *Cùm devotissimam, num:* 4. & ibi etiam Præpositus *n.* 2. 12: *q:* 2.

17 Cæterum quod dictum est de immunitate triginta passuum in Ecclesiis minoribus, non habet locum in Ecclesiis, seu capellis, quæ sunt infra ambitum castellorum. Tales enim non habent immunitatem, nisi quantum tangunt parietes Ecclesiæ, cap. *Quisquis*, & cap. *Quæsti*, 17. *quæst.* 4. Et est ratio, quia propter loci angustiam hoc observari non potest, cùm aliquando cœmeterium seu immunitas Ecclesiæ absorbeat totum Castrum, glos. 1. in dicto cap. *Sicut antiquitus*, Abb *hic numer:* 10. Joan. de Visch. *de immunit. Eccles. num:* 57. *in* 8. *notab.*

18 Et quamvis Archidiaconus in d. c. *Si quis contumax*, dicat prædictos passus designatos esse pro cœmeterio; idemque videtur sentire Abb. *hic d. num:* 10. Dum quærit, an Ecclesia gaudeat immunitate, quatenus cingitur muris, & non ultra, & respondet hanc immunitatem habere cum suo cœmeterio, & Ecclesiam majorem habere circuitum quadraginta passuum, & capellas, vel minores Ecclesias 30. Tamen verius videtur etiamsi cœmeterium in spatio minori perstringatur circa aliquam Ecclesiam, nihilominus immunitatem Ecclesiæ extendi ad spatium prædictorum pas-
19 suum, dummodo infra ipsos passus nulla alia domus extranea, id est, laicorum interponatur per tex. in d. cap. *Diffinivit*, 17. *q.* 4. secundùm Joan. de Visch, *ubi supra n.* 59. Nec obstat text. in cap. *Quisquis, eadem caus. & quæst.* ibi, Vel domos, quæ intra præfatos passus fuerint: quoniam intelligitur de domibus clericorum, ut ibi notat glos. *in verb. Vel domos.*

20 Non desunt tamen qui affirment hanc immunitatem 40. vel 30. passuum usu non observari, ut Igneus in l. 1, *in princ. numer:* 58. *ff. ad Syllanian.* quem refert Remig. *de immunitat. Eccles. fol.* 52. *in* 6 *ampliat.* Clar. *in* §. *fin. quæst.* 30. *vers. Hinc est*, ubi dicit non esse ab hac communi consuetudine recedendum, præterquam in domibus Ecclesiæ cohærentibus. Sed certè Sacra Congregatio Immunitatis indistinctè servari jubet immunitatem per circuitum dictorum passuum, saltem in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis: & si qua extaret consuetudo contraria, de illius juribus posset meritò dubitari per ea, quæ scripsi in cap. *Inter alia, n.* 93. *supra eod.*

21 Ampliatur septimò, in cœmeterio: nam Ecclesia & cœ-

& cœmeterium gaudent eodem privilegio, & uno violato censetur & aliud violatum, ut notat Archidiac. in cap. *Si quis contumax*, per illum tex. *num. 2, & 3. 17. q. 4.* Facit tex. in cap. *Cum Ecclesia*, ibi, In Ecclesiis, vel cœmeteriis, *supra eodem*, ubi glos. *in verb. Cæmeteriis*, similiter dicit, Quæ eodem privilegio gaudent cum Ecclesiis. Ad idem cap. *fin.* ibi, In ipsis Ecclesiis, vel earum Cœmeteriis, *infra eod.* Unde hæc rubrica inscribitur, *de immunit. Eccles. & Cœmet.*

22 Hinc si quis stans extra Cœmeterium trahat eum, qui stat intus per partem pallii, quæ manet exterius, dicitur violare immunitatem Ecclesiæ secundùm Vinc. in *c. seq.* cum quo concordant ibi Butr. *num. 4.* Card. *in 1. quæst. num. 3.* & Abb. *num. 10.* Nam & qui sic traheret clericum, incideret in Canonem, ut in cap. *Super, infra de sentent. excommunic.*

23 Ampliatur octavo, etiam in oratoriis, quæ in domibus privatorum habentur: nam & ipsa gaudent privilegio immunitatis, dummodo auctoritate Episcopi sint constructa, ut tenet Vincen. hic relatus a Joan. Andr. *num. 1. in fin.* Allegat cap. *Si hospitale de Eccles. ædifican.* & sequuntur Butr. *hic numer. 3.* Cardin. *in 2. quæst.* Anchar. *numer. 2.* Abb.
24 *numer. 7. vers. Utrum autem*: ubi enim intercedit Episcopi auctoritas, oratorium est publicum, & religiosum, nec potest amplius ad humanos usus deputari, argum. cap. *Ad hæc, supra de relig. domib.* secundùm Abb. in cap. *ultim. numer 4. de censib.* Et de his oratoriis vide quæ plene notavi in cap. *In*
25 *his, supra de privileg:* Secus verò si hujusmodi oratoria non sint constructa auctoritate Episcopi: & ita intelligi debent Doctores, qui simpliciter dicunt privata oratoria non gaudere immunitate, inter quos Goffred. hic per cap. *Unicuique*, & cap. *seq. de consecrat. distinct. 1.* & per §. *Si quis in sua domo*, & §. *Severò* in auth. *de Eccles. titul.* & per cap. *ultim. supra de censib.* cum quo transit Hostien. *hic post princ. vers. Vide oratoria privatorum*, Henric. Boich. *numer. 2. in fin.* Archid. in c. *Uxor, numer. 3. 17. quæst. 4.* Collectar in cap. *Inter alia, numer. 11. supra eod.*
26 Abb. in d. cap. *ultim. numer: 4. supra de censibus*, ubi ait, hujusmodi oratoria non gaudere immunitate Ecclesiastica, & hanc esse communem conclusionem, cum sint loca privata: nam hodie potest esse oratorium quod cras erit camera ad voluntatem domini; & eum sequuntur Remig. *de immunit. Eccles. fol. 26. numer. 10.* & Clar. *in § fin. d. quæst. 30. versu. Sed quid dicendum in oratoriis*, & dicitur censuisse S. Congregatio Episcoporum die 27. Novembris 1617. & S. Congregatio Immunitatis mense Decembri 1631.

27 Ampliatur nonò, in hospitalibus: nam privilegia omnia concessa Ecclesiis ad hospitalia extenduntur, l. *Omnia, C. de Episc. & Cleric:* Abb. *hic numer. 6.* & tenet Archid. in cap. *Diffinivit, num. 1. in ver. In loco Sancto. 17. qu. 4.* per auth. *de Eccles. tit: in princ:* & §. *Ad hoc.* Quod tamen intellige si auctoritate Episcopi sint constructa; aliàs secus, ut notat Innoc. in cap. *Cùm inter dilectos, num. 4. supra de donation ib.* Abb. *hic num: 7.* & in cap. *ult. num: 4. de censib.* Jo. de Visch. *de immunit. Eccles. n. 48. vers. Et placet Panormitano.*

28 Ampliatur decimò in monasteriis, & domibus religiosis, ut cap. *Quisquis, in fin. 17. quæst. 4.* ubi dicitur: Si qui monasteria, & loca Deo dedicata, & Ecclesias infringunt & deposita, vel alia quælibet exinde abstrahunt, damnum novies componant, & immunitatem tripliciter: & velut sacrilegi canonicæ sententiæ subigantur, & notat Archid. in d. c. *Diffinivit, numer: 1. in verb. In loco sancto. eadem caus. & quæst.* ubi dicit nec de hospitali, nec de domo religiosa quem extrahi debere, Jo. de Visch. *d: numer. 48.* & patet ex *Constitut. 7. Gregor. XIV. de immunit. Eccles. in §. 2.* ibi: (Ab Ecclesiis, monasteriis, sacellis, domibus regularibus, locisve sacris, aut religiosis.)

29 Ampliatur undecimò, in domo, seu palatio Episcopi, quod similiter gaudet privilegio immunitatis, ut concludunt DD. per text. in cap. *Id constituimus*, ibi: Et ab ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omnino non liceat, 17. *qu. 4.* Et quamvis nonnulli, quos tacito nomine recenset Innocen. in cap. *Inter alia, post princ. vers. Item dicunt quidam, supra eod.* intelligant hoc verum esse si palatium sit infra fines ecclesiæ, vel infra quadraginta passus per cap. *Episcopus*, ibi: Hospitium quoque non longè ab Ecclesia habeat. 41. *distinct.* & cap. *Episcopus*, ibi: ecclesiæ, cui proximus fuit, *de consecrat. distinct: 5.* & alii ut Hugo relatus à Joann. Andr. in d. cap. *Inter alia, numer: 2. in verb: Ad Ecclesiam*, dicant palatium Episcopi tunc solummodo gaudere hoc privilegio, cum in eo est capella: Tamen communiter tenetur illud gaudere hoc privilegio indistinctè, etiamsi sit extra 40. passus præfinitos, in cap. *Sicut antiquitus, 17. quæst. 4.* Et ita concludit gloss. 1. in cap: *Id constituimus, ead: caus. & quæst.* Cum qua concordant ibi Archid. Bellam. & Turrecr. Hostient. in d. cap: *Inter alia, in princ: in verb: Ad Ecclesiam*, ubi hoc probat validissima ratione, quia aliàs palatium Episcopi nullum privilegium haberet: nam & domus, quæ infra prædictos fines existunt, hoc privilegio gaudent indistinctè, ut c. *Quisquis 17. quæst. 4.* & concordant in d. cap. *Inter alia*, Collect. *numer: 10.* dicens hoc tenendum, Butr: *numer: 9.* Card: *numer: 6.* & Abb. *numer: 30.* ubi ait de hoc non posse dubi-
31 tari: & idem Abbas *hic numer: 9.* ubi approbat primam opinionem glossæ simpliciter, cum tex: in d. cap: *Id constituimus*, indistinctè loquatur: unde in simili secundùm eum & familia Episcopi gaudet privilegio fori, licèt sit sæcularis, ut in cap: *fin.* cum ibi notatis *de off. Archid.* dixi in cap. *Nullus, num: 23. supra de for: competent.* Item cùm hæc materia sit favorabilis, non debet restringi text: in d: cap: *Id constituimus*; sed potius ampliari, cap. *Odia, de reg. jur. lib. 6.* Et hanc opinionem Hostiens. esse communiter receptam attestantur Barbat. *cons. 33. numer. 7. lib. 4.* Remig. *de immunit. Eccles. fol. 70. in 15 ampliat.* Covar. *var. resolut. lib. 2. cap. 20. numer. 5. in fin.* & Clar. *in § fin. d. qu. 30. vers. Scias etiam*; licet subdat cum Covar. sed non benè, contrariam opinionem praxi forensi frequenti omnium usu receptam esse.

32 Ampliatur duodecimò, in domibus Sanct. R. E. Cardinalium: nam sicut delinquentes non possunt extrahi ab Ecclesia, & palatio Episcopi, ita neque à domibus & palatiis Cardinalium; & ita hodie consuetudo communis observat teste Manfredo *in tractat. de Cardin. c. 8. in 18. privil.* & Julio Claro *in §. fin. d. quæst: 30. vers. Item adde.* Sic & privilegium altaris viatici Episcopis, & eorum Superioribus concessum in cap. *fin. de privileg. lib. 6.* Competit etiam Cardinalibus, ut scripsi in c. *Ne pro dilatione, numer. 46. de pænit. & remiss.* Et idem de privil. eligendi sibi Confessorem, de quo in d. cap. *Ne pro dilatione*, & ibi etiam dixi a *nu. 31. usq. in fin.*

33 Verumtamen hoc debet intelligi extra urbem Romam, nam in ea hoc non servatur, ut attestatur Cardin. Tusch. *in verb. Ecclesia, concl. 9. n. 12.* & alii hic relati à modern. collect. *n. 13.* Extat hac de re Constitutio 17. Julii III. contra franchitias in Urbe retinentes in Bullar. *tom. 1. pag. 710.* Qua cavetur ut judicibus causarum capitalium, & quibuscumque aliis justitiæ Præfectis, & ministris quæcumque viæ, & plateæ, ædes, & domus ad requirendos, capiendos, & debitis pœnis afficiendos facinorosos homines diu, noctuque liberæ, & apertæ sint. Idque locum habeat non solum in Baronibus, Domicellis, Comitibus, Ducibus, & Principum Oratoribus, sed etiam in Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, & S. R. E. Cardinalibus.

35 Ampliatur ultimò, etiam in palatio inferioris Prælati jurisdictionem quasi episcopalem habentis, dummodo tamen ita se habeat consuetudo. Tunc enim gaudet privilegio immunitatis, alias secus, quia dictum cap. *Id constituimus, 17. q. 4.* loquitur de domo Episcopi, & non de domo Prælati inferioris. Ideoque S. Congreg. Immunitatis *die 6. Novemb.* 1634. resolvit primum palatium Archimandritale etiam conductitium non fixum, & habens Ecclesiam conjunctam in civitate Messanen. gaudere immunitate ecclesiastica, stante le-
37 gitima consuetudine. Secundò, familiares Archimandritæ gaudere privilegio fori stante etiam
38 consuetudine. Tertio, Archimandritam in civitate Messanæ degentem posse Magistratus coercere censuris ob suam jurisdictionem turbatam: & die 27. *Martii* 1645. eadem Congregatio Immunitatis stetit in decisis.

De immunitate Ecclesiarum.

Cap. Immunitatem.

SVMMARIVM.

1 *Cœmeterium gaudet immunitate Ecclesiastica.*
2 *Immunitas an suffragetur delinquentibus in ipsa Ecclesia, & n. seqq. usq. in finem.*
3 *Intellectus varii hujus cap. & num. seqq. usque ad n. 28*
4 *Immunitate non gaudet committens homicidium, vel mutilationem membri in Ecclesia, vel illius cœmeterio.*
Etiam ex improviso, & non sub spe immunitatis, secundùm opinionem, quæ hodie est approbata, n. 28.
5 *Immunitate gaudent indistinctè committentes in Ecclesia sacrilegium, homicidium, vel aliud crimen, juxta secundam opinionem Goffredi: quæ reprobatur quoad homicidium, n. 6.*
7 *Ob criminis immanitatem receditur à communibus regulis juris.*
8 *Immunitate non gaudent committentes in Ecclesia adulterium, raptum furtum, vel aliud crimen, secundum aliam opinionem, & n. seqq.*
Quæ reprobatur n. 20. & 28.
9 *Puniri quis debet in eo, in quo delinquit, & n. 17.*
10 *Frustrà legis auxilium invocat qui committit in legem, & n. 17.*
11 *Ratio legis ubicumq. est generalior dicto, ad latitudinem rationis extenditur ipsa dispositio.*
12 *Extensio non fit in pœnalibus ex identitate rationis.*
13 *Fallit quando agitur de puniendis delictis.*
14 *Item fallit quando ratio est expressa in lege.*
Et quid si lex simul sit pœnalis, & exorbitans, & minuat Ecclesiæ immunitatem, n. 31.
15 *Immunitate non gaudet secundùm aliquos delinquens in una Ecclesia, & ad aliam confugiens.*
16 *Idem in eo, qui semel deliquit in Ecclesia, iterum delinquit extra Ecclesiam, & postea ad Ecclesiam confugit.*
17 *Immunitate non gaudent graviter in Ecclesia delinquentes, etiam sine spe immunitatis consequendæ.*
Contrarium, n. 20. & 28.
18 *Cessante una ex duabus rationibus finalibus, non cessat legis dispositio.*
19 *Sacrilegium æquè committitur auferendo de Ecclesia rem sacram, vel non sacram; & inter hæc nulla est differentia quoad immunitatem.*
21 *Peccare nemo debet sub spe veniæ.*
22 *Peccatum in Spiritum Sanctum est peccatum obstinationis.*
23 *Immunitate non gaudent qui sub spe immunitatis in Ecclesiis delinquunt, secundùm tertiam opinionem, & n. seqq.*
Quæ reprobatur, num. 28.
Et quando dicantur delinquere sub spe immunitatis, n. 25.
24 *Delinquentes prope Ecclesiam animo ad eam confugiendi secundùm aliquos non gaudent immunitate.*
Sed contra, n. 28.
25 *Delinquens ex proposito in Ecclesia præsumitur hoc fecisse sub spe immunitatis præsumptione juris, & de jure.*
26 *Subveniretur tamen ei si probaretur hoc non fecisse sub spe immunitatis.*
27 *Immunitate non gaudet committens homicidium, vel mutilationem membri in Ecclesia sub spe immunitatis, aliàs secus, secundum quartam opinionem, quæ hodie reprobatur, n. seqq.*
28 *Homicidia, vel mutilationes membrorum in Ecclesia committens, etiam in pura rixa, & sine spe immunitatis consequendæ ex Bulla Gregorii XIV. immunitate non gaudet.*
29 *Constitutio nova recipit interpretationem passivam à jure antiquo, dummodo sit clarum, & non habeat varios intellectus.*
30 *Quod multipliciter intelligitur, illius veritas ignoratur.*

IMMUNITATEM. Summatur ut dicam infra in 3. *lectura, n. 23.* & sunt tres partes. Prima ponit dictum. Secunda rationem, ibi, *Cùm in eo.* Tertia mandatum, ibi, *Mandamus.*

1 In textu ibi, *Vel eorum cœmeteriis*, Nota non tantùm Ecclesiam, sed etiam illius cœmeterium immunitate gaudere, Hostien. *hic n. 1. in verb. Ecclesiis*, Anchar. *n. 2.* Abb. *n. 4.* & scripsi plenius in cap. *Ecclesiæ, n. 21. supra eod.*

2 QUÆRO generaliter an immunitas Ecclesiæ suffragetur illis, qui in ipsa Ecclesia delinquunt.

3 Solutio pendet ab intellectu hujus textus, qui legi-

legitur multipliciter. Quidam enim intelligunt illius decisionem ita dicte in casu solius homicidii, & mutilationis membri, prout sonat littera ibi: Homicidia, vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum cœmeteriis committere non verentur: & hos non tuetur Ecclesia, ut in textu. Ergo per locum à speciali, qui alia delicta ibi committunt, privilegio immunitatis juvantur: & hunc intellectum tenet glos. ordinaria, & singularis in cap. *Frater*, & *Cœpiscopus in ver. Ab omnibus* 17 q. 4. quam dicit esse tenendam, cùm nullum habeat contradictorem: Ludovicus Rom. *cons.* 234. *Advertendum, n.* 2. imò Goffr. *in summ. hujus tituli*, §. *Sed quæritur*, tenet indistinctè, committentes sacrilegium, homicidium, vel aliud crimen in Ecclesia gaudere immunitate: & rationem reddit; quia si Ecclesia repelleret eos, videretur esse auctrix sanguinis; & quia Ecclesiis, & ecclesiasticis personis Sanctitas ignoscendi gloriam derelinquit. l. *Si quis in hoc genus*, C. *de Episcopis, & Cler.* & cum Goffredo videtur transire Archidiaconus in d. c. *Frater*, n. 4. Sed respectu homicidii, & mutilationis dictum Goffredi ait contra textum hic: unde Cardinalis *n.* 2. *circa finem, vers. Sed quia dicit*, & benè, hoc cap. loqui solùm in homicidio, vel mutilatione, & ideo posse restringi, ut locum non habeat in alio casu; sed stet regula, quòd sit locus immunitatis extra duos casus, de quibus in cap. *Inter alia, supra eodem*, scilicet proditi latronis, & depopulatoris agrorum: & sic ait salvari posse opinionem Goffredi, & hanc opinionem esse mitiorem; pro qua facit, quia cùm hoc cap. deviet à communibus regulis juris, & sic odiosum, debet restringi quantum fieri potest, & sic non extendatur extra casum expressum, arg. cap. *Cum de pœnis dist.* 1. & cap. *Odia, de regul. jur lib.* 6. Item ab immunitate delicti semper receditur à communibus regulis juris, ut in l. *Aut facta, in fine ff. de pœnis.*

Quidam verò putant, hunc textum habere locum etiam in adulterio, raptu virginum, furto, & in aliis quibuscumque gravibus delictis; quia etsi loquatur in speciali casu homicidii, & mutilationis membri: tamen illius ratio generalis est ad omnia delicta saltem enormia, ut patet ibi: Cùm in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat: & frustra legis auxilium invocat qui committit in legem: non enim ad supplicandum debet admitti, ubi committere sacrilegium non expavit, ut dicitur in d. cap. *Frater*, 17. q. 4. & *cap. seq.* Et non debeant invenire munimen in loco, quem per scelus despexerunt, ut in Auth. *ut ite. mat. & avia*, §. *Quæ verò ita comperiuntur*. Unde hoc cap. fuit desumptum: quare succedit regula, quòd ubicumque ratio legis, vel Canonis est generaliter dicta, seu dispositio, tunc ad latitudinem rationis extenditur ipsa dispositio texr. est in l. *Regula*, §. *final.* & ibi Bart. & Bald. notant. *ff. de jur. & facti ignorantia*, glos. in Auth. *Cassa in ver. Per Italiam*, C. *de sacrosanct. Eccles.* in l. 1 *in ver. Illyricianas*, C. *Qui num. vel præstat. nemin. lic. se excus. lib.* 10. & in Clem. 1. *in ver. Præsidentes, de refeript.* Roman. *cons.* 174. *Amplissimus Doctor, n.* 3. & in terminis nostris Abb. *hic n.* 9. *vers. Et satu posset dici*. Nec obstat, quòd in pœnalibus non sit facienda extensio ex identitate rationis: secundum opinionem magis communem, de qua latè per Jas. in l. *Cum quidam, col* 2. & *seq. ff. de liber. & posthum.* Quoniam hoc verum non est quando agitur de puniendis delictis: tunc enim materia dicitur favorabilis, & expediens Reipublicæ. l. *Ita vulneratum. ff. Ad leg. Aquil.* & propterea fieri debet extensio, ut per Roman. *cons.* 105. *Viso themate, nu.* 3. Jas. d. l. *Cum quidam, in* 4. *limit.* at. Aym. *de antiq. tempor. in* 4. *par. num.* 96. Rursus id non procedit quando ratio est expressa, ut in textu nostro; tunc enim etiam in pœnalibus fit extensio ex identitate rationis. Alex. in l. *Cum mulier. in* 5. *notab. ff. solut. matrim.* Jas. in d. l. *Cum quidam, in* 5. *limitat.* & Aym. alios citans ubi supra *n.* 107. Quamobrem delinquentes graviter in Ecclesia indistinctè excludi ab immunitatis privilegio sentiunt hic Abbas Antiq. *in pr. nu.* Host. *n.* 1. *in ver. Homicida*, Anchar. *in* 1. *notab.* Abbas Siculus *n* 9. *vers. Et satu posset dici*, Collector. *n.* 1. *vers. Sed Host.* dicens hoc tenere Innocentium, Host. & Doctores juris Canonici, & civilis. Raymundus *in summa hujus tituli.* Jo. Monach. in cap. 2. *n.* 3. *infra eod. lib.* 6, ubi sic ait: (Si autem in Ecclesia, vel Cœmeterio delinquatur, nunquam committens habet ibi immunitatem; & cum eo simpliciter transit ibi Joan. Andr. *n.* 4. *in ver. Exercitent.* Quinimò in hoc passim omnes conveniæ affirmant Covarr. *var. resolut. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 15. *vers. Vigesimoprimo*, & vers. *Vigesimosecundo*: & Julius Clar. *in praxi criminal.* §. *fin. quæst.* 30. *vers. Item quero*; & in sacrilegio, & furto in Ecclesia commisso tenent quidam, quos tacito nomine recenset glos. in d. cap. *Frater, in ver. Ab omnibus* 17. q. 4. & contra Goffredum firmat Host. *hic n.* 3. *in fin. vers. Quid ergo.* Si quis committat furtum in Ecclesia reddens bona rationem, quia furtum nunquam committitur bona intentione; & cum eo transeunt simpliciter Joan. Andr. *n.* 5. *vers. Per prædicta apatet*; & Butr. *n.* 6. *vers. Per prædicta*: item Host. Angel. de Castro inter consilia Pauli de Castro sui patris *in cons.* 458. *Viso casu proposito, n.* 1. *in fin. vol.* 2. dicens textum nostrum habere locum non solùm in homicidiis, & mutilantibus, sed etiam in forensibus in Ecclesia, & ita hic communiter notari; & eum sequitur Clar. *ubi suprà*, licèt eum aliter referat Covarr. *var. resolut. lib.* 2. *d. cap.* 20. *n.* 15. *vers. Vigesimoquinto*: & generaliter in quocumque delicto in Ecclesia commisso, etiamsi non interveniat homicidium, vel membri mutilatio, quicquid dixerit Cardin. contra quem est communis opinio, attestatur Remig. *de immunit. Eccles. in* 3. *fallent. n.* 5. & Clar. *ubi suprà*. Et pro hac opinione de jure civili est textus clarus in Auth. *ut ite. mate. & avia*, §. *Illa quoque, vers. Quæ verò ita comperiuntur*, ibi. (Non enim debent hujusmodi personæ in venerabili loco munimen habere, quem ipsi per scelus proprium despexerunt:) & infra: (Quomodo illis, qui in ipsa Ecclesia tale scelus studuerint perpetrare, permittimus aliquod auxilium ex ecclesiasticis terminis invenire? Sed omnibus modis judicibus eos tradi, & pœnam sustinere, quâ digni sunt, qui sanctissima loca violare præsumunt. Quis enim ibi delinquit, ubi salutem petat?) Et in homicidio, raptu virginum, & adulterio in loco sacro commisis est expressum in Auth. *de mandat. princ.* §. *Neque autem.*

Quod adeò verum est secundùm aliquos, ut si quis in una Ecclesia delinquat, & deinde ad aliam Ecclesiam confugiat, non defendatur ab hac secunda Ecclesia, ut gaudeat ejus immunitate: & est communis opinio, ut ait Remig. *in tract. hujus tit. fol.* 123. *in* 11. *fallentia n.* 2. Cùm enim una sit per

per totum orbem universalis Ecclesia, cap. *Loquitur Dominus*, 23. q. 1. cum suis concordantibus: qui facit injuriam uni particulari Ecclesiæ, omnes offendisse videtur; ut per eum, quem sequitur Clarus in §. *fin. d. quæst.* 30. *vers. Sed si aliquis*; & quamvis Sylvest. *in summa, in ver. Immunitas*, 3. q. 2. *vers. Tertium est*, dicat de consuetudine apud aliquos contrarium servari: tamen ut ait Clar. *ubi sup.* apud Senatum Mediolanensem communis opinio servaretur in practica.

16 Quinimò secundùm alios, qui semel deliquit in Ecclesia, si iterum delinquat extra Ecclesiam, & post delictum ad Ecclesiam confugiat, non debet ejus immunitate gaudere: & ita in facti contingentia decisum fuit per Capell. Tholos. ut *decis.* 422. Item fuit quæsitum, an sit aliquis

17 Procedit autem suprædicta opinio Abbatis Antiqui, & sequacium in quibuscumque gravibus criminibus in Ecclesia quomodolibet perpetratis etiam sine spe, & fiducia consequendi immunitatem; quia hic textus allegat in decisione duas rationes finales, quæ satis militant hoc casu. Prima est, quia in eo debet quis puniri, in quo delinquit. Secunda, quia frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem; quasi dicat, ex quo deliquit in Ecclesia, & per consequens contra Ecclesiam non debet occasione Ecclesiæ aliquod commodum reportare. Hujusmodi enim rationes vendicant nobi locum etiam in eo, qui non deliquit sub spe veniæ. Prima autem ratio, de qua in princ. cap. non fuit finalis, sed impulsiva, qua cessante non cessat dispositio: l. 1. §. *Sextum*, cum gl. 18 *in verb. Causam ff. de postulan.* Et quatenus esset finalis, cum ex quo adsunt duæ aliæ finales, & illarum quælibet per se sufficit, cessante una non cessat legis dispositio, ut in §. *Affinitatis, institut. de nuptiis*, ita Abb. *hic n.* 8. *vers. Sed mihi non multum placet*; cujus intellectum dicit verissimum, & servandum Covarr. *var. resolut. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 15. *vers. Vigesimosecundo*, post Auferium, quem citat in allegata *decis.* 422. Capell. Tholos.

19 Rursus etiì non nulli respecta furti distinguant, an quis furetur in Ecclesia rem sacram, vel prophanam, ut primis tamquam sacrilegus non gaudeat, secundus verò sic, ut noviss. me Mar. Ital. *de immunit. lib.* 1. *cap.* 5. §. 30. n. 75. & Farinac. *in eodem tract. num.* 217. Tamen hæc distinctio non placet, quia sacrilegium æquè committitur auferendo sacrum de sacro, atque auferendo non sacrum de sacro, ut est text. in cap. *Quoquo*, 17. q. 4. Et quamvis lex civilis dicat hoc secundo casu non committi sacrilegium, sed furtum; ut l. *Divi, ff. Ad legem Jul. per.* tamen illud non tenet, ut ait glos. in d. cap. *Quoquo, in ver. Non sacrum*; Item glos. *unica in fin. tod.* l. *Divi*. Rursus ratio, quam reddit Host. videlicet quia furtum numquam potest fieri bona intentione, est nimis tenuis. ut inquit Collect. *hic n.* 1. *in fin.*

20 Tertii dicunt hanc Decretalem vendicare sibi locum non tantùm in homicidio, & mutilatione, sed etiam in aliis omnibus delictis gravibus; dummodo tamen perpetrata fuerint sub spe immunitatis: & hanc sectuæ suffragatur hæc littera ibi. Nonnulli impunitatem sinorum excessuum, per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes: nec non ibi. Qui nisi per Ecclesiam ad quam confugiunt, credederit se defendi, nullatenus fuerant commissuri. Et sic textus loquitur de illis, qui ex industria se conferunt ad delinquendum in Ecclesia, ut ibi sint tuti; & tales non gaudent immunitate, quia nemo sub spe veniæ peccare debet. cap. *Illud in fin. de Cler. excomm. ministr.* & c. *Quemadmodum quis, de consecrat. dist.* 4. Non est ergo his subveniendum, neque parcendum; quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi. cap. *Est injusta*, 23. q. 4. c. *Ut clericorum, supra de vita, & honest. clericor.* Imò 22 voluerunt quidam hoc esse peccatum in Spiritum Sanctum, dicente Scriptura: Maledictus homo qui peccat in spe. Dic tamen propriè peccatum in Spiritum S. esse peccatum obstinationis, quod nec remittitur in hoc sæculo, nec in futuro. cap. *Qualis*, 25. *dist.* cap. *Sciendum, de pœnit. d.* 2. & hic necatat Abbas *in* 1. *notab.* & hunc intellectum putat hic Butr. *in* 1. *notab.* & idem Abbas in c. *Inter alia*, *n.* 21 *supra eodem*, quem dicit esse communem Remig. *de immunit. in* 3. *fallentia, n.* 3. & eum probant Jo. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Imol. Abb. & Jo. de Anan. qui propterea hic summant hanc Decretalem, videlicet; Qui sub spe immunitatis in Ecclesiis, vel Cœmeteriis delinquunt, immunitate non gaudent.

24 Quinimò nonnulli hoc extendunt etiam ad eos, qui prope Ecclesiam delinquunt animo ad eam confugiendi, inter quos Hostien. *in summa hujus tituli*, §. *in quantum, n.* 8. Anchar. *hic n.* 3. *vers. Quid ergo si non in Ecclesia*. Henric. Boich. in cap. *Ecclesia n.* 11 *supra eodem*; & alii, quos refert, & sequitur Remig. *ubi supra in* 2. *fallentia*, Navarr. *in manuali, c.* 25. *n.* 22. *vers. Neque qui prope Ecclesiam delinquit*. Covarr. *var. resol. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 14. *vers. vigesimosexto.*

25 Quòd si quæras quando quis dicatur delinquere in Ecclesia sub spe immunitatis, ita, ut alias non delictum non committeret; respondetur, eo ipso quod deliberatè, & ex proposito in Ecclesia delictum committit, præsumitur sub spe immunitatis hoc fecisse: & hæc est præsumptio juris, & de jure, quæ non admittit probationem in contrarium; nam etsi de hoc non constet, & delinquentis ejus voluntatis non esset; nihilominus locum habeat casus in textu expressus, ibi: Cùm in eo, & ibi: Frustra legis auxilium; quæ finales fuerunt hujus statuti. Ita notabiliter Host. *hic n.* 3. *in ver. Quæ nisi*: & in ver. *Cùm in eo*, Jo. Andr. *eadem n. in ver. Nullatenus*; & *n.* 5 *versum* glos. *vit.* Collect. *n.* 1. *post medium, vers. Sed potest dici*, Butr. *n.* 4. *vers. Quid si non facit*, Cardin. *n.* 4. *in* 3. *quæst.* An. Anchar. *n.* 4 & communiter DD. ut Abbas tellatur *n.* 8. *vers. Videtur tamen postea dicere.* Subdit tamen Host. ubi supra post Goffred. delinquenti in Ecclesia subveniendum forte si probaretur hoc fecisse non sub spe immunitatis, pura nullas habeisset inimicitias, sed ex verbis ibidem inter eos de novo ortis ad homicidia pervenerint; & cum Host. concordant Jo. Andr. *n.* 2. Butr. *n.* 4. *in fin. vers. Subveniatur*, & *n.* 5. *circa fin. vers. Host. dicit*, & Cardin. *n.* 4. *in* 3. *q. & n.* 6 & hanc dicit esse communem opinionem Remigius *in tract. hujus tituli fallent.* 1. *n.* 3. quamvis, ut inquit Clarus in d. §. *final. quæst.* 30. *vers. Item quæro* apud Senatum Mediolani hoc non posset in practica obtineri; quia semper vidit indistinctè observari, ut qui in Ecclesia delinquit, reputetur indignus, ut ejus immunitate se defendat.

27 Quarti dicunt hoc cap. habere locum, prout loquitur, solùm in homicidio, & mutilatione; non tamen indistinctè, sed in eo tantùm casu, in quo deli-

delicta hujusmodi committuntur sub spe immunitatis consequendæ: & in hac opinione fuit Cardin. hic n. 6. vers. *Aut ergo*; ait enim: Aut constat, quod ex proposito deliquerunt in Ecclesia sperantes immunitatem, eò quòd aliàs non erant commissuri: & non gaudent immunitate, ut hic. Quod tamen intellige in suo casu tantum homicidii, & mutilationis. Aut constat, quod aliàs erant commissuri: & gaudent per hanc litteram.

28 Sed hodie has controversias omnes non obscurè sustulit Gregoriana Constitutio *de immunit. Eccles.* quæ declaravit delinquentes numquam extrahi posse ab Ecclesia, nisi in casibus ibi exceptis: & inter hos recenset committentes homicidium, & mutilationem membri in ipsa Ecclesia; nec distinguit an id faciat sub spe consequendæ immunitatis, an non; nec ullam reddit rationem, sed simpliciter, & absolutè illum casum ex-
29 cipit. Nec obstat si dicatur, Constitutio nova superveniens in materia disposita per leges antiquas, quamvis generaliter loquatur, tamen recipit omnes interpretationes, & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat l. *in contractibus, §. Præterea C. de non numer. pecun.* Jas. in l. *Sciendum in princ. ff. Qui satis dar. cogan.* Castilion. dicens Doctores omnes ita tenere in *cons.* 10. *In facto, n. 5. vers. Ad testamentum.* Unde quemadmodum hæc Decretalis, quamvis loquatur tantùm de homicidio, & mutilatione: tamen ob rationem generalem in ea expressam à pluribusque extenditur etiam ad alia delicta, ut dictum est supra n. 11. Ita & Gregoriana Constitutio sit extendenda. Hæc enim est interpretatio passiva, quæ in omni materia admittitur l. 2. & ibi Bart. *in princ. C. de Noxal.* l. *Jure gratiam, §. Si paciscar, ff. de pactis.* Id tamen non obstat, nam præterquam quod hæc theorica procedit quando jus antiquum est clarum, & inconcussum, non autem quando est controversum, & plures habet intellectus, prout habet hæc Decretalis, ex his, quæ notat Bart. in l. *In ambiguo n. 2 ff. de reb. dub.* & Felin. in cap. 1. *cir-*
30 *ca finem, de Constitut.* Nam quod multipliciter intelligitur, illius veritas ignoratur, ut ex Boetio dicit Baldus in l. *Nec quicquam §. Vbi decretum, in princ. ff. de offic. Proconsul.* & *Legat.* Respondetur cessare omnem difficultatem quia Bulla Gregorii prohibet fieri extractionem ad casus in ea non expressos etiam ex identitate, vel majoritate rationis, ut dixi in c. *Inter alia, n. 53. & 55. supra eod.* Unde ab homicidio, vel mutilatione manifestum est hodie non posse fieri extensionem ad adulteria, raptus virginum, & alia delicta in Ecclesiis perpetrata; & sic corrigitur quod habetur in auth. *de mandato Princip. §. Neque autem*; & in auth. *Vt liceat matri, & aviæ, §. Hu quoque, vers. Quia verò ita compertum est*: licet fortè secus esset in terminis hujus cap. secundum Host. *hic n. 6. in ver. Homicida.* Itaque remanet hodie approbata prima opinio, de qua supra n. 4. ut scilicet non quodcumque delictum in Ecclesia patratum, sed solum homicidium, & membri mutilatio excludat a privilegio immunitatis, sive hæc commissa fuerint animo deliberato, & ex proposito, sive in pura rixa ex improviso suborta, & sive sub spe immunitatis, sive non, cùm Constitutio non distinguat.

31 Adde, quod cùm hæc lex simul sit pœnalis, & exorbitans, non debet fieri extensio de casu ad casum. l. *Sed sciendum, ff. Ad legem Pompeiam, de parricid.* Item quamvis aliàs extensio fieret, tamen fieri non potest ubicumque agitur de adimenda immunitate Dei ordinatione Ecclesiis attributa, ut dixi in cap. *Cùm non ab homine, n. 53. 54. & n. 81. & 82.* post Aretin. *ibi n. 60. & 61. supra de judiciis.*

Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

Cap. Multa.

SVMMARIVM.

1 Exempli causa sunt pauca exprimenda.
2 Pauca dicuntur respectivè secundum subjectam materiam.
3 Conducere aliquem pretio pro aliquo sæculari quæstu an, & quando Clericis, vel Monachis liceat.
4 Contentiones, lites, & rixæ in quibus differant.
5 Clerici patrocinari possunt pro defensione miserabilium personarum sed tamen gratis.
6 Conducere res sæcularium Clericis non licet, nisi cogente necessitate. & n. 29. & 43.
7 Canonicis prohibendum ne Ecclesiæ bona conducant, & locationes sunt irritæ.
8 Conductori laico si Clericus succedat jure hereditario, potest conductione remanere usq; ad præfinitum tempus locationis.
9 Negotiationem etiam justam extra casum necessitatis Clerico exercere non licet. & n. 46.
10 Clausula generalis subsequens aliquibus specificatis omnia comprehendit.
11 Negotiatio est Clericis prohibita de jure Divino, & contra facientes mortaliter peccant.
12 Negotium, & negotiatio quid sit.
13 Negotium quotuplex, & quod sit Clericis interdictum. & n. seqq. usq; ad n. 52.
14 Negotiatio alia mundialis, alia spiritualis, alia temporalis.
15 Negotium sæculare dicitur tribus modis.
16 Clerici in causa sanguinis non possunt esse Advocati etiam pro reo.
17 Causa matrimonii, legitimitatis, juris patronatus, decimarum, & hujusmodi judicando tractari non possunt, nisi à Clericis.
18 Negotium sæculare accipitur largè, strictè, & strictissimè. & n. seqq.
19 Negotium sæculare prout provenit ex carnali concupiscentia non frenata ratione, est omnibus prohibitum, sed præcipuè Clericis. & n. 78.
20 Officium nullum Clerici possunt habere in Republica sæculari.
21 Vniversitatem sæcularem Clerici non constituunt.
22 Laici vacare debent Reipublicæ mundanæ, Clerici verò Reipublicæ spirituali. & n. 90.
23 Negotiatio propriè sumpta in quo differat ab artificio.
24 Negotiatio, seu mercatura quamvis sit permissa laicis, tamen Clericis omnino prohibetur. & n. 51. & 59.
25 Artificium Clericis, & Monachis est permissum, si necessitas subsit, & non sordidè exerceatur. & n. seqq. usq; ad n. 44.

Cle-

26 Clericus artificiolo, vel agricultura sibi victum paret.
27 Monachi S. Basilii ex peculiari sua regula instituto ad victum propriis manibus parandum saltem in communi tenentur.
28 Et agricultura quatenus eis permittatur.
29 Clerici alienarum possessionum conductores, vel administratores esse non possunt avaritiæ causa: Secus ad sui, & non sustentationem. & n. 43.
30 Clerici locare possunt animalia, quæ habent ex decimis, vel successione, aut aliàs sibi data, & eorum fructus vendere. & n. 44.
31 Item si habeant pascua possunt emere animalia, ut illa depascant ad sustentationem suam, suorum, & pauperum. & n. 35.
32 Secus si emant ut tradant ad crementum.
33 Item ad sui, & suorum sustentationem possunt emere equipullum nutriendum, & tabulam pingendam, ut carius vendant.
34 Item possunt agros suos opera laicorum colere absq; reatu illicitæ negotiationis. & n. 38.
35 Item possunt pro ejusdem culturæ usu boves, & alia animalia necessaria coemere, illorumque fætus justo pretio, atque honesta ratione vendere. & n. 39.
36 Item in terris ubi habent quercus possunt sues emere, eosque alere, ac pro sua, & familiæ sustentatione vendere, dummodo ea, &c. & n. 40.
37 Item possunt arborum folia in eorum bonis existentium laico concedere ad medietatem lucri ex bombicibus provenientis. & n. 41.
42 Item possunt suarum arborum foliis arti sericæ operam dare pro sua, & familiæ sustentatione, cum personis tamen non suspectis, & de licentia Episcopi.
43 Item possunt ob suam, suæque familiæ necessitatem terras Ecclesiasticorum conducere, non autem laicorum, nisi ex mera præcisè necessitate.
45 Agriculturæ artem in agro Romano Clerici ex Bulla Clem. Octavi tam per se, quàm per alios exercere possunt in casalibus propriis, & non conductis.
46 Artificio an Clericis vacare liceat extra casum necessitatis. & n. seqq. usq; ad n. 52.
47 Artificium est licitum Clericis, & Monachis ad victum quærendum, ad otium tollendum, ad concupiscentiam refrænandam, & ad eleemosynas faciendas.
Non autem ad purum lucrum. n. 51. & n. 53.
48 Enthusiastarum error ab Augustino damnatus.
49 Manualia opera intelliguntur omnia humana officia sive manibus, sive pedibus, sive lingua fiant.
50 Eleemosynam parare etiam propriis manibus laborando tenentur ex præcepto Clerici, & laici, ut subveniant extremè indigenti.
51 Negotiatio, seu mercatura, nec laicis est licita, nisi ad aliquem finem honestum, vel necessarium.
52 Negotiatio aliàs licita an, & quibus modis fieri possit illicita. & n. seqq. usq; ad n. 77.
53 Negotiatio propter avaritiam, vel alium malum finem est culpa venialis, vel mortalis, prout est ille finis.
54 Negotiatio est opus servile, quod exerceri non potest in Dominicis, & festis diebus.
55 Nisi in nundinis permissis, dummodo Divina non omittantur.
56 Negotiationes maximè nundinarum in Ecclesiis, & cœmeteriis sunt illicitæ.
57 Supellectilia in locis sacris asservari non debent, nisi fortè ad tempus urgente necessitate.
58 Negotiatio redditur illicita ex loco suspecto, & inhonesto.
60 Negotiatio fit illicita ex materia, quæ nec per se, nec cum admixto potest esse utilis.
In venenis an licita sit negotiatio. ibid.
61 Colores an liceat mercari ad colorandam mulierem, vel virum. & n. seqq.
62 Facies naturalis sine peccato alterari non potest. & n. seqq.
63 Opus Dei est quod nascitur, Diaboli quod mutatur.
64 Fucatio ex sui natura est illicita, & prohiberi potest per statutum Episcopi.
65 Non tamen est peccatum mortale, nisi fiat propter lasciviam, vel in Dei contemptum.
66 Oculos sibi depingere non licet.
67 Turpitudinem corporis ex ægritudine provenientem occultare licet, pulchritudinem fingere non licet.
68 Mulierum honestus, pretiosus, & placitus ornatus sine pictura ut viris suis magis placeant, non reprobatur.
69 Sed si fiat ad provocandum alios ad lasciviam est mortale peccatum.
70 Si verò ex levitate, aut vanitate, non semper est mortale, sed quandoque veniale.
71 Emere totum frumentum, vel merces omnes nemini licet, ut coacti alii à se emere, vendant suo arbitratu.
72 Tempore tamen ubertatis potest quis multa victualia emere, ut abundet tempore egestatis.
73 Vel ut aliis possit vendere pretio tunc currenti, dummodo hoc faciat ne in terra sua victualia deficiant.
74 Secus si ut vendat carius.
75 Societatem iniens cum negotiatore, quem scit malæ conscientiæ, tenetur eam dissolvere, si commodè potest; aliàs protestari debet.
76 Negotiationem exercens per se licitam, sed ex accidenti illicitam anteneatur restituere lucrum indè perceptum.
77 Negotiatio quibus Clericis sit interdicta. & n. seqq. usque in finem.
Quid in Clericis in sacris, 79.
Et quid in Clericis minorum ordinum beneficiatis, n. 80.
Et quid in non beneficiatis n. 81. & n. seqq. usque in fin.
82 Clerici minorum ordinum si competens beneficium non habeant, an possint esse Advocati in foro sæculari. & n. 96.
83 Negotiatio est Clericis omnibus prohibita, si habeant unde commodè vivere possint, sive ex beneficio, sive aliunde. & n. seqq. usque in fin.
84 Negotiatorem Clericum quasi quamdam pestem fuge.
85 Nullus est dictio universalis negativa, quæ restrictionem non patitur.
86 Venatio omnibus servis Dei interdicitur.
87 Negotiatio quas ob causas sit Clericis interdicta.
88 Clerici primæ tonsuræ etiam non beneficiati dicuntur milites Dei.
89 Et coronam habent ab institutione Ecclesiæ antequam essent tituli beneficiales.
90 Nec sunt de corpore Reipublicæ mundanæ, sed Ecclesiasticæ.

Nego-

91 *Negotiatio ut plurimum sine mendacio, & perjurio exerceri non potest.*
92 *Ministri altaris Domini sunt non tantùm Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi; sed etiam inferiores Clerici.*
93 *Ordo quilibet prout est Sacramentum, ordinatur ad Sacramentum Eucharistiæ, & n. seq.*
94 *Acolythus suggesta pro Eucharistia, & calices Diaconis præparat.*
95 *Ministeria sacrorum Ordinum ab Ostiariatu ad Diaconum jubentur à Concilio Tridentino exerceri per constitutos in dictis ordinibus.*
96 *Intellectus*, cap. 1. de postul.
Conditio respiciens unum, & determinatum finem, potest adimpleri per æquipollens, ibidem.
97 *Spolia ex Bulla Pij IV. fiunt de bonis Clericorum, ex illicita negotiatione acquisitis.*
98 *Spolia ex Bulla Pij V. non subjacent bona Clericorum, quorum beneficia, vel pensiones non excedunt ducatos triginta; dummodo ab illicita negotiatione abstinuerint.*
99 *Pensio non dicitur beneficium.*
100 *Spolia ex Bulla Pauli V. non subjacent bona Clericorum in Vrbe, vel infra decem milliaria decedentium, etiam sub prætextu, vel causa illicitæ negotiationis.*

1 MULTA. Concilium enumerat multa sæcularia negotia, a quibus jubet Clericos, & Monachos abstinere: & alias non dividitur.

Nota primò, ibi, *de quibus pauca perstringamus*: exempli causa esse pauca exprimenda, cap. *Vnum oratorium*, §. *Criminis autem appellatio*, 25. *dist.* cum aliis hic allegatis in gloss. 1. & per Host. *n.* 4. *in ver. Pauca perstringamus.* Quinimò exempli gratia sufficit unum exprimere, ut l. *Ita vulneratus*, §. *vlt. ff. Ad leg. Aquil.* & tamen quatuordecim hic fue-
2 runt expressa: & sic nota quatuordecim posse dici pauca, secundùm Host *vbi suprà*, & Joan. Andr. *num.* 1. *in ver. Pauca*; sed dicendum est secundùm Abb. *in* 1. *notab. ver. Pauca*, hic fuisse positum respectivè ad negotia sæcularia quæ sunt innumera. Unde respectu ipsorum, & pro subjecta materia, congruè quatuordecim pauca dici possunt: nam respectivè etiam viginti quatuor millia dicuntur pauca, ut in cap. *Disciplina*, 45. *dist.* & adde quod de hac dictione scripsi in cap. *Vt juxta*, n. 32. *de offic. Ordin.*

3 Secundò nota ibi, *pro sæculari quæstu*: non esse licitum Clericis, vel Monachis pretio quemquam conducere pro aliquo sæculari quæstu, ut in littera; sed glos. *in ver. Conducere*, intelligit, & benè hoc verum esse, si fiat conductio ad peccandum, quod non licet etiam sæcularibus, ut cap. *Si ad peccatum*, 22. *q.* 4. Vel si fiat pro quæstu sæculari Clericis prohibito, quod similiter nec per se, nec per alium licet, cap. *Negotiatorem*, & cap. *Fornicari*, 88. *dist.* idem Hostien. *hic n.* 5. *in ver. Conducere*: alias licitè conduci potest Sacerdos, vel illius opera, ut cap. *vlt. infrà, Ne Prał. vic. suas*, nisi sit Prælatus, cap. 1. & 2. *eod. tit.* secundùm Vincent. & Tancred. cum quibus hic transit Jo. Andr. *n* 2.

4 Tertiò nota ibi, *Contentiones*: differentiam inter contentiones, lites, & rixas: nam contentiones consistunt in verbis; lites in iudiciis; rixæ in factis, & percussionibus ad invicem, secundùm Petr. de Sampsone, & Abb. Antiq. *hic in princ.* Jo. Andr. *num.* 2. Butr. *num.* 3. & Abb. Sicul. *num.* 4. Qui tamen addit lites referri posse ad contentiones etiam extrajudiciales, ut in cap. *Sæpe, in fin. de appellat.*

5 Quartò nota ibi, *orphanorum, aut viduarum.* Clericos posse patrocinari pro defensione miserabilium personarum, ut hic, & in cap. 1. *supra de postulan.* Hoc tamen debet gratis præstare, quia id eis permittitur tantummodo ex pietate, ut in cap. *vltimo, eodem tit.* secundùm Petr. *hic*, Joann. Andr. *num.* 2. Ancharan. *num.* 3. & Abbas *num.* 4. Et hinc collige orphanos, viduas, & alias personas miserabiles esse sub protectione Ecclesiæ, ut hic notat glos. in figuratione casus, de quo dic ut scripsi latissimè in cap. *Significantibus, supra de offic. Deleg.*

6 Quintò nota ibi, *Conductores*. Clericis non esse licitum res sæculares conducere, ut hic est expressum, & in cap. *Credo*, & cap. *Cyprianus*, 21. *quæst.* 3. & in Auth. *de sanctiss. Episc.* §. *Aliam*, nisi necessitate cogente, ut notat gloss. *in Summa*, 21. *quæst.* 3. & censuit Sac. Congregatio Concilii, ut dicam infra *n.* 43.

7 Quæ amplius censuit prohibendos esse Canonicos ne Ecclesiæ bona conducant; tum quia negotiarentur lucri causâ; tum quia distraherentur à servitio Ecclesiæ; & locationes factas esse irritas. Si tamen Clerici jure hæreditario suade-
8 rent conductori laico, possent in conductione remanere usque ad præfinitum tempus locationis, arg. text. in l. *Decurio, ff. de Decur.* ubi notabiliter sic legitur; Decurio, qui prohibetur conducere quædam, si jure successerit in conductione, remanet in ea, quod & in omnibus similibus est observandum; & ita hic tenent gloss. *in ver. Conductores*, Host. *n.* 7. *in eodem ver.* Joan. Andr. *n.* 5. *in gloss. Si tamen*, Butr. *n.* 4. *vers. Quæro*, prohibentur, Anchar. *n.* 6. & Abb. *n.* 8. Ad idem text. in l. 1. §. *Sed etsi jure hæreditario*: & quod ibi notat Bart. *n.* 1. *ff. ad leg. Cornel. de falsis.*

9 Sextò nota ibi, *Nec tamen justum negotium.* Clerico non licere extra casum necessitatis etiam justam negotiationem exercere: concordat cap. *Fornicari*, 88. *dist.* & notat Abb. *hic n.* 6. In casu autem necessitatis licet, ut hic est expressum. Sed hoc intellige cùm operatur propriis manibus, seu emit materiam, ut eam reducat ad aliquam formam, ut cap. *Si Clericus victum*, 91. *dist.* cap. *Numquam, de consecr. distinct.* 5. & hic declarant Butr. *num.* 2. & Abb. *d. n.* 6. & idem Abbas in cap. *Secundum, num.* 1. *infra eodem*, & Sylvest. *in ver. Clericus*, 3. *n.* 1. *vers. Igitur clerico negociari non licet*, & Redoan. *de spol. quæst.* 2. *n.* 45. & *seq.* & latius dicam infrà *n.* 6.

10 Septimò nota ibi, *ecce talia, & his similia*, argumentum optimum, quod aliquibus specificatis generalis clausula subsequens omnia comprehendit: ad hoc cap. *Qui ad agendum, de Procur. lib.* 6 & notant *hic* Hostien. *num.* 7. *in verb. Ecce talia*, Joann. Andr. *num.* 4 & Anchar. *in* 7. *notab.* Facit cap. *Sedes, suprà de rescript.* & cap. *vnic. de Commod.*

11 Ultimò nota ibi, *de quibus ait Apostolus*: negotiationem esse Clericis, & Monachis prohibitam secundùm verbum Apostoli, & sic de jure Divino, cap. *Sunt quidam*, 25. *quæst.* 1. & consequenter contrafacientes mortaliter peccare, cap. *Quisquis præcepta*, 14. *q.* 1. cap. *Quæ contra mores*, 8. *d. distinct.* d. cap. *Sunt quidam*, cap. *fin. supra, de consuetud.* dixi in cap. 1. *numero* 42. *de treug. & pace*, Sed etsi hoc esset ex lege positiva, tamen cũ Concilium hic procedat prohibendo, & resistendo, ut patet ibi, *omnino contradicimus*: utiq; illius transgressio est culpa lethalis, ut notat Archid. in c. *Detestanda, numero* 4. *de concess. præben. lib.* 6. Et scripsi plenè in d. cap. 1. *numero* 22. post Hostien ibi *num.* 7. & 9. *in ver. Periculo*, & Abb. *in* 2. *notab.* Et confirmatur quia clerici negotiatores, si moniti non destiterint, sunt excommunicandi, ut in c. *Secundum, infra eodem* Excommunicatio autem non fertur nisi pro mortali peccato, cap. *Nemo Episcoporum* 11. *q.* 3. Et ita per hanc rationem clericum negotiatorem mortaliter peccare, post Petr. de Palude, & S. Antonin. tradit Sylvester *in ver. Clericus*, 3. *n.* 3.

12 Venio ad quæstiones. Et primo QVAERO quid sit negotium, seu negotiatio: Breviter Isidoro authore *in lib.* 15. *Etymolog. cap.* 15 Negotium dictum est, quasi negans otium, ut refertur in cap. *Forum*, §. *Negotium*, & ibi glos. *in ver. Negotium, de verb. signif.* Vnde ex ipsa vi nominis importat privationem otii, & significat actum omnem, cui otium repugnat; & in communi diffinitur esse actus humanus practicus, qui vulgò exercitium dicitur, secundum Sylvest. *in ver. Negotium, in princ.* Specialiter autem ut nunc principaliter intendimus, est commutatio, vel permutatio lucrativa, idest ad lucrum ordinata, ut idem Sylvest. diffinivit *ubi supra*: nec differunt negotium, & negotiatio secundum eum, nisi tamquam cõcretum, & abstractum, sicut justum, & justitia, æquum, & æquitas. Vnde negotium, & negotiatio promiscuè usurpantur, ut in l. 3. *ff. de negot. gest.* cum simil. Alias tamen negotium in causis, negotiatio in commerciis, dicitur, ut legitur in d. c. *Forum*, § *Negotium.*

13 Secundò QVAERO quotuplex sit negotium, & quod sit clericis iterdictum.

Tametsi negotia sint innumera, cùm plura sint, quàm vocabula, ut l. *Natura, ff. de præscript. verb.* & hic per Ioann. Andr. *numero* 1. *in ver. Negotia*
14 tamen ad certa genera reducuntur. Vnde S. Antonin in 2. *par. tit.* 1. *cap.* 16. *ante* §. 1. *vers. Sciendum*, dixit triplex esse genus negotiationis. Prima est mundialis, & scelesta, & ideo cavenda. Secunda spiritualis, & honesta, & ideo exercenda. Tertia temporalis, & modesta, & ideò permittenda: & unumquodque membrum latè prosequitur.
15 Sed quod pertinet ad sæcularia negotia, de quibus agitur in hoc cap. & *infra eod. per tot.* Innoc. *hic in princ.* & post eum Hostien *num.* 2 & Ioan. Andr. *supra in rubr. eod. num.* Dixerunt negotium sæculare dici tribus modis Primò enim dicitur sæculare negotium quilibet actus sæcularium rerum, de quibus hic plures enumerantur: & ab his, si sint illicita, & turpia, proculdubio clerici omnes abstinere debent. Secundò, negotium sæculare dicitur judicium de rebus sæcularibus: & hoc tractare possunt clerici omnes inter clericos tantum, ut cap. *Sicut enim*, §. *Ex his*, 11. *quæst.* Tertiò, dicitur sæculare negotium quod est sæcu-
16 larium hominum, & inter sæculares: & ex his negotiis aliqua sunt criminalia, aliqua civilia: criminalia ubi agitur de sanguine, sunt clericis interdicta, cap. *Sententiam, infra eodem* adeo ut nec pro reo possint esse Advocati, ut notatur per Hostien. in cap. *Ad audientiam*, §. *fin. infra, de homicid.* Ex
17 civilibus verò aliqua spectant ad forum Ecclesiæ tantum, ut causa matrimonii, & legitimitatis, cap. *Tuam, supra, de ord. cognit.* cap. *Lator, infra Qui fil. sint legit.* Iuris patronatus, cap. *Quantò sup. de iudic. Decimarum*, c. *Quoniam*, & c. *A nobis, de decim.* & talia judicando tractant clerici tantum, & non alii, ut in juribus præalleg. Aliqua verò sunt principaliter de foro sæculari: & in his non licet clericis se immiscere, nisi in casibus, ut notatur in cap. *Cum sit generale*, & cap. *Ex tenore, supra de foro compet.* Alio modo sæcularia negotia distinxit glos. *in Summa*, 21 *q* 3 quæ judicio Abbatis *supra in rubr. antemed.* Materiam plenè evacuat.
18 Sed ipse Abb. ibi utitur alia distinctione: nam secundum eum sæculare negotiũ sumi potest largè, & strictè. Et quidem largè dicitur sæculare negotium quidquid provenit ex carnali concupiscentia non subjecta fræno rationis; & hoc innuit littera hujus textus *in princ.* Dicitur autem negotium sæculare, quia per illud omnino vivitur sæculariter, idest secundum sæculum, & mundum, seu carnem, non autem secundum Deum &
19 spiritum: & hæc prohibentur etiã laicis, ut patet ex multis, quę hic enumerantur, sed præcipuè clericis. Strictè verò accipitur sæculare negotium, ut comprehendat quidquid pertinet ad rempublicam mundanam, & sæculares homines; & hoc quamvis permissum sit laicis, tamen clericis est
20 interdictum. ut cap. *Fornicari*, 88. *dist.* & l. *Placet, Cod. de Episc. & Cler.* ubi clerici nihil commune habere dicuntur cum publicis actionibus, vel ad Curiã pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi. Atque ita nullum officium possunt habere in Republica sæculari, ut ibi probatur, & in hoc c. & in c. *Reprehensibile*, 23. *q.* 8. & cap. *Tot*, 23. *q* 3. & notat Anchar. in cap. *Sicut te, num.* 1. *vers. Quæ-*
21 *rit gloss. infr. eod.* & adde Innoc. in cap. *Dilecta, num.* 9. *de except. Prælat.* ubi ait clericos non constituere universitatem sæcularem; unde vacare
22 debent Reipublicæ spirituali, laici verò reipublicæ temporali, argum. cap. *Duo sunt genera*, 1. *q.* 1. cap. *Convenior*, & d. cap. *Reprehensibile*, 23. *q.* 8 cap. *Duo sunt*, 10. *dist.* & cap. *Solitæ, de maior. & obedien.* Confert textus in l. *Consulta Divalia, Cod. de testam.* ubi scriptum legitur absurdum esse si promiscuis actibus rerum turbentur officia, & alii creditum alius subtrahat, & præcipuè clericis, quibus opprobrium est, si se peritos velint disceptationum forensium ostendere; sequitur supra dictam distinctionem Sylvest. *in ver. Clericus*, 3. *num.* 1. Sed illi addit tertium membrũ, quod Abbas omiserat. Dicit enim sæculare negotium tertio loco
23 sumi strictissimè pro exercitio mercatoris, seu negotiatoris, de quo loquitur textus in cap. *Forum, de verb. signif.* ibi. (Negotiatio in commerciis dicitur, ubi aliquid datur ut majora lucrentur.)

Sed ego hoc tertium genus negotii sæcularis subdistinguo in duas species, videlicet in negotiationem propriè sumptam, & artificiũ, de quibus Gratianus diversas conscripsit distinctiones, nam de negotiatione egit in *dist.* 88. de artificio verò *in dist.* 91. quas species non obscurè distinxit S. Th. *in* 2. 2. *q.* 117. Nã de negotiatione formavit articulum secundum, an liceat Monachis negotiari; de artificio verò articulum tertium, an Monachi teneantur propriis manibus laborare: negotiatio pro-

propriè dicitur cum emitur res, ut omnino integra, & immutata carius vendatur, ita ut ex sola transmutatione de persona in personam sequatur lucrum.

Artificium vero dicitur, cum emitur res, ut inde habeatur materia ad operandum propriis manibus, eamque reducendi ad aliam formam: habetur in c. *Ejiciens, 88. dist.* ubi dicitur: (Quicumque rem comparat non ut ipsam rem integram, & immutatam vendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi, ille non est negotiator: qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram, & immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur.) Hæc ibi. & notant glos. Butr. Abb. & alii proximè citandi, & Anchar. in c. *Secundum instituta in 1. notab. infr. eod.*

24 Negotiatio propriè sumpta quamvis sit permissa laicis, tamen Clericis, & Monachis omnino prohibetur, ut *hic*, & *88. dist.* per totum: & præsertim in c. *Fornicari*, ubi dicitur: Antequam quis ecclesiasticus sit, licet ei negotiari, facto jam non licet: & notat glos. *1.* in c. *Canonum 14. q. 4.* Butr. *hic num. 2. vers. Solutio*, & Abb. *n. 6. vers. Intellige*, & *num. 10. vers. Sed illicitum est*, Sylvest. *in ver. Clericus 3. n. 1. vers. Tertiò adde, & num. 2.* & Tabiena si-
25 militer *in ver. Clericus 5. vers. Tertio*. Artificium verò si necessitas subsit proculdubio Clericis, & Monachis est permissum: unde in c. *Clericus il..,*
26 *91. dist.* sic legitur. Clericus victum, & vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura absque officii sui detrimento paret. & in c. *seq.* Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus artificiolo victum quærat. Unde ibi præcipitur, ut omnes Clerici, qui ad operandum invalidi sunt, & artificiola, & litteras discant: & de Monachis Hieronymus *ad Rusticum Monachum de vivendi forma*: (Cur, inquit, tu in usus tuos cellula non præparas? Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus; sarciatur humus; areolæ æquo limite dividantur, in quibus cum olerum jacta fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ.) & infra: (Inserantur infructuosæ arbores gemmis, vel surculis, ut parvo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare alvearia, ad quas te mittunt Salomonis proverbia, & Monasteriorum ordinem ac regiam disciplinam in parvis disce corporibus: texantur & lina capiendis piscibus: scribantur libri, ut & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur.) Hæc Hieronymus & refertur in cap. *Numquam, de consecr. dist. 5.* & ibi immediatè subnectit: (Aegyptiorum Monasteria hunc morem tenere, ut nullum absque operis labore suscipiant.)

27 Hodie in diœcesi Hispalensi Monasteria Eremi del Tardon Ordinis S. Basilii servant hoc laudabile institutum vivendi ex labore manuum suarũ, de quibus Clemens VIII. in suis litteris sub datũ Tusculi sub annulo Piscatoris die 23. Septembris 1603. Pontificatus sui anno duodecimo. c. 4. sic ait (Quærendi victus solertia (ut verba S. Basilii de Institutionibus Monachorum sermone 1. referamus) his, qui in hujusmodi vitæ genere degant, ea maximè conveniens judicanda est quæ præscripta est ab Apostolo, nimirum ut manibus laborantes panem suum honestè manducent, exquo & aliis dicti Patris locis declaramus Monachos S. Basilii ex peculiari suæ regulæ instituto ad victum propriis manibus parandum, saltem in communi teneri. Atque ita juxta præsentis reformationis statuta jubemus observari in illis artibus quam etiam S. Basilius cõcedit, præcipuè quæ intra domum exerceri possunt, veluti texendi, plectendi, suendi, sarciendi, & aliis secundum locorũ
28 & temporum exigentiam. Cum autem S. Basilius agriculturam, quia ea facillimè res ad usum necessariæ haberi possunt, cõcedat, modò ea, neq; a vicinis, neq; ab accolis tumultus afferat aut turbas; nos eandẽ ad frumentũ, vinũ, mel, oleũ, & cæteros agri fructus comparandos permittimus.) Hæc ibi:

29 Similiter clerici possunt recipere possessiones excolendas ad quartam, vel quintam partem, & hujusmodi aut eas conducere ad sustentationem sui & suorum, arg. c. *Pervenit 88. dist.* ubi Clerici & Monachi prohibentur propter turpis lucri gratiam alienarum possessionum conductores esse, vel substantiarum sæcularium gubernationes suscipere avaritiæ causa: ubi gloss. ponderans verbum *avaritiæ*, dixit: nam propter necessitatem bene possunt, ut c. *91. dist.* & tenent Host. Abbas & alii in c. *Secundum instituta, eod.* quos sequitur Sylv. *in ver. Clericus 3. n. 2. vers. Potest etiam recipere possessiones.*

30 Rursus possunt locare animalia, ut oves, & boves; si licet si habeant ex decimis, vel successione
31 aut alias sibi data: Aut si habeant pascua multa, & emant animalia, ut illa depascant, ad sustentationem suam, suorum, & pauperum. Secus si emerent, ut traderent ad crementum, vel ali-
32 ud agerent in fraudem negotiationis: ut post glossam præalleg. Raymun. & Summ. Confess. tradit Redoan. *de Spol. quæst. 2.* & Sylvest. *d. n. 2. vers. Potest*
33 *etiam locare*; ubi etiam addit licere Clericis, scilicet ad sustentationem sui, & suorum rem emere, eamque melioratam cariùs vendere, puta equi pullum nutriendum, vel tabulam ut imaginem pingat, quia in talibus non est negotiatio propriè, sed artificium, ut notatur in cap. *Canonum*, in glos. *1. 14. q. 4.* & in c. *Numquam, de Consecr. dist. 5.* per textum in c. *Clericus victum, 91. dist.* & Ioan. Friburg. *in Summa Confess. lib. 2. tit. 7. q. 41. & tit. 5.*
34 *q. 2. & 3.* Quæ omnia comprobantur ex infrascriptis resolutionibus S. Congregationis Cardinaliũ Tridentini Concilii Interpretum me Secretario editis, videlicet, Presbyteri, & Clerici Terræ Maidæ Neocastren. Diœcesis qui ut plurimum ob loci, personarum, ac temporum qualitatem aliquam ex infrascriptis rationibus ad necessariam sui & familiæ sustentationem coguntur quærere, ad obviandum vexationibus Commissariorum, petunt ut declaretur an liceat eis hæc facere absque reatu illicitæ negotiationis.

Primò, an liceat eis terras patrimoniales, & beneficiales per laicos colere?

35 Secundò, an pro necessario culturæ usu possint emere boves, & alia animalia, & fœtus illorum vendere?

36 Tertiò, an ii, qui in propriis terris habent quercus, & castaneas, quarum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, eosque alere, & pro familiæ sustentatione vendere.

37 Quartò, An iidem Clerici cum foliis suarum arborum possint in propriis ædibus arti sericæ operam dare, vel idem opus alteri ad medietatem committere, ut in illis partibus fieri consuevit.

38 Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad primum censuit licere Clericis agros beneficiorum, & patrimoniorum suo-

rum opera laicorum colere absque reatu illicitæ negotiationis.

39 Ad secundum, posse similiter Clericos pro ejusdem culturæ usu boves, & alia animalia necessaria cœmere, illorum fœtus justo pretio, atque honesta ratione vendere, nec propterea eos prohibitæ negotiationis prætextu vexari posse, aut debere.

40 Ad tertium itidem, posse pro sua, & familiæ sustentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, seu distrahendis suibus nihil sordidum, aut indecens ordini clericali exerceant.

41 Ad quartum, licere Clerico arborum in propriis bonis existentium folia alicui laico concedere eo pacto, ut lucrum, quod ex bombicibus proveniet, inter utrumque dividatur; ac pariter
42 eidem licere earumdam arborum foliis per seipsum, absque officii sui dumtaxat detrimento, ac pro sua, & familiæ sustentatione arti sericæ operã dare, dum tamen in artificio hujusmodi personas non suspectas adhibeat, & quoad hoc Episcopi licentiam, quæ gratis detur, obtineat.

43 Sed & postea, idest die 21. Augusti 1627. ad exemplum prædictarum declarationum eadem S. Congregatio censuit Clericos pauperes ob suã suæque familiæ necessitatem posse terras ecclesiasticorum conducere absque reatu illicitæ negotiationis: bona verò laicorum non posse, nisi ex mera præcisè necessitate.

44 Item censuit posse retinere, & locare boves, oves, & alia animalia, quæ habent ex successione, vel decimis, necnon fructus illorum vendere absque crimine illicitæ negotiationis.

45 Porrò in territorio, & districtu Urbis, necnon in Latii, Campaniæ, & Maritimæ Provinciis ex Bulla Clementis VIII. *Inter multiplices, § 5 in Bullar. tom. 3. pag. 102* Clerici in casalibus tamen propriis, & non conductis, possunt artem agriculturæ per sese, vel alios exercere, & exerceri facere, nec eis, vel eorum hæredibus per Cameram Apostolicam, seu illius ministros objici, aut imputari potest, quod illicitam negotiationem fecerint, aut spoliis subjaceant; & ars prædicta ipsis Clericis in eorum casalibus licita, & permissa declaratur.

Ex prædictis liquet Clericos posse dare operã negotiationi illius speciei, quæ dicitur artificium, & propriis manibus laborare, si subsit necessitas; & in hoc conveniunt omnes, dummodò nihil sordidum exerceant, per ea quæ leguntur, & notantur in Clem. 1. *de vita, & honestate Clericorum*,
46 Sed dubium est numquid eis hoc liceat cessante necessitate. Affirmat S. Antonin. *in 3 par. tit. 13. c. 2. § 2.* Dum tamen propterea non desint ab officio divino, ut 91. *dist.* per totam, & c. *Numquã, de Consecr. dist. 5.* Sequitur novissimè Prax. Episcopalis, *c. 63. de cler. negotiat. n. 3.* & videtur ex mente glossæ in c. *Canonum 14. q. 4.* nam cùm textus ibi dicat: Quicumq; in Clero esse voluerit emendi vilius, vel vendendi carius studio nõ utatur, Glos. exponit verbũ, *vendendi* (Scilicet in eadẽ forma, sed in rudi materia possunt emere coriũ, & chartas, & inde facere sotulares, & libros; ut c. 1. 21. q. 1. & c. *Clericus 91. dist.* nec est negotiatio, sed artificiũ.) Hactenus verba glossæ, quæ, ut vides, se non restringunt ad casum necessitatis. Sed in oppositum videtur hoc capitulum, ubi justũ negotium non esse Clericis contradicendum propter necessitatem; & justum negotium exponitur, scilicet artificium operando propriis manibus, prout exponunt Butr. Abb. & Sylvest. supracitati in *6. notab.* Item contra videtur textus in d. c. *Clericus victum 91. dist.* ubi permittitur Clerico victum sibi quærere artificiolo absque officii sui dumtaxat detrimento; & ita ad hoc duo requirit, videlicet ut victum paret, & ab officio non desit. Obstant etiam suprascriptæ resolutiones S. congregationis, quæ non concedunt Clericos posse artificio vacare, nisi ob suam, vel suorum necessitatem.

47 Sed ego materiam altiùs exordiendo, ex mente S. Thomæ in 2. 2. *q. 187. art. 3.* assero, laborem manualem ad quatuor ordinari. Primò, & principaliter ad victum quærendum unde primo homini dictum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* & in Psalm. 127. *Labores manuum tuarum, quia manducabis*: & secundum hoc dubitandum non est, quin Clericis, & Monachis liceat operari manibus propriis. Ait enim Apostolus Act. 20. *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*: & habetur transumptivè in c. 1. *in fin. 21. q. 1.* & in c. *Cum Apostolus, sup. de Censib.* & fusiùs ostensum est supra
48 *n. 25.* Unde error Enthusiastarum dicentiũ nullum laborem manuum Monachis esse licitum, etiã sustentandæ vitæ causa, sed orationi semper illis esse insistendum, meritò damnatur ab Augustino *in lib. de Oper. Monach.* nam in principio illius libri testatur se ibi loquuturum contra hujusmodi
49 errorem, qui Carthagine oriebatur. Sub opere autem manuali intelliguntur omnia humana officia, ex quibus homines licitè victum lucrantur sive manibus, sive pedibus, sive lingua fiant. Cùm enim manus sit organum organorum, per opus manuum omnis operatio intelligitur, de qua aliquis licitè potest victum lucrari, ut per D. Thom. *d. art. 3. in corp. vers. Sciendum tamen.*

Secundò, labor manualis ordinatur ad tollendum otium, ex quo multa mala oriuntur; unde dicitur Eccles. 33. *Mitte servum tuum in operationem ne vacet, multam enim malitiam docuit otiositas.* Et ad hunc finem similiter certum est licere Clericis, & Monachis operari manibus propriis: unde Hieronymus *ad Rusticum Monachum*: (Fac, inquit, aliquid operis, ut semper te Diabolus inveniat occupatum,) ut refertur in c. *Numquam, de Consecr. dist. 5.*

Tertiò ordinatur labor manualis ad concupiscentiæ refrænationem in quantum per hoc maceratur corpus; unde 2. ad Corinth. 6. *In laboribus, in ieiuniis, in vigiliis, in castitate*: & eodem modo secundum hoc Clericis, & Monachis labor manualis proculdubio est laudabilis: unde in Monasteriis Aegypti nullus suscipiebatur absque opere, & labore, non tam propter victus necessitatem, quàm propter animæ salutem, ne vagarentur perniciosis cogitationibus; ut legitur in d. c. *Numquam, de Consecr. dist. 5.*

50 Quartò, labor manualis ordinatur ad eleemosynas faciendas; unde dicitur ad Ephes. 4. *Qui furabatur iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Et ad hunc finem labor manualis non tantum est Clericis, & Monachis permissus, arg. c. *Decrevit, 88. dist.* c. *Pervenit, vers. Nisi forte, 86. dist.* sed in aliquo casu

cadit etiam sub præcepto, secundùm D. Thomã 2. 2. q. 178. d. art. 3. in corpore ad fin. videlicet si ex necessitate eleemosynam facere tenerentur, nec aliunde possent habere unde pauperibus subvenirent, quia in hoc casu obligarentur Monachi, & sæculares: ad hoc c. *Pasce*. 86. *dist.* c. *Immolans, ad fin.* 14. *q.* 5. & l. *Necare, ff. de liber agnoscen.* Ex prædictis collige laborem manualem non esse permissum Clericis, vel Monachis, si ordinetur ad lucrum tantum, ita ut ultimus finis sit lucrum: & ita intellige hoc capitulum, dum permittit eis justum negotium, scilicet artificium, propter diversas necessitates, ut satis ostensum est supra *n* 9.
1 *& n. 46. vers. Sed in oppositum*: & meritò, quia negotiatio quamvis sit permissa laicis, ut c. *Fornicari*, 87. *dist.* tamen hoc habet locum, si ordinatur ad aliquem finem honestum, vel necessarium: secus si ad merum lucrum; ut egregiè probat S. Thom. *in 2. 2. q. 77. art. 4.* quem refert, & sequitur Abb. *hic n. 10. vers. Ex prædictis videtur*, & Sylvest. in *ver. Negotium, n. 1.*

52 Tertiò QUÆRO, An negotiatio aliàs licita possit aliquando fieri illicita.

53 Solvit Innoc. *hic n. 3.* dicens negotiationes honestas posse fieri inhonestas quadrupliciter. Primò ex causa, seu fine, cùm scilicet fit propter avaritiam, idest improbam cupiditatem divitiarum, vel alium malum finem, c. *Quicumque*, 14. *q.* 4. & tunc est peccatum veniale, vel mortale ad eum modum, quo est ille finis, ut per Sylvest. *in ver. Negotiatio, n. 2.*

54 Secundò ex tempore, puta in Dominicis, & festis diebus de præcepto, in quibus non est licita negotiatio, cùm sit opus servile, c. 1. *& fin. supra de fer.* Quod tamen fallit in nundinis, quæ fiunt
55 Superiore sciente, & tolerante, dummodò per hoc divina non omittantur; secus si nundinæ essent prohibitæ, secundum Petr. de Palud. relatum à Sylvest. *eod. n. 2. vers. Tertiò ex tempore.* Item secus in mercatibus, ut est text. in c. 1. *supra de fer.* licet ex prava consuetudine contrarium servetur, ut ibi attestatur Host. *num. 2. in ver. Illicito.* & Jo. Andr. *n. 3.*

56 Tertiò ex loco, ut in Ecclesia, in qua nec judicandum est, nec negotiandum: unde & Dominus ementes, & vendentes ejecit de templo. *Io. 2.* Ad hoc c. *Et hoc diximus*, 16. *q.* 8. *&* c. 2. *vers. Cessent in Ecclesiis*, eorumque cœmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum, &c. *de Immun. Eccles. lib. 6.*
57 imò secundum Host. *hic num. 8. vers. Tertiò*: nec supellectilia sunt ibi ponenda, nisi fortè ad tempus urgente necessitate, de quo dic, ut legitur, & notatur in c. 1. & c. *Ecclesia, sup. de Immun. Eccles.* & in c. *de Custod. Euchar.* An autem, & quando negotiari in Ecclesia sit culpa lethalis, consule Sylvest. *in*
58 *ver. Negotium, num. 2. vers. Quartò* Similiter ex loco suspecto, & inhonesto redditur illicita negotiatio l. *Si cum dies*, § *Si arbiter, vers. Si in aliquem locum inhonestum, ff. de arbitr.* sicut & conversatio c. *In omnibus*, 81. *dist.* & c. *Si quis sacro*, 27. *q.* 1. Sylvest. *ubi supra.*

59 Quartò ex persona, puta si sit Clericus, & à fortiori si religiosus, ut in c. *Fornicari*, & c. *Negotiatorem Clericum*, 88. *dist.* & in hoc c. Et *infra eod. per tot.* & abundè ostensum est in præcedenti quæstione.

60 Quintò ex re, seu materia. Sunt enim aliqua, in quibus nullo modo licita est negotiatio, ut in his, quæ nec per se, nec cum admixto possunt esse utilia, sicut sunt aliqua venena, l. *Quod sæpe, §. Veneni mali, ff. de contrah. empt.* l. *Qui venenum, ff. de verb. signif.* & l. *Certè, §. 1. ff. Famil. hercisc.* In veneno igitur, quod potest esse utile cũ admixto, vel etiam in puro pro feris bestiis occidendis, licita est negotiatio: sicut & in gladiis ad sui defensionem, & in coloribus ad colorandam mulie-
61 rem, vel etiam virum pro bono; ita Innoc. *hic n. 3.* cujus theoricam per omnia sequitur *hic* Hostien. *n.* 8. Abb. Antiq. 1. & Abb. Sicul. *n.* 11. & *supra in rubr.* Jo. Andr. *n.* 3. Butr. Card. & Anchar. omnes *n.* 2. Præterquam quoad illud, quod asserit de coloribus pro colorandis mulieribus, & maximè viris, quod nullo modo placet Hostien. *hic n.* 9. &
62 Jo. Andr. *supra in rubr. n.* 4. Cuilibet enim sufficere debet pictura, quam Deus in illius facie naturaliter posuit, & vix potest fieri sine injuria Creatoris, si aliam superponat: sicut de iteratione Sacramenti characterem imprimentis dicitur in c. *Ostenditur, de Consecr. dist.* 4. & c. *Quidam*, 1. *q.* 1. & facit optimè, quod idem Host. notat in *Summa de Sacram. non iteran.* §. *Et quæ sunt iteranda, vers. Sed quid est facere injuriam Sacramento*; & quod scripsi in c. *Statuimus*, *n.* 52. *supra de suppl. neglig. Præl.* Quamobrem Eccles. 4. *Ne accipias faciem adversus faciem tuam*, scilicet faciem picturæ adversus faciem naturalem; & contra faciens timere potest illud Joel 2. *Omnis vultus redigetur in ollam*, idest vultus depictus in ollam infernalem. Hinc Didymus Brachmanorum Rex ad Alexandr. loquens de fœminis suis, quæ minimè ornabantur, sic ait: [Quis potest opus naturæ corrigere? quod si fiat aut infructuosum est, quia vivitur, aut criminosum, quia præsumitur.) Et Cyprianus *de disciplina*, & *habitu virginum* dicit,
63 (Opus Dei est quod nascitur, Diaboli quod mutatur.) Et in libro *de habitu virginum* incipien. *Disciplina Custos, post med.* (Non virgines tantum, aut viduas, sed & nuptas puto, & omnes omninò fœminas admonendas, quod opus Dei, & facturam ejus, & plasma adulterare nullo debeant adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet lineamenta nativa corrumpente medicamine.] Et postea subdit (: Manus Deo inferunt quando illud, quod ille formavit, reformare contendunt: impugnatio est ista divini operis, prævaricatio est veritatis. Deum videre non poteris quando oculi tui non sunt, quos Deus fecit, sed quos Diabolus infecit, de inimico tuo compta cum illo pariter arsura.)

65 Et hanc sententiam Host. & Jo. Andr. probãt Collect. *hic n.* 4. & *supra in rubr.* Butr. *n.* 2. Cardin. & Anchar. *ambo n.* 3. Abb. *hic n.* 11. & idem Jo. Andr. in reg. *Eaque, in n. 8. in Mercur. lib. 6.* ubi ait; fucationem ex sui natura esse malam; & ideo posse per statutum Episcopi prohiberi, nec marito contrarium præcipienti teneri uxorem obedire. Quod fusius prosequitur Alber. de Rosate *in 2. par. Statut. circa fin. quæst. 201. col. 3.* & his adde D. Thom. *in 2. 2. q. 169. art. 2. ad secundũ*, ubi ait: (Mulierum fucatio, de qua Cyprianus loquitur ubi supra, est quædam species fictionis, quæ non potest esse sine peccato: unde Augustin. dixit in *epist. 73. ante med. tomo 2.* fucari figmentis quo rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est: non tamen semper talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum quando fit

fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum, in quibus casibus loquitur Cyprianus.) Hæc S. Tho-
66 mas. Sic Iezabel introitu Iehu audito depinxit oculos suos stibio, ut legitur Reg. 4. c. 9. 30. Item Ezechiel, 23. 40. *Circumlinisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri*; & infra 44. *Et ingressi sunt ad eam quasi mulierem meretricem.*

67 Cæterum adverte, quia ut S. Doctor subjicit, aliud est fingere pulchritudinem, & aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa provenientem, puta ægritudine, vel aliquo hujusmodi; hoc enim est licitum, quia secundum Apost. 1. ad Corinth. 12. *Quæ putamus ignobiliora membra corporis esse, his honorem abundantiorem circumdamus.* Quo fit ut fortè non peccaverit quidam ex Proceribus, qui cum morbo gallico tabesceret, ostro pingebat pallentes genas, de quo san. mem. Vrbanus VIII. festivè fertur dixisse: Foris minio pictus libero, in-
68 tus autem Gallico.

Non tamen Hostien. hic num. 9. & sequaces reprobant honestum, pretiosum, & placitum ornatum mulierum sine pictura; si propterea se ornaverint ut viris suis magis placeant: Sed si ut aliorum oculos ad se trahant, est illicitum, & mortale cap. *Nec solo tactu*, & cap. *seqq.* 32. *q.* 5. Vnde Chrysost. (Mulier si se decoraverit, & vocaverit ad se oculos hominum etiamsi plagam non intulerit, vindictam dabit extremam; Venenum enim obtulit, etsi nullus qui bibat inventus sit.) & concordat B. Thom. in *2. 2. qu. 169. d. art. 2. in corp.* Vbi docet mulierem conjugatam posse absque
69 peccato se ornare ut viro suo placeat: sed non conjugatas mortaliter peccare: si se ornent ea intentione, ut viros provocent ad lasciviam: Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper esse peccatum mortale, sed quandoque veniale.

71 Sextò ultra prædicta negotiatio aliàs licita, fieri potest illicita ex commercio, cum scilicet illud est Reipublicæ damnosum, velut cum quis totum frumentum, aut omnes merces emit, ut coactis aliis à se emere, vendat suo arbitratu. secundum Sylvest. *in ver. Negotium, num. 2. vers. Sexto.* Ad hoc quod legitur, & notatur *in rubr.* & in l. *un.* C. *de*
72 *Monopol.* Verum tempore fertilitatis potest quis multa victualia emere, ut tempore egestatis abundet, exemplo Ioseph in terra Aegypti, ut *Gen. 41.*
73 Quinimo hoc licet non tantum pro usu proprio, sed etiam ut aliis possit vendere eo pretio, quo tunc vendetur ab aliis, dummodo tamen hoc faciat eo tantum fine, ne in terra sua victualia deficiant, puto quia videbat homines propter abundantiam victualia hujusmodi ad exteras gentes transferre, vel dissipare, vel in iis custodiendis de-
74 bitam curam, vel diligentiam non adhiberet: alioquin si nulla utilitate pensata emant, ut vendant carius, peccant omnes, ut legitur, & notatur in c. 1. *de empt. & vendit.* Sed gravius clerici, quam laici cap. *Quicumque*, 14. *q.* 4. Ita Innoc. *hic num. 2.* cui consentiunt Hostien. *num. 7. in ver. Propter necessitates*, Ioann. Andr. *num. 3. in ver. Necessitates*, Butr *num. 4.* Card. *num. 2.* Anchar. *num. 5. &* Abb. *num. 9.* dicens cum dicto Innocentii tramite communiter Doctores.

75 Septimò demum negotiatio fieri potest illicita ex consortio. Vnde qui cum negotiatore, quem scit malæ conscientiæ, societatem inivit, tenetur eam dissolvere, si commodè potest: aliàs protestari debet se non intendere de illicitis lucris participare, argum. cap. *Error*, & cap. *Facientes*, 83. *dist.* Ita S. Antonin. *in 2. par. tit. 1. c. 16. § 2. post med. vers. Si quis etiam Societatem*, & post eum Sylvest. *in ver. Negotium, n. 2. vers. Septimo.*

76 Sed hic incidit dubitatio, numquid exercens negotiationem aliàs licitam, sed aliquo ex suprascriptis modis illicitam, teneatur lucrum inde susceptum restituere, Abb. *hic num. 11. vers. Sed circa primum resolvit teneri*, per ea, quæ dixit post Innocent. in cap. *Quia plerique, num. 34. supra de immun. eccles.* Tu verò dicas non esse in præcepto, ut lucrum per hos modos quæsitum restituatur, aut pauperibus detur, licet sit consilium, secundum Doctores, nisi injustitia committatur pluris vendendo, aut minoris emendo, vel nisi causa excrescentiæ pretii emendo totum aliquid, ut carius venderet, quia tunc tenetur læsis reficere damnum propterea illatum; Fuit enim causa damni alterius injustè, ut benè per S. Antonin. *in 2. part. tit. 1. cap. 16. §. 2. circa med. vers. Et in quatuor casibus*, & Sylvest. *ubi supra*, § *Non est autem necessarium*, & vide Cajet. restitutionis materiam ex principiis explicantem in *2. 2. q. 62. art. 6.*

77 Quartò QUÆRO quibus clericis interdicta sit negotiatio

78 Si negotia sæcularia accipiantur latiori significatione, prout proveniunt ex carnali concupiscentia, res est extra dubium, quia talia indistinctè sunt omnibus prohibita tam clericis, quàm laicis, sed maximè clericis, ut hic patet: nam appetere plus justo pretio, hæc & similia indubitanter interdicta sunt omnibus, secundum Abb. *nu. 12. vers. Ego dicerem.*

79 Verum si negotia sæcularia sumantur strictè pro commutatione lucrativa, seu mercatura, quę permissa est laicis, sed prohibita ecclesiasticis, ut in cap. *Fornicari, 88. distinct.* Tunc quoad clericos in sacris Ordinibus constitutos conveniunt omnes negotiationem esse prohibitam: de hoc enim est casus apertus hic in illis verbis: (Ecce talia, & his similia Ministris Altaris Domini omninò contradicimus.) quæ verba proculdubio includunt Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos. cap. *Tribu*, & cap. *seq. de consecr. dist. 2.* ut hic per Host. *nu. 7. in fin. in verb. Ministris*: cum quo alii transeunt: ad idem cap. 1. ibi, *in Subdiaconatu*, & supra, ubi gloss. *1. vers. De iis, qui sunt in* [illegible], *supra de postulan.* & cap. *Sicut te*, & quod ibi notant Innocen. & alii in ver. *Sacris, infra hoc tit.* & c. 3. 88. *dist.* ubi dicitur; Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus nequaquam sæculares curas assumat.

80 Quo verò ad Clericos Minorum Ordinum siquidem habeant competens beneficium ecclesiasticum similiter concordant Doctores non licere illis negociari per textum in d. cap. 1. ibi, In ordinibus quoque minoribus si stipendiis ecclesiasticis sustententur, *de Postulan.* & hic firmant [illegible], Ioan. Andr. *n. 4. in verb. Ministris*, Butr. *eod. num. 4. vers.* [illegible] *minoribus*, & Abb. *n. 12.* & conferunt quæ de officio Tabellionatus scripsi in d. cap. *Sicut te, n. 26. infr. eod.*

81 Sed si clerici in minoribus ordinibus competens beneficium non habeant, articulus est valdè dubitabilis: nam Hostien. & Io. Andr. proximè citati, videntur tenere hanc probationem restrin-

gi ad clericos in minoribus beneficiatos dumtaxat: & apertius hoc tenet Abb. *num. 12 in fin.* dicens, Clericis in minoribus non beneficiatis mi-
82 nime prohiberi negotia sæcularia alias licita. Moventur omnes per d. *cap. 1. supra de postulan.* ubi clerici in minoribus prohibentur esse advocati in foro sæculari, si stipendiis ecclesiasticis sustententur. Ergo à contrario sensu, si hujusmodi stipendia, & sic beneficium non habeant, utiq; possunt, & ita notat glos. 1. & communiter DD.
83 Verum Anton. de Butr. *ibi num. 4. vers. Quæro an omnino,* putat hanc prohibitionem extendi ad clericos in minoribus etiam non beneficiatos, quia si gaudere volunt privilegio ecclesiastico, abstinere debent ab his, quæ non decent propositum clericale, ut cap. *fin. de vit. & hon. cleric.* Tu verò dicas clericis omnibus etiam minorum Ordinum prohibitam esse negotiationem, si congruã habeant sustentationem sive ex beneficio ecclesiastico, sive ex bonis patrimonialibus.
84 Quod probo ponderando primò hanc rubricã, quæ indefinitè loquitur de clericis: & complura capitula damnant clericos negotiatores, nec distinguunt an sint beneficiati, nec ne, ut cap. *1. 14. qu. 4.* cap. *Negotiatorem clericum quasi quandam pestem fuge, & per tot. 88. distinct.* Ergo indistinctè & generaliter de omnibus clericis sunt intelligenda, cap. *Si Romanorum, 19. distinct.* cum con-
85 cord. & notat glos. *1. in c. 2. de præben.* Et eò magis, quia in cap. *1. ead. dist.* sic legitur: Decrevit S. Synodus nullum deinceps clericum possessiones cõducere, aut negotiis sæcularibus se miscere. Dictio autem, *nullum*, cùm sit universalis negativa, utiq; non admittit restrictionem ad clericos beneficiatos ad glos. in Clem. *1. in ver. Nullum, de præben.* Rom. *cons. 199. num. 2* & Cravet. *cons. 809. numero 4. vers. Sexto,* & *cons. 294. num. 5.* Ad idem textus in cap. *1. q. 14. quæst. 4.* ubi dicitur: Noverint clerici ab omni cujuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum: quod si cessare noluerint in quocumque gradu sint positi, mox à clericalibus officiis abstinere cogantur: nam dictio illa effrænata, *quocumque*, similiter nullam patitur restrictionem, cap. *Solitæ* & ibi glos. *ult. supra de maior. & obed.* Archid. in cap. *Si tibi absenti, col. 2. in verb. Quicumque, de præben. lib. 6.*

Secundò pondero textum in cap. *Fornicari, 81. dist.* ubi dicitur: Antequam ecclesiasticus quis fit, licet ei negotiari; facto jam non licet. Sed per solum clericatum quis efficitur ecclesiasticus, & de foro ecclesiæ, licet beneficium non sit adeptus, ut patebit infra *num. 90.* Ergo eidem negotiari non licet.
86 Tertiò, ad idem pondero textum in cap. *2. infr. de clerico venatore;* ubi venatio, quæ in hoc cap. *circa fin.* connumeratur inter negotia sæcularia, omnibus servis Dei interdicitur. Servi autem Dei dicuntur quicumq; in sortem Domini vocantur: & sic clericali charactere insigniti, etiam non beneficiati, cap. *Duo sunt, 12. quæst. 1.* cap. *Clerus* & cap. *Clericos, 21. dist.* & notant in d. c. 2. glos. *ult.* & Hostien. *num. 2.* & plerique alii.

Et confirmatur, quia Concilium Tridentinum in *cap. 1. sess. 22.* Dum innovat Summorum Pontificum, & Conciliorum Sanctiones de sæcularibus negotiis fugiendis, loquitur de Clericis in sortem Domini vocatis. Quæ quidem verba ut prædixi conveniunt omnibus clericis, etiam primæ tonsuræ, & beneficium non habentibus.

Quartò argumentor à ratione cessante: nam clericis indulgetur ut possint esse Advocati in foro sæculari propter necessitatẽ sustentationis, d. *c. 1. de postul.* Sed hæc necessitas cessat sive ex beneficio, sive aliunde sustententur, cap. *Episcopus, in fin. de præben.* Ergo indultum cessare debet, cap. *Quod ex necessitate 1. q. 1.*
87 Quintò, considero rationes, ob quas clerici prohibentur negotiari: præcipua enim ratio est, quæ ponitur in hoc capitulo, videlicet, quia secundum verbum Apostoli nemo militans Deo implicat se
88 negotiis sæcularibus. Hæc autem verba utique comprehendunt etiam clericos non beneficiatos, quia cum primum quis clericali tonsura initiatur Dei seu cælestis militiæ miles efficitur, ut est text. in cap. *Christianus 11. q. 1.* in cap. *Degradatio, de præben. lib. 6.* & scripsi plenius in cap. *Cum con-*
89 *tingat, num. 129. supra de ætat. & quali.* Secunda ratio est, quia clerici sunt ex illo genere Christianorum, quod mancipatum divino officio, & debitũ contemplationi & orationi ab omni strepitu temporalium cessare convenit; quæ sunt verba textus in cap. *Duo sunt genera, 12. qu. 1.* Ex hoc autem genere proculdubio sunt clerici primæ tonsuræ etiam non beneficiati; quod inde convincitur manifestè, quia cum tonsurantur, deponunt capillos, & tondentur in signum superfluæ curæ temporaliũ & hanc coronam habent ab institutore Ecclesiæ, ut ibi subjungitur: & sic multò ante quam erecti fuissent tituli beneficiales, ut probavi latissimè in cap. *Si quis sane, à num. 15. sup. de pecul. cleric.* Ter-
90 tia ratio, quia clerici non sunt de corpore Reipublicæ mundanæ, sed ecclesiasticæ, l. *Placet,* C. *de Episc. & Cler.* & cap. *Fornicari, 88. dist.* Et propterea non decet eos vacare negotiis mundanæ reipublicæ, cujus corpori non sunt annexi, ut per Abb. *supra in rubr. circa med. vers. Secundò potest.* & Dictum est supra *num. 30. & seqq.* Dubitari autem non potest quin minores clerici etiam non bẽeficiati sint de corpore reipublicæ ecclesiasticæ, & de foro ecclesiæ, cap. *Nullus clericus, & per tot. 11. q. 1.* cap. *Quisquis, 17. q. 4.* Ideoque Concilium Tridentinum declarans fori privilegium in *cap. 6. sess. 23.* loquitur alternativè ibi, *beneficium ecclesiasticum habeat, vel habitum, & tonsuram deferens alicui ecclesiæ, de mandato Episcopi inserviat.* Et ita sufficit clericatus cũ prædictis requisitis etiã sine beneficio, ut sæpius censuit Sacra Cõgregatio ejusdem Concilii Interpres. Quarta ratio, quia clerici à divinis officiis quibus jugiter vacare debent, per sæcularia negotia distrahuntur, c. *Nunquam, de consecr. dist. 5.* cap. *fin.* ibi, *sæcularium potius negotiationibus, quam divinis officiis intendunt, supra de vita, & honest. clericor.* & cap. *Clericus, 2. primo,* ibi, *absque officii sui detrimento, 91. dist.* Certum est autem etiam clericos primæ tonsuræ, licet beneficiati non sint, per sæculares curas avocari à divinis officiis, quibus & ipsi sunt addicti, ut clarè probatur ind. cap. *Duo sunt, 12. q. 1.* Ideoq; S. Tridentina Synodus in *c. 16. sess. 23.* Innovans canonem sextæ Synodi Chalcedonensis statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, vel utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur
91 muneribus nec incertis vagetur sedib9, &c. Quinta ratio, quæ similiter æquè viget in clericis beneficiatis, ac non beneficiatis, est, quia negotiatio ut plu-

ut plurimum sine mendacio, & perjurio exerceri non potest cap. *Ejiciens, 88. dist.* cap. *Qualitas,* & cap. *Negotium, de pœnit. distinct. 5.* glos. *in Summa circa fin. 14. q. 3.* Ioan. Andr. in cap. *1. num. 2. supra de fer.*
92 Non obstat quod prohibitio negotiationis in hac Decretali fiat Ministris Altaris Domini, quales non videntur esse, nisi Presbyteri Diaconi, & Subdiaconi, ut in cap. *Tribus, de consecr. dist. 2.* ubi Clemens Papa; (Tribus gradibus, inquit, commissa sunt Sacramenta Divinorum Secretorum, idest Presbytero, Diacono, & ministro, nempe Subdiacono, ut glos. & DD interpretantur.

Nam respondeo etiam inferiores clericos esse ministros altaris Domini, licet non ita proximos,
93 & immediatos, sicut Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi: nam generaliter omnis ordo prout est Sacramentum, ordinatur spiritualiter ad Sacramentum Eucharistiæ, c. *Perlectis, 25. dist.* Concilium Tridentinum *sess. 23. de Sacram. Ordin. cap. 2.* & *can. 2.* & docet S. Thom. *in 4. dist. 24. q. 3. art. 2. q. 2.* Et distinctio omnis graduum, & ordinum est propter altaris sacrificium, in quo est consummatio
94 omnis divini cultus, Turrecr. in cap. *Cleros, n. 16. vers. Secundo sic, 21. dist. not.* & in specie Acolythus suggesta pro Eucharistia, & Calices Diaconis præparat, ut in dict. cap. *Perlectis, §. Ad Acolythum.* Neque verò ad esse ordinis ecclesiastici, & Sacramentalis requiritur ut habeat ministerium cooperativum in ipso actu consecrationis Eucharistiæ, sed satis est, ut vel quoad ipsum Sacra-
95 mentum, vel quoad suscipientes cooperetur præparando, sicut clarè patet in minoribus ordinibus, d. c. *Perlectis,* & c. *Acolythus, cum trib. seqq. 23. dist.* quæ sunt formalia verba Præpos. in d. c. *Clericos, n. 4. vers. Non enim, 21. dist.* & declarat S. Tho. *in 4. d. dist. 24. q. 2. ar. 1. q. 2. vers. Et ideò aliter dicendum:* ubi latè prosequitur quomodo ministri singuli cooperentur mediatè, vel immediatè, vel in ordine ad ipsum Sacramentum, vel in ordine ad ipsum suscipientes. Sed & Concil. Trid. in *c. 17. sess. 23.* seriò præcipit ut singula sacrorum Ordinũ ministeria ab Ostiariatu ad Diaconatũ nonnisi per cõstitutos in dictis Ordinibus exerceantur. Ex quib9 patet verba hujus decretalis de ministris altaris Domini utique congruere etiã clericis minorum ordinũ; & eo magis, quia textus declarat de quibus ministris intellexerit, dum subjunxit, de quibus ait Apostolus, *Nemo militans Deo,* &c. Quæ verba conveniunt etiam clericis primæ tonsuræ, ut ostensum est supra *n. 87. & 88.*
96 Non obstat d. cap. *1. de Postul.* ubi clerici in minoribus prohibentur esse Advocati in foro sæculari, si stipendiis ecclesiasticis sustententur.

Nam primò responderi potest, inde non esse licitum arguere, ut si talibus stipendiis non sustententur, possint esse Advocati: quia argumentum à contrario sensu non procedit, quando ipsius argumenti contrarium reperitur in jure expressum, Io. Andr. in cap. *Publicato, num. 18. de elect.* prout reperitur hoc casu, ut patet in juribus supra ponderatis *num. 83. & seqq.* Deinde respondetur illum textum eò tantum respexisse, ut clerici judiciis sæcularibus se non immisceant, nisi ex causa necessitatis, vel pietatis. Et quamvis adjecerit verba alia, *stipendiis ecclesiasticis,* tamen hoc ideò videtur fecisse, quia de jure etiam ad minores ordines quis promoveri non debet sine titulo, ut est casus in c. *Non liceat,* & ibi notat glos. 1. & Abb. *num. 1. & 2. supra de præbend.* & sic respexit ad id, quod de iure esse debet. Sed tamen idem dicendum est, si aliunde habeant sustentationem, quia cùm conditio illa, si stipendiis ecclesiasticis sustẽtentur, respiciat unum & determinatum finem, scilicet ut non indigeant, utique adimpletur per æquipollens, ut in l. *ultim. § fin. ff. Mand.* & not. Bald. *cons. 51. Titius vendidit, num. 1. lib. 1.* Ad hoc bonus textus in cap. *Episcopus, il terzo de præbend.* ibi, (Nisi talis ordinatus de sua, vel de paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.) Et est ex mente Hostien. & aliorum quos retuli in capit. *Sicut te, numero 28. infr. eod.* ubi omninò videas. Ac demum responderi potest illam Decretalem esse intelligendam in casu de quo loquitur, in quo videtur esse aliqua specialis ratio permissionis quoad minores clericos beneficiatos, quia munus advocationis est valde utile reipublicæ: nam Advocati non minus prosunt humano generi, quam si præliis; atq; vulneribus patriam parentesque salvarent; ut dicitur in l. *Advocati C. de Advocat. divers. iudic.* Et facit quod notat gloss. in l. 1. §. *Hoc edicto in verb. Certis personis, ff. de postulan.* & Abb. in cap. *ultimo num. 1. eodem tit.* Ab officio igitur Advocationis non videtur inferendum ad alia negotiationum genera, quæ non ad publicam utilitatem, sed ad privatum lucrum ordinantur, cap. *Secundum instituta, infr. eod.* quæ differentia est ex mente Sylvest. *in verb. Clericus 3. num. 1. vers. Clerico igitur coniunct.* vers. *Nec secundo,* & hic iunge quæ de clericis minorum ordinum habentibus unde vivant non ex beneficio, sed ex patrimonio circa prohibitum Tabellionatus exercitium scripsi in cap. *Sicut te, num. 27. & seq. infr. eodem.*
97 Quæ opinio, si vera est in terminis iuris communis, profectò redditur ferme indubitabilis ex nonnullis Constitutionibus Sũmorum Pontificum.

Nam Pius IV. in Bulla 19. incipien. *Decens esse censentes,* in Bull. tom. 2. pag. 29. Declarat bona quæcunque ex illicita negotiatione acquisita per quosvis clericos tam sæculares, quàm regulares etiam in sacris ordinibus constitutos cuiuscumq; status, ordinis & conditionis fuerint, tamquam spolia ad Cameram Apostolicam pertinere. Pondera verba, *etiam in Sacris:* necnon verba *Cuiuscumque ordinis:* quæ implicant & includunt etiam clericos in minoribus ordinibus constitutos. Itẽ pondera verba universalia, & geminata: *quoscunque clericos, cuiuscunque status,* &c. quæ non patiuntur restrictionem ad beneficiatos, ex his quæ plenè tradit Aym. *cons. 294. Verba transactionis. num. 1. per tot.*
98 Item Pius V. in Bulla 42. incip. *Romani Pontificis,* in Bullar. *tom. 2. pag. 238* statuit, ut à quibusvis Presbyteris, & clericis, quorum beneficia, vel pensiones non excedunt valorem annuum triginta ducatorum auri de Camera, nullum spolium exigi possit, dummodo tamen se ab illicita negotiatione, & à sacris canonibus prohibita abstinuerint. Ergo clericus habens pensionem etiam
99 infra ducatos triginta; tenetur ab illicita negotiatione abstinere; alioquin subjacet spolio; & tamen habens pensionem non dicitur habere beneficium, cùm Constitutio loquatur alternativè de beneficio, vel de pensione: & sic falsa est opinio Hostien. & sequacium, quod minores clerici non beneficiati possint negotiari.

100 Item Paulus V in Constitutione 14. quæ incipit, *In eminenti*, Bullar. *tom. 3. pag. 199.* indulsit curialibus, incolis, & originariis Urbis etiam clericis, & in sacris presbyteratus ordinibus constitutis in ipsa Urbe, & intra decem milliaria, ut de eorum bonis ibidem existentibus non fiat spolium, etiam sub prætextu, seu causa illicitæ negotiationis. Certum est autem hoc indultum competere etiam Clericis minorum ordinum non beneficiatis, ut praxis observat: ergo circumscripto indulto posset eis fieri spolium ex causa illicitæ negotiationis.

Et ita servatur de consuetudine; nam Commissarii, & Collectores spoliorum quotidie procedunt ex capite illicitæ negotiationis contra Clericos tam in sacris, quam in minoribus ordinibus constitutos, sive beneficium ecclesiasticum habeant, sive non.

Ne Clerici, vel Monachi.

Cap. Non magnoperè.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi exeuntes ad audiendas leges, vel Physicam, nisi infra duos menses ad claustrum redeant, excommunicati sunt, & alias pœnas incurrunt, de quibus hic.*

2 *Physica, idest medecina.*

3 *Regularis in sæculo admissus in Collegium Doctorum utriusque iuris an de sui Superioris licentia in eo interesse, & suffragari valeat, & num. seqq. usque in finem*

4 *Inobedientia regularis excluditur ex licentia Prælati petita, & obtenta.*

5 *Religiosus non est proprietarius, qui emolumenta Collegij non sibi, sed Monasterio lucratur.*

6 *Monachus ad utilitatem Monasterij est capax donationis, legati, & hæreditatis tam ex testamento, quàm ab intestato. & n. 23.*

7 *Conciliaris materia dicitur quæ continetur in Canonibus à Concilio Trident. innovatis.*

8 *Regularis, qui in sæculo iuri civili operam dedit, de sui Superioris licentia promoveri potest ad gradum Doctoratus.*

9 *Negotia sæcularia æquè prohibentur sacerdotibus sæcularibus, ac regularibus.*

10 *Presbyteri sæculares possunt esse de collegio Doctorum iuris civilis.*

11 *Collegium, in quo sunt pariformiter clerici, & laici in dubio censetur ecclesiasticum*

12 *Collegium Doctorum utriusque iuris quale censeatur.*

13 *Ius Canonicum est potentius, ac dignius Iure Civili.*

14 *Regulares possunt esse de Collegio ecclesiastico, seu Doctorum Iuris Canonici.*

15 *Theologiæ appellatione venit etiam scientia Canonica.*

16 *Regulares non habent velle, aut nolle, sed sunt mortui mundo, & servo æquiparantur.*

17 *Declaratur, & n. 22.*

18 *Regularis ex sui Superioris licentia potest postulare pro sui Monasterij utilitate.*

19 *Item potest esse procurator pro amico sui Monasterij etiam laico.*

20 *Præparatus, & præparati idem est iudicium.*

21 *Et iudex causæ præparantis est iudex causæ præparatæ.*

22 *Regulares retinent generis nobilitatem, ius sanguinis, suitatis, & Civitatis.*

24 *Regulares in materia favorabili veniunt clericorum appellatione.*

25 *Religiosus ex sententia D. Thomæ potest esse de Collegio sæcularium Magistrorum.*

26 *Intellectus c.* In nona actione, 16 q. 7.

Professionis diversæ homines an, & quando possint in eodem officio sociari, ibidem.

27 *De Collegiis diversis an, & quando quis esse possit.*

28 *Parisiensium quorumdam error, qui statum Religiosorum mendicantium damnatum asserebant, confutatur à D. Thoma in Opusculo iussu Clementis IV. edito, & ab eodem approbato.*

NON magnoperè Religiosi professi exeuntes ad audiendas leges, vel physicã, nisi infra duos menses ad claustrum redeant, excommunicati sunt, & in nulla causa patrocinari possunt, & in choro, Capitulo, & cæteris erunt ultimi, & sine dispensatione Papæ non promoventur. Hoc dicit; & expone physicam, idest medicinam, prout Doctores intelligunt, & colligitur ex littera ibi, *Sub obtentu languentium fratrum consulendi corporibus*, ad hoc c. *Ad aures*, ibi, In arte physica, *de ætat. & qualitat.* dividitur in tres partes. Primò ponit factum reprehensibile. Secundò id fieri prohibet, ibi. *Undene.* Tertiò quadruplicem pœnam imponit, ibi, *Si verò antiquis hostis* Desumpta est hæc Constitutio ex canone nono Concilii ab Alexandro III. Turonis habiti anno 1163. quo Victor Antipapa, ejusque fautores schismatici judicio 17. Cardinalium, & 124. Episcoporum excommunicati fuerunt: de hoc in cap. 1. & ibi per glos. *1. infr. de Schism.* Refertur hæc ipsa Constitutio, declaratur, & extenditur ab Honorio III. in c. *Super specula, infra eod.* ut ibi plenè dixi; item declaratur à Bonifacio VIII. in c. *1. eod. tit. lib. 6.*

Hic QVÆRO præter alios: Supposito quod in Collegio Doctorum utriusque juris ex præscripto litterarum Apostolicarum tam laici, quàm Clerici admitti possint: item posito decreto Concilii Trid. c. *1. sess. 22.* & c. *1.* & *2. sess. 25. de regul.*

An Doctor in sæculo semel in ipsum Collegiũ admissus, si postea Religionem capacem bonorũ in communi profiteatur, ex sui Superioris licentia eidem Collegio interesse, atque in eo suffragari valeat.

Cum nuper hoc dubium fuisset in S. Congregatione Concilii propositum, quod pertinet ad c. *1. & 2. sess. 25. de regul.* contra regulares inobedientes, & proprietarios. S. Congregatio censuit decreta illa non obstare regulari, quominus ad d. Collegiũ accedere, atque in eo suffragari queat: nam inobedientia tollitur ex licentia Superioris petita, & obtenta, c. *Religiosus, de testament. lib. 6.* & Clement. *Religiosi, eod. titulo*: & vitium proprietatis excluditur ex eo, quod emolumenta inde provenientia religiosus non sibi, sed Monasterio lucratur, c. *Cum ad Monasterium, § Prohibemus, supra de stat. Monachor.* cum suis concordantibus. Unde videmus ad utilitatem Monasterii Monachum esse capacem donationis, legati,

ri, & hæreditatis tam ex testamento, quàm ab intestato, ut in Auth. *de Sanctiss. Episcop. § Sed & hoc præsenti, coll. 9.* Auth. *Nisi rogati, C. ad Trebell.* l. *Deo nobis, § 1 C. de Episcopis, & Clericis*, & c. *In præsentia cum materia, supra de probat.* Et quo ad hoc cùm nulla alia subsit difficultas, non videtur esse
7 opus uberiori disputatione. Sed quod spectat
ad c. *1. sess. 22.* S. Congregatio tametsi majori parte existimaverit petendam esse dubii solutionem à jure communi, cùm Concilium ibi nihil novi statuat, sed tantum innovet sacros Canones contra Clericos sæcularibus negotiis se immiscentes: tamen quia hæc admissio in Collegium si prohibetur à sacris Canonibus, utique etiam prohibetur à Concilio illos innovante, secundum theoricam Aretini *cons. 56. Videtur, num. 18.* Idcirco operæ pretium putavit hunc articulum diligenter examinare: difficultas igitur hæc tantum vertitur, An ex sacrorum Canonum dispositione Regularis de licentia Superioris in dictum Collegium utriusque juris admitti, & suffragari possit.

Ad quod videtur affirmativè respondendum; nam duobus modis potissimum jus commune videri potest obstare regulari quo minus possit admitti; idest aut ex parte ipsius admissionis, quæ velut negotium sæculare censeri debeat religiosis interdicta: aut ex parte ipsius regularis, qui cum sit mortuus mundo, perdiderit per professionem jus illud, quod in sæculo acquisierat interessendi Collegio, atque in eo suffragium ferendi; sed neutro modo jus commune obstat: & quidem non ex parte admissionis in Collegium; quia etsi regularibus tamquam sæculare negotium prohibeatur auditio juris civilis, ut hic juncta declaratione c. *Super specula, infr. eod.* tamen hæc prohibitio uti pœnalis ad alios casos non extenditur, ut clarè probatur in c. *Unico, eod. tit. lib. 6.* & scripsi pleniùs in prædicta Decretali *Super specula, à n. 13. usque ad n. 18.* unde videmus eam non habere locum in docentibus, seu interpretantibus leges civiles, ut
8 patebit infr. *n. 19.* Et ob eamdem rationem qui
in sæculo juris civilis studio operam dedit, non prohibetur ex sui Superioris licentia promoveri ad gradum Doctoratus ejusdem juris, ut pluribus respondit Calder. *cons. 2. An Abbas, de Mag.* & sequitur Felin. in c. *Cum dilecta, n. 19. de rescript.* Unde quemadmodum prohibitus audire leges non censetur prohibitus obtinere gradum Doctoratus in jure civili, sed potest Collegium ingredi pro hujusmodi gradu adipiscendo: ita nec debet censeri prohibitus eumdem gradum aliis conferre, & ad hunc effectum Collegio interesse, cum minor videatur ratio prohibitionis in collatione gradus activa, quàm passiva, argumento textus in cap. *Si celebrat, de Cler. excom. minist.*

9 Ad hæc negotia sæcularia, & in specie auditio
juris civilis æquè prohibetur sacerdotibus sæcularibus, atque regularibus, ut patet in d. c. *Super*
10 *specula infr. eod.* Sed ingressus in Collegium u-
triusque juris non prohibetur sacerdotibus sæcularibus: ergo nec regularibus. Minor probatur non solum ex fundatione huius Collegii, in quo ex forma litterarum Apostolicarum etiam Presbyteri, & Episcopi admitti possunt; sed etiam ex dispositione iuris communis; quia prohibitio d. c. *Super specula* cùm loquatur in suo speciali casu audientium leges civiles, extendi non debet ad hunc casum admissionis in Collegium Doctorum juris civilis tamquam diversum, ad l. *Papinianus exuli, ff. de minoribus*, & l. *fin. ff. De calumniat.* cum simil. & deducitur ex d. c. *Unico, infr. eod. lib. 6.* & ita in his terminis presbyteros sæculares de jure communi non prohiberi in hujusmodi Collegiũ admitti, respondit Alvar. *cons. 30. lib. 2. tom. 1.* secundum novam impressionem.

11 Quibus accedit, quod hoc Collegium cum sit
mixtum pariter clericorum, & laicorum, in dubio censeri debet ecclesiasticum; quia magis dignum trahit ad se minus dignum, c. *Quanto, de Iudiciis*, juxta doctrinam Barthol in l. *fin. num. 15. ff. de Colleg.* illic, quam sequitur Abb. in c. *Ex litteris num. 3. de Constit.* Sylvestr. *in ver. Collegium. in princ.* & Covarr. *pract. quæst. c. 36. n. 5. vers. Tertio*; quod absque dubio procedit ubi est favor magis digni ut trahat, & non trahatur, ut in hac specie, Put. *decis. 157. n. 6. lib. 3.* imò eo casu præfertur magis dignum, etiamsi minus dignum excedat in quantitate, vel numero, ut scripsi latissimè in c. *Cum propter, à n. 53. usque ad n. 74. supra de Iurepatr.* & probatur, in c. *Per tuas, de Arbitr.* ubi patet posse compromitti de re spirituali in duos laicos propter adjunctionem unius clerici, & in aliis concordantibus ibi positis.

12 Rursus cum Collegium hoc mixtum sit Docto-
rum juris canonici, & juris civilis, videtur esse Collegium Canonistarum; quia mixtum ex duabus naturis assumit sibi naturam à potentiori, & digniori, ut notat Abbas per illum text. in c. *Iure in 1. not. vers. Item ex hoc, de Iurepatron.* & Lambert. post eum *in tractatu illius tituli, lib. 1. part. 2. in 4.*
13 *quæst. princ. art. 3. n. 2.* Nec dubitari potest quin
jus Pontificium sit potentius, ac dignius Jure Cæsareo, ut in c. 1. cum ibi notatis per Hostien. *n. 1. in ver. Adiuvantur*, Jo. Andr. *n. 2.* & Doctores
14 *infr. de novi operis nunciatione.* Quod cum ita sit,
quatenus etiam religiosi de jure prohiberentur esse de Collegio laicali, seu Doctorum juris civilis, & hoc intelligeretur esse negotium sæculare clericis regularibus interdictum quod negatur: tamen non prohibentur esse de Collegio ecclesiastico Doctorum juris canonici: alioquin nec esse possent de Collegio sacræ Theologiæ, contra rationem expressam in d. c. *Super specula, vers. Quia verò Theologiæ studium cupimus ampliari, infr. eod.* & contra text. in c. *penult.* & c. *fin. infr. de Ma-*
15 *gistris.* Quinimo Theologiæ appellatione, de
qua loquitur prædicta Decretalis *Super specula*; venit etiam scientia canonica, ut ibi notat Abbas *n. 7.* facit textus in c. *Qualiter, & quando, il secundo, de Accusat.* in c. *Nimis de iureiurand.* & in c. 1. cum ibi notat. *de iuram. calumn.*

16 Sed neque ex parte ipsius regularis videtur
prohibita hujusmodi admissio in Collegium Doctorum juris civilis; nam etsi religiosus non habeat velle, aut nolle, c. *Quorumdam*, & c. *Si religiosus, de elect. lib. 6.* habeaturque pro mortuo, c. *Placuit il secundo, 16. q. 1.* c. *Cum dilecta*, & ibi Felin. *nu. 15. supra de Rescript.* & servo æquiparetur, c. *Exijt, qui seminat. § Abbas cum fratres, de verbor. signif. lib. 6.* & notat Innoc. in c. *Cum olim, il secundo infr. de Privilegiis.* Tamen hu-
17 jusmodi regulæ, & aliæ consimiles procedunt, si
religiosus consideretur quantũ in se est, præscindendo à Prælati sui auctoritate: secus autem si consideretur in ordine ad superiorem, ac suppo-
sita

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN — ALERE FLAMMAM VERITATIS — DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sita ejus licentia, ut probatur in c. *Religiosus*, *de testam. in 6.* & in Clem. *Religiosi*, *eod. tit.* ubi religiosus executor ab aliquo deputatus non potest, cum velle, vel nolle non habeat, huiusmodi officium suscipere, nisi à Superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta.

18 Unde videmus religiosum, licet sit mortuus mundo, multa tamen negotia gerere posse de licentia Prælati; nam & postulare potest pro sui
19 Monasterij utilitate, c. 2. *de Postul.* Quinimo & pro amico Monasterij, etiam laico potest esse procurator, ut post Innoc. & alios tradit Ludovic. Roman. *singul.* 278. & in specie potest adipisci gradum doctoratus in jure civili, ut superius diximus n. 8. Rursus potest docere jus civile, secundum opinionem Abbatis in d. c. *Super specula*, n. 16. *infr. eod.* ubi concludit, (Prohibitionem, de qua hic, esse intelligendam de audientibus tantum, seu studentibus: legentes autem non putat incurrere has pœnas; quia verba illis non conveniunt; & à verbis Constitutionis pœnalis non est recedendum, præsertim quia in eis non procedit ratio, quæ militat in addiscentibus; nam addiscens, ut ipse ait, videtur moveri malo zelo, scilicet ut involvatur rursus actionibus mundanis in patrocinando, & similibus: sed ille, qui prius scientiam istam didicit, docet, non facit ut involvatur actionibus mundanis; imo communicat aliis scientiam in se bonam, & necessariam ad regimen orbis.) Hæc ille. Neque huic opinioni adversatur littera hujus textus, ibi, Ad legendas legem, vel physicam: quia Papa in d. c. *Super specula*, intellexit, & declaravit hæc verba de audientibus, non autem de legentibus, seu docentibus. Et sententiæ Abbatis adhærent ex Recentioribus, Navar. *in man. c. 27. n. 116 in fin.* Tolet. *in summ. lib. 1. c. 38. n. 6.* & latius Suarez *tom. 5 in 3. part. disput. 23. sect. 3 num. 17.* hunc articulum diffusè examino in d. c. *Super specula*, *à n. 18 usque ad n. 21. & n. 37. usque ad n. 45.* Ex eo autem, quod regularibus non sit prohibitum docere jus civile, sequitur ut nec etiam sit prohibitum suffragari pro gradu ejus facultatis adipiscen-
20 do: etenim qui potest præparare ad gradum doctoratus docendo, potest etiam suum ministeriũ impertiri in eo gradu consequendo, cum idem jus sit in præparato, quod in præparante. l. *In argento*, & l. *Si uxori*, §. *fin. ff. de auro, & argento leg.* &
21 è converso, ut in l. 4. § 1 *ff. de liber. exhiben.* Ideoque videmus judicem causæ præparantis esse judicem causæ præparatæ, ut notat Baldus in l. *Ordinarij*, *col. 2. C. de rei vend.* & Felin. post eum in c. *Parochianos n. 5 infr. de sent. excomm.*
22 facit tex. in l. *Quominus*, *ff. de fluminibus*, & in l. 1. §. *Cœpisse*, *ff. de Pollicitation.* Deinde considerandum est propositiones illas, quod regularis sit mortuus mundo, non habeat velle, vel nolle, & his similes vindicare sibi locum in his tantum negotiis, quæ solis laicis conveniunt, non autem in his, quæ competunt promiscuè tam laicis, quàm clericis. Ideoque regularis retinet generis nobilitatem, Bald. in c. *Cùm in magistrum*, *de elect.* item jus sanguinis, Abbas in c. *Quia nos*, *num. 2. de testam.* item jus suitatis, Alex. in l. *Sub conditione*, *in 2. not. ff. de liber. & posthum.* item jus Civitatis, Bart. in l. 1. *num. 10. ff. Ad municipal.*
23 omneque jus succedendi de jure civili. Et ideo postcaquam in l. *Deo nobis*, *C. de Episcopis*, & *Clericis* dictum fuerat religiosos esse mundo mortuos, statim in §. 1. decernitur eos habere jus succedendi in beneficium Religionis. At jus succedendi ad collegium, atque in eo suffragandi competit communiter tam clericis, quàm laicis tum de jure communi, tum ex fundatione collegii, de quo agitur, ut sæpius repetitum est: ergo quoad
24 hoc non habent locum regulæ, quod regularis sit mundo mortuus, & aliæ hujusmodi. Præterquam quod cum ex tenore litterarum Apostolicarum in hoc collegium admitti possint etiam clerici, imo & Episcopi, censentur vocari etiam regulares, qui in materia favorabili veniunt clericorum appellatione, c. *Duo sunt genera*, 12. q. 1. & notat Abb. *in rubr. de Vit. & honest. cler. n. 15.*
25 Ultimò hanc opinionem videtur apertè sequi D. Thomas *opusc. 19. de Perfect. vitæ spiritualis c. 3.* ubi ex professo quærit, an religiosus licitè possit esse de collegio sæcularium magistrorum, & determinat posse de suorum Superiorum licentia, & pluribus rationibus confutat errorem quorumdam Parisiensium, qui contrarium asserebant.
26 Nec secundum eum obstat tex. in c. *In nova actione*, 16. q. 7. ubi cavetur, ut in uno eodemque officio non debeat esse dispar professio; eo quod cohærere, & conjungi non possint quibus studia, & vota sunt diversa; quod etiam lege divina prohiberetur dicente Moyse Deuter. 22. *Non arabis in bove simul, & asino*, idest homines diversæ professionis in uno officio simul non sociabis, ut exponitur in d. c. *In nova*. Siquidem hoc procedit quantum ad illud, in quo diversificantur, veluti ut laici, & clerici socientur in his, quæ pertinent tantum ad officium clerici, seu ut religiosi communicent laicis in illo, in quo sæculares à religiosis diversificantur, secundum illud ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus.* At collegium, de quo agitur, est religiosis, & sæcularibus commune, & in eo adunantur homines ad hoc, in quo religiosi, & sæculares non distinguuntur, ut ex prædictis patet: ergo nihil obstat quominus in eo religiosi simul, & laici convenire possint. Sic
27 respondet Div. Thomas *in d. c. 3. col. 4. vers. Ad id, quod primò objicitur.* Item non obstat, quod unus, & idem non possit esse de diversis collegiis, nisi forte per dispensationem; multo igitur minus religiosus, qui est de collegio sæcularium magistrorum. Hoc enim debet intelligi de collegiis ecclesiasticis perpetuis; quia unus non potest esse canonicus in duabus Ecclesiis absque dispensatione: unde dicitur 21. q. 1. Clericus ab instanti tempore non numeretur in duabus Ecclesiis. At non habet locum in duobus collegiis, quorum unum sit perpetuum, & aliud temporale: ideoque qui est de collegio alicuius Civitatis, quandoque est ad tempus de collegio commilitantium in uno exercitu; & qui est de collegio alicujus familiæ, potest ad tempus aliquibus sociari in aliquo hospitio; collegium autem magistrorum non est collegium perpetuum, sed temporale; non enim collegiales eò conveniunt, ut perpetuò ibi morentur, sed vadunt, & redeunt pro libito: ergo nihil prohibet eum, qui est de religioso collegio perpetuo, simul esse de collegio scholastico; ita D. Thom. *ubi supra, vers. Ad id quod tertiò objicient*; ubi ad hanc objectionem respondet etiam duobus aliis modis.

Nec

28 Nec est omittendum, opusculum illud supponi approbatum fuisse à Sede apostolica, licet Decretum, seu litteras confirmationis non viderim: nam ut legitur in argumento ejusdem opusculi 19. Cum tempore Sancti Ludovici Francorum Regis Guilielmus de S. Amore, Sygeriusque Magistri Parisienses, & multi sequaces in hunc incidissent errorem, ut Religiosorum Mendicantium statum damnatum assererent, librumque sacrilegũ Clementi IV. obtulissent: Pontifex Ioanni de Vercellis Magistro Ordinis Prædicatorum dictum librũ transmisit, præcipiens ut eidem faceret responderi per Fratrem Thomam de Aquino, qui cum eũdem librum erroribus plenum invenisset, alium ipse librum veluti apologiam composuit, qui incipit; *Ecce inimici tui sonuerunt*: in quo errores hujusmodi confutavit. Atque hunc librum Summus Pontifex tanquam verè Catholicum approbans; librumque contrarium tanquam hæreticũ, & nefarium damnans, ipsius Authores cum complicibus deposuit de Cathedra Magistratus, eosq; de Parisiensi studio omni dignitate privavit.

Eandem opinionem sequitur Augustinus *Triumphus de Potestate Ecclesiæ, quæst. 105. art. 3.*

Proposito in Sacra Congregatione Concilii suprascripto dubio, Responsum est pro Regulari, supposita tamen Superioris licentia, ut in quæstione, & dummodo emolumenta, quæ inde proveniunt, cedant in communem monasterii utilitatem.

Ne Clerici, vel Monachi.

Cap. Secundum.

SUMMARIUM.

1 *Clericis, vel Monachis non licet lucri causa negotiari, & n. 8.*
2 *Monachi nequeunt nomine proprio conductas possessiones habere, & n. 11.*
Possunt tamen nomine monasterii, si propria non sufficiant, d. n. 11.
3 *Laicis non debet ecclesia titulo conductionis concedi, & num. 12.*
Declaratur, n. 14.
4 *Clericus negotiator mortaliter peccat; & si monitus non desistat, debet excommunicari.*
5 *Negotiatio, quæ non fit principaliter propter lucrum non est Clericis, vel Monachis interdicta.*
6 *Artificium in quo differat à negotiatione, seu mercatura.*
7 *Ferrum ex vena deducere, colare, & distinguere, & alio lucri causa asportare, non est negotiatio, sed artificium, de quo Monachi non tenentur ad gabellam.*
8 *Negotiatio, seu mercatura est clericis permissa ex causa necessitatis.*
9 *Si tamen victum sibi quærere possunt artificio, & labore manuali, eis negotiari non licet.*
10 *Artificium an liceat Clericis, vel Monachis lucri causa exercere.*
11 *Clericis non licet aliorum possessiones conducere, nisi urgente necessitate.*
Monachi nequeunt nomine suo aliorum possessiones conducere, etiamsi subsit necessitas, sed nomine monasterij tantum, ibidem.
12 *Laicis locari non potest administratio ecclesiæ, nec decimæ, vel obventiones.*
Nisi magna instante necessitate, n. 14.
13 *Sed bona temporalia, vel mola Ecclesiæ, item fructus decimarum possunt eis locari.*

1 SECUNDUM. Breve est: & continet tria dicta, quæ per se patent. Sed secundum Abbatem sic summari potest. Non licet Clericis, vel Monachis lucri causa nego-
2 tiari. Hoc primo. Monachi nequeunt nomine
3 proprio conductas possessiones habere. Hoc secundo. Laicis non debet Ecclesia titulo conductionis concedi. Hoc tertio.
4 Nota primò ibi, *sub interminatione anathematis.* Clericum, vel Monachum, qui lucri causa negotiatur, esse excommunicandum, si monitus non desistat; hoc enim important illa verba, *sub interminatione anathematis prohibemus*, & notat glos. ult. in cap. *un. infr. de Sagitt.* & dixi in cap. *Non minus*, *in 8. notab. supra de immunit. eccles.* Et hinc collige transgressores hujus prohibitionis mortaliter peccare: alioquin percelli non possent excommunicatione quæ non fertur nisi pro culpa lethali, ut cap. *Nemo Episcoporum*, *11. q. 3.* & ita per hanc rationem post Petr. de Palude, & S. Anton. tenet Sylvest. *in ver. Clericus 3. n. 3.* & probavi plenius in c. *1. in ult. not. sup. eod.*
5 Secundò nota ibi, *causa lucri*, A contrario sensu negotiationem, quæ non fit lucri causa, non esse Clericis, vel Monachis interdictam, possunt enim vendere, & emere prout eorum necessitas exigit, ut hic in glos. 1. non tamen principaliter propter lucrum, secundum Abb. *num. 1.* Ad hoc Clem. *Præsenti*, *de censib.* & cap. *Quamquam*, cum ibi not. per Io. Andr. *eod. tit. lib. 6.*
6 Negotiari autem, seu mercari est rem emptam non mutatam lucri causa vendere. At verò rudem materiam, & illam per industriam, & secundum regulam alicujus professionis, seu artis ad aliquã formam deducere, non est negociari, seu mercari, nec talia negotiatores, seu mercatores faciunt, sed artifices, qui secundum diversas species artificii denominantur, veluti lanifices, textores, aurifices, & consimiles, ut est textus in cap. *Eliciens*, *88. dist.* & not. glos. *in summa ad fin. 14. q. 3.* item glos. ut in cap. *Canonum 14. q. 4.* Butr. in cap. *1. n. 2. vers. Solutio*, & ibi etiam Abb. *num. 4. vers. intellige*, *supra eod.* & idem Butr. *hic num. 5.* & Anch. *in 1. notab.* Feder. de Sen. *cons. 207. Nec Epistolas*, *num. 2. & per totum*, ubi loquitur in casu venæ ferreæ, existentis in agro empto à Monachis Cisterciens. qui ferrũ inde educebant, colabãt, & subtilissimo artificio, ingenioque separabant, & alio asportabant lucri causa: & consuluit Feder. illud esse artificium, non autem negotiationem, de qua solvenda sit gabella, secundum ea, quæ leguntur, & notantur in cap. *fin. supra de vit. & honest. cleric.* & sequuntur illam decisionem Ferret. *cons. 145. Quæritur*, *num. 4.* & Episcopus Montis Mariani in *sua praxi archiepiscopali Neapol. cap. 63. de cler. negotiat. num. 3.* ad quod tamen vide quæ in oppositum congerunt Moderni *in tractat. de effect. clericat. effect. 3. n. 127.*
8 Et posita hac distinctione, vertitur in dubium de qua negotiatione hoc capitulum intelligatur. Et quidem conveniunt omnes, textum habere lo-

cum

cum in negotiatione propriè sumpta, seu mercatura. Hæc enim procul dubio est Clericis, & Monachis prohibita, si fiat ad lucrum; cap. *Fornicarii, & par autem, 88. dist.* Secus si ex causa necessitatis, ut hic notat glos. 1. & glos. *prædict. in summa, 14. q. 3.* In hoc tamen adverte, quia si Clericus vel Monachus posset sibi victum quærere artificio, non liceret ei mercaturam exercere, cessante scilicet necessitate; sed deberet potius propriis manibus laborare, ut cap. *Clericum victum*, & cap. *seq. 91. dist.* & c. *Nunquam, de transact. dist. 5.* & est ex mente D. Thomæ *in 2. 2. q. 187. art. 3.*

10 Artificium verò esse Clericis, & Monachis permissum etiam lucri causa non obscurè sentit *hic* Innoc. *in princ. in verb. Lucri*, ubi limitat hanc prohibitionem dicens, Nisi lucrum proveniat ex operæ, vel re imat: & eum sequuntur Abb. Antiq. *in princ.* & Cardinal. *n. 1.*

Verum Abbas Siculus *hic in prima quæstione n. 1. vers. 3. gemma*, intelligit, & benè dictum Innocentii, quando clericus operam propter lucrum fundente necessitate, ita ut ultimus finis non sit lucrari, sed necessitati prospicere: aliàs non debet Clericus, vel Monachus solius lucri causa artificium exercere; quod secundò eum videtur probare textus, si recte ponderetur in d. cap. *1. vers. Nec ipsum negotium, supra eod.* Ex in hunc sensum intelligit præcitatam glossam, *quæst. 4. in summa*, dum ait, in causa necessitatis permitum esse clericis negotiari; scilicet artificium exercendo, & propriis manibus operando: & sequitur Redoanus *de spoliis q. 2. n 45.*

Ego autem sequutus Beatum Thomam *in 2. 2. q. 187. d. art. 3.* Affero Clericis, & Monachis licitum esse artificium ad victum parandum, ad otiũ fugiendum, ad concupiscentiam refrænandam, & ad eleemosynas faciendas, dum tamen non sordide exerceatur, propter ea, quæ habentur in Clement. *1. de vit. & honest. cler.* Sed si exerceatur ad merum lucrum, censeo non esse licitum, ut plenè probavi in dict. cap. *in 6. nat. & num. 46. cum pluribus seq. sup. eod.* ubi videas. Et præter alios ibi allegatos hoc sentit Feder. de Senis *in prælig. cons. 207. num. 3.* ubi admittit clericis, & religiosis non esse licitum artificium, nisi quando propriæ facultates non suppetunt, ex notatis *14. q 3. in fine Summæ.*

11 Tertiò nota ex secunda parte textus differentiã inter Clericos, & Monachos: nam Clerici possunt aliorum possessiones conducere: quod intellige urgente necessitate, ut dixi satis in cap. *1. n. 5. 29. & 43. supra eodem*: Monachi autem minimè, quia nomine proprio possidere non possunt, cap. *Non licuit, 12. q. 1. cum simil.* Nomine tamen monasterii prohibentur conducere prædia aliena, si propria non sufficiant; & propterea textus dum prohibet negotiationem in primo dicto, loquitur de Clericis, & Monachis: sed in secundo dicto ubi prohibet conductionem, loquitur de Monachis tantum, innuens per hoc conductionem clericis indigentibus non esse interdictam, cum propriis eis liceat possidere: & ita hic declarat Innocentius *in ver. Suo*, Hostien. *in princ. in ver. Nomine*, Burt. *n. 6* & alii communiter.

12 Ultimò nota quod habetur in tertio dicto, videlicet laicos non posse ad firmam habere ecclesias ipsas, seu illarum administrationem. Vnde nec decimæ, vel obventiones possunt eis locari ut c *Vestra, supra de locat.* & cap. *Quærelam, infra, Ne Prælat. vices suas*, Hostien. *hic in fin.* Sed bona temporalia, vel mola Ecclesiæ, & fructus decimarum bene possunt laicis locari, d. cap. *Vestra*, & *ibi* per Butr. *num. 6.* & Abb. *num 2. vers. Temporalia.* Instante tamen necessitate posset fieri concessio laicis, etiam quoad ecclesiam, non quidem ut ipsam regant, sed ut per alios gubernandam procurent, ut firmat Io. Andr. in cap. *Ex ratione, num.., supra de etat. & qualitat.* quem sequitur Abbas d. n. 2 *vers. Instante.*

Ne Clerici, vel Monachi.

Cap. Relatum.

SVMMARIVM.

1 MOnachi incorrigibiles de monasterio sunt expellendi, & monasterium reformari debet de Fratribus alterius Ordinis, si de Monachis eiusdem Ordinis reformari non potest.

2 *Exemplum malum Monachorum est contagiosum, & alios infuit.*

3 *Maximè si proveniat à Prælato.*

4 *Regula est in præcepto.*

5 *Declaratur.*

6 *Monasterium reformari debet de Monachis eiusdem, vel alterius ordinis, nec transferri debet ad clericos sæculares, nisi in defectum regularium.*

Declaratur, n. 8.

7 *Ecclesia sæcularis potest ab Episcopo fieri regularis, sed non è converso, nisi deficientibus regularibus.*

8 *Conventus parvi statim transferri possunt ad clericos sæculares, nec servandi sunt gradus cap. Inter quatuor, de reiig. domib.*

9 *Conventus, in quibus alimon potest competens numerus religiosorum, sunt incapaces reformationis, sive id contingat ob redituum tenuitatem, & num 12 & num. 28.*

10 *Sive ob aeris intemperiem.*

11 *Sive ob infestationem pravorum hominum.*

13 *Conventus parvi, circumscripti exemptionibus, reduci possunt ad statum sæcularem auctoritate Episcopi.*

14 *Ioannis Mauburni inspectiva in parvos Prioratus.*

15 *Generales Ordinum cur abstinuerint à dimissione parvorum conventuum, & n. seqq.*

Bona suppressorum conventuum cur non potuerint applicari maioribus monasteriis alibi existentibus: ibidem vers. Vel demum quia, *& n. 20.*

16 *Conventus parvi ab Innocentio X. suppressi in tota Italia, & insulis adiacentibus, & n. 26.*

19 *Et bona ipsorum applicata pijs usibus in iisdem locis, ubi conventus existunt, & n. 40.*

20 *Papa potest applicare bona parvorum conventuum suppressorum alijs pijs usibus, etiam de potestate Ordinaria, & n. 50.*

21 *Monasteria ad quid fundata, & dotata.*

22 *Papa de potestate ordinaria non potest fundationibus monasteriorum derogare, & voluntates eorum mutare.*

23 *Nec testamentum, vel contractum, aut aliam piam dispositionem rescindere.*

Declaratur, n. 36.

24 *Privilegium ex causa onerosa transit in contractum, qui à Principe revocari non potest.*

Papa

25 *Papa non est propriè Dominus bonorum Ecclesiæ.*

26 *Contrarium. & n. seqq. vsq; ad n. 36.*

27 *Papa non potest contra alias Ecclesiæ præscribere & cur.*

28 *Papa habet plenitudinem potestatis singulariter, & universaliter in omnibus Ecclesiis.*

29 *Potest res, & bona omnia Ecclesiarum orbis administrare, & disponere pro libito voluntatis. & n. seqq. vsq; ad n. 36.*

30 *Et facere Monachum testabilem de bonis monasterio acquisitis.*

31 *Et jura uni Ecclesiæ auferre, & dare alteri. & n. 36*

32 *Dominium rerum Ecclesiarum propriè loquendo non est apud aliquam Ecclesiam particularem, sed apud Christum. & n. 37.*

33 *Papa est pater patrum, & cum omni Prælato in potestate, & jurisdictione concurrit.*

36 *Papa ex justa causa potest rem uni Ecclesiæ auferre, & alteri dare, & rectimas voluntates commutare.*

37 *Bona statimatque sunt donata Ecclesiæ, sunt immediatè acquisita Deo.*

38 *Donans prædium monasterio sub condizione, ut recedentibus Fratribus, prædium redeat ad donantem, illud non recuperat, si Fratres recedant de mandato Papæ.*

39 *Testatoris prohibitione pia ejus voluntas posit per Papam commutari, non tenet.*

40 *Religiones plurimæ, & monasteria per Papam suppressa, & eorum bona aliis piis usibus applicata referuntur.*

41 *Historia suppressionis parvorum Conventuum refertur. & n. seqq. vsq; in fin.*

42 *Congregatio super statu regularium ab Innocentio X. instituta.*

43 *Constitutio pro numero personarum in singulis monasteriis præfigendo in Congregatione compilata.*

44 *Refertur.*

45 *Formula describendi statum cujusq; monasterii de mandato Congregationis confecta.*

46 *Bulla suppressionis parvorum Conventuum Italiæ, & insularum adjacentium in Congregatione compilata.*

47 *Refertur.*

48 *Causa suppressionis.*

49 *Suppressio, & reductio ad statum sæcularem.*

50 *Reservatio facultatis Congregationis, & præservatio jurium fundatorum.*

51 *Termini præfixio ad dimittendos Conventus suppressos coram loci Ordinario.*

52 *Facultas regularium asportandi prophanam supellectilem.*

53 *Panarum adjectio.*

54 *Prohibitio faciendi Divina in Conventibus suppressis sub pœna interdicti.*

55 *Ordinariorum facultas expellendi regulares à Conventibus suppressis. & cætera.*

56 *Deputatio Sacerdotum sæcularium ad curam animarum dictis Constitutionibus incumbentem.*

57 *Applicatio bonorum.*

58 *Prohibitio erigendi nova loca regularia.*

59 *Declaratio intentionis Papæ providendi extra Italiam.*

Obstaculorum remotio. ibidem.

60 *Contrariorum derogatio.*

61 *Archiepiscopi Gnesnensis littera ad Innocentium X. pro extensione Bullæ instaurandæ, Ad Regnum Poloniæ.*

62 *Littera Congregationis exprimentes nominatim Conventus suppressos, & exquirentes Episcoporum, & Capitulorum sententias pro bonis applicandis.*

63 *Relationes applicationis bonorum Conventuum suppressorum à Papa ad se relatas approbavit.*

64 *Litteræ circulares super granciis, & membris etiam Curatis Monasteriorum.*

65 *In granciis, & membris Monasteriorum habitare non possunt regulares Sacerdotes, sed conversi tantùm pro bonorum administratione.*

66 *Missæ in capellis granciarum quando, & à quibus celebrandæ.*

67 *Cura animarum in granciis, & membris Monasteriorum exerceri non potest per regulares, sed per Vicarios perpetuos, vel amovibiles ab Ordinario deputandos.*

Granciarum bona reservantur ipsarum monasteriis, ibidem.

68 *Canonicorum Regularium Lateranensium granciæ, & parochiales ab Innocentio X. declarantur comprehendi in ejus Bulla Instaurandæ.*

69 *Conventus plurimi primùm suppressi, ac deinde ex rationabilibus causis à Papa Religionibus restituti.*

Regulares de jure facultatem non habent uniendi Ecclesiam, etiam sibi plenè jure subjectas. ibidem, vers. Præterea.

Vnio parvorum Conventuum ejusdem Religionis in eodem loco existentium qua lege facta fuerit. ibidem.

70 *Decretum Innocentii X. super subjectione nonnullorum Conventuum jurisdictioni Ordinarii loci refertur. & n. seqq.*

71 *Conventus suppressi, & postea Religionibus restituti subjiciuntur Ordinario quamdiu actu non aluntur duodecim Religiosi.*

72 *Quòd si non alant quatuor Sacerdotes, & duos conversos, gratia restitutionis nulla est.*

73 *Conventus numquam suppressi, in quibus non aluntur ad minus quatuor Sacerdotes, & duo conversi, sunt subjecti jurisdictioni Ordinarii loci.*

74 *Decretum Vrbani VIII. super monasteriis erectis complanciori numero, quam duodecim religiosorum, præservatur in Decreto Innocentii X. Ut in parvis.*

75 *Licentiæ recipiendi novitios Congregatio multis Religionibus concessit ante diem 22. Iulii 1652. sed postea abstinuit de mandato Papæ usque ad diem 3. Iulii 1654.*

76 *Licentiam recipiendi novitios post diem 3. Iulii 1654. quæ Religiones obtinuerint.*

77 *Decreta S. Congregationis super statu regularium pro novitiis recipiendis, & n. seqq. vsq; in fin.*

Conventus à Congregatione designati pro novitiatibus, & professoribus. n. 57.

78 *Licentiæ recipiendi novitios infra numerum præfixum in qualibet provincia.*

79 *Examen novitiorum. & n. seqq.*

80 *Ætas in novitiis, clericis, & conversis quæ.*

81 *A novitiis nihil recipiendum, excepto victu, & vestitu tempore probationis.*

82 *Novitij post professionem in professoris sunt collocandi.*

83 *In novitiatibus, & professoris Superior, & familia à quibus constitui, & amoveri possit.*

84 *Vita communis in novitiatibus, & professoris exactè observanda.*

RELATUM. Monachi incorrigibiles de monasterio expellentur, & reformabitur monasterium de fratribus alterius Ordinis, si de Monachis ejusdem Ordinis reformari non potest. Hoc dicit secundùm Jo. Andr. cui subscribunt Butr. Card. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. & sunt duæ partes. In prima excessus narratur, In secunda corrigitur ibi, *Ideoque*.

2 Nota primò ibi, *Et alios exemplo suo corrumpunt*. Malum exemplum Monachorum esse contagiosum, & alios inficere: polluitur enim ex uno peccatore populus; & sic ex una ove morbida universus grex inficitur, sic ex uno fornicante, vel aliud quodcumque scelus committente plebs universa pollitur, quæ sunt verba cap. *Sed illud*. 45. *dist*. & in exemplum culpa vehemens ostenditur, quando pro reverentia Ordinis peccator honoratur, dicit text. in cap. *Nemo*, 83. *dist*. Quod maximè procedit si malum exemplum provenit à Prælato; nam ut legitur in cap. *Præcipue*, 11. *q.* 3. (Scire Prælati debent, quòd si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad suos subditos perditionis exempla transmittunt.) confert Conc. Trid. *s.* 1. *sess.* 22. & *c.* 1. *sess.* 24.

4 Secundò, nota ibi, *Capella*. Regulam esse in præcepto, prouchic notat Bernardus post casum, & in glos. 1. & patet ex Conc. Trid. *sess.* 25. *de Regular. c.* 1. ubi præcipitur, ut omnes Regulares tam viri, quàm mulieres ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant; sed Host. *hic*, & Jo. Andr *n.* 2. Butr. *n.* 4. & Anchar. *n.* 3. 5 dicunt hoc verum esse indistinctè quoad tria substantialia, de quibus notatur in cap. *Ex parte, supra de Regul.* & quoad ea, quæ continentur in cap. *Cum ad monasterium, sup. de stat. Monach.* omnia verò alia, quæ habentur in Regula, non putant esse in præcepto; alioquin vix unus de quatuor Monachis salvaretur. Et subdit Joann. Andr. per hoc commendari regulam Prædicatorum, per quam transgressores Constitutionum ad pœnam obligantur, sed non ad mortale in his, quæ per se non sunt mortalia: de Fratribus autem Minoribus remittit ad Clem. *Exiri*, §. *Cùm igitur, & §. seq. de verb. signific.* sed tu in hoc articulo plenius distingue, ut optimè hic per Abb. *n.* 6. & adde quod scripsi in cap. *Explicari, num.* 4. *& seq. sup. de observ. jejun.*

6 Ultimò nota ex textu casum singularem, in quo per Episcopum potest alterari status Ecclesiæ regularis: nam si non potest reformari de Monachis ejusdem Ordinis, ut hic. Quid ergo si non reperiantur Regulares etiam alterius Ordinis? dicit Jo. Andr. & Abb. post eum *n.* 3. quod tunc poterunt instituì sæculares per cap. *Inter quatuor, sup. de Relig. domib.* ubi probatur: in hoc tamen servandi sunt certi gradus. Primò enim monasterium reformari debet de regularibus ipsius monasterii; secundò in defectum eorum, de Religiosis ejusdem Ordinis; tertiò deveniendum est ad Regulares alterius Ordinis; & postremò in defectum omnium Regularium, poterunt ibi instituì clerici sæculares, ut *hic* per Host. *n.* 3. *in ver. Reformari*, & Abb. *n.* 5. ubi ait: (Dicergo, quòd primò debent induci Monachi monasterii ad observandum, ut hic, & si sint incorrigibiles, debent reformari de Monachis ejusdem Ordinis si haberi possint, ut hic, & in defectum debent assumi de alio Ordine, omnibus autem deficientibus, recur-
7 rendum est ad clericos sæculares, ut in d. cap. *Inter quatuor*, & sic est casus, in quo potest Episcopus Ecclesiam regularem reducere ad statum sæcularem.) Hæc Abb. quos gradus posuerunt etiam in eodem cap. *Inter quatuor*, glos. *unica*, Host. *n.* 2. *in ver. Defectum*, & distinctius Jo. Andr. *eodem num. in ver. Ordinatis*, Butr. *n.* 5. Card. *in fin.* Abb. *n.* 1. *vers. Oportet tamen*, & Joan. de Anan. *n.* 2. *vers. Et considera*. Quamobrem quamdiu monasteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad sæculares clericos transferenda, quæ sunt verba Innocentii III. in d. Decretali *inter quatuor, de Relig. domib.* & ibi plenè scripsit. Ad idem text. in cap. *Possessiones*, ibi: Non debes Ecclesias, in quibus Monachi ministrare consueverunt, clericis, vel laicis assignare, *supra de rebus Eccles. non alien.* semper enim reformari debet monasterium de hominibus ejusdem professionis, si fieri potest, ut ait glos. hic post casum. Unde Benedictus XII. in Bulla Reformationis Monachorum Ordinis S. Benedicti, quæ incipit, *Summi Magistri, cap.* 34. Bullar. *tom.* 1. *pag* 195. sic statuit: Si aliquod monasterium ipsius Ordinis, seu Religionis lapsum in Religione, vel observantia regulari patiatur, qui per Abbatem, vel alium administratorem, vel Monachos ejusdem monasterii verisimiliter reparari non possit, auctoritate Apostolica assimantur de alio monasterio, in cultu ejusdem Religionis vigente, Monachi idonei, & ad dictum monasterium lapsum patiens transmittantur, ibi quamdiu expediens fuerit, moraturi, per quos lapsus hujusmodi reparetur. Item in Concilio Calcedonensi *cap.* 24. sic legitur: Quæ semel dicata sunt monasteria cum consilio Episcoporum, maneant perpetuò monasteria, & res, quæ ad ea pertinent, monasteriis reservari oportet, nec posse ea ultrà fieri sæcularia habitacula, refertur in cap. *Quæ semel*, 19. *q.* 3. & concordat cap. *penult. il secondo*, & cap. *Dudum*, 18. *q.* 2. & Concilium Aquisgranen. sub Gregorio IV. *cap.* 18. Conciliorum *tom.* 3. *par.* 1. *fol.* 2. *pag.* 321. ibi: (Monasteria Divinis solummodo cultibus dicata non debere sæcularibus dari, & Canonica prodit auctoritas, & ipsorum destructio locorum.) Quinimò Othoni Imperatori cogitanti expellere Monachos dissolute viventes à monasterio S. Pauli de Urbe, & & ibi Clericos sæculares instituere, apparuit noctu per visum Beatissimus Apostolus Paulus, eumque seriò admonuit, ut à proposito desisteret. & in propria vocatione reemendaret corruptos, ut refert Card. Baron. *ad annum Christi* 996. & dixi latiùs in d. cap. *Inter quatuor, n.* 8. *de Relig. domib.* Et ex his collige differentiam inter Ecclesiam regularem, & sæcularem: nam Episcopus non potest regularem Ecclesiam transferre ad statum sæcularem, nisi in defectum Regularium ejusdem, vel alterius Ordinis, ut sæpius repetitum est: at verò Ecclesiam sæcularem bene potest transferre in regularem favore Religionis, ut in cap. *Apostolicæ, de donat.* & cap. *Bona rei*, 12. *q.* 2. & in cap. *Ad audientiam il secondo, de Eccles. ædif.* & ibi glos. 2. & Abb. *hic n.* 4.

8 Declara nunc notabiliter quod dictum est de monasterio non transferendo ad clericos sæculares, nisi in defectum regularium, ut locum habeat, si monasterium, in quo regularis observantia est collapsa, sit tale, ut in eo ali possint tot Monachi, seu Religiosi, quot sufficiant ad observantiam regularium institutionum, cujusmodi erat monasterium

sterium de Brescia, de quo in hoc cap. & monasterium S. Pauli, de quo sup. proximè: tunc enim non debet statim reduci ad statum sæcularè, sed prius reformari debet ex Monachis ipsius monasterii, aut ejusdem, aut alterius ordinis juxta propositam graduationem, & omnibus deficientibus, transferri debet ad clericos sæculares, ut in prædicta Decretali *Inter quatuor*. Secus verò si opprobrium, & eleemosynarum tenuitatem monasterium astu non alat, nec alere possit nisi paucos aliquot Religiosos, puta unum, vel duos Sacerdotes, & unum, vel duos Conversos: tunc enim illico Ecclesia regularis potest fieri sæcularis, nec servandi
9 sunt gradus, de quibus supra. Ratio est, quia impossibile est, ut reformationem in eo introducant Regulares ejusdem, vel alterius ordinis, cùm locus ipse sit incapax reformationis; non enim posset ibi esse Chorus, nec studium, nec vita communis, nec ulla regularis observantia, ut plenè habetur in proœmio Bull. Innocentianæ, inferius relat. *n.* 47. neq; huic malo occurri potest si regulares illi à monasterio expellantur, & eodem in eorum locum subrogentur, quemadmodum præcipitur in hoc c. Quoniam in subrogatis eadem est causa relaxationis: non enim ex vitio personarum vivitur sine Regula, sed ex vitio loci, qui regulam servari non patitur: quippe si à monasterio ejicies duos, vel tres Fratres ibi commorantes, quamvis subrogaveris meliores, tamen citò relaxabuntur & isti, natura loci id operante, sicut contingit habitantibus in loco aeris insalubris: nam si sani sunt in morbum incidunt, si verò infirmi, morbus ingravescit, ut cap. *Quorundam*, 74. *dist.* Adde quòd si in
12 aliqua religione extarent exempli gratiâ, ducenti parvi Conventus, & in quolibet ipsorum non degerent nisi tres, vel quatuor Fratres, vtique si haberet locum hæc Decretalis, & tales Conventus, expulsis prædictis Fratribus, essent reformandi ex Fratribus ejusdem, vel alterius Ordinis, oporteret educere ex hac, vel alia religione sexcentos vel octingentos Fratres strictioris observantiæ, quod esset non minus ridiculum, quàm impossibile, & nihilominus futurum esset, ut subrogatii in numero tam exiguo ibi degentes, paulatim in eumdem morbum relaxationis inciderent, & illis ejectis, iterum alii reformati forent subrogandi, & daretur processus in infinitum; & licèt accidere possit, ut in aliquo parvo Conventu reperiantur interdùm aliqui Religiosi devoti, & boni exempli, tamen semper verum erit eos non posse ibi in numero tam exiguo regularia instituta observare, ut in cap. *fin. de Capell. Monach.* nec expectandus est lapsus, sed præcavendus, cap. *Monachi*, ibi, (Nec soli spiritualium hostium consilium expectant.) *de stat. Monach.* Melius enim est occurrere in tempore, quàm post exitum vendicare. l. 1. C. *Quando liceat unicuique sine judice.* l. fin. C. *Quibus caus. in integr. restitut.* Et quod dictum est de reddituum, & eleemosynarum tenuitate, idem intelligas si ob aliam causam in monasterio degere non possit competens numerus Religiosorum, puta ob aeris intemperiem, juxta textum in d. c. *Quorundam*, 74. *dist.* quam ob causam suppressus fuit Conventus Congregationis S. Joannis à Carbonaria Ordinis S. Augustini, civitatis Carinolæ, in quo propterea degere non consueverant nisi duo, vel ad summum tres fratres sine ulla observantia regularis disciplinæ, licet haberet annuos redditus Ducatorum

fere sex centorum, qui fuerunt applicati Seminario pro alumnis eidem cælo alluetis cum ingenti lætitia Episcopi Diœcesani, & totius Cleri, & populi: & idem contigit in Conventibus S. Augustini, & Minorum Conventualium in oppido Arcellæ Melphicen. Diœcesis, qui à Superioribus prompte fuerunt dimissi, & à Papa suppressi, quia erti reditibus abundarent, tamen, ob cæli gravitatem erant Fratrum sepulturæ, nec in eis morari solebant nisi duo, vel tres Fratres. Quomodo igitur in tales Conventus indici potuiller reformatio ex Fratribus ejusdem, vel alterius Religionis, juxta hoc cap. Idemque dicendum si Conventus sic exposito deprædationibus, & infestationibus pravorum hominum, de quo plurima afferri possent exempla, sed memorabile fuit quod nuper accidit in Conventu Montis Silvani Ordinis Carmelitarum Diœcesis Pamensis, qui cùm esset positus inter sylvas ad ripam fluminis Salsi, evaserat receptaculum flagitiosorum hominum, qui jugiter ibi morabantur tanquam in asylo, adeò, ut ex publicis attestationibus etiam constiterit fuisse à Jatronibus captum quendam insignem Ecclesiasticum, ac postea redemptum aureis lepengentis numeratis super Altari majori: qui sanè Conventus, etsi pingues haberet proventus, tamè suppressus fuit, & data etiam facultas Episcopo, illum prophanandi, ac demoliendi, quia erat scandalum totius provinciæ. Quæ quidem facultas data fuit quoque aliquibus aliis Episcopis pro Conventibus suppressis, & eorum Ecclesiis existentibus in locis solitariis, & limitrophis, ad quos facinorosi homines confugere consueverant. In talibus igitur Conventibus, in quibus ob exiguum Religiosorum numerum regularia instituta servari non possunt, non est servandus ordo graduationis superius propositus tanquam impossibilis, sed illicò possunt suppriml. & ad statum sæcularem reduci, & hoc innuit littera dicti cap. *Inter quatuor, de Relig. domibus*, in illis verbis (Quamdiu monasteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad sæculares Clericos transferenda.) A contrario enim intendit, ut si ordinata remanere non potuerint per Regulares, prout contingit in parvis Conventibus, unique statim sint transferenda ad Clericos sæculares: & hoc similiter voluit glos. *hic* post casum, quæ dum dixit, monasterium semper reformari debere de hominibus ejusdem professionis, immediatè adjecit conditionem illam, *si fieri potest*, innuens per hoc à contrario, ut si fieri non possit, prout accidit in his Conventibus exiguis, non sit necesse dictos gradus servari, sed illicò Clerici sæculares sint ibi instituendi, quia Canones non jubent expectari exitum impossibilem, cap. *Erit autem lex*, 4. *dist.* l. *Titius*, §. *fin. ff. de excus. Tutor.* l. *Qui sub conditione*, §. *Quæres. ff. de condit. institut.* Bald. in l. *Si idem vitio*, C. *de his quibus, ut indig.* & directè hoc tenet glos. 1. *in* §. *Quæritur*, post cap. *Statutum*, 19. *quæst.* 3 cujus hæc sunt verba: (Dicas ergo, quod de monasterio nunquam potest fieri sæcularis Ecclesia, ut hic dicitur, nisi enormiter vivant: tunc possunt Monachi removeri & instituì sæculares Canonici: tamen cum auctoritate Papæ, ut extrav. *Ne Cler. vel Monach.* Relatum; vel nisi ita sit, quòd non inveniantur aliqui de ordine illo, per quos possit locus ordinari, ut extra, *de Relig. domib. Inter.* Vel nisi ita sit, quòd

aliter non possit reformari, totus ille, quam per
13 Canonicos ut extra *de stat. monach. cap. Cum ordo*, quæ sit remota: quinimò circumscriptis exemptionum privilegiis, quando monasterium aliter non potest reformari, reduci potest ad statum sæcularem etiam ab Episcopo ordinario authoritate, ut notat Joann. in cap. *Si Episcopus.* in glos. *prima*, 12. q. 2. & concordant Alanus, Tancredus, & Barnabas relati ab Archid. in cap. *Statuimus, n. 4. extra fin. 15. q. 3.* & hoc credit servandum Jo. Andr. in d. cap. *Inter juniores*, in glos. 1. *num. 3. de Relig. domib.* & est de mente glos. *prima*, ibi *in verb. Venerentur*; & sequitur Abb. *hic n. 5.* Neque verò ex hoc aliqua muritur nota religionibus, quæ per se sanctæ sunt, & notissimum est quantum ex monasteriis pie institutis, & rectè administratis in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur; ut in Conc. Trid. *sess. 25. de Regular. cap. 1.* Sed solùm notantur iph parvi Conventus, qui viris religiosis, ac zelum Dei habentibus semper fuerunt exosi, quippe qui illarum decori, & utilitati semper magnoperè derraxerunt, ita, ut vulgare sit apud ipsomet Prælatos regulares. Conventus parvi corrumpunt magnos. Unde non immeritò in Bulla Innocentiana appellati sunt Vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineas. Hæc enim verba quamvis à quibusdam detractoribus temerè, ac per calumniam, malitiamque tradicta fuerint ad religiones; tamen revera non ad religiones, sed ad parvos ipsos Conventus referuntur, imò à religionibus ipsis contra distinguuntur evidentissimè: nam in prooemio Bullæ Pontifex primò involvitur in parvos Conventus, quòd sint sine ulla regulari observantia, quòd fiant receptacula flagitiosorum, & quod majora monasteria inficiant: & posteà subdit immediatè: Hæc quippe sunt zizania à religionum tritico separanda (ecce aperta contradistinctio Religionum, à parvis Conventibus.) Hæ sunt vulpes parvulæ (scilicet Conventus parvi) quæ demoliuntur vineas (scilicet Religiones) hoc est fermentum (id est parvi Conventus) quod totam massam, id est religionem corrumpit. Et sanè cum Innoc. animum induxisset has parvulas domunculas de medio tollere, & abolere, utique oportebat eum illorum malitiam, & perniciem exprobrare, sicut moris fuit prædecessorum Pontificum, qui cùm aliquem ordinem supprimere, & extinguere voluerunt, illius quoq; abusus, & corruptelas palam edixerunt, ut videre est in prooemio Bullarum extinctionis Ordinis Templariorum, Humiliatorum SS. Barnabæ, & Ambrosii, & S. Basilii Armenorum, de quibus infra *n. 46.*

14 Sed & Joannes Maburnus Abbas Liuracensis in Belgio Ord. Canonicorum Regularium vir admodum pius, & doctus, & scriptor antiquis, cujus meminit multa cum laude Possevinus in Apparatu sacro, in Roseto exercitiorum spiritualium *tit. 2. c. 3. pag. 45.* sic differit de parvis Conventibus. (In parvis Prioratibus (si Bernardo, Hugoni, & Umberto creditur) & religio annihilatur detestatio observantiæ, quæ ibi relaxatur, & meritum obedientiæ imminuitur, continentia facilè periclitatur, unde tales Prioratus parvi non sunt nisi religionis dissipatio, Monachorum prostibula, & latrocinia Religiosorum. Religio enim semper in Congregatione servatur in concilio justorum, &
15 in adunatione, non in dispersione.) Hæc ille. Et propterea ipsimet Generales, & capita ordinum sæpius cogitarunt has regulares domunculas à religione abscindere, & in manibus Episcoporum dimittere; ad idq; obtinuerunt etiam facultatem à Romanis Pontificibus per litteras in forma Brevis, in quibus asserierunt parvos Conventus hujusmodi observantiæ regularis, ac disciplinæ relaxationem, totiusq; Ordinis dedecus, & ruinam esse, ut dissertis verbis legitur in litteris vel record Urbani VIII. ad Correctorem Generalem Minimorum S. Francisci de Paula, sub datum Romæ
16 die 23 Junii 1633. & in aliis pluribus. Sed hæc facultas ubi non sunt, vel quia Conventus hujusmodi solvunt quotannis taxam contributionum capitibus ordinum pro sumptibus faciendis ratione officii; quæ quidem contributiones ex illorum dimissione remansissent valde imminutæ, & extenuatæ, nisi repartitæ fuissent inter alios Coventus non suppressos, quod vix fieri potuisset sine Fratrũ querela: vel quia noluerunt in se concitare odium Provincialium, qui a parvis Conventibus hauriũt multa pecuniam ratione contributionum, & procurationum occasione visitationis, & largitionum quas accipiunt à Superioribus locatibus, & Fratribus de familia: vel quia consultius putarunt non perturbare tot fratres in parvis Conventibus filiationem habentes, & plerumque oriundos ex locis, ubi Conventus sunt siti, quibus suppressis, a patria perpetuò exularent: vel quia noluerunt privare seipsos, & Provinciales jurisdictione, & au-
17 ctoritate, quam mediantibus his Conventibus habent ferè in singulis oppidis, villis, & pagis cujusque Diœcesis: vel quia tales Conventus alicubi inserviunt pro hospitio Fratribus illac transeuntibus occasione Capituli, visitationis, aut aliam ob causam, qui alioquin cogerentur divertere ad cauponem, vel hospitem: vel quia satius duxerunt hominibus dictorum locorum hanc molestiam non exhibere, qui libentius peccata sua aperiunt Regularibus, quàm proprio Parocho, vel Presbyteris sæcularibus, ut experientiâ compertum est: vel demum quia cùm in facultatibus supprimendi parvos Conventus Romani Pontifices quandoq; indulserint, ut illorũ bona applicarentur majoribus monasteriis ejusdem Ordinis, etiam alibi existentibus: ista applicatio ferè numquam potuit effectum sortiri populis reclamantibus, & Regulares tandem coacti fuerunt redire ad Conventus dimissos, ut sic vitarent populorum tumultus; immò accidit aliquando, ut cùm inde asportarent sacram, vel prophanam supellectilẽ ad majorem Conventum, populus manu armatâ restiterit, & suppellectilem ablatam ad primum Conventum vi reduxerit. Et sanè cùm monasteria ferè omnia sint fundata, & dotata ex erogationibus fidelium pro Missis celebrandis, & Divinis officiis obeundis in eorum Ecclesiis, ut notat Bellam. in c. *Per principalem, n. 93. vers. Et maximè quia bona, 9. q. 3.* allegabatur esse contra Canonicas sanctiones subtrahere populis auxilia spiritualia, & Ecclesias relinquere omni cultu, ac veneratione destitutas, ut cap. *Si quis vultu, 16. q. 7. cap. Et tempore, in fin. 16. q. 1. cap. Extirpande. §. Quia verò sup. de præben.* Et est expressum in Clem. *Ne in agro, §. Ad hæc, vers. Monachi locorum, de stat. Monach.* & advertit Bellam. *loco citato.*

18 Jure igitur optimo san. mem. Innocentius X. Quod & à pluribus ejus prædecessoribus optatum fuerat, suppressit, & extinxit parvos Regularium virorum Conventus in tota Italia, & insulis adjacentibus, eosque ad statum sæcularem reduxit, ut in Bulla inferius inserta *n. 47.*

19 Bona verò ipsorum applicavit aliis piis usibus in iisdemmet locis, ubi conventus sunt siti, iisque non indigentibus, in aliis locis ejusdem Diœcesis.

20 Stante enim impossibilitate illos reformandi de regularibus ejusdem, vel alterius Ordinis, & necessitate eos transferendi ad Clericos sæculares, ut probatum est supra, sequitur per necessitate, ut Papa nedum de potestate absoluta, seu de plenitudine potestatis, secundùm quam est supra omne jus humanum positivum, cap. *Proposuit, de concess. Præben.* sed etiam de potestate ordinaria, & à jure regulari potuerit illorum bona applicare eisdem Clericis ibi ministrantibus, ut sic viverent de Altari, cui inserviunt, 1. *ad Corinth. 9.* cap. *Ex his, 12. q. 1.* cap. *Ex officii, de præscript.* cap. *Cùm secundum, de Præben.* justum namque est ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium, cap. *Charitatem, 12. q. 2.* cum concordantiis, quas posui in cap. *Si quis sæ-, n. 7. sup. de pecul. Cleric.* Quemadmodum stante potestate Papæ, imò & Episcopi expellendi Monachos incorrigibiles à monasterio, & illuc introducendi regulares alterius Ordinis reformationis causa, juxta gradum superius propositum *n. 6.* per necessitate consequitur certa, & inconcussa potestas assignandi eis alimenta ex reditibus monasterii, ut labores impiorum justi edant, quæ sunt verba hujus Decretalis *in fin.*

21 Sed objiciunt aliqui. Monasteria omnia ad hoc fundata, & fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut in eis perpetuò manerent regulares, & ex proventibus sustentarentur illorum, non autem ut essent habitacula Clericorum sæcularium, cap. *Quæ semel, 19. q. 3. cap. Pervenit, il secondo*, cap. *Dudum, 18. quæst. 2. cap. Possessiones, de rebus Eccles. non alien.*

22 His autem fundationibus Papa saltem de potestate ordinaria non videtur posse derogare, nec voluntates commutare; nam ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium converti, ut legitur in Clem. *Quia contingit, in prima, de relig. domib.* & concordat Concil. Tridentinum *sess. 25. de reformat. cap. 5.* unde,
23 ut ait Bald. *cons. 82. Visum proponitur, n. 1. lib. 1.* illud, quod est deputatum pro remedio animæ testatoris, contrahentis, vel tertii, in alios usus auctoritate Principis converti non debet, quia loquendo de rationabili potentia non potest Apostolicus, vel Imperator rescindere testamentum, vel contractum, vel aliam piam dispositionem, de testamento est expressum jure civili in l. *Si testamentum, C. de testam.* de contractu est expressum jure civili in l. *Ratæ, ad hoc C. de rescindend. vendit.* & in l. *Legatum, ff. de usufruct. legat.* De jure communi est expressum, quod non debet permutari ad alium usum, si potest converti ad usum destinatum, in cap. *Quia contingit, de relig. domibus.* in Clem. & paulò infra rationem reddit, quia talis permutatio, seu alteratio voluntatis est naturali ratione, &
24 æquitati contraria. Hoc autem maximè videtur procedere in illis fundationibus monasteriorum, quæ factæ fuerunt ex concessione Papæ, quales sunt fundationes omnes, quæ in Ordinibus Mendicantium factæ fuerunt post prohibitionem Bonifacii VIII. de qua in cap. *vn. de excess. Prælat. lib. 6*

usque ad publicationem Concilii Tridentini, quod videtur prohibitionem illam sustulisse in *cap. 3. in fin. sess. 25. de Regular.* tales enim fundationes cùm sint ex causa onerosa, transierunt in contractum, qui à Papa pro libito voluntatis revocari non potest, cap. 1. *Cum materia, de probat.* ubi post alios Berous *n. 16. & 17.* Bald. in l. *Qui se patris, C. unde liberi*, Alex. *consil. vit. à n. 18. lib. 4.* Soccin. Sen. *cons. 87. n. 12. lib. 3.* Quæ conclusio fumitur ex illo principio, quòd Papa non sit proprie dominus bonorum Ecclesiæ, cap. *Mutationes, 7. q. 1.* & cap. *Non licuit Papæ, 12. q. 2.* & ex Host. notat Jo. Andr. in cap. *Cùm venissent, n. 7. de judicijs*, & Gemin. in cap. 1. *col. 2. in princ. vers. Quarto an Papa habeat dominium Ecclesiarum, de Summ. Trinit. & fid. Cathol. lib. 6.* & est de mente S. Thomæ in 2. 2. *q. 63 art. 2. ad primum* dicentis Prælatum ecclesiasticum non esse dominum spiritualium, ut possit ea dare pro libito, sed dispensatorem, secundum illud 1. ad Corinth. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*; ubi Cajetanus sub nomine Prælati intelligit includi etiam Papam, & *q. 43. art. 8.* (Nec Papa, inquit, nec aliquis Prælatus est dominus rerum Ecclesiæ, sed Ecclesia ipsa est domina, quia donatores non donant, & transferunt jura sua in Papam, aut Prælatum, sed in Ecclesiam Romanam, vel talem: Nec putes propterea quòd Papa habet plenitudinem potestatis ecclesiasticæ, ob hoc posse de bonis Ecclesiæ disponere, sicut potest Ecclesia, quoniam plenitudo potestatis ecclesiasticæ ipsius Papæ intelligitur in spiritualibus tantùm, &c. undererenentur ad restitutionem, qui a Papa bona ecclesiastica pro libito Papæ habuerunt, ut dicuntur, exaltentur, & magnificentur, sicut qui ab aliis familia Ecclesiæ bona acceperunt; omnis namque donatio Ecclesiasticæ rei pierum, vel necessitate vacua non distributo, sed dissipatio est à dispensatore usurpata.) Hæc Cajet. & expressè docuit idem S. Thomas in 2. 2. *q. 100. art. 1.* Ad tertium, ubi reddens rationem cur Papa possit committere simoniam, dicit: (quamvis enim res Ecclesiæ sint ejus ut spiritualis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini, & possessoris.) Et finit hæc doctrina S. Bernardi verbis in loco *de consideratione ad Eugenium Papam*, sed præcipuè *lib. 4. in fin.* in hæc verba: (Dispensatio tibi tradita est, non data possessio; si pergis usurpare & hanc, contradicit tibi qui dicit, Meus est orbis terræ, & plenitudo ejus; possessionem, & dominium cede huic, tu curam illius habe, pars tua hæc, ultrà ne extendas manum.) & *lib. 2.* plurimas allegans S. Scripturæ authoritates in *cap. 6.* concludit: (Forma Apostolica hæc est, dominatio interdicitur, indicitur administratio.)

25 Ad hanc objectionem responderi potest, primò, in hoc articulo plerosque Canonistarum aliter sentire; nam Archid. in cap. 1. *post medium, vers. Sed licèt ita sit, de Summ. Trin.* relatis verbis D. Bernardi *ad Eugenium lib. 4. in fin.* dicentis Ecclesiam Romanam esse Ecclesiarum matrem, non dominam, dicit sic: (Sed quidquid dicat B. Bernardus, Ecclesia Romana in Canone domina nuncupatur, 79. *dist. Oportebat, in princ.*) Et Papa hoc dicit, Ecclesiæ meæ, 97. *dist.* Ecclesiæ, quod videtur ad dominium pertinere: de hoc 12. *q. 1. §. vlt.* & eum sequitur totidem verbis Joan. Andr. ibi,

n.5. similiter Paulus de Leazar. in Clem. 1. *de Summ. Trin.* dicit Papam esse dominum rerum omnium Ecclesiarum, & eum sequuntur ibi Card. n.4. Barbat. n.4.5. & 6. & Corneus *cons.* 349. *Videtur, n.5. vol.1.* assignantes rationem diversitatis inter Papam, & Imperatorem, qui non est propriè dominus rerum privatorū, l. *Bene à Zenone*, juncta
27 gloss. *in ver. Omnia Principa, C. de quadrien. præscript.* & propterea Speculator *in tit. de præscript. n. 18.*
28 *vers. Illud etiam quæritur*, dicit Papam non posse contra alias Ecclesias præscribere: nam omnes Ecclesiæ suæ sunt, quia habet plenitudinem potestatis in quamlibet earū. cap. *Quis te fecit, 2. q. 6.* cap. *Nunc vero, 9. q. 3.* cap. *Proposuit, de concess. Preben.* d. l. *Bene à Zenone*, c. *Convenior*, 23. q. 8. ergo per præscriptionem nihil acquireret: sed & Innocentius in cap. *Cùm pridem, in verb. Resignavit. de pact.* dicit Papam habere plenitudinem potestatis super omnes Ecclesias singulariter, & universaliter, c. *Decreto, 2. q. 6.* item Petr. de Anchar. *in proœm. sexti*, c.
29 *Sacrosanctæ, n.3.* Papam habere latissimum arbitrium in rebus ecclesiasticis omnium Ecclesiarum transferendi, & pro libitu disponendi; & assignat rationem differentiæ inter res Ecclesiarum, & res privatorum, & ante eum Bald. illius Præceptor d. *cons. 24. in princ. lib. 2.* (Papa, inquit, potest res, & bona omnium Ecclesiarum Orbis administrare, & disponere pro libito voluntatis, præsertim subsistentibus causis, & quod sic ab eo, videtur procedere ab ore Dei.) cap. *Stromnes*, 19. *dist.* & idem Bald *cons. 175. Papa, sive Ecclesia Romana, lib. 2.* consuluit pro validitate venditionis bonorum cujusdam monasterii factæ per Papam cuidam nobili, & *n.2.* sic ait: (Prætereà hic Dominus Papa non vendidit rem alienam, sed suam: nam omnes res Ecclesiarum suæ sunt quoad ple-
30 nam, & liberam dispositionem.) Item Socin. Sen. *cons. 13. Præsens conclusio, vol. 1.* similiter respondit Papam posse facere Monachum professum testabilem, & dare illi facultatem donandi bona monasterio acquisita, & *n.34.* sic loquitur: (Nec dicat quispiam, quod Papa non possit præjudicare Ecclesiis, vel monasteriis super hujusmodi bonis; quoniam hoc est manifestè falsum, quoniam Papa in beneficiis, & ipsorum bonis habet omnimodam, & absolutam potestatem, cap. 2. *in princ. de Præben. lib. 6.* Clem. 1. *Ut lite pendente*, notat gloss. 9. q. 3. cap. *Per principalem*, & probatur 78. *dist.* cap. *Oportebat*, & 97. *dist.* Ecclesiæ, tenet Jo. Andr. in c. 1. *de Sum. Trin. lib. 6.* & posito quod verum dominii non sit suum, secundùm quod aliqui voluerunt, tamen ipse habet omnimodam, & absolutam dispositionem, administrationem, & dispensationem, & potest unire Ecclesias, & supprimere dignitates, & alteram alteri subjicere, & jura unius alteri dare, ut 16. q. 1. cap. *Et temporu, & 5. Sunt duo, de excess. Prælat.* cap. *Sicut unire, de offic. legat.* cap. *Translationem*, sicut Princeps potest de rebus fiscalibus, l. *Bene à Zenone, C. de quadrien. præscript.*) Hactenus verba Mariani Soccini. Quinimò dicunt
31 Lud Roman. *cons. 400. circa primum in 1. col. & in 10. col.* & ex illo Corneus *d. cons. 349. n.6.* Papam posse etiam sine causa jura unius Ecclesiæ auferre, & dare alteri si vult, dicentes hoc esse expressum in cap. *Ex multiplici, de Decimis*, & in Clem. *Dudum* §. *Nos. de Sepult.* idemque dixerunt in cap. *Constitutum*, Butr. *n.7.* & Abb. *n.15. de Relig. Domib.* & voluit gloss. in cap. *ex gratiæ, in ver. A Romano Pontifice, in fin. de rescript. lib. 6.* quam sequitur Decius
32 *cons. 341. Visopuncto, n.9.* quibus demum addo Paulum de Castro *consil. 288. sub num. 3. lib. 1.* ubi notabiliter ait: (Aut quæritur an Papa possit auferre alicui Ecclesiæ dominium rei suæ, vel aliquod jus illi quæsitum: & clarum est, quod sic ex sola voluntate, & sine aliqua causa, licèt facere hoc non debeat per ea, quæ habentur in cap. 1. 22. *dist.* & d. cap. *Constitutus, de Relig. Domib. de privileg.* cap. *Antiqua*, & ratio est, quia dominium rerum ecclesiasticarum, proprie loquendo non est apud aliquam Ecclesiam particularem, sed apud Christum, ut notat Innoc. *de cauf. poſſeſſ. & propriet.* cap. *Cùm super*, cujus Papa est Vicarius cum omnimoda potestate in terris, eò quia Ecclesia Catholica, cujus Christus est caput, est una, cujus Principatus est apud Ecclesiam Romanam, quæ fuit à Deo immediatè instituta; cæteræ verò Ecclesiæ tamquam rivuli fuerunt institutæ ab ipsa Romana Ecclesia, ut d. cap. 1. 22. *distinct.* & 24. *quæst. 3.* cap. *Loquitur*; & ideo quidquid juris est apud particulares Ecclesias, est etiam apud Papam, qui, ut
33 dixit Joan Monachus est pater patrum, & cum omni Prælato in potestate, & jurisdictione concurrit: unde quando aufert rem alicui particulari Ecclesiæ, potius dicitur auferre administrationem, quàm dominium, *extra, de donat.* cap. 2. quia dominium est potius apud ipsum Papam. cùm sit apud Christum, cujus est Vicarius, vel apud Ecclesiam Catholicam, quæ est una, cujus ipse est Princeps per illa verba Christi ad Petrum: *Pasce oves meas.*) Hactenus verba Paulis de Castro, & eum sequitur Decius d. *cons. 341. num 8. & 9.* Ex quibus
34 apparet hanc opinionem communiter teneri, quam etiam amplectuntur novissimè Domini de Rota apud Merlin. *decis. 775. tom. 2.* ubi resolvunt Papam esse dominum omnium bonorum Ecclesiarum, & habere plenariam dispositionem Jure Monarchico, quod apud eum residet in universum corpus Ecclesiæ, & singula ejus membra: idque confirmant quamplurimis auctoritatibus, & rationibus. Et idem repetunt in terminis nostris
35 *decis. 845.* nam cum fel. rec. Clemens VIII. sæcularigasset omnes Ecclesias, & beneficia Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Principatus Cataloniæ, illaque, & illorum proprietatem, & dominium suæ, ac Sedis Apostolicæ dispositioni dumtaxat reservasset, Rota resolvit hujusmodi reservationem intrare etiam ultra regulas Cancellariæ in mensibus non reservatis, & cùm pars adversa contenderet reservationem esse intelligendam respectu dominii, non autem respectu collationis, Rota ibi *n.11.* refellit hanc interpretationem; quia inquit etiam si Papa expressè non reservasset sibi dominium, & proprietatem Ecclesiarum; attamen ipse Pontifex tamquam caput Ecclesiæ ante sæcularizationem erat dominus, & supremus arbiter dominii, & proprietatis Ecclesiarum, allegat Rotam *decis. 81. n.9. & 10. p.5. rec.* & alios complures.

36 Sed quicquid ut de veritate harum opinionum, de quibus potest consuli Card. Bellarm. in c. *Cùm super, in 1 quæst. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* & in cap. *Per principalem, in 4 quæst. principal. 9. q. 3.* ubi hanc materiam latissimè, & magistraliter prosequitur à *n.72. usq; ad n.100.* & Navarr. *in Commentario de Spoliis Clericorum* super cap. *Non liceat Papæ, in 7. notab. 12. q. 2.*

Ro-

Respondetur 2. dicta Theologorum, de quibus supra à *numer. 21.* ad casum præsentem non pertinere; quia Papa ad suppressionem parvorum Conventuum & applicationem bonorum non processit quasi dominus bonorum ecclesiasticorum pro libito voluntatis, & de potestate absoluta, sed ex justis, & rationabilibus causis pro debito sui pastoralis officii, & secundùm canonicas sanctiones, ut evidenter ostenduntur rationes expressæ in proœmio Bullæ, de qua infra *numer. 47.* & abundè ostensum est supra à *numer. 8. usque ad numer. 21.* concurrente autem justa causa, quæ in Papa semper præsumitur, ut per Socin *d. cons. 13. numer. 35. vol. 1.* & Merlin. *d. decis. 775.* Conveniunt omnes tam Canonistæ, quàm Theologi, Papam uti supremum administratorem, ac dispensatorē bonorum Ecclesiasticorum posse res uni Ecclesiæ auferre, & dare alteri, ut tradunt omnes in cap. *Quæ in Ecclesiarum. de Constit.* post gloss. in cap. *Omnes in ver. Injustitia, 22 dist.* & gloss. *penult. in cap. Duo simul, de offic. Ordinar.* Bellam. in d. cap. *Per principalem, numer. 9.* ubi dicit casum esse indubitabilem, quod Papa cum justa & rationabili causa res unius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ potest donare, vel impignorare in perpetuum, vel ad tempus. Unde & potest ultimas voluntates commutare, nec unquam apud viros catholicos justa causa subsistente revocata fuit in dubium hæc Summi Pontificis auctoritas, eamque expressè agnovit Viennense Concilium, ut in Clem. *Quia contingit, in princ. de Relig. domib.* innovata à Conc. Tridentino *sess. 7. cap. ult. & sess. 25. de refor. cap. 8.* nam quamvis ipsi caveatur, ut ea, quæ ad certum usum largitionis sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium convertitamen ante verbum *converti*, infertur clausula illa, *salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate*: unde gloss. ibi *in ver. Sedis Apostolicæ.* (Nota, inquit, per hanc litteram solum Papam alterare posse usum illorum, quæ per fideles donata sunt, vel relicta.) & concordant ibi Paulus, Card. Anchar. & omnes, & firmant Oldrad. *cons. 61. Cùm Regi Franciæ in fin.* Gemin. *cons. 63. Dubitæ suprascriptæ, in princ.* Anchar. *cons. 282. Pro decisione, in princ.* Abb. *cons. 15. Duo sunt, numer. 3 lib. 2.* Calderin *cons. 419. alias 3. de Religiosis domib.* Butr. *cons. 33. in fin. numer: 4.* Alex. *cons. 2. Visis codicillo, numer: 19. in fin. ver. Præterea quocumque jure, lib. 1.* & alibi passim Doctores. Et sanè quod spectat ad rem præsentem, aut
37 bona fuerunt Ecclesiis, vel monasteriis donata simpliciter, & absque ulla reservatione: & statim atque sunt donata Ecclesiæ, sunt immediatè acquisita Deo, ut notat Innocen. in cap. *Cùm super, numer: 3. de cauſ. poſſeſſ. & propr.* & in cap. *Verum, numer. 2. de for. compet.* & proinde subsunt omnimodæ dispositioni Romani Pontificis immediati illius Vicarii, & supremi administratoris, ac dispensatoris bonorum Ecclesiasticorum, ut norant omnes in c. 1. *de Summ. Trinit. & fid. catholi. lib 6.* & in Clem 1. *eod. tit.* & in Clem. *Quia contingit, de relig. domib.* ubi in specie Guliel. de Monte Laudano, & post eum Card. *numer 4.* dicunt Papam esse gubernatorem in solidum universalis Ecclesiæ, cujus caput est Ecclesia Romana, & ita ejus est tamquam capitis ad membra singula alimenta transfundere, cap. *Cuncta per mundum*, & cap. *Per*
38 *principalem, 9 quæst. 3.* Aut donata fuerunt ea conditione, vel pacto adjecto, ut recedentibus fratribus, bona redeant ad donantem, vel ejus hæredem: & hoc pactum non comprehendit casum quando recedunt de licentia, vel mandato Papæ, qui est Summus Princeps, d. cap. *Cuncta per mundum, 9 quæst. 3.* & ita in his terminis post Joann. de Deo tenet Joan. Andr. in cap. *ex numer. 2. col. 3. ante medium, vers. Sciendum est, de relig. domib. lib. 6.* Adde, quod in casi dispositione intelligitur excepta auctoritas Papæ, cap. *Venientes, de jurejuran.* & pactum resolutivum intrat solum quando fratres recedunt facto suo, non autem quando recedunt facto, vel jussu Principis, l. *Lucius Titius, ff. de evict.* quemadmodum doctrina illa, quod relicta ad certum usum non possint in alium usum converti, quando testator expressè hoc prohibuit adimendo legatum in eventum contraventionis, juxta text. in §. *Sanctissimus*, in Auth. *de alienat. in Empyt.* & tradita per Bero. *cons. 49. lib. 2.* procedit in inferioribus, non autem in Principe, ut notabiliter declarat Bart. *in tra. minorie. lib. 2. dist. 2. 6. 13. numer. 15.* Petr. de Perusio *in tract. de Canon. part Epist. cap. 7. numer. 38.* & scripsi plenius in cap. *Nos quidem, de testam.* Quod si donator adjecisset prohibitionem expressam, ne sua voluntas commutari posset, etiam per Papam; hæc prohibitio uti repugnans supremæ Principis potestati, tamquam turpis, & impossibilis haberetur pro non adjecta, l. *Si quis ita instituat, l. Quæ sub conditione, l. Conditiones quæ*, & l. *Conditiones contra. ff. de Condit. instit.* §. *Impossibilis, Instit. de hær. instituen.* tenet Imol. in l. *Si alienum, in princip. numer 3. ff. eod.* Angel. in l. *Quidam*, §. *ille, numer. 2.* & ibi etiam Paul. de Castro *in fin. C. de necessar. serv. hared. instituen.* Et prohibitione illa non obstante posset Papa hujusmodi voluntatem commutare etiam sine causa de potestate absoluta, licet non de rationabili potentia, ut fatetur Bero. *d. cons. 49.* & ante eum Bald. *in cons. 82. Factum propositum, n. 1. & 2. lib. 1.* Præterea in edicto prohibitorio de piis voluntatibus in alium usum non commutandis lex Canonica præservat, & vult salvam esse Apostolicæ Sedis auctoritatem, ut in d. Clement. *Quia contingit, de relig. domib.* at nemo potest cavere, ne illa lex in suo testamento locū habeat, l. *Nemo potest. ff. de legat. 1.* & in Authde *Eccles. titul. §. Si quis autem pro redemptione, coll. 9.* & cap. *Tua nobis. supr. de testam.* & ideo similium prohibitionum Romani Pontifices in Signatura Gratiæ nullam rationem habere consueverunt: & hæc potestas supponitur tamquam indubitata etiam à Concilio Trident. *cap. 6. sess. 22.*

40 Quemadmodum nec quisquam Catholicus ausus unquam fuit ponere os in cœlum, & in quæstionem vocare potestatem Papæ reducendi ex justa causa regulares Ecclesias ad statum sæcularem, & illarum bona in alios pios usus convertendi, de quo est casus in præallegato cap. *Inter quatuor, de relig. domibus*, & innumera afferri posse exempla harum sæcularizationum, & valde insignis est illa, quam fecit Clemens VIII. de omnibus monasteriis Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Principatus Cataloniæ, de qua in *decis. Merlini 775.* & valde notandum est in casu illo Papam non applicasse illorum bona aliis piis usibus, sed reservasse sibi, & Sedi Apostolicæ etiam illorum dominium, & proprietatem, ut dixi supra *n. 17.* cùm tamen Innocentius nihil sibi reservaverit, sed bona suppressorum Conventuum integrè assignaverit locis piis, ubi siti sunt Conventus cum summa ejus laude, & ædificatione Christia-

ſtianorum Principum, & populorum; idque ad inſtar Concilii Tridentini *ſeſſ 25.cap.3.* ibi. quæ locis piis ibi exiſtentibus eo ipſo, quod ex acte fuerint, aſſignentur. Nec ſolum ſingularia monaſteria, ſed etiam totam Religionem multoties extinxerunt Romani Antiſtites, convertendo illius bona in alios pios uſus, ſicut Clemens V. in Conc. Viennenſi extinxit ordinem Templariorum longè, latèque diffuſum, & immenſis ferè opibus auctum, & univerſa illius bona Sedis Apoſtolicæ ordinationi, & diſpoſitioni reſervavit, ut in ejus Conſtitutione 3 incip. *Ad providam, edita die* 10. *Maii*, 1311. in *Bullar. tom.* 1. *pag.* 150. Et noſtro ſæculo Pius V. extinxit Ordinem Fratrum Humiliatorũ, & illorum domos, conventus, loca, ſupellectilem, bona, res, actiones & jura, eorumque proprietatem, & dominium ſuæ, & Sedis Apoſtolicæ liberæ diſpoſitioni ſpecialiter, & expreſsè reſervavit, ut in ejus Bulla 119. incipien. *Quemadmodum*, Bullar. *tom.* 2. *pag.* 328. Urbanus VIII. extinxit Congregationem Monachorum S. Benedicti Farfen. vulgo Berettani, & ego confeci minutam Decreti extinctionis, cùm eſſem Secretarius S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium: item extinxit Religionem Fratrum SS Barnabæ, & Ambroſii, & bona per hujuſmodi ſuppreſſionem vacantia reſervavit adminiſtrationi, & diſpoſitioni Ordinariorum, in quorum diœceſi ſunt ſita, eorumque fructus, ac reditus per eoſdem Ordinarios applicari juſſit in uſus pios locorum, ubi conventus ipſi & bona exiſtunt, ut in literis in forma Brevis ſub die 2. Decembris 1643. & Innocentius X. reduxit ad ſtatum Congregationis ſecularis Religionem Scholarum piarum Matris Dei, & extinxit Religionem S. Baſilii Armenorum, nec non Clericorum Regularium Boni Jeſu Ravennæ diſponendo ſimiliter de bonis utriuſque, & noviſſimè extinxit Congregationem de Scutia Canonicorum Regularium S. Georgii in Alga, ſupprimendo tria illius monaſteria, quæ tuebantur. & eorum bona applicando aliis pus uſibus in iiſdem locis, ubi ſita ſunt monaſteria. Quinimo Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi non unam tantùm, ſed omnes Religiones Ordinum Mendicantium (quatuor dumtaxat exceptis) etiam canonicè erectas poſt Concilium generale, de quo in cap *final. de religioſ. domib.* ſuppreſſit, & extinxit, non aliam ob cauſam, quam ob nimiam illarum diverſitatem, & de bonis earumdem diſpoſuit per hæc formalia verba, videlicet: (Nos enim ea diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervamus in Terræ Sanctæ ſubſidium, vel pauperum. vel alios pios uſus per locorum Ordinarios, vel eos, quibus Sedes ipſa commiſerit, converrendatur habetur in d. cap. *un. §. Confirmatur, de relig. dom. lib. 6.* Quocirca dubitare in hoc de poteſtate Papæ inſtar ſacrilegii obtinet, l. 2. C. *de crim ſacr.* § *Qui autem*, poſt cap. *Si quis ſuadente*, 17. *q.* 1. Gemin. *d. conſ. 63. in princip.* & nihilominus ad abundantiorem cautelam in Bulla fuit appoſita ſequens clauſula præſervativa juxtim, videlicet *ſalvis etiam juribus, quæ fundatoribus Conventuum ſuppreſſorum, vel alijs ex ſacrorum Canonum præſcripto, vel ex privilegijs Apoſtolico quomodolibet competunt.*

41 Supereſt nunc, ut referamus hiſtoriam ſuppreſſionis parvorum Conventuum, quæ ſic ſe habet.

42 Cùm ſel. record Innocentius Papa X. anno 1649. menſe Martij inſtituiſſet Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper ſtatu, ſeu Reformatione Regularium: primum omnium in ea deliberatum eſt de

43 præfigendo in ſingulis monaſteriis numero tot perſonarum quot ex illorum reditibus abſque penuria ſuſtentari poſſent ad præſcriptum Concilii Arelatenſis cap. 8. *relati* in cap. 1. *ſupra de inſtitut.* Concilii Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 3. & Conſtitutionum Apoſtolicarum. Atque ab omnibus unanimiter in eam ſententiam itum eſt, ut hac Conſtitutio, qua injungatur Superioribus tam generalibus, quàm provincialibus, & localibus quarumcunque religionum, ut infra terminum quatuor menſium tranſmittãt ſtatum temporalem ſingulorum monaſteriorum exiſtentium intra fines Italiæ & Inſularum adjacentium ad Priorem generalem ſuæ religionis in urbe commorantem, qui unà cum aliis religioſis ad hoc deputandis præfigat in unoquoque monaſterio eum tantum numerum, qui ex reditibus propriis, vel conſuetis eleemoſynis congruè poſſit ſuſtentari; easq; præfixiones infra alios quatuor menſes unà cum ſtatu cujuſque monaſterii memoratæ Congregationi conſigner; & interim interdicatur iiſdem Superioribus, ne quemquam ad habitum, vel profeſſionem admittant ſub nullitate actus; & excommunicatione latæ ſententiæ, donec præfixiones ut ſupra exhibitæ fuerint, & ipſi licentiam recipiendi Novitios ab eadem Congregatione obtinuerint. Itaque mandatum eſt mihi, ut minutam Conſtitutionis conficerem quæ poſtea per manus Cardinalium, ac Prælatorum delata, & à Sanctitate Sua approbata, tandem edita fuit in hunc, qui ſequitur, tenorem.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

44 Inter cætera, quæ ad Regularem diſciplinam inſtaurandam, conſervandamque Sacroſancta Tridentina Synodus ſalubriter decrevit, illud ſemper præcipuum, & maximi momenti habitum eſt, quo injungitur, ut in ſingulis monaſteriis, & domibus Regularibus is tantum numerus conſtituatur, & in poſterum conſervetur, qui vel reditibus propriis monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari. Quapropter ad ejus uſum inducendum fel. rec. Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri varia Decreta ediderunt, ſed quia nihilominus, ſive ob injuriam temporum, ſive ob Superiorum incuriam, ſive alias ob cauſas, illius executio hucuſque protracta eſt nõ ſine gravi monaſteriorum in ſpiritualibus, & temporalibus detrimento, ac Religionum jactura: Idcirco Nos nequaquam ignorantes quantum ex monaſteriis piè inſtitutis, & rectè adminiſtratis in Eccleſia Dei ſplendoris, atque utilitatis oriatur, quantumque dignitati, & commodo eccleſiaſtici Ordinis detrahat multitudo Religioſorum, quæ ſine delectu ſupra vires monaſteriorum in Religiones invehitur; Ac proinde arbitrati valdè acceptũ Deo ſacrisq; Religionibus proficuum fore, ut Decretũ tam ſalubre debitæ executioni demandetur: De conſilio nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac Dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, motu proprio,

ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris ſeq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore, præſentium præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis dilectis illius Generalibꝰ, Commiſſariis, Præſidentibus, Provincialibus, Miniſtris, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Præfectis, Rectoribus, Guardianis, Correctoribus, Vicariis, & quibuſcumque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac Domorum quorumcunq; Monachorum, ac Regularium virorum bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & Inſtituti etiam neceſſario, & in individuo exprimendi exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli, ad quos pertinet, adhibitis duobus, vel tribus Regularibus ſui Ordinis probatioribus, ac rerũ uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, reditus, ac proventus omnes monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac Domorum Regularium hujuſmodi (etiamſi ſint hoſpitia, vel ab alio monaſterio dependeant, ſintve filiæ Granciæ, ſeu membra) ſex annorum immediatè præcedentium habita ratione, ac detracto omni eo, quod grandines, ſterilitates, reparationes, & alii caſus hujuſmodi abſorbere ſolent; conſuetas item eleemoſynas, & obventiones, Itẽ victus, veſtitus, ac medicinalium, & alias quaſcumque tã ordinarias, quam extraordinarias expenſas, ærisquoque alieni, nec non Miſſarum celebrandarum, Fabricæ, Sacriſticæ, annuarum præſtationum, contributionum, ac procurationum, aliave cujuſvis generis onera diligenter, ac maturè recognoſcant eaq; omnia in ſcripturam redigant, exprimentes illius monaſterii titulum, ſeu denominationem, item capacitatem, ac ſituationem, videlicet in qua diœceſi, & an intra mœnia civitatis, vel oppidi, anve in pagis, ſeu villis, vel in ſilvis, aut nemoribus, & quantum diſtet à locis frequentibus, & populoſis, item à quo tempore fundatum fuerit, quave auctoritate, & cujus ſumptibus. Anve, & à quo numerus Religioſorum in eo fuerit aliàs præfixus, & quot ibi Religioſi, & ſervientes in præſenti degant, ſpecificatis uniuscujuſque nomine, cognomine, & patria; ſcripturamq; ſic confectam propria manu ſubſcribant, medio juramento atteſtãtes veram eſſe omnia, quæ in ea continentur, confuetoque ſigillo obſignatam intra quatuor menſes à publicatione præſentium in hac Alma Urbe noſtra ut infra facienda computandos tranſmittant, ſeu conſignent Procuratori Generali ſui Ordinis in Urbe commoranti, qui unà cum aliquibus gravioribus Religioſis à Congregatione prædictorum Cardinalium, & Prælatorum ad hoc ſpecialiter deputandis, negocio maturè perpenſo, ac computatis hujuſmodi reditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, atque oneribus, ut ſupra, detractis, fedulò examinent quot Religioſi homines, connumerati etiam Laicis, aliiſq; neceſſariis ſervientibus, in unoquoque Monaſterio, Conventu, Collegio, & Domo Regulari, quamvis (ut præmittitur, hoſpitium, ſeu alterius monaſterii membrum) juxta proprii Inſtituti morem, victum, & veſtitum, ac medicinalia in communi habentes commode valeant ſuſtentari, omnibusq; diligenter diſcuſſis, familiæ cujuſque Monaſterii, Conventus, Collegii, ac Domus Regularis hujuſmodi in qualibet provincia vel Congregatione, certum

earum tantùm perſonarum numerum præfigat quæ reditibus, eleemoſynis, & obventionibus, ut ſupra competenter ali poſſint, earq; numeri præfixiones unà cum originalibus ſcripturis ſuper ſtatu cujuſque monaſterii, ac domus Regularis à Superioribus ut præfertur, confectis infra alios quatuor menſes eidem Congregationi Cardinalium, ac Prælatorum, exhibeat, ut ab ea recognoſcantur, & approbentur. Quod ſi memorati Superiores, ac Procurator Ordinis intra præfixum terminum prædicta adimplere neglexerint, privationis vocis activæ & paſſivæ, necnon officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, & inhabilitatis ad illa, vel alia in poſterum obtinenda perpetuam pœnam eo ipſo, abſque alia declaratione incurrant, rehabilitatione Nobis, & Sedi Apoſtolicæ reſervata. Interea verò prohibemus & interdicimus omnibus & ſingulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus, Provincialibus, & Conventualibus, nec non Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus, & localibus antedictis, ne de incepto quemquam ad habitum ſuæ religionis recipiant, nec jam receptos, aut in poſterum contra hujuſmodi prohibitionem fortan recipiendos ad Profeſſionem admittant, donec ſcripturæ prædictæ, ac præfixiones numeri familiæ cujuſq; monaſterii, ac domus Regularis hujuſmodi, eidem Congregationi Cardinalium & Prælatorum realiter, & cum effectu fuerint exhibitæ, ac deinde memorati Superiores licentiam recipiendi ad habitum, & profeſſionem ab eadem Congregatione obtinuerint. Alioquin receptiones tam ad habitum, quam ad profeſſionem aliter factæ, ſint ipſo jure nullæ, nullamque inducant obligationem ad religionem in ſpecie, vel in genere, aut ad alios quoſcumque effectus. Et nihilominus contravenientes ſententiam excommunicationis incurrant, à qua per alium quam per Nos, & Romanum Pontificẽ pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtituti abſolvi non poſſint. Non obſtante quoad præmiſſa omnia, & ſingula Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, nec non illorum etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibꝰ quoque indultis, & privilegiis etiam ex cauſa & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, etiam in Matri Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliter tunc patis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritan. decretis etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam ad Imperatoris, aegum, ſeu aliorum Principum inſtantiam, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſi, & iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis quoad ea, quæ præſentibus quomodolibet adverſantur, etiam ſi prolixorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas

generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quævis alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, Præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentes litteræ in valvis Ecclesiæ Lateranen, & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ de eadem Urbe publicentur, & affigantur; quæ postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, omnes & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent & afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent. Quodque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Decembris 1649. Pontificatus Nostri Anno sexto.

Anno à Nativitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, Indictione secunda, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina providentia Papæ X. anno sexto, die verò 22. mensis Decembris supradictæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non in Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ per nos Ioannem Garziam, & Iacobum Cornelium prælibati Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

45 Constitutione publicata ad faciliorem illius executionem confecta est formula typis excusa, & ad Superiores cujusque monasterii transmissa, in qua italico idiomate tamquam in tabula monstratum est quo ordine, quave ratione describendus sit cujusque monasterii status.

Porro infra terminum octo mensium in prædicta Constitutione præfixum regulares omnes cujusque Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti ea, qua decet, obedientia paruerunt: nam ex omnibus Italiæ provinciis, & adjacentium Insularum exhibitæ fuerunt scripturæ originales statum singulorum monasteriorum continentes, subscriptæ, ac juramento firmatæ una cum summario redituum & expensarum, ac præfixione familiæ uniuscujusque monasterii.

Post hæc Prælati ipsius Congregationis designati ponentes religionum plene retulerunt illarum statum in genere, & singulorum monasteriorum in specie juxta methodum per manus delatam.

46 Cum verò ex hujusmodi relationibus compertum esset in dictas religiones constare ex quamplurimis Conventibus, in quibus ob redituum tenuitatem alii non alebantur, nec ali poterant tot religiosi, quot sufficere ad observantiam regularis disciplinæ, idcirco in pluribus sessionibus maturè deliberatum fuit de illorum suppressione, ac redituum applicatione: & facta Sanctissimo relatione Sanctitas sua probavit Congregationis sententiam, meque ipsius Congregationis Secretarium deputavit die 22. Julii 1652. Itaque pro rei magnitudine transmissi per manus Cardinalium ac Prælatorum distinctis vicibus dubia supra sexaginta, quæ in Congregationibus habitis de mandato Sanctissimi per singulas hebdomadas fuerunt accurate discussa, ex quorum resolutionibus conflata est materia pro compilanda Bulla desuper edenda. Et cùm nobis similiter demandata esset provincia conficiendi illius minutã, tandem Deo adjuvante opus perfecimus, eamque detulimus ad Sanctissimum, qui illam propriis manibus excepit, dixitque se velle attentius eam considerare, & post paucos dies in audientia inveni Sanctitatem suam habere in manibus ipsam minutam, quam me præsente clara, & intelligibili voce de verbo ad verbum perlegit, ac per singulas partes expendit, & aliquibus mira prudentia ac providentia adnotatis, eam mihi restituit, & nihilominus per manus iterum deferri, & in plena Congregatione discuti & examinari mandavit. Quare minuta fuit in Congregatione cunctis audientibus perlecta, & unanimi consensu approbata, moxque Sanctitatis suæ jussu confecta fuit Bulla, ac sub plumbo expedita, & in Archivio Arcis S. Angeli reposita statimque typis excusa, & locis publicis affixa, cujus tenor talis est.

INNOCENTIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

47 Instaurandæ regularis disciplinæ opus multis laboribus ac vigiliis a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris jampridem assumptum, nobis in dies magis magisque cogitantibus cur ad optatum finem hucusque perduci non potuerit, totque saluberrima decreta, & ordinationes ferè in irritum ceciderint: Illa tandem præcipua sese obtulit
48 originis causa, quod religiones quamplures ex parvis Conventibus ac domibus magna ex parte constantur, in quibus sive ob redituum, & eleemosynarum tenuitatem, sive ob aeris intemperiem, sive aliam ob causam non aluntur, nec ali possunt tot religiosi, quot ad peragendum ritè divinum cultum & regularia munia ex cujusque Ordinis præscripto sunt necessarii: etenim in tam exiguo numero ibi degentes nec divinum officium nocturnum pariter & diurnum in Choro celebrare, nec orationi mentali, ac spiritualibus collationibus & exercitiis, ac studiis in communi vacare, nec silentium, clausuram, vitam communem, cæterasque institutiones servare possunt, quæ ad tria principalia vota ordinantur, & sine quibus consistere vix possunt regularis vitæ bases & fundamenta. Quamobrem otio immersi nullum religiosæ vitæ specimen præferunt: soli incedunt per Urbes & loca, cum sæcularibus vagantur, ac mundanis negotiis se involvunt. Indeque fit, ut ibi collocari renuant religiosi probatæ vitæ, ac disciplinæ, & Superiores cogantur illic familiam constituere ex fratribus vitæ laxioris, qui loci licentia peiores fiunt; & si quando ad cœnobia, seu monasteria regularis observantiæ revocantur, à claustro, quasi à squalore carceris abhorrentes vix adduci possunt ut communem servent in moribus disciplinam, atque aliorum institutionibus se conforment, quin potius cæteros avertunt, vel certè reddunt suo exemplo segniores: unde relaxationes derivantur in Ordines, & sensim invalescunt in
ipsa-

ipsarum religionum dedecus & ruinam. Præterea (quod dolentes referimus) ad hujusmodi Conventus, præsertim in locis infrequentibus, & solitariis, tamquam ad asylum facinorosi homines, & Curiæ contumaces, vel proscripti in dies confugiunt, ibique loci immunitate freti turpiter & dissolutè viventes; atque inde in tempore exeuntes graviora perpetrant flagitia cum maximo populi scandalo. Cumque Conventus, sive loca parva hujusmodi in effrænatã quasi excreverint multitudinem, hinc licet omnibus intelligere quæcumque reformationis remedia cassa fore & irrita, quamdiu non fuerint à religionibus abscissa. Quæ potest enim spes esse corpus languidum & infirmum ad salutem reducendi, si magna illius pars est curationis incapax; quin potius reliquam partem inficit, atque contaminat? Hæc quippe sunt zizania, quæ cùm jam creverint usq; ad messem, sunt in fasciculos alliganda, & à religionum tritico separanda. Hæ sunt vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineas. Hoc est fermentum, quod totam massam corrumpit. Quæ omnia, atque alia plura pro pastorali nostra solicitudine, diu, multumque animo revolventes, ut sacræ religiones in multitudinem latius incremento fœcunditatis per universam Ecclesiam diffusæ à vepribus, & spinis emundatæ uberes germinent fructus: nos etiam ab ipsismet religionum Superioribus reformationem zelantibus crebris precibus interpellati, & frequentibus populorum querimoniis permoti, salutare remedium adhibere consulta ordinatio-
49 ne decrevimus. Itaque de voto Congregationis aliquorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super statu regularium à Nobis deputatæ, cui hoc negotium sedulò, ac maturè examinandum commisimus, Motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnes & singulos Conventus quorumcumque Monachorum ac regularium virorum bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis mendicantium, vel non mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujusvis alterius instituti, etiam Societatis Jesu, etiamsi illis animarum cura personarum sæcularium incumbat, sintve hospitia, vel granciæ, seu alterius monasterii membra, existentes intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium in litteris ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum religiosorum regularis disciplina juxta peculiaria cujusque Ordinis instituta servari non potest, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò extinguimus, supprimimus & abolemus, unà cum omnibus eorum dignitatibus, officiis, ac ministeriis, illosque ab omni proprietate, dominio, superioritate, jurisdictione, ac alio quocumque jure regularium eximimus, & totaliter liberamus, omnemque conventualitatem, titulum, essentiam, ac denominationem regularem in eis penitus extinguentes, illos ad statum sæcularem reduci-
50 mus. Reservata tamen ipsi Congregationi facultate conservandi religionibus aliquem ex Conventibus expressis in memoratis litteris, si hoc ex
51 aliqua rationabili causa expedire judicaverit: salvis etiam juribus, quæ fundatoribus Conventuum sic suppressorum, vel aliis ex sacrorum Canonum præscripto, vel ex privilegio Apostolico quomodolibet competunt. Quocirca dilectis filiis quorumcumque regularium Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus & localibus, quocumque nomine ac titulo nuncupentur, in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, & mandamus, ut singuli, ad quos pertinet, infra terminum sex mensium inchoandum à die præsentationis litterarum à prædicta Congregatione, ut præmittitur, expediendarum faciendæ in Romana Curia Procuratori generali cujusque Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis dimittant realiter, & cum effectu coram Ordinariis locorum sub testimonio publico eidem Congregationi per eosdem superiores regulares exhibendo possessionẽ
52 corporalem conventuum in eisdem litteris expressorum; & reservata eis facultate secum asportandi prophanam tantùm, non autem sacram supellectilem, religiosos inde amoveant, atque in a-
53 liis monasteriis ejusdem Ordinis vel Congregationis, aut Societatis collocent: alioquin pœnas privationis vocis activæ & passivæ, nec non dignitatum & officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, & perpetuæ inhabilitatis ad illa vel alia in posterum obtinenda ipso facto absque alia decla-
54 ratione incurrant. Eoque termino elapso, non liceat regularibus in Ecclesiis dictorum Conventuum Missas, & divina officia celebrare, confessiones sacramentales audire, vel alia sacramenta administrare, ac functiones parochiales exercere, aut verbum Dei prædicare, vel mortuos sepelire;
55 quod si secus egerint, eo ipso Ecclesiæ remaneant suppositæ ecclesiastico interdicto. Et nihilominus locorum Ordinarii, ubi per litteras ipsius Congregationis fuerint requisiti, religiosos rebelles, & refractarios à prædictis Conventibus ejiciant, etiã invocato, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio: & exinde Ecclesiarum, domorum, bonorumque omnium ad Conventus sic suppressos quomodolibet pertinentium regimen, curam, custodiam, & administrationem suscipiant, curentque, ut ex eorum reditibus & proventibus universis in primis, & ante omnia impleantur onera Missarum tam
56 hucusque non celebratarum, quam in posterum celebrandarum, & alia quæcumque ex lege fundationis, aut largitione fidelium, vel alias quomodolibet eis incumbentia, quibus nullo modo derogare intendimus, & cura animarum, si qua illis immineat per presbyteros sæculares idoneos ab ipsis Ordinariis approbandos laudabiliter exerceatur, Ecclesiæque debito non fraudentur
57 servitio. Cæterum intendentes de prædictis bonis, quotquot superfuerint, oneribus ut supra detractis, salubriter providere, eorumdem tenore præsentium bona hujusmodi applicamus, & applicata esse decernimus, & declaramus piis usibus in eisdemmet locis, ubi siti sunt Conventus, iisque non indigentibus, in aliis locis ejusdem diœcesis juxta designationem & partitionem, quam eadem Congregatio singulorum Episcoporum cum suis Capitulis, sententia prius addita, & plena totius negotii relatione habita, de mandato nostro faciet in suis litteris ad eosdem Episcopos scribendis, & in Cancellaria Episcopali registrandis ad
58 perpetuam rei memoriam. Verùm quia parum est mala præcidere, nisi etiam malorum causa, & radix evellatur. Constitutiones fel. recor. Bonifacii VIII. quæ incipit, *Cùm ex eo*, nec non Clementis
VIII,

VIII. incipien. *Quoniam ad inſtaurandam* aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum ſuper erectione novorum Conventuum editas, earumdem tenores innovantes, illisque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujuſvis alterius inſtituti, etiam Societatis Jeſu in aliqua civitate, caſtro, villa, ſeu loco ad habitandum domos, vel loca quæcumque de novo recipere, ſeu monaſteria, conventus, vel collegia incipere, vel fundare præſumat abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali plenam, & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem in ſcriptis, & gratis concedenda prævia examinatione Congregationis negotiis Epiſcoporum ac regularium præpoſitæ: ſi ſecus egerint, eo ipſo incurrant pœnas privationis, & inhabilitatis ut ſupra inflictas: & nihilominus receptiones, fundationes & erectiones ſint ipſo jure nullæ, & invalidæ; & domos, ac loca ipſa, & perſonæ in eis degentes omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, correctioni Ordinarii loci plenè in omnibus ſub-
59 jaceant. Intendimus autem in præmiſſis etiam ultra Italiam, & inſulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere. Decernentes præſentes litteras etiam ex eo, quod ſuperiores regulares, & cæteri quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato ac ſubſtantiali, ſive etiam ex eo, quod in præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quævis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimæ & totalis læſionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa, quantumvis juſta, rationabili & privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, aut quod de voluntate noſtra hujuſmodi, & aliis ſuperiùs expreſſis, ſeu relatis nihil ullibi appareret, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu quomodolibet conceſſo & impetrato quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra poſſe, neque ipſas præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas & efficaces exiſtere, & fore, ſuosque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac per omnes & ſingulos ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari: ſicque, & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici Auditores, necnon S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos & Nuncios, ac alios quavis auctoritate & poteſtate fungentes nunc & pro tempore exiſtentes in quavis cauſa & inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel igno-
60 ranter contigerit attentari. Non obſtantibus quatenus opus ſit, regula noſtra de non tollendo jure quæſito, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, cæteriſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis etiam in Conciliis generalibus editis, etiam ſpecialiter in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujuſvis alterius inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, domorum, ac locorum regularium quorumcumque, nec non illorum roboratis ſtatutis vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis & privilegiis etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, & in Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus & aliis decretis etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & quorumvis aliorum Principum, & perſonarum quacumque eccleſiaſtica, vel ſæculari dignitate fulgentium, ſeu eorum intuitu, & contemplatione, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis quoad ea, quæ præſentibus quomodolibet adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis ſpecialis, individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quævis exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine paribus ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentes litteræ in Valvis Eccleſiæ Lateranenſis & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de eadem Urbe publicentur & affigantur, quæ poſtquam affixæ & publicatæ fuerint, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctent & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim & perſonaliter intimatæ fuiſſent. Quodque earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadē prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur; quæ ipſis præſentibus adhiberentur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, extinctionis, ſuppreſſionis, abolitionis, exemptionis, liberationis, reductionis

nis, præcepti, mandati, intentionis, reſervationis, applicationis, declarationis, prohibitionis, derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, Idibus Octobris, Pontificatus Noſtri Anno nono.

Hi. Datarius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.
Viſa de Curia N. Humbertus.
G. Gualterius.
G. Bailly.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1652. Indictione quinta, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia PP. X. anno ejus nono, die verò 22. Menſis Octobris ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit in Eccleſia Lateranen. ac Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, nec non Cancellaria Apoſtolica valvis, ac in Acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis, & conſuetis urbis per me Hieronymum Maſcellum Sanctiſſ. D. N. PP. Curſ.

Pro Mag. Curſ. Laurentius Barbigionus.

61 His abſolutis, quoniam in ſupraſcripta Bulla, §. *Intendimus autem.* Papa declarat eſſe ſuæ intentionis etiam ultra Italiam opportunè providere: data fuit notitia totius rei geſtæ Nunciis Apoſtolicis etiam ultra Montes: & Nuncius Coloniæ reſcripſit Germaniam in hoc invidere felicitati Italiæ: & Epiſcopi Poloniæ ſupplicarunt pro extenſione Bullæ ad illas diœceſes, ut in litteris Archiepiſcopi Gneſnenſis Regni Poloniæ Primatis ad Innocentium X. infraſcripti tenoris, videlicet.

(*Sanctiſſime, ac Beatiſſime Pater D. D. Clementiſſime.* Poſt oſcula Beatiſſimorum Sanctitatis Veſtræ pedum. Et ſedium æternarum aſſiſtrix Sapientia, & digitus Dei adfuit planè Sanctitati Veſtræ, quādo Conſtitutionem de parvis Regularium Conventibus tot ſæculorum molimine in Eccleſia Dei agitatam Sanctitas Veſtra non reſtituebat modò, aut condebat rectius, ſed in rem, effectumq; ipſum duratura jam ſemper deduxit firmitate tranſmiſſum mandato Sanctitatis Veſtræ ad me exemplum ſingulari excepi lætitia, gratulorque temporibus, ac fortunato omnino Sanctitatis Veſtræ regimini non conceſſam hanc retroactis ſæculis felicitatem, quod ad intimam rectè conſtituendæ domus Dei radicem Cœleſtis Paterfamilias beatam Sanctitatis Veſtræ manum feliciter, efficaciterq; admoverit. Neque enim in ſolas religionum familias, earumque diſciplinam, ſed prava exemplorum contagione, malarumq; connexione cauſarum in aliqua Eccleſiæ membra e Conventibus hiſce exiguis maxima latè manare videbamus incommoda, ita ut nec religioſi ipſi, qui Conventus hoſce tuebantur, inficiari ſe id poſſe faterentur. Perſuaſum proinde, certumq; habeat Sanctitas veſtra univerſam Regni hujus Eccleſiam obviis ulnis laudabilem hanc Conſtitutionem excepturā, cujus quanto pridem deſiderio univerſi tenaremur, ex Conſtitutionibus provinciæ hujus Synodalibus, & ex Illuſtri Matthæo Joanne Judicki Canonico Gneſnenſi iſtic commorante poterit cognoſcere Sanctitas Veſtra, cui ulteriorē, & quàm maximè diuturnam in Eccleſia Dei gubernanda felicitatem à Patre luminum, omniq; boni fonte, cū iterato pedum Sanctitatis Veſtræ oſculo humillimè exopto & apprecor. Dat. Lubaviæ die 5. Menſis Januarii 1653. Sanctitatis Veſtræ indignus Servus. Andreas de Leſno Epiſcopus Culmen. & Pomen. Cancellarius R. Archiepiſcop. Gneſnen.)

Verum Sanctitas Sua ſatius duxit tantiſper ſuperſedere, donec negotium ſuppreſſionis in Italia eſſet omninò abſolutum & conſummatum.

62 Itaque biduo poſt publicationem Bullæ Sacra Congregatio dedit litteras ad ſingulos Priores Generales Religionum in Curia exiſtentes, in quibus nominatim expreſſit parvos Conventus in illa religione ſuppreſſos, ut ſic ſatisfieret illis verbis Bullæ, in litteris ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos. et ſubinde die 10. Decembris ejuſdem anni 1652. ſcripſit litteras circulares cum inſertione Bullæ impreſſæ ad unumquemque Epiſcopum in Italia, & Inſulis adjacentibus, in quibus primum expreſſit itidem nomina Conventuum ſuppreſſorum in illa diœceſi, ac deinde ipſi Epiſcopo commiſit, ut unà cum Capitulo ſuæ Cathedralis ad præſcriptū Bullæ referret, quibus piis uſibus exiſtimaret eſſe applicanda bona cujuſque Conventus ſuppreſſi, præcipuamque rationem haberet tenuitatis parochialium, deputationis Coadjutorum pro cura animarum & Capellanorum pro Miſſis celebrandis, item manutentionis ſeminarii, hoſpitalium, monaſteriorum, Monialium, & conſimilium.

63 Has autem relationes ab Epiſcopo, & Capitulo ſubſcriptas, obſignataſq; ad Sacram Congregationem tranſmiſſas, atq; ubi oportuit emendatas, Sanctitas Sua ad ſe relatas approbavit, executionique mandari, & in Cancellaria Epiſcopali regiſtrari præcepit; moxq; Decreta hæc applicationis ac partitionis bonorū unà cum litteris ipſius Congregationis ad ſingulos Epiſcopos tranſmiſſa fuerunt; & ſic pariter ſatisfactum fuit verbis Bullæ, ibi: (Bona hujuſmodi applicamus, & applicata eſſe decernimus, & declaramus piis uſibus in eiſdemmet locis, ubi ſiti ſunt Conventus, iiſq; non indigentibus, in aliis locis ejuſdem diœceſis juxta deſignationem & partitionem, quam eadem Congregatio ſingulorum Epiſcoporum cum ſuis Capitulis ſententia prius audita, & plenè totius negotii relatione habita de mandato noſtro faciet in ſuis litteris ad eoſdem Epiſcopos ſcribendis, &c.)

64 Quia verò in dicta Bulla, *Inſtauranda.* comprehenduntur non modo parvi Conventus, ſed etiam granciæ, ſeu alterius monaſterii membra, licet curam animarum habeant annexam: idcirco de mandato Sanctitatis Suæ datæ fuerunt litteræ tum ad Priores generales cujuſque Religionis in Cu-
65 ria exiſtentes, tum ad ſingulos Epiſcopos in Italia & Inſulis adjacentibus, in quibus nominatim exprimuntur hujuſmodi granciæ, & membra, & mandatur Epiſcopis, ut Regulares Sacerdotes in eis habitare non permittant, ſed pro cuſtodia, & adminiſtratione bonorum deficientibus perſonis
66 ſæcularibus idoneis, ſinat Regulares uti opera ſuorum Converſorum, cùm hoc tamen, ut in earum Capellis Miſſæ juxta ſolitum celebrentur ſaltem dic-

diebus festis per Sacerdotes sæculares, aut etiam per Regulares, qui tamen in eis non pernoctent.

67 In Curatis verò, seu Parochialibus non permittant curam animarum exerceri per Regulares, sed ad id deputent Sacerdotes sæculares idoneos in Vicarios perpetuos, vel amovibiles à Superioribus Regularibus nominandos cum congrua fructuum portione ipsius Episcopi arbitrio assignanda ad præscriptum S Concilii Tridentini, *cap. 7. sess. 7.* & reliqua ipsarum granciarum, seu parochialium

68 bona monasteriis principalibus dimittant. Et in hac dispositione granciarum, & parochialium Sanctitas Sua declaravit comprehendi etiam Canonicos Regulares Lateranenses, quos voluit extra claustra degere pro cura animarum exercenda, non obstante dispositione cap. *Quod Dei timorem, de stat. Monachor.* & in hanc sententiam scriptæ fuerunt litteræ ad complures Episcopos.

69 Quoniam verò in eadem Bulla *Instaurande*, sub gravibus pœnis præcipitur Superioribus Regularibus, ut infra terminum sex mensium inchoandum à die præsentationis litterarum suppressionis Conventuum dimittant illorum possessionem corporalem realiter, & cum effectu eorum Ordinariis locorum sub testimonio publico, & nihilominus reservatur ipsi Congregationi facultas conservandi Religionibus aliquem ex Conventibus expressis in memoratis litteris, si hoc ex aliqua rationabili causa expedire judicaverit: propterea infra terminum sic præfixum Superiores Religionum ferè omnium supplicarunt Sanctissimo pro conservatione, seu restitutione plurimorum Conventuum, & ex illis Sanctitas Sua multos reduxit ad primævum statum regularem, ac Religionibus restituit, quos scilicet ex publicis documentis, & Episcoporum attestationibus cognovit habere sufficientes reditus pro alendis Religiosis in numero competenti, & populis esse valdè utiles in Missis, & Divinis officiis celebrandis, & Confessionibus audiendis, præsertim in locis, ubi non sunt alii Regularium Conventus.

Præterea cùm Superiores Regulares de jure facultatem non habeant uniendi Ecclesias etiam sibi pleno jure subjectas, ut post Innocen. & Abb. Antiq. in cap. *Sicut unire, de excess. Prælat.* notat glos. in Clem *Ne in agro, §. Ad hæc in ver. Ordinarios, de stat. Monach.* Quando accidit casus, ut in eadem civitate, vel oppido suppressi fuerint duo parvi conventus ejusdem religionis, ad supplicationem Regularium, Sanctitas Sua univit minorem Conventum cum omnibus ejus bonis Conventui majori: sed tamen jussit vendi domum conventus uniti infra terminum sex mensium, & pretium inde redactum investiri in rot bonis stabilibus ad utilitatem alterius conventus, ut sic Fratribus adimeretur occasio redeundi ad conventum minorem, ibique minus religiosè vivendi cum dedecore sui Ordinis.

Rursus quia interdum accidit casus, ut una Religio, puta S. Dominici haberet conventum in aliquo loco, in quo alia Religio, puta S. Augustini habebat Conventum suppressum, & è converso Religio S. Augustini haberet Conventum in alio loco, in qua Religio S. Dominici similiter habebat conventum suppressum: oblata fuit Superioribus facultas faciendi inter se reciprocas uniones, & permutationes dictorum conventuum, ita ut Conventus S. Augustini suppressus uniretur conventui S Dominici ejusdem loci, & vice versa conventus suppressus S. Dominici uniretur conventui S. Augustini alterius loci. Sed tamen sive ob angustiam temporis, sive ob diversitatem diœcesum, & provinciarum, sive ob raritatem dictorum casuum, sive ob inæqualitatem permutationum, vel aliam ob causam, Religiones in his non convenerunt, & negotium evanuit.

70 Porrò ut in illis conventibus, qui ut supra religionibus fuerint restituti, & in aliis non habentibus numerum sex Religiosorum vivatur cum debita observantia, Sanctitas Sua subjecit illos omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci tamquam Sedis Apostolicæ delegari, ut in Decreto, cujus tenor est infrascriptus, videlicet.

71 (Ut in parvis Regularium virorum conventibus à Sanctiss. D. N. Innocentio PP. X. in Constitutione, quæ incipit *Instaurandæ*, primum suppressis, ac deinde ad ipsius Constitutionis limites ob rationabiles causas in pristinum statum regularem restitutis, & ipsis religionibus denuò concessis, pie, & religiosè vivatur: ac regularia instituta quo exactius fieri potest observentur: Sanctitas Sua ex sententia sacræ Congregationis super statu Regularium omnes, & singulos conventus hujusmodi tic, ut præfertur, restitutos, & concessos in litteris ab eadem S. Congregatione expediendis nominatim exprimendos, ac personas tam regulares, quàm sæculares in eis degentes visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc à Sede Apostolica delegati, præsentis Decreti tenore plene in omnibus subjecit, ac subjectos esse declaravit, donec ipsorum reditus eousque adaucti fuerint, ut in eis commodè sustentari valeant, & cum effectu sustententur duodecim Religiosi ad Apostolicorum Decretorum præscriptum, idq; eidem S. Congregationi legitimè constiterit, & ejus Decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit

72 & non aliter. Interea verò voluit Sanctitas Sua, ut in eorum singulis ali debeant, & re ipsa alantur sex saltem Religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus sint Sacerdotes maturæ ætatis, alioquin gratia restitutionis & concessionis hujusmodi nulla sit, & invalida, & Ordinarii locorum in illis exequi possint, ac debeant ea omnia, quæ in aliis conventibus itidem suppressis per eamdem Constitutionem ipsis demandantur, perinde ac si gratiâ prædictæ restitutionis, & concessionis non emanasset. Insuper quia multi sunt conventus, in quibus ex-

73 si præfixus fuerit numerus Religiosorum sufficiens ad observantiam Regularis disciplinæ, & idcircò in suppressione antedicta non fuerint comprehensi; nihilominus sive ob redituum diminutionem, sive ob Superiorum incuriam, vel malam administrationem, sive ob carentiam Religiosorum, aut aeris intemperiem, vel quamcumque aliam ob causam prædictus numerus cum effectu in eis non alitur cum gravi detrimento regularis observantiæ: Sanctitas Sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes & singulos ejusmodi conventus, ut præfertur, non suppressos, cujuscumque sint Ordinis tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, aut granciæ, seu membra alterius monasterii, existentes intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque actu non alentur saltem sex Religiosi idem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor ut supra sint sacerdotes maturæ ætatis, eidem visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci similiter ut Sedis Apostolicæ delegati plenè in omnibus præsentis pariter decreti vigore subjectos esse statuit, decrevit, &

74 declaravit. Cæterum quoad Conventus cum pauciori numero, quàm duodecim religiosorum, erectos post diem 21. Junii 1625. & illorum subjectionem loci Ordinario, Sanctitas Sua voluit in suo robore permanere Decretum fan. mem. Urbani VIII. jussu editum, cui per præmissa aliquatenus derogare non intendit. Et prædicta omnia, & singula in præsenti Decreto statuta, & ordinata voluit plenarium sortiri effectum, & executioni mandari, non obstantibus omnibus & singulis, quæ in antedicta Constitutione voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ die 10. Februarii 1654.

B. Card. Spada.

Loco † Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Sect.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1654. indictione septimâ, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina providentia Papæ X. anno ejus decimo, die verò 22. mensis Februarii, in prædictum Decretum affixum & publicatum fuit in Ecclesia Lateranen, ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellaria Apostolicæ valva, ac in Acie Campi Flore, & in aliis locis solitis, & consueta Urbis per me Petrum Paulum Desiderium Apost. Cursorem.

Pro D. Magistro Cursorum Joseph Marcheratus Cursor.

Et hoc Decretum illicò transmissum fuit ad quemlibet Episcopum unà cum litteris Congregationis continentibus nomina Conventuum religioni suæ restituendorum in illa Diœcesi: in autem jurisdictio, ut præfertur Ordinario attributa in præinserto Decreto sit privativa ad superiores regulares, vel cumulativa, scripsi plenè in c. *Quanto, sup. de offic. Ordinar.* ubi etiam posui plures alias declarationes ipsius Decreti. 42.

75 Ad extremum cum in Constitutione, *Inter cætera*, de qua sup. *num.* 24 interdictum sit superioribus regularibus cujusque Ordinis ne quemquam ad habitum vel professionem admittant sine licentia Sacræ Congregationis post præfixionem familiæ in singulis Conventibus, ut præfertur factam, eadem Congregatio dedit licentiam plerisque religionibus recipiendi novitios intra numerum eis præfixum: sed postea die 22. Julii 1652. Sanctitas Sua de cætero supersederi mandavit in

76 hujusmodi licentiis concedendis. Verumtamen die 3. Julii 1654. in audientia obtineri, ut tandem aperiretur ostium jam diu religionibus clausum; atque ita Sanctitas Sua benignè annuit, ut expediantur licentiæ pro multis religionibus recipiendi in Conventibus à Sacra Congregatione de consensu superiorum regularium deputatis certum numerum novitiorum, cum aliquibus tamen conditionibus seu ordinationibus. Et primi omnium hanc licentiâ receperunt Clerici regulares Theatini, moxque Fratres Minores, tam de Observantia, quam de Reformat. S. Francisci, ac deinde Minores Conventuales, cujus formulam habes hic subjectam.

77 Ad propagandam in Ordine Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci regularem observantiam, quæ novorum institutorum & educationi præcipuè inniti tur, Sacra Congregatio à Sanctissimo D. N. deputata super statu regularium de mandato Sanctitatis Suæ in singulis Italiæ Provinciis ejusdem Ordinis præsentis Decreti vigore deliget, ac deputat infrascriptos Conventus pro novitiatibus & professoriis, videlicet in Provincia Romana pro novitiatu Conventus S. Francisci Viterbii, & pro professoriis Conventus SS. Apostolorum Urbis Romæ, S. Francisci Ferentini, & S. Caroli Cavis in Provincia S. Francisci pro novitiatu fac. Conventum Assisii, & pro professoriis Convêtus S. Francisci Perusiæ, S. Fortunati Tudertì, & S. Francisci Amelix in Provincia Bononiensi pro novitiatu Conventum S. Francisci Bononiæ, & pro professoris eumdem Conventum S. Francisci, nec non Conventus S. Francisci Ferrariæ, & S. Francisci Faventiæ in Provincia Neapolitana pro novitiatu Conventum S. Laurentii Neapolis, & pro professoris eumdem Conventum S. Laurentii nec non Conventus S. Francisci Averfæ, & S. Francisci Mirabellæ: in Provincia Marchiæ pro novitiatu Conventum S. Francisci Firmi, & pro professoriis Conventus S. Francisci Urbini, & S. Francisci ranum Provincia S. Nicolai pro Novitiatu Conventum S. Francisci Civitatis Licei. & pro professoriis Conventus S. Francisci Biturci, & S. Francisci Andriæ: in Provincia Mediolanensi pro novitiatu Conventum S. Francisci Mediolani, & pro professoriis eumdem Conventum S. Francisci nec nó Conventus S. Francisci Saroni, & S. Francisci Galleratì: in Provincia Hetruriæ pro novitiatu Conventum S. Crucis Florentiæ, & pro professoriis Conventus S. Francisci Pisarum, S. Francisci Senarum, & S. Francisci Pistorii: in Provincia Genuensi pro novitiatu Conventum S. Francisci Genuæ, & pro professoriis Conventus S. Francisci Taurini, S. Francisci Papiæ, & S. Francisci Castri novi: in Provincia S. Bernardini pro novitiatu Conventu S. Francisci Therami, & pro professoriis Conventus S. Francisci Aquilæ, & S. Francisci Sulmonæ: in Provincia Calabriæ pro novitiatu Conventum S. Francisci Arenæ, & pro professoris Conventus S. Francisci Montis Leonis, & S. Francisci Seracenis in Provincia S. Angeli pro novitiatu Conventum S. Francisci Isernie, & pro professoris Convent. S. Francisci Trojæ, & S. Francisci Foggiæ. In quolibet autem ex prænominatis Conventibus pro novitiatu, ut præfertur, deliginatis eadem Sacra Congregatio imperitur licentiam hac vice tantù recipiendi novitios intra numerum hic præfixum, nempè in Provincia Romana decem clericos seu chorustas, & duos laicos, seu conversos: in Provincia S. Francisci decem clericos, & duos laicos: in

78 Provincia Bononiensi decem clericos & duos laicos: in Provincia Neapolitana decem clericos, & duos laicos: in Provincia Marchiæ decè clericos, & duos laicos: in Provincia S. Nicolai decè clericos, & duos laicos: in Provincia Mediolanèu decem clericos, & duos laicos: in Provincia Etruriæ decè clericos, & duos laicos: in Provincia Genuæ decem clericos, & duos laicos: in Provincia Calabriæ septem clericos, & laicum unù: in Provincia S Bernardini quinque clericos, & laicum unum:

in Provincia S. Angeli quinque clericos, & laicum unum: dum tamen hæc, quæ sequuntur, inviolatè
79 observentur. Primùm indicatur, & in singulis dictarum Provinciarum Conventibus publicetur futurum examen, seu scrutinium eorum, qui ad habitum probationis recipi postulaverint, omnesque à Provinciali, & Diffinitoribus diligenter examinentur, ac per vota secreta approbetur quotquot idonei reperti fuerint natalibus, ætate, vita, & moribus anteactis, litteratura respectu clericorum, corporis habitudine, impulsu spiritus, aliisq; requisitis ad præscriptum Apostolicarum Constitutionum, ac statutorum Ordinis: non idonei ve-
80 rò rejiciantur, nec aliquis approbetur pro clerico, qui decimum quintum, nec pro laico, qui vigesimum ætatis suæ annum non expleverit. Tum deinde hoc examen, seu scrutinium scripto fideliter exaratum, & manu propria cujusque examinatoris subscriptum, ac juramento firmatum, obsignatumq; primo quoque tempore transmittatur ad Generalem, qui statim consultis, atque adhibitis Procuratore generali, ac Patribus gravioribus, qui ei assistant, scrutinium sic receptum accuratè percurrat, ac per singulas partes expendat; ac prætereà tam per supradictos, quàm per litteras familiares, & secretas inquisitiones, à Patribus provinciæ antiquioribus, ac zelum Dei habentibus assumendas sedulò investiget num adversùs examinatos & approbatos inveniatur aliqua exceptio, anve ipsorum quispiam sit consanguineus, vel affinis, amicus, aut quoquo modo addictus alicui examinatori aut alteri ex fratribus Ordinis, & an zelo perfectioris vitæ, & Deo liberius in sancta Religione serviendi, an potius levitate aut necessitate, vel alio fine inordinato ductus postulet admitti. Iisque peractis, ex omnibus ut supra approbatis idem Generalis cum aliis supradictis intra numerum noviciorum pro clericis, & laicis in illa Provincia, ut supra concessum, præeligat meliores, habita præsertim ratione indolis, morum, fervoris spiritus, acumine ingenii, & conditionis naturalium: moxque præelectorum nomina mittat ad Provincialem, qui tunc demum, & non prius eosdem præelectos ad habitum probationis suscipiat & anno elapso, si eos habiles invenerit, ad professionem admittat, sub exacta tamen vita communi ad præscriptum regulæ non obstante quavis laxiori consuetudine, seu potius corruptela in contrarium introducta, servataque forma sacrorum Canonum, Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum, ac præcipuè Decretorum san. me. Clementis Papæ VIII. nec non statutorum prædicti Ordinis. Quod si aliquem ex dictis noviciis ante professionem à religione discedere, aut expelli contigerit, alius in ejus locum subrogari possit, dummodo tamen in omnibus servetur forma su-
81 perius præscripta. Sed & illud omnino cavendum erit, ne à volentibus ingredi religionem pro ipso ingressu, nec post susceptum habitum probationis pro admissione ad professionem, vel alio quocumque prætextu, excepto victu, & vestitu novitii illius temporis, quo in probatione est, ab ipso, vel ejus parentibus, aut propinquis, vel curatoribus aliquid accipiatur sub pœnis per sac. Canones
82 & Tridentinum Concilium statutis. Cæterum ut prædicti novicii postquàm in professorum numerum, ut præfertur recepti fuerint, melius in bono spiritu, regularisque disciplinæ observantia stabiliantur & confirmentur, statim post professionem emissam, si in Conventu pro novitiatu, ut supra assignato locus aderit secundi novitiatus, seu professorii ab ea, quæ noviciorum est, atque antiquorum professorum habitatione distinctus, & segregatus, ibi collocentur, si Convẽtus eos alere queat: sin minus, transferantur in alium Conventum ex designatis pro professorio, seu secundo novitiatu, ubi is locus cum requisitis ad novitiatum ipsum præscriptis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo construatur: ita tamen, ut si prædicta religio ex suarum Constitutionum, seu institutionum vigore majoris temporis cursu novos professos intra novitiatum detinere consuescat, illis in hac parte minimè derogatum esse intelligatur; & nihilominus permittitur superioribus, ut idipsum facere possint, si rationi ac religioni magis expedire judicaverint. In quo quidem professorio degant sub regulis, & modo vivendi adhuc strictiori, quàm servent antiquiores professi, ita ut nec in negotiis Conventus se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alterius exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant quousque ad ætatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem pervenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiã tempore poterunt, quinimo & debebunt litterarum studiis operam navare sub directione, & regimine superioris, qui eas qualitates habeat, quibus noviciorum magistrum præditum esse oportet, quemadmodum ipsius Clementis Decreto pro-
83 vide sancitum est. Porrò in Conventibus tam pro primo, quàm pro secundo novitiatu, ut præmittitur, assignatis, nec superior, nec noviciorum magister, nec familia religiosorum constituatur vel amoveatur, nisi ab ipsomet Generali, consultis Procuratore generali, ac patribus gravioribus ei assistentibus, necnon Provincialibus, ac Diffinitoribus, neque in eis collocentur nisi religiosi graves, devoti, exemplares & regularis observantiæ, ac
84 puritatis regulæ studiosi: præcipuè verò caveatur, ne ibi ponatur aliquis, qui non consentiat servare vitam communem, quæ in prædictis Conventibus ad regulæ præscriptum exactè observetur, indeq; amoveantur qui tam sanctæ ordinationi contradicere, aut quoquo modo se opponere ausi fuerint. Ad extremum postquam novitii in professorum numerum, ut supra cooptati fuerint, superiores regulares, ad quos pertinet, illicò S. Congregationem edoceant supradicta omnia, & singula fuisse ad unguem adimpleta, & exequutioni mandata: alioquin pœnas in memoratis Decretis Clement. VIII. fel. rec. statutas se subituros, ac novas licentias recipiendi Novitios nequaquam fore impetraturos certò sciant. Non obstantibus quoad præmissa omnia, & singula Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædicti Ordinis statutis, consuetudinibus & privilegiis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ die 5. Novembris 1654.

B. Card. Spada.

Loco † Sigilli.

F. Fagnanus S. Congr. Secr.

His hucusque peractis Innocentius sicut Domino placuit viam universæ carnis ingressus est Romæ die 7. Januarii 1655.

Ne

NE CLERICI, VEL MONACHI.

Cap. Sicut te.

SUMMARIUM.

1 *Clerici in sacris compellendi sunt per beneficiorum subtractionem, ut desistant à Tabellionatus exercitio.*
2 *Veneti olim non habebant usum tabellionum, sed Presbyteri conficiebant instrumenta.*
3 *Hodie secus.*
4 *Tabellionatus officium non potest Clericis interdici authoritate laicali, sed ecclesiastica tantũ, & n. 5.*
6 *Tabellio factus Clericus non perdit ipso facto tabellionatus officium.*
7 *Idem si fiat Religiosus, Decurio vel Advocatus.*
8 *Notarius ipso jure privatus officio non potest validè instrumenta conficere.*
9 *Requiritur tamen declaratoria super facto.*
10 *Tabellionatus officium cur non liceat Clericis exercere, & n. seqq.*
11 *Tabellionatus exercitium est genus negotiationis, & n. 15.*
Clerici etiam in sacris, si egeant, possunt honestam negotiationem exercere, ac proinde etiam tabellionatus officio uti. ibid. & n. 23.
12 *Iuramentum fidelitatis prohibetur Clericis præstare laico, à quo nihil habet temporale.*
13 *Tabellio est servus publicus.*
14 *Notariatus est vile officium.*
15 *Clerici vacare debent reipublicæ ecclesiasticæ, non mundanæ.*
16 *Notarius cùm quis creatur, quæ debeat jurare, & n. seqq.*
17 *Notarius requiri solet sub pœna officii, ut instrumentum conficiat; quod si non fecerit, est perjurus.*
18 *Notarius tenetur abbreviaturam, seu matricem in suo carthulario ponere.*
19 *Iuramenti forma à Clemente V. præscripta in creatione tabellionum. & n. 55.*
20 *Tabellionatus officium quibus Clericis interdicatur, & n. seqq. usque ad n. 33.*
21 *Quid in Clericis sacrorum ordinum beneficiatis.*
22 *Et quid in non beneficiatis & indigentibus.*
Et quid in Clericis minorum ordinum beneficia obtinentibus, n. 26.
Et quid si beneficium non habeant, sed patrimonium sufficiens, n. 27. & seq.
Et quid si egeant. n. 28.
24 *Tabellionatus officium an prohibeatur Clericis causativè, quatenus velint beneficia retinere, an verò præcisè.*
26 *Argumentum à contrario sensu aliquando vacat, & n. 29*
28 *Clericis habentibus unde vivant sive ex beneficio, sive ex patrimonio, negotiari non licet.*
30 *Tabellionatus officium Regularibus exercere non licet, nisi in causa hæresis. & n. 61.*
31 *Privilegium tamen Apostolicum super hoc Regularibus concessum nullo Tridentini decreto est revocatum.*
32 *Tabellio factus Clericus, vel Monachus potest veteres rogationes supplere & authenticare.*
33 *Instrumenta à Notariis Clericis confecta an valeant, & n. seqq. usq; ad n. 42.*
34 *Et quid post interdictum notariatus officium, & numer. 37.*
35 *Officium cui interdicitur, & executio.*
36 *Interdictum Prætoris non debet esse elusorium.*
37 *Contractus initi cum prodigo post judicis interdictum non valent.*
38 *Gesta ratione publici officii non tenent post interdictum superioris, & n. 40.*
39 *Ignorantia allegari non potest ubi publica emanavit prohibitio.*
41 *Pœnæ appositio actui à jure prohibito non confirmat actum contra prohibitionem attentatum.*
42 *Notarii an possint creari ab Episcopo.*
43 *Notarii creati à Papa, vel Imperatore possunt officium exercere per totum orbem. & n. 45.*
44 *Princeps solus potest efficere ut credatur pelli mortuæ.*
46 *Notarios in suo regno, vel provincia creare possunt Reges & Principes non recognoscentes superiorẽ.*
47 *Item Comites, Barones, & alii feudatarii in suis territoriis.*
48 *Item Universitas, seu Magistratus.*
49 *Item quilibet Prælatus in terris suæ jurisdictionis.*
50 *Notarii creati ab Episcopo in Regno Franciæ appellantur jurati.*
51 *Notarios creandi authoritas Episcopo tributa extra diœcesim non extenditur, & n. 54.*
52 *Notarii non possunt conficere instrumenta extra territorium constituentis, nisi de licentia illius, ad cujus jurisdictionem declinant.*
53 *Confecta tamen intra territorium faciunt ubique plenam fidem.*
54 *Notarios creare est actus voluntariæ jurisdictionis, & in subditos exerceri potest etiam extra territorium.*
55 *Notarii creati ab Episcopo auctoritate Papæ possunt officium exercere ubique terrarum.*
56 *Tabellionatus officium an Clerici exercere possint in causis Ecclesiasticis, seu spiritualibus coram Ecclesiastico judice, & n. seqq. usque in fin.*
57 *Notarius laicus non potest in spiritualibus, & ecclesiasticis instrumenta conficere.*
Contrarium n. 62. & seqq.
58 *Notarius quandoque accipitur pro scriptore.*
59 *Servus non potest esse notarius.*
60 *Papa, vel Concilium admittendo Clericos ad tabellionatum exercendum, aut officium tribuendo, videtur eos habilitare, & n. 68.*
61 *Tabellionatus officium in causa hæresis exercere possunt religiosi, & Clerici etiam in sacris, & beneficiati.*
63 *Cancellarii, seu actuarii Episcoporum ubique sunt laici.*
64 *Notariis quibuslibet minus idoneis, aut in officio delinquentibus Episcopi ad tempus, vel in perpetuum prohibere possunt ejus officii usum in spiritualibus, & Ecclesiasticis.*
65 *Laici ex Concilio Tridentino possunt esse Notarii in negotiis, litibus, & causis Ecclesiasticis ac spiritualibus.*
66 *Notariis Episcopus prohibere non potest exercendi officii usum in negotiis, & litibus prophanis coram judice laico in terris Ecclesiæ.*
67 *Potest tamen quoad negotia, & lites locorum piorum à laicis administratorum.*
68 *Item quoad contractus personarum Ecclesiasticarum super earum bonis patrimonialibus.*

1 SICUT TE. Breve est, sed per alia verba sic summari potest, secundùm Abb. Clerici in sacris compellendi sunt per Beneficiorum subtractionem, ut desistant à tabellionatus exercitio.

2 Nota primo hoc cap. contra Venetos secundùm Joan. Andr. hic in princ. apud quos non est usus tabellionum, sed Presbyteri conficiunt instrumenta: quod & Hostien. advertit numer. 2. licet Petr. de Anchar. numer. 9. eos excuset, dicens hoc duplici de causa introductum. Primò, quia homines sunt Catholici & devoti erga Presbyteros in hujusmodi actibus, eisque maximam habent fidem, nec unquam reperta est falsitas in testamentis, & actis causarum. Secundò quia Ecclesiæ ibi communiter sunt pauperes, nihil habentes, nisi oblationes, & illas exiguas: quam rationem reddit & Cardinalis in princ. adjiciens aliam, nempe, quia Veneti non utuntur solemnitatibus legum, sed suis statutis. Sed certè ita erat illis tem-
3 poribus, verum postea decreto Senatus tempore Principis Grisi Clericis interdictus est tabellionatus, & facultas conficiendi instrumenta. Unde his temporibus apud Venetos non est ecclesiastica persona quæ hujusmodi officia exerceat, ut est adnotatum in additionib. ad Cardin. ubi supra, in ver.
4 Instrumenta. Licet hoc interdictum clericis fieri non potuerit authoritate sæculari, sed ecclesiastica tantùm, ut patet hic, & in eo quod leg. & not. in c. Ecclesia S. Mariæ, supra, de Constitut.

5 Secundò nota ibi, In sacris. Exercitium tabellionatus esse ab Episcopo interdicendum clericis in sacris Ordinibus constitutis, ut hic est casus. An autem hoc vendicet sibi locum indifferenter in omnibus Clericis in sacris etiam non beneficiatis, & an in clericis minorum ordinum, plenè dicam infra in 3. quæst.

6 Tertiò nota ibi, Interdicas. Tabellionem per promotionem ad Clericatum non perdere ipso facto tabellionatus officium, ut hic probatur singulariter secundùm Abb. in 2. notab. Nam si Clericis interdicendum est exercitium tabellionatus: ergo per supervenientiam clericatus illud non perdiderunt, saltem in habitu: alioquin frustra illis fieret interdictio, arg. l. Decem ff. de verb. obligat. & cap. Ad dissolvendum, infra de dispensat. impuber.
7 Et idem dicendum secundùm Abb. numer. 2. in tabellionibus, qui religionem profitentur: non enim propterea amittunt officium, licet prohibeantur illud exercere, nisi in causa hæresis, ut in cap. Ut officium. §. Ad conscribendas, de hæret. lib. 6. Et est simile in tabellionibus, qui effecti sunt Decuriones: vel Advocati: nam per supervenientiam dignitatis officium non perdunt, licet ab illius exercitio debeant temperare, ut l. Universos, C. de Decurion. lib. 10. Veruntamen Mediolani indifferenter Advocati illud exercent, ut ibi notat glos. un. in fin. & pro opinione Abbatis adduci possunt Host. en. Joan. Andr. & alii plures infra citandi numer. 36. qui tenent instrumenta confecta à tabellione clerico etiam post interdictum esse valida.
8 Hi enim procul dubio sentiunt, clericum non desinere esse tabellionem. alioquin non posset validè instrumenta conficere, si prorsus desiisset esse tabellio actu & habitu, ut l. Si aliquid, C. de suscept. & Ancharan. lib. 10. & notat Joan. Andr. in addit. ad Speculat. in tit. de instrum. edit. §. Restat. in addit. incip. Sic signavit. &c. Feder. de Sen. cons. 74. Vetus querela, numer. 3. vers. Et licet sic communiter. Alex.
9 cons. 190. Plura narrata, numer. 34. lib. 6. Nisi dixeris Notarium etiam privatum ipso jure Notariatus officio, antequam per sententiam declaretur privatus, posse rogare instrumenta, & rogata valere ut notatur in Auth. de tabell. ad fin. & respondit Petr. de Anchar. in cons. 287. Iste 6. numer. 3. vers. Et licet quis ipso jure. Ad hoc cap. Cùm secundum de hæret. lib. 6. & Clement. final. Et quod ibi notatur, de cens.

10 QUÆRO primò quæ sit ratio cur Clericis non liceat tabellionatus officium exercere.

Host. hic n. 1. & post eum Jo. Andr. n. 7. Butrius num. 6. vers. Rationem autem, & Cardin. n. 2. multiplicem reddunt rationem.

Prima ratio, quia verendum esset, ne etiam in sævis & crudelibus hoc officio uterentur, sicut innuitur in integra, relata ab Ant. August. in Collect. Decretal. lib. 3. tit. 18. cap. 1. Quæ ratio militat non tantùm in Clericis constitutis in sacris, de quibus loquitur hæc littera; sed etiam in aliis omnibus, qui desiderant promoveri.

11 Secunda ratio, quia tabellionatus exercitium genus negotiationis est: qua ratione similiter considerata, hæc prohibitio extenditur ad clericos etiam in minoribus, dummodo beneficiis ecclesiasticis sustententur, nec egeant, ut cap. 1. de postul. alioquin si egerent, licitum esset eis negotiari, cap. 1. supra eod. ac proinde etiam tabellionatum exercere, secundùm Jo. Andr. loco proximè citato.

Tertia ratio, quia cùm tabellio ad complura jurejurando adstringatur, ut dicam in sequenti quæstione si usum officii multum frequentet, vix evitabit periculum perjurii: ad hoc cap. Quemadmodum, supra de jurejuran. Et hæc ratio similiter complectitur omnes Clericos indistinctè.

Quarta ratio, quæ itidem respicit omnes Clericos etiam non in sacris, quia & lex Imperialis præcipit universos Decuriones à tabellionatus officio temperare, ut l. Universos, C. de Decurion. lib. 10.

12 Quinta ratio, quia tabellio jurat fidelitatem ei, à quo constituitur, ut dicetur infra numer. 18. & 19. Quam quidem fidelitatem Clericus jurare prohibetur laico, à quo nihil tenet temporale, c. Nimis, supra de jurejuran.

13 Verum Petr. de Anchar. hic numer. 2. vers. Quærit glossa, dicit suprascriptas rationes Hostien. non multum urgere: & aliam reddit, videlicet, quia hoc officium est publicum authoritate: Dicitur enim tabellio servus publicus, ut cap. 2. juncta glos. in ver. Servo publico, de usur. lib. 6. l. Non aliter enim, ff. de adopt. l. 1. §. Exigere: cum gloss. in ver. Servus, ff. de Magistr. conven. hujusmodi autem ministeria sunt Clericis interdicta, ut cap. Sed nec,
14 & cap. Clericis, supra eod. Similiter Abb. hic numer. 5. affirmat rationes Hostien. necessariò non concludentes, & aliquas concludere indifferenter quoad omnes Clericos, & etiam laicos. Unde ipse rationem assignat, quia hoc officium est vile, & sæculare: quod probat Oldrad. cons. 75. Quis possit creare, numer. 2. Calder. cons. 2. Spurius Notarius, vers. Sed his non obstantibus, de fide instrumen. plenè Angelus cons. 284. Præmitto ad eviden-
15 tiam, in princ. Clerici autem vacare debent Reip. Ecclesiasticæ, & spirituali, non autem mundanæ, cap. Reprehensibile, & cap. Convenior. 23. q. 8.

15 q. 8. & cap. Eos, 20. q. 3. Placet secunda ratio Host. cum qua fere coincidunt rationes Ancharani, & Abbatis: eamque veriorem dicit glossa hic post princ. vers. Vel verior est illa ratio, & simpliciter veram Cardinal. n. 2.

16 Secundò QUÆRO cùm quis constituitur tabellio, quæ debeat jurare.

Hostiensis hic n. 4. & post eum Joan. Andr. n. 2. Henric. Boich. n. 3. Butr. eod. num. Cardin. n. 6. & Anchar. n. 8. dicunt tabellionem quando constituitur, sex jurare consuevisse.

17 Primò, quòd de his, quæ videbit, & audiet, & requisitus fuerit, sine diminutione veritatis, & commixtione falsitatis conficiet instrumentum. Unde solet requiri tabellio sub pœna officii sui, ut conficiat instrumentum requirenti: quod si non fecerit, perjurus videbitur; & sic ejus instrumentis de cætero fides non adhibebitur: arg. cap. Testimonium, supra, de testibus. Hanc autem requisitionem quilibet de populo facere potest, argum. l. 3. ff. de offic. Præsid. & cap. Relatum, il secondo, de testibus; & propterea tabellio dicitur servus publicus, & publica persona, ut tetigi supra n. 13. Secundò, quòd secreta sibi injuncta celabit. Tertiò, quòd super usurario contractu, vel in fraudem usurarum inito scienter nullum conficiat instru-
18 mentum. Quartò, quòd de omnibus instrumentis, quæ reddet, protocolla tenebit: quod hodie secundùm Hostien hic n. 5. sic est interpretandum de generali consuetudine approbata; & abb eviaturam in cartulario suo ponat. Quintò, quòd fidelis erit illi, à quo constituitur, ut si sciet ejus damnum tractari, per se, vel nuncium quantocyus poterit, revelabit. Sextò, quòd illud officium sic sibi injunctum cupiditate, amore, odio, & timore remotis, per omnia secundùm bonam conscientiam fideliter exequetur.

19 Adde tu quod Clem. V. compluribus Archiepiscopis, & Episcopis, qui Viennam convenerant ad generale Concilium, concessit indultum creandi Notarios, eisque præscripsit formulam juramenti, quam habes tom. 3. Conciliorum, part. 2. pag. 780. col. 2. quæ à suprascripta formula Host. parum discrepat, & ferè concordat cum alia, quam ponit Specul. in tit. de instr. edit. §. Restat, n. 37. vers. Sed quæro quâ formâ.

20 Tertiò QUÆRO quibus Clericis interdicatur tabellionatus officium.

Pro clariori quæstionis solutione duo membra sunt distinguenda. Primum est de Clericis in sacris Ordinibus constitutis; secundum de Clericis Minorum Ordinum.

21 Circa primum si clerici in sacris habeant competens beneficium Ecclesiasticum, res est extra dubium: quia in ipsis verificantur verba omnia hujus Decretalis ibi, In sacris Ordinibus constitutis, &c. necnon ibi, Per beneficiorum subtractionem. & locum habent rationes omnes ab Hostien. & Doctoribus, ut supra ponderatæ in prima quæstione. Unde proculdubio eis non licet tabellionatus officium exercere, & in hoc conveniunt omnes.

22 Sed si clerici sacrorum Ordinum careant competenti beneficio, articulus est valde controversus.

Ad primam negativam, quòd non liceat eis hoc officium exercere, inducitur hæc Decretalis, quæ simpliciter loquitur de Clericis in sacris: nec videtur se restringere ad Beneficiatos respectu prohibitionis, sed tantùm respectu pœnæ, ita ut sit sensus, ut tabellionatus officium ab Episcopo interdici debeat omnibus clericis sacrorum Ordinum indistinctè; per subtractionem verò beneficiorum nonnisi beneficia obtinentibus. Item rationes superiùs consideratæ in prima quæstione conveniunt clericis etiam non beneficiatis, excepta secunda. Item glossa hic post princ. vers. Vel verior, dicit officium hoc extraneum esse ab officio Clericorum, saltem in Ordine sacro, maximè si competentia beneficia habeant: sentit igitur gloss. hoc officium esse extraneum à Clericis sacrorum Ordinum, etiam non beneficiatis, cùm dictio illa implicativa, maximè, designet idem in casu contrario, cap. 1. de renunc. glos. in cap. Illud, in ver. Præsertim, de præsumpt. & eodem modo loquitur Butr. hic n. 6. vers. Vel dic; dicens illicitum esse tale officium Clericis in sacris, quia sapit genus negotiationis, maximè si habeant competens beneficium.

Sed in oppositum facit, quia hoc capitulum quamvis apertè non loquatur de Clericis Beneficiatis, tamen dum præcipit eis interdici tabellionatus officium per subtractionem beneficiorum, supponit eos esse beneficiatos: Ergo à contrario sensu si beneficiati non sint, nec interdictum, nec
23 illius pœna locum habebit. Et est ratio, quia clerici etiam in sacris si competens beneficium non habeant, non prohibentur honestam negotiationem exercere, ut cap. 1. supra eod. ergo nec eis debet interdici tabellionatus officium: & ita hic firmant Hostien. n. 1. vers. Secunda ratio. & n. 8. in ver. Subtractionem, Jo. Andr. n. 2. in eodem ver. & Abb.
24 n. 8. vers. Mihi placet primum. Quinimò Hostien. & Joann. Andr. ubi supra, tenent hoc officium non prohiberi clericis sacrorum Ordinum præcisè, sed causativè, si velint beneficia retinere, ita ut sit in optione ipsorum, vel officium exercere beneficium dimittendo, vel retinere beneficium à tabellionatu abstinendo. Simile in cap. Quæris, de ætat. & qualitat.

Sed hoc dictum non placet Abbati n. 8. vers. Sed secundum dictum: quia cùm Clericus in sacris habeat unde vivat, non debet habere optionem dimittendi beneficium, vel tabellionatum, sed præcisè cogi debet vivere clericaliter, ex quo est in sacris, argum. cap. 1. & cap. Clericis, supra eod. Et ad hoc capitulum respondet, hic fuisse dictum de beneficiorum subtractione in pœnam clericorum, quia non videbatur verisimile, ut plus appeterent tabellionatum, quàm beneficium, saltem sufficiens; unde non debet eis dari optio argum. eorum, quæ notantur in cap. Si diligenti, de foro compet. ubi est bonus textus in simili, secundùm Abb.

25 Ego arbitror in hoc articulo non esse faciendam vim an Clericus in sacris habeat competens beneficium, sed tantummodo an habeat unde congruè possit sustentari sive ex beneficio, sive ex patrimonio: nam si posset commodè vivere de bonis patrimonialibus, utique non liceret ei negotiari, ac proinde nec tabellionatus officium exercere, quod genus negotiationis est: & cùm hoc procedat in clericis minorum Ordinum, ut probabitur infra in secundo membro, utique multò magis locum habet in clericis in sacris, arg. hujus cap.

Non obstat hæc Decretalis, quia fateor, clericis beneficium non obtinentibus non posse interdici hoc officium per subtractionem beneficiorum, po-

terit tamen interdici per alias pœnas, quæ à sacris Canonibus, & generalibus Conciliis adversus clericos negotiatores statuta sunt, ad hoc Concilium Trid. *cap. 1. sess. 22.*

26 Circa secundum, videlicet de Clericis minorum Ordinum, Innoc. hic ponderans verba textus, quæ præcipiunt tabellionatus officium interdici Clericis in sacris, arguendo à contrario sensu, dicit secus in non sacris; & ita sentit indistinctè hoc officium non esse prohibitum Clericis minorum Ordinum quantumcumque sint beneficiati; & cum Innoc. consentiunt Jo. Andr. *n. 1. in ver. Sacris*, Butr. *eod. n. vers. Quid de clerico*, & Anchar. *in 1. not.*

Sed Host. *n. 1. vers. Ex his patet*, tenet idem juris esse in Clericis minorum ordinum, dummodo sint competenter beneficiati, ad hoc c. 1. *supra de postul.* ubi Clericis minorum ordinum beneficiatis prohibetur officium postulandi; & ita secundùm Host. hic vacat argumentum à contrario, simile in l. *Conventiculam, C. de Episc. & cler.* & in cap. *Clericus, supra eod.* & hanc partem sequitur Abbas *n. 7.* qui ad hoc capitulum respondet, sacros ordines hic accipi large pro omnibus ordinibus, qui indubitanter sunt sacri, ut notatur in *summa 32. dist.* Sed certè huic expositioni repugnat integra, quæ explicitè loquitur de Subdiaconis, Diaconis, & Sacerdotibus, & hos appellat Clericos in sacris ordinibus constitutos. Idem firmant Summa Pisanella *in ver. Tabellio, n. 1.* Albert. Trotius *de vero, & perfecto clerico, lib. 2. c. 54. n. 9.* inter tractatus commu. *vol. 2. fol. 255.*

Ego verò, ut tetigi suprà in primo membro *n. 25.* existimo hanc prohibitionem extendi ad omnes Clericos etiam minorum ordinum, dummodo ex beneficio, vel patrimonio habeant unde commodè vivere possint. Moveor primò per textum in cap. *Ut officium, §. Ad conscribendas, de hæreticis, lib. 6.* ubi indulgetur Clericis etiam in sacris, ut in causa hæresis possint tabellionatus officium exercere. Pondera illam dictionem implicativam, *etiam*, quæ ostendit hujusmodi indultum fuisse concessum etiam Clericis minorum ordinum: ergo circumscripto indulto, id eis erat prohibitum; alioquin frustratorium fuisset concedere quod eis erat permissum à jure, arg. cap. *Abbate, de verb. signif.* & cap. *In his, de privil.* item si speciale est favore fidei, ut Clerici in minoribus possint uti tabellionatu: ergo in aliis non possunt, prout arguit glos. in d. § *Ad conscribendas, in ver. præmissa*, ad idem text. in extravag. *Debent, circa fin. de offic. Ordinar.* ubi conceditur, ut in visitatione Cathedra-
28 lis adhiberi possit Notarius clericus. Deinde moveor, quia hoc officium est publicum, sæculare, & vile, & sapit negotiationem, ut dixi supra *n. 13. & seq. & n. 23.* ergo debet censeri interdictum omnibus clericis indistinctè, cap. *Eos, 20. q. 3.* quia nemo militans Deo, &c. cap. *Reprehensibile, 23. q. 8.* cum concordan. & quamvis necessitate cogente liceat eis exercere honestam negotiationem, cap. 1. *supra eod.* tamen hæc ratio necessitatis cessat quando congruam habent sustentationem, sive ex beneficio, sive ex patrimonio, ad hoc bon. text. in c. *Episcopus, supra de Præben.* ibi; Nisi talis ordinatus de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere: quod enim pro necessitate conceditur, ead. cessante, utique cessare debet, c. *Quod pro necessitate, 1. q. 1.* & hoc sensit Hostien. *hic num. 1. vers. Secunda ratio*, dum ait, exercitium tabellionatus, cùm sit genus negotiationis, interdictum esse omnibus Clericis etiam in minoribus, dummodo beneficiis Ecclesiasticis sustententur, nec egeant: ergo secundum Host. qui non egent, sed ex patrimonio sustentantur, minimè possunt hoc officium exercere; quod etiam intellexit glossa hic, dum dixit hoc officium esse extraneum à Clericis, maximè beneficiatis: quasi dicat idem juris esse in illis, qui non ex beneficio, sed ex patrimonio vivunt; hoc idem censuit Archid. in cap. *Multorum, n. 1. 27. quæst. 2.* dum ait, officium tabellionatus quamvis sit publicum, satis tamen esse congruum Clericis, ut ex eo sibi possint acquirere necessaria, cap. *Clericus, 91. dist.* & eum sequitur Butr. *hic n. 5*, quibus addo Jasonem in l. 1. §. *Hujus studii, num. 8. in 7. limit. ff. de just. & jure*, ubi limitat conclusionem, quòd Presbyteri, & Clerici non possint esse tabelliones, ut procedat quando aliunde habent unde vivant, & sic non restringit se ad beneficium: imò paulò infra expressè ait, hoc habere locum, etiamsi non habeant aliquod beneficium Ecclesiasticum, & alios adducit. Non obstat hoc capitulum, quod dum loquitur de Clericis in sacris, & beneficia obtinentibus, à contrario sensu videtur secus intellexisse de Clericis in minoribus non habentibus beneficia, secundùm Innoc. & Jo. Andr.

Nam respondeo hanc prohibitionem fuisse factam Clericis in sacris, quia ipsi tantùm in civitate illa exercebant officium tabellionatus, ut patet ex integra, ibi, Presbyteros, & Diaconos, & Subdiaconos, quos ibidem invenit passim tabellionatus officium exercentes; idque ob eam fortè rationem, quia solis Clericis in sacris populi habebant hanc fidem, sicut Venetiis hanc ob causam soli Presbyteri olim rogabant instrumenta, ut dixi supra in 1. *notab.* & quia Clerici ad sacros ordines sine competenti titulo beneficii non promoventur, cap. *Cùm secundum, supra de Præben.* propterea Papa supposuit eos esse competenter beneficiatos, eisque jussit interdici tabellionatus officium per privationem beneficiorum. De Clericis autem minorum ordinum nihil cavit, quia ta-
29 lis abusus quo ad ipsos ibi non vigebat ob memoratam rationem; unde non sequitur, ut prohibendo de Clericis in sacris, & beneficia habentibus, contrarium intellexerit de Clericis in minoribus non beneficiatis; sed tantùm sequitur, ut hic casus tamquam omissus remanserit in dispositione antiquorum Canonum, secundum quos nulli clericorum non egentium licebat negotiationem exercere, ut supra dixi: & ita verum est quod ait Hostien. hic vacare argumentum à contrario sensu: etenim hoc argumentum non sumitur quando illius contrarium reperitur in jure expressum, ut notat Joan. Andr. in cap. *Publicato, n. 18. supra de elect.* quod diligenter nota, quia Doctores nostri non attingunt.

30 Extenditur conclusio superius firmata, ut locum habeat etiam in regularibus, qui dum essent in sæculo, tabellionatus officium habuerunt; nam nec eis licet illud exercere; tum quia rationes supra ponderatæ in prima quæst. in Clericis sæcularibus æquè militant in regularibus; tum quia speciale est favore fidei, ut Monachus, qui in sæculo erat tabellio, possit in causa hæresis hoc officium exercere, cap. *Ut officium, §. Ad conscribendas, de hæret. lib. 6.* ergo in aliis casibus tabellio factus Monachus non potest hoc officio uti; ad hoc extravag. *Debent, circa medium, vers. Quos quidem monachos, de offic. Ordinar.* & ita firmat glos. in §. *Ad conscribendas, in ver. Præmissa* Joan. Andr. *hic num. 4.* Butr. *n. 5.* Henric. Boich. *n. 3.* Cardin. *n. 1. in 1. oppos.* Calder. *cons. 487. An Abbas possit, aliàs 2. num. 2. vers. Ad hoc etiam induco, de magistr.* Alex. *cons. 133. Stantibus, n. 4. vers. Hæc probantur, lib. 7.* Albert. Trot. *de vero, & perfecto clerico, lib. 2. cap. 54. n. 9.* & ita S. Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum declaravit, Regulares non posse exercere officium tabellionatus.

31 Et posita hac decisione Prior monasterii de Thomar. Ordinis Cisterciensis habet privilegium à Sede Apostolica, ut duo Regulares illius à Priore electi pro rebus ad ipsum Conventum spectantibus, & quæ inter eos, seu in eisdem Conventibus geruntur pro tempore, alium, seu alios illius, vel illorum loco perpetuò creare, eosque de notariatus, seu tabellionatus officio hujusmodi per pennam, & calamare investire, recepto ab eis primitus juramento, quod officium ipsum bene, & legaliter exerceant, libere, & licitè valeant: quæritur an Concilium obstet, quominus hujusmodi Regulares dicti privilegii vigore tabellionatus officium exerceant eo modo, quo in litteris Apostolicis exprimitur, S. Congregatio censuit non obstare, atque hujusmodi privilegium nullo ejusdem Concilii Decreto revocatum esse.

32 Cæterum etsi tabellio factus Clericus, vel monachus extra prædictos casus non possit novas rogationes assumere, poterit tamen veteres complere, & authenticare, l. *Alienationes ff. Familiæ herciscundæ, l. 1. § Casum, & § Quamvis autem, ff. de postul.* l. *Nam & Servius, §. Si vivo Titio, ff. de negot. gest.* ad idem cap. *Judæi, il primo, infr. de Judæis*, & tenent Speculat. *in rubr. de stat. Monach. vers. 27.* gloss. in d. cap. *Ut officium, §. Ad conscribendas, in ver. Præmissa, de hæret. lib. 6.* Calder. *loco citato*, & Henr. *hic num. 4.* Navarr. *comm. 2. de regular. num. 42.* Covarr. *pract. qu. cap. 19. n. 8. vers. Monachus*, Jas. in l. 1. §. *Hujus studii, n. 8. vers. Secundò limita ff. de just. & jur.*

33 Quartò QUÆRO, An valeant instrumenta à Clericis tabellionibus confecta.

34 Cùm ex hac Decretali interdicendum sit Clericis tabellionatus officium: ergo antequam eis interdicatur, valebunt instrumenta, postea verò non: ita per hanc litteram arguit Innoc. *hic in princ.* quem sequuntur Abb. Antiq. *ibidem in princ.* & Collectar. *num. 1.* Idem Bart. *cons. 61. Filiusfamilias, numer. 1. lib. 1.* & Jas. in d. l. 1. §. *Hujus studii n. 8.*
35 *vers. Limita antequam, ff. de just. & jur.* & potest esse ratio, cur post interdictum non valeant, quia ex quo interdicitur officium, ergo & executio, arg. cap. *Pastoralis, § 1. de appellat.* secundum Host. *n. 8.*
36 *in ver. Interdictis*: aliàs interdictum prætoris foret elusorium, quod esse non debet, l. *Si prætor, ff. de judic.* cap. *Commissa, §. Porrò, de elect. lib. 6.*

Tu adverte; nam quoad primum membrum distinctionis cum Innoc. conveniunt omnes, ut scilicet ante interdictum valeant instrumenta à Notarii Clericis confecta: idque procedit etiamsi tabellio Clericus conficeret instrumenta in temporalibus; nam etsi à talibus debeat abstinere, nihilominus fidem facerent, arg. eorum, quæ leg. & not. in cap. *Per venerabilem, §. Rationibus, infra qui filii sint legitimi*, secundùm Host. *hic n. 5. in fine, & n. 7. vers. E converso*, Joan. Andr. *n. 3. vers. Secus si fiet in instrumento*, Butr. *n. 4. vers. Secundò dicitur*, Anchar. *n. 3. vers. Licet è converso*, & Cardin. *n. 6. in ult. quæst.* ubi asserit hoc esse sine dubio.

Verùm quoad secundum distinctionis membrum, videlicet post interdictum, quidam distinxerunt an hæc prohibitio pervenerit ad notitiam contrahentium, & tunc instrumenta non valeant; alioquin excusat probabilis ignorantia: & quamvis tabellio indignè conficiat instrumenta quantum ad se, non tamen quantum ad alios, qui ignorant: ad hoc cap. 1. & 2. *supra de ordinat. ab Episc.* & cap. *ult. de cohabit. Cleric. & mulier.* Sed alii, ut Host. *hic n. 8. circa fin. vers. Tu dicas*, Jo. Andr. *num. 1. vers. Tu dic indistinctè*, Boich. *in princ.* Butr. *n. 2. vers. Joan. Andr. dicit*, & Cardin. *n. 5.* tenent indistinctè instrumenta valere sive ante, sive post interdictum confecta fuerint, licet conficiens post interdictum privari possit beneficio: nam hæc sola pœna hic imponitur: ergo aliam invenire non debes, l. *Ac si quis, § Generaliter, ff. de relig. & sumpt. funer.* l. 2. § *Non perpetua ff. de sepulchr. violat.* sed potius impositam mollire c. *in pœnis, de reg. jur. lib. 6.*

37 Mihi placet distinctio, quam hic ponunt Petr. de Anchar. *n. 6. & 7.* & Abb. *n. 11.* & ante eos Speculat. *in tit. de instrument. edit. §. Restat, n. 29.* & sequuntur Rosella *in ver. Tabellio n. 7.* Sylvest. *in eod. ver. q. 3. dict. 5.* & alii, quos refert, & approbat Covarr. *pract. quæst. cap. 19. n. 8. vers. Quod si Sacerdos*, videlicet, Aut publicè, & per edicta solemniter publicata interdictum est Clericis ne possint instrumenta conficere inter laicos, ita ut hujusmodi prohibitio cunctis innotuerit: & tunc non valent instrumenta postea celebrata; sicut non valent contractus initi cum prodigo post judicis interdi-
38 ctum, ut l. *Is cui bonis, ff. de ver. obligat.* nec tenent gesta ratione publici officii post interdictum superioris, ut in cap. *Veritatis*, & in cap. *fin. de dol. & contum.* & notat Innoc. in cap. *Raynaldus, de testam.*
39 neque enim potest allegari tolerantia, ex quo publicè emanavit prohibitio, ut in cap. *Apostolicæ*, & cap. *Illud, de cleric. excomm. ministr.* & in cap. 2. *de Constit. lib. 6.* & in cap. *Quod dilectis, 16. distinct.* Nec obstat si dicas hanc prohibitionem hodie omnibus factam esse in hac Decretali: quoniam verè hic nulla fit prohibitio, sed jubetur fieri per supe-
40 riorem: magis autem afficit interdictum judicis, quàm legis, & antequam à judice interdictum fiat, Clericus videtur tolerari in officio tabellionatus: unde valere debent gesta ratione publici officii, ut de Decurionibus, & Advocatis hoc officium exercentibus notat Barthol. in l. *Universos, n. 2. C. de Decurion. lib. 10.* Si autem interdictum non fuerit palam, & publicè factum; tunc tenet quidem interdictum in præjudicium Clerici, cui factum est, ita ut propterea beneficio privari possit, ut hic; sed non quoad partes ignorantes: unde respectu ipsarum tenebunt gesta ratione publici
41 officii, ut in juribus præallegatis. Non obstat, quòd conficiens instrumenta contra interdictum, poniatur hic sola pœna subtractionis beneficii, & aliam invenire non liceat, ut in contrario: quoniam ut respondet Anchar. pœnæ appositio actui à jure prohibito non confirmat actum contra prohibitionem attentatum, ut plenè notat Bart. in l. *Ait Prætor, n. 3. ff. de nov. oper. nunciat.* & Doctores in l. *Non dubium, C. de Legib.* & annullatio instrumenti propter carentiam fidei non concernit ipsum Clericum tabellionem, sed partes, quibus prohibitio facta est.

Quin-

42 Quintò QUÆRO, An Episcopus possit creare tabelliones.

43 Quamvis solus Papa, & Imperator possint cre-
44 are notarios; quia tu credatur pelli animalis mortui est contra jus, cui solus Princeps supremus potest derogare, ut per Innoc. in cap. *Cùm P. tabellio n. 1. vers. Nobis autem videtur aliter, supra de fide in-*
45 *strum.* & Oldradum *cons. 75. qua parte, in prine.* Tamen hoc intelligitur quoad effectum, ut Notarii, ut præfertur, creati possint officium suum exercere per totum orbem, ut declarant Domini de Rota *decis. 5. ... incip. Instrumenta confecta, de fide instrum. in novis*, & Bellam. *cons. 42. Dominus Hugo, num. 2. & seq. vers. Circa hæc duo.*

46 Cæterum in suo Regno, vel provincia sicut Notarios creare possunt Reges, & alii Principes non recognoscentes superiorem, secundùm Innoc. *loco citato*, & Oldrad. *d. cons. 75. in prine. vers. Videtur ta-*
47 *lis*, & Felin. dicentem hoc esse clarum in d. cap. *Cùm P. Tabellio, n. 14.* item Comites, Barones, & alii
48 fundatarii in suis territoriis, Bellam. *d. cons. 42. n. 4. 5. & 6.* & quælibet Universitas habens potestatem dandi jurisdictionem ordinariam, secundùm Host. in d. cap. *Cùm P. Tabellio, n. 5.* quem ibi sequuntur Joan. Andr. *n. 4.* Bellam. *num. 28 & 30.* Butr. *col. 1.* Imol. qui de communi testatur *n. 4.* & Felin. *n. 14.* & de magistratu probat Bart. in *l. Nos*
49 *ei, §. 1. n. 6. ff. de adopt.* ita & quilibet Episcopus, vel Ordinarius hoc potest infra suam Diœcesim, arg. cap. *Quoniam contra, de probat.* cap. *Monachus, 77. dist.* & cap. *1. de simon.* ubi hoc firmant Host. *n. 2.* Joan. Andr. *n. 3.* Butr. *n. 4.* Cardin. *n. 1.* & Joann. de Anan. *n. 9. ad fin. in ult. not.* & idem Host. *hic num. 5. vers. Quid ergo.* Specular. *in tit. de instrum. edit. §. Re-*
stat. n. 22. vers. Sed qua parte, ubi de quolibet Prælato in terris suæ jurisdictionis. Felin. in d. cap. *Cùm P. n. 14. vers. Imò refere*, & egregiè probat Oldrad. *in prælleg. cons. 75. in prine. vers. Sed Hostien.*

50 Qui quidem Notarii creati ab Episcopo appellantur jurati, & multos similes esse in Regno Franciæ attestatur Bellam. *d. cons. 42. n. 2. vers. Circa hæc duo. & n. 3.*

51 Dixi Episcopum posse tabelliones creare infra suam Diœcesim; quia illius authoritas circa hoc officium interposita extra Diœcesim non extenditur; quamvis enim officium tabellionatus non tantùm judiciale, sed extrajudiciale sit, quia & extra judicium exerceri potest: tamen authoritas, & actus constituendi, & creandi, judicialis est, ad hoc *l. fin. ff. de jurisd. omn. judic.* & cap. *Omnes Basilicæ, 16. q. 7.* & ita hic declarat Host. *n. 6.*

52 Ex hoc infertur, ut si illi, qui potestatem habent creandi Notarios, creaverint aliquos, non possint tales conficere instrumenta extra territorium constituentis, nisi de licentia illius, ad cujus jurisdictionem declinant, secundùm Host. *num. 7. vers. Quod ego dixi*, & Rota *in prælleg. decis. 5. de fid.*
53 *instrum. in novis*; licet intra territorium confecta faciant ubique locorum plenam fidem, secundum Anchar. *hic n. 3. vers. Et inferunt ista dicta*, & Rot. *ubi supra*, de quo dicit per Barthol. in *l. Cunctos populos, num. 35. de summ. Trinit. & fide catholica*, in prædictis tamen aliter loquitur Felin. in d. cap. *Cùm P. Tabellio, n. 14. in fin. de fide instrum.* ubi ait, actum creandi notarios esse voluntariæ jurisdictionis: & ideo quo ad subditos exerceri posse etiam extra territorium, per ea, quæ notat Bald. in *l. 2. ff. de offic. Procons. & Legat.*

55 Sed conclusioni superius firmatæ videtur obstare, quod Clemens V. ad supplicationem multorum Archiepiscoporum, qui Viennam convenerant ad universale Concilium, in compensationem laborum concessit facultatem concedendi tabellionatus officium duabus personis, quas ad illud post diligentem examinationem idoneos reperirent, ut *tom. 3. Constitut. par. 2. pag. 780.* hæc enim indulgentia fuisset frustratoria, si de jure hoc eis competeret, ut arguit gloss. 1. in cap. 1. *supra de rescript.* nam frustra precibus impetratur, quod de jure communi conceditur, *l. 1.* & ibi glos. *penult. cap. Quæ bona non obstante long. temp. præscript.*

Sed responderi potest ibi concessam fuisse Episcopis facultatem; quam de jure non habebant, scilicet creandi tabelliones authoritate Papæ, qui ubique terrarum possent officium exercere, secundùm ea, quæ dixi supra *n. 43.* quod patet tum ex illis verbis, authoritate nostra; tum quia præcipitur ibi, ut prædicti tabelliones jurent fidelitatem Papæ, juxta formam cap. *Ego N. de jure jur.* & ita indultum non fuit superfluum.

56 Sextò QUÆRO, An Clerici possint in causis Ecclesiasticis, seu spiritualibus coram Ecclesiastico judice tabellionatus officium exercere.

Glossa *un.* hic vers. *Sed numquid*, movet hanc quæstionem, & arguit primò ad partem negativam ex hoc cap. quod simpliciter præcipit hoc officium Clericis interdici, nec distinguit an in causis temporalibus, vel Ecclesiasticis: ergo generaliter, & indistinctè est intelligendum, cap. *Si Romanorum, 19. dist.* cum concord. in gloss. allegatis: deinde arguit in contrarium, per cap. *Quoniam frequenter, de probat.* & cap. *Multor. 27. q. 2.* & nihil determinat; Joannes verò, & Philippus hic relati per Jo. Andr. *n. 8.* tenent secundam opinionem affirmativam, & idem Gofred. per cap. *Quidam, 5. q. 1.* ubi Clericus potest esse Notarius Papæ; item Episcoporum, & Archiepiscoporum, ut in d. cap. *Multorum*, & in cap. *Monachus, 77. dist.* sequitur Hostien. *hic n. 3. vers. Quid ergo*, per jura alleg. & per cap. *1. de simon.* ubi dispositur, ut non solùm Episcopus, sed etiam Notarius debeat cavere à simonia, quod intelligi debet de Notario suo, cui scilicet Episcopus hoc officium commisit, & ad hoc deputato: de extraneo enim nulla fuisset dubitatio; & in Notario Episcopi intelligunt hanc Decretalem Innoc. Host. Jo. Andr. & alii, ut ibi dixi *n. 18.* & hanc partem dicunt esse veram Butr. *hic n. 8.* & veriorem Anchar. *n. 2.*

57 Pro qua etiam videtur multum urgere, quòd cùm Episcopi possint creare Notarios in sua Diœcesi, ut ex communi sententia firmatum est in præcedenti quæst. hoc utique videtur necessariò intelligendum de clericis, prout intelligunt Host. & alii, quia cùm Notarius laicus non possit in spiritualibus, & ecclesiasticis instrumenta conficere, secundùm opinionem, quam dicunt esse veriorem Host. *hic n. 6. vers. Numquid*, Joan. Andr. *n. 3.* Butr. *n. 4.* & Anchar. *eadem num.* necesse est dare personam Ecclesiasticam, quæ hujusmodi instrumenta conficere possit; alioquin actus spirituales carerent hoc genere probationis per instrumenta, contra textum in Extravag. *Debent, circa medium. vers. Propter quod, de offic. Ordinar.* & potestas Episcoporum creandi tabelliones esset planè inanis, & elusoria, quod esse non debet, cap. *Commissa, §. Porrò, de elect. lib. 6.*

Sed

58 Sed contrariam opinionem, id est Clericos, nec in causis ecclesiasticis posse exercere officium tabellionatus, tenet Vinc. per hanc Decretalem, quæ loquitur indistinctè, & ad cap. *Multorum*, alleg. in glos. respondet, Notarium ibi accipi pro scriptore, prout accipitur in *l. 3. c. Commun. Deleg.* ubi ser-
59 vi notarii quinquaginta solidis æstimantur, & gl. *in ver. Notarius*, exponit, id est scriptoribus, cùm servus non possit esse Notarius, ut *l. Generali, C. de tabular. lib. 10.* eamdem opinionem amplectitur Specular. *in tit. de instrum. edit. §. Restat, n. 28.* & Cardin. *hic in 1. quæst.* dicens hoc dictum Vincentii esse communius, & respondet ad d. cap. *Quoniam, de probat.* alleg. in glos.

60 In hac contrarietate Abb. *hic n. 6. vers. Ego distinguerem*, utitur hac distinctione, videlicet, Aut Clerici exercent tabellionatus officium coram Papa, vel in ejus Curia, & debent admitti, præsertim si ab ipso illud obtinuerint: nam Pontifex admittendo, vel officium tribuendo, videtur eos habilitare ad illud exercendum; arg. *l. Idem Vipianus, ff. de excusat. tutor.* facit quod de Notariis Concilii Trid. dicam infra *n. 68.* aut hoc officium exercent in alia Curia, vel extra judicium in spiritualibus, & Ecclesiasticis; & tunc aut habent competentia beneficia, & debent à tabellionatu abstinere, cùm in hoc cap. indistinctè id eis prohibeatur. & quia hoc est quoddam negotiationis genus Clericis interdictum, ut glos. dicit; aut indigent, & sunt admittendi, & sic putat jura diversa posse ad concordiam reduci. Sed contra hanc dist. Abb. est text. in cap. *Officium, §. Ad conscribendas, de haret. lib. 6.* inducendo eum, ut statim dicam.

61 Ego indistinctè adhæreo secundæ opinioni negativæ Vincentii, & sequacium, quam puto verissimam, per text. in d. §. *Ad conscribendas*: nam ibi conceditur quibusvis Clericis officium tabellionatus habentibus etiam in sacris Ordinibus constitutis potestas exercendi liberè officium ipsum in causis fidei, non obstante statuto contrario Canonis. Ex quo textu multipliciter constat non licere Clericis exercere tabellionatus officium in aliis causis spiritualibus. Primò, quia hæc potestas ibi datur Clericis per modum indulti, seu privilegii, ut innuit verb. *Concedentes*; Ergo prius id erat eis interdictum: alioquin quid opus fuisset concedere quod jure communi competebat, *l. 1.* & ibi glos. *penult. C. Quæ bona non obstante long. temp. præscript.* Secundò quia speciale est in causa hæresis, ut Clerici fungi possint tabellionatus officio favore fidei, ut ibi dispositur: ergo contrarium est regulare, *l. Quod verò contra*, & *l. Insinguläre ff. de legibus*, Card. *hic n. 3. in fin.* Tertiò, quia hæc indulgentia conceditur ibi Clericis restrictivè in causis fidei tantùm, ut innuunt illa verba, *Quod præmissa*. Ergo in aliis causis spiritualibus censetur eis denegata glos. in cap. *Quoniam, in ver. Negatur, 25. dist.* Quartò demum, quia eadem indulgentia datur Clericis in causis fidei non obstante contrario statuto Canonis, & glos. *ibim ver. Canonis*, exemplificat per hanc Decretalem. *Sicut te.* Ergo hæc Decretalis obstabat, quominus Clerici possent esse tabelliones in causa hæresis: alioquin hic Canon non esset tantum contrarium, ut ibi dicitur, nec fuisset opus illis detegare, cùm derogatio non fiat nisi ad contraria. cap. 1. *de Constitut. lib. 6.* cap. *Ex parte, supra de capell. Monach.* Unde jure optimo Gemin. ibi in *6. not.* Exeo textu notat Religiosos, & Clericos sæculares etiam in sacris non posse exercere officium tabellionatus, licèt antè fuerint Notarii, etiam in causis vertentibus coram judicibus Ecclesiasticis, ut probat ille textus, dum eis id concedit in casu illo speciali: quo textu etiam destruitur distinctio Abbatis, de qua supra *n. 60.* quia ibi non distinguitur, an Clerici sint beneficiati, nec ne, sed simpliciter eis datur hæc potestas in causis fidei dumtaxat: & quando indigent, possunt esse tabelliones etiam in causis temporalibus, ut patet ex dictis supra *n. 11. 23. & 28.* & adde quæ scripsi in cap. 1. *in 14. quæst. supra videtur.*

62 Nec obstat, quòd laici non possint esse tabelliones in causis Ecclesiasticis, ideoque necesse sit dare personas Ecclesiasticas, quæ in eisdem causis hoc officium exerceant, ne alioquin potestas Episcoporum creandi Notarios sit frustratoria.

Nam respondetur negando assumptum: imò enim laici possunt esse tabelliones etiam in causis spiritualibus, & Ecclesiasticis, ut scripsi plenè in cap. *Quoniam, n. 19. supra de elect.* & hæc est ipsa veritas, ut inquit Bald. in cap. *Decernimus, n. 15. supra de judic.* & fuit opinio Compostellani, & aliorum in cap. *Quia propter, de electione*, quam pluribus comprobat, & ab objectis tuetur Abb. *hic à n. 12.* & veriorem dicit *n. 17. vers. An autem laicus*: quæ
63 etiam servaretur de consuetudine, ut fatentur Hostien. & Joann. Andr. *supra* citati *n. 57.* nam ubique locorum Actuarii, seu Cancellarii Episcoporum sunt Laici. Et nuper ex Decreto Congregationis à Sanctiss. D. N. Innocentio X. ablegatus est Cancellarius Laicus ad Curiam Archiepiscopi Beneventani.

64 Demum quoad hoc omnem dubitationem sustulit Concilium Tridentinum in *cap. 10. sess. 22.* quo tribuitur facultas Episcopis, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatis examinandi quoscumque Notarios, etiamsi Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creati fuerint, eisque minus idoneis repertis, aut in officio delinquentibus prohibendi in perpetuum, aut ad tempus officii ejus usum in negotiis, litibus, & causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus. Ergo S. Synodus evidenter
65 supponit Notarios Imperiali, vel Regia auctoritate creatos, & sic Laicos ante prohibitionem Episcopi posse hujusmodi officium exercere, etiam in spiritualibus, & Ecclesiasticis, cùm privatio supponat habitum, *l. Decem ff. de verb. obligat.* cum concord. & patet ex dictis supra *n. 6.* alioquin pœna Concilii esset frustratoria, contra textum in cap. *Commissa, §. Porrò, de elect. lib. 6.* & *l. Si Prætor, ff. de judicem*, ut per Hostien. *hic n. 8.* item ex dicto *cap. 10.* ita demum Notarii prohiberi possunt officio uti in spiritualibus, & Ecclesiasticis, si prævio examine reperiantur inhabiles, aut in officio delinquentes. Ergo cæteris hoc intelligitur permissum, ex regula *l. Cùm Prætor, ff. de judic.* & cap. *Nonne, de præsumpt.*

66 Et eò magis, quia cùm dubitasset Episcopus Recanaten. an ex *sess. 22. cap. 10. Cùm ex Notariarum, &c.* ibi. Possit Episcopus illis non idoneis repertis, &c. posse etiam exercendi usum prohibere in negotiis, & litibus prophanis coram judice laico in terris Ecclesiæ: Sacra Congregatio censuit non posse, quia Concilium loquitur de causis Ecclesiasticis, & spiritualibus tantùm: ergo non intellexit de litibus prophanis, neque coram laico.

Rursus

67 Rursus cùm esset quæsitum, an facultas prohibendi Notariis minus idoneis repertis, ne in negotiis, & causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus suū officium exerceant, Episcopis tributa Decreto Concilii *cap.* 10. *sess.* 22. etiam quoad negotia, & lites locorum piorum à laicis administratorum tributa intelligatur.

Item an eadem facultas extendatur ad contractus personarum Ecclesiasticarum, quæ de eorum patrimonialibus bonis conficiuntur; præsertim stante consuetudine, quòd causæ hujusmodi eorum bonorum ratione ad forum Ecclesiasticum spectent.

Die 1. Decembris 1588. S. Congregatio Concilii primum censuit intelligi tributam.

Ad secundum exteradi.

68 Adde quod ipsiusmet Concilii Tridentini duo fuerunt Notarii unus laicus, & alter Clericus, ut patet ex eorum subscriptionibus, quæ habentur in calce Concilii: & hic junge, quod dixi suprà *n.*60.

NE CLERICI, VEL MONACHI.

Cap. Sententiam.

SVMMARIVM.

1 *Clerici prohibentur omnia illa ex quibus sequitur, vel sequi potest vitæ amissio, vel sanguinis effusio.*

2 *Clericus nec dictare, nec proferre sententiam sanguinis debet, nec quidquam aliud exercere, per quod ad vindictam sanguinis tendatur, nec purgationi vulgari opem ferre.*

3 *Irregulares sunt testes, Judices, Officiales, Assessores, Advocati, Medici, & Chirurgi consilium, vel auxilium, aut causam præbentes ad mortem, vel membri mutilationem, remissive.*

1 SENTENTIAM. Continet plura dicta, & ideo non summatur, nec dividitur, Joann. Andr. Sed generaliter secundùm Abb. hoc intendit. Clericis prohibentur omnia illa, ex
2 quibus sequitur, vel sequi potest vitæ amissio, vel sanguinis effusio. Vel specialius. Clericus nec dictare, nec proferre sententiam sanguinis debet, nec quidquam aliud exercere, per quod ad vindictam sanguinis tendatur, nec purgationi vulgari opem præstare debet. Hoc dicit. Et habet quatuor dicta principalia, quæ per se patent.

In text. ibi, *Vindictam sanguinis.* Signatur contrarium in cap. 1. *infra de homicidio*, ubi refertur lex Exodi: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum ut moriatur.* Igitur Ecclesia exercet vindictam sanguinis, cùm lex illa sit redacta inter Constitutiones Canonicas. Solutio. Illud cap. Varios habet intellectus, & verbum *moriatur* multipliciter exponitur, ut ibi dixi à *n.* 1. *usq; in fin.* & in cap. *Cum non ab homine, à n.* 36. *usq; ad n.* 47. *supra de judic.*

Item signatur contrarium in cap. *Delatori, supra quæst. ultim.* ubi referuntur verba ex capitulis Hadriani transumpta, videlicet. Delatori lingua capuletur, aut convicto caput amputetur; & sic Papa dat jura de pœna sanguinis contra id, quod habetur *hic*, & in cap. *His à quibus*, 23. *q.* 8. & in cap. 1. & 2. 51 *dist.* cum concordant. Solutio; ut dicit glos. in d. cap. *Delatori, in verb. Lingua*, ibi docet Papa quid facere debeat judex sæcularis. Sed hoc non placet, quia non est officium Ecclesiæ instruere potestatem sæcularem ut infligat pœnam mortis, vel mutilationis membri, quin potius debet efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum sententiam moderetur, cap. *Novimus, infra de verb. signif.* Unde aliter solvit Joan Andr. in d. c. 1. *n.* 1. *in fin. de homicid.* dicens illud cap. *Primò sicut*, & cap. *Delatori.* Fuisse inserta in corpore juris, ut sciantur, non ut serventur. Sed magis placet, quod dicunt Laur. & Archid. in d. c. *Delatori*; videlicet verba *capuletur*, & *amputetur*, esse mysticè accipienda, ut plenè scripsi in d. cap. 1. *n.* 4. *& seqq.*

3 De irregularitate autem, quam contrahunt testes, Judices, Officiales, Assessores, Advocati, & Jurisperiti, Medici, & Chirurgi quomodolibet consilium, vel auxilium, aut causam præbentes ad mortem, vel membri mutilationem, vide hic plenè per DD. & præsertim per Abb. *à n.* 2. *usq; in fin.* & latiùs per Marian. Soccin. in cap. *Ad audientiam, à n.* 139. *infra de homicid.*

NE CLERICI, VEL Monachi.

Cap. Super Specula.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio latæ sententiæ an inducatur per hæc verba, sicut excommunicatus ab omnibus evitetur, usq; ad n.* 8.

2 *Declaratio novum jus non inducit.*

3 *Lex declarata erat intelligenda juxta declarationem Principis, etiam antequam declaratio emanasset.*

4 *Constitutionem implicat esse declaratoriam, & non habere locum in præteritum.*

5 *Declaratio Papæ quamvis edita in aliquo speciali casu facit jus commune quoad omnes.*

6 *Opiniones probabiles excusant à pœna excommunicationis malè intelligentes Constitutionem dubiam.*

7 *Legem canonicam obscuram malè intelligens non peccat mortaliter, nisi post declaratam illius obscuritatem.*

8 *Religiosi qui in claustris audiunt leges, vel medicinam an sint excommunicati.*

9 *Religiosis potius competit lacrymari, lugere, & orare, quàm leges, vel medicinam audire.*

10 *Constitutio pœnalis debet potius restringi, quàm ampliari.*

11 *Religiosus gravius delinquit attentando illicita extra monasterium, quàm intra illud.*

12 *Presbyteri, & alij hic prohibiti audientes leges, vel physicam in propriis domibus an incidant in excommunicationem, & n.* 17.

13 *Constitutio prohibens personis Ecclesiasticis audire leges, vel medicinam an sit odiosa, vel favorabilis, & nunc & n. seq. usq; ad num.* 18.

14 *Legis dispositio locum habet data aliqua ratione identitatis, sed non illius pœna.*

15 *Novitii audientes leges, vel physicam non incidunt in pœnam excommunicationis.*

16 *Parochi non Presbyteri qui leges audiunt, vel medicinam, non ligantur hac Constitutione, nisi Ecclesiæ fuerint plebaniæ sub se capellas habentes, in quibus instituantur clerici perpetui.*

17 *Clerici dignitatem, vel personatum habentes, aut Presbyteri excommunicati sunt post duos menses à die, quo inceperint leges, vel medicinam audire.*

18 *Religiosi, & alii Ecclesiastici hic prohibiti, qui leges, vel medicinam legunt, seu docent, an sint excommunicati, & n. seq. usque ad num.* 21. *& num.* 37. *usq; ad n.* 45.

19 *Scientiam prohibitam discere, vel docere culpa similis est.*

20 *Simoniaca quædam dicuntur quia prohibita, quædam prohibita quia simoniaca.*

21 *Lex debet esse imposita rebus, & non verbis.*

22 *Religiosi qui leges, vel medicinam audiunt intra claustra, non ligantur excommunicatione; secus si extra.*

23 *Clerici sæculares prohibiti ligantur ubivis audiant.*

24 *Legales materiæ quamplures in Decretalibus sunt insertæ, quarum vix notitia haberi potest sine legali sapientia.*

25 *Civilis scientia est pars divinæ, & necessaria est in Ecclesia Dei, saltem in temporalibus, & n.* 32.

26 *Roffredus Beneventanus increpatur quòd irreverenter de Papa loquutus fuerit.*

27 *Canonista legales materias difficiles privato studio assequi non potest.*

28 *Studens per seipsum, per seipsum ignorat.*

29 *Civilis facultas licet necessaria ad regimen Reipublicæ; tamen exerceri debet per suos ministros, id est Laicos, & Clericos non prohibitos.*

30 *Studium juris civilis ad intelligentiam Canonum Regularibus, aut Clericis sæcularibus personatum habentibus, vel Presbyteris non prohibetur.*

Leges civiles sacris Canonibus ancillantur, ibidem.

31 *Theologiæ appellatione an comprehendatur scientia canonica.*

32 *Religiosi, & alij hic prohibiti non excusantur à pœnis hujus Constitutionis eò quòd leges civiles audiant ad intelligentiam Canonum.*

33 *Studentibus juri civili an debeantur fructus Prebendarum in absentia.*

34 *Beneficiatus non curatus tenetur Ordinarius dare licentiam studendi in publica Universitate Theologiæ, vel juri canonico si statum Ecclesia patiatur, & minores sint triginta annis.*

35 *Studium principale juris civilis an sit permissum in Camera Ecclesiastica, de quibus in hac Constitutione.*

36 *Civilis sapientiæ laudes à Petro de Ancharano exarata.*

37 *Religiosi qui leges, vel physicam docent intra claustra, non ligantur hac Constitutione.*

38 *Et quid si extra claustra, & num. seq. usque ad n.* 45.

39 *Intellectus cap.* Non magnoperè, supra eod.

40 *Lex unde dicta.*

41 *Studere quid sit.*

42 *Papa solus potest verba dubia generalium Conciliorum per modum legis interpretari.*

43 *Religiosi cur potius prohibeantur leges audire, quàm docere.*

44 *Jura non constituuntur ex iis, quæ uno aliquo casu accidere possunt.*

45 *Regulares e claustro exeuntes ad audiendas leges, vel medicinam an sint excommunicati ipso facto, an verò post lapsum duorum mensium.*

46 *Tempus duorum mensium quo elapso Ecclesiastici audientes leges, vel medicinam sunt excommunicati, quando incipiat currere.*

47 *Regulares audientes leges extra monasterium si certum sit eos infra duos menses ad claustrum redire non posse, an statim ligentur excommunicatione.*

48 *Regulares audientes extra claustra leges, vel medicinam post duos menses à die exitus sunt excommunicati, licet antea eos pœnituerit.*

SUPER SPECULA. Hæc Decretalis secundum Joan. Andr. & omnes hoc intendit in Summa: Constitutio Turonensis Concilii puniens Religiosos audientes leges, vel physicam est latæ sententiæ, & incidentes in illam debent per locorum Ordinarios publicari: & extenditur ad habentes dignitates, vel personatus, & ad Presbyteros: & pars hujus habetur in cap. *Super specula, infra, de magistr.* & in cap. *Super Specula, de privileg.* Dividitur in quatuor partes. Prima repetit dispositionem Turonensis Concilii. Secunda commemorat opiniones quæ irrepserant in illius interpretatione, ibi, *Verum.* Tertia determinat, ibi, *Nos.* Quarta extendit ibi, *Quia verò.*

1 Nota primò, Canonem Turonensis Concilii ponentem pœnam excommunicationis Religiosis audientibus facultates hic prohibitas per illa verba, Sicut excommunicati ab omnibus evitentur, ut in cap. *Non magnoperè, supra eodem*, esse latæ sententiæ; prout in summa hujus textus tenent Jo. Andr. Anton. de Butr. Cardin. Petr. de Anchar. Abb. & cæteri omnes: & sic collige per hujusmodi verba, Sicut excommunicatus ab omnibus evitetur, prolata à jure, vel ab homine promulgari excommunicationis sententiam ipso jure, ut hic notat Butr. *n.* 1. Dicens per hoc decidi quæstionem, quam de hujusmodi verbis ponunt Doctores in cap. *Placuit, de judæis*; sed contrarium ex diametro ex hoc textu colligit Petr. de Anchar. *n.* 3. *in* 2. *notab.* ubi notat illa verba, *Sicut excommunicatus ab omnibus habeatur*, non importare excommunicationem ipso jure, sed per judicem ferri debere, ut patet in ver. *Nos volentes*, ut de cætero ipso facto sententiam excommunicationis incurrant: quasi ante præsentem Constitutionem pœna Turonensis Concilii, quod loquitur per prædicta verba, non esset latæ sententiæ, sed ferendæ. Similiter Abb. *hic num.* 1. Licèt Ancharani mentionem non faciat, redarguit Butrium quòd non benè dixerit; quia cap. *Non magnoperè*, loquebatur per hæc verba; Sicut excommunicati ab omnibus evitentur: & tamen insurgebant opiniones probabiles, an talia verba essent latæ sententiæ. Unde cùm articulus esset dubius, Papa voluit eum expressè declarare, & decidere, ut de cætero tales forent ipso jure excommunicati: & sic Papa noluit probabiliter præteritos ligari, &

circa intellectum verbi, de cætero remittit ad notata per gloss. in cap. *Unico, in ver. De cætero, de postul. Prælator, lib. 6.* & in cap. *fin. infra, de sponsa duor.* unde credit per talia verba profata à jure, vel ab homine non induci indistincte sententiam ipso facto, quia Papa solum fuit in casu nostro illa verba interpretatus; præsertim cùm utatur verbo, volentes, ut de cætero: ex conjecturis autem putat hoc posse deprehendi, juxta notata in cap. 1. *de judic.* tandem concludit: si materia subjecta est gravis verisimiliter ponderata, erit Canon latæ sententiæ; aliter secus, arg. Clem. *Exivi de Paradiso, §. Item quia, de verbor. signific.* Si autem hæc verba sunt prolata ab homine, considerabimus an proferens esset in actu ferendi sententiam excommunicationis nec ne, vel quid simile.

2 Ego verò existimo Butrium benè dixisse, & immerito per Abbatem reprehendi, quia etsi ante editionem hujus Decretalis potuisset esse dubium an hujusmodi verba importarent excommunicationem ipso jure, & opiniones probabiles tunc temporis præberent legitimam causam excusationis: tamen Papa hic declaravit Constitutionem Concilii Turonensis, quæ loquitur per illa verba, esse latæ sententiæ; & per hanc declarationem novum jus non induxit, sed tantùm quod prius latebat manifestavit: hæc enim est natura declarationis, l. *Hæredis palam, §. Quod verò, & §. Sed etsi natum, ff. de testam.* ubi de hoc esse casum ad literam dicit Bellam. *decis. 746. volum. 2. vers. Ideo talis dicitur propria declaratio,* & notat Geminian. *consil. 72. incip.* & Philipp. Prob. plura cumulans *in additionib. ad Monach. in cap. 1. de privileg. in 6.* exemplo ejus qui excutit granum ex spicis, qui non novam speciem facit, sed eam quæ est, detegit, l. *Adeo, §. Cùm quis, ff. de acquiren. rerum dom.* Raphael Fulgos. *consil. 137. in fine, vers. Ad secundum,* Vitalin. in Clemen. *unica, §. Nec itaque, num. 22. de jurejuran.* Et propterea DD. & ipsimet Ancharan. & Abbas summantes hanc Decretalem, non dicunt pœnam excommunicationis ipso jure hic fuisse inflictam, sed dicunt Constitutionem Turonensis Concilii esse latæ sententiæ, quia scilicet Papa hic novam pœnam non imponit, sed jam impositam declarat: ex quo sequitur, ut quamvis super intelligentia Concilii Turonensis diversi diversa opinarentur, verè tamen pœna, de qua ibi, erat ipso jure imposita etiam ante declaratione hic factam. Siquidem lex declarata erat intelligenda juxta declarationem Principis, etiam antequam declaratio emanasset. Textus est singularis, qui hoc efficaciter probat in Auth. *de raptu mulier, quæ raptor. num. in fine,* ibi: Tamquam si lex nostra ab initio cum tali interpretatione promulgata fuisset; quem textum ad hoc propositum dicit meliorem de jure Felin. in cap. *fin. num. 4. in secunda falsorum supra de Constitut.* & tradit gloss. in cap. *Sicut nobis, in verb.*

4 *Respondemus, de verborum significat.* Ratio est, quia lex declarans essentialiter inest legi declaratæ, Oldrad. *consil. 263. num. 2. & sequent. vers. Et advertendum est*; & ideo retrotrahitur ad tempus editionis legis declaratæ, & ex eo tempore incipit obligare, ut in Auth. *de fil. ante dotal. in fin. num. nat. §. 1.* & in l. *Esse toro, ff. de hered. instit.* Felin. in dicto cap. *final. num. 4.* ubi Dec. *num. 44.* dicit implicare contradictionem, & repugnantiam quamdam, ut sit Constitutio declaratoria, & non habet locum in præteritis.

5 Nec obstat motivum Abbatis, quòd Papa solùm in casu nostro sic fuerit interpretatus verba Concilii Turonensis: Quia respondetur declarationem Papæ quamvis editam in aliquo speciali casu, facere jus commune. Casus est in cap. *Ex multa, de voto*; per quem textum ita docet gloss. in cap. *Extua, in verb. Consultationem, de filiis Presbyt.* & Felin. in cap. 1. *num. 17. de Constitut.* unde videmus sententiam Principis, quæ venit ad declarandum aliquod dubium juris, quamvis lata fuerit inter partes, & in casu particulari; tamen constituere jus generale quoad omnes, quia non solùm habet vim sententiæ, sed etiam generalis statuti, ut est textus in l. *fin.* & ibi notat Bald. *num. 1. C. de legibus.* Rursùs non obstant illa verba, Volumus ut de cætero, quæ non videntur congruere Constitutioni declaratoriæ, quæ non tantùm respicit futura, sed etiam trahitur ad præterita, ut

6 proximè dictum est. Etenim pro solutione hujus difficultatis observandum est, verba Concilii Turonensis, Sicut excommunicati ab omnibus evitentur, fuisse dubia propter illud verbum, *Sicut*, quod videbatur similitudinem importare, quasi non essent ipso jure excommunicati, ut ibi per Joann. Andr. *in verb. Sicut.* Unde diversæ erant opiniones, quas hic recitant Hostien. & Doctores, & propter hujusmodi opiniones probabiles Religiosi audientes facultates ibi prohibitas, excusabantur à pœna excommunicationis, ut hic notat Card. *num. 1. in secundo notab.* Ad hoc cap. *unic. vers. Nisi quando probabiliter dubitatur, de postul. Prælat. lib. 6.* Papa autem hic declarans verba dubia illius Constitutionis vult ut Religiosi audientes facultates ibi prohibitas non possint prætextu opinionum se amplius excusare ab illius observantia, sed de cætero sint ipso facto excommunicati. Et dixit, de cætero, quia prius non ligabantur; non quòd verba Concilii non essent latæ sententiæ, sed quia ante declarationem Papæ id non erat manifestum, & sic adverbium illud, *de cætero* retinet propriam naturam, ut non trahatur ad

7 præterita, ut optimè declarat glossa prælegata in dicto cap. *unico, in ver. de cætero*; quia scilicet male intelligens legem canonicam obscuram, ac difficilem intellectu, non peccat mortaliter, & consequenter non est excommunicatus, cap. *Nemo Episcoporum, 11. quæst. 3.* nisi post declaratam illius obscuritatem, ut inquit Felin. in cap. *Per tuas, ii secundo, n. 6. vers. Quinta conclusio, de Simon.* post Innoc. ibi, *ad fin.* & Bald. in l. *Ab eo, in tertia col. C. Quomodo, & quando judex.* Concludo igitur hujusmodi verba, Sicut excommunicati ab omnibus evitentur, sive prolata à jure, sive ab homine, semper fuisse latæ sententiæ, licet hoc non fuerit manifestum, nisi post declarationem, de qua hic; & consequenter verum esse quod ait Burt. per hanc Decretalem decidi controversiam, quæ super hoc erat inter Doctores, juxta notata in dicto cap. *Placuit, de Judæis.*

8 Secundò nota ibi, *De claustris exeuntes*, ita demum Religiosos ligati hac Constitutione si è claustris exeant ad audiendas leges, vel medicinam: secus si non exeant, sed in claustris hæc audiant, secundùm Innoc. *hic in princ.* quod tamen verum putat Hostiens. quod verba, Sed mens contradicere

dicere videtur, argum. infra eod. §. *Quia verò*, putat tamen hoc egere declaratione, & in dubio consilit, ut Religiosus reputet se ligatum, argum. cap. *Illud, §. Licet autem, infra, de Cler. excom. ministr.* ex eo enim videtur fuisse causa impulsiva hujus Constitutionis, finalis verò ampliatio studii sa-

9 cræ Theologiæ. Et quia prædictæ scientiæ Religiosis non congruunt, cum eis etiam illorum exercitium prohibeatur, cap. 2. *supra de postul.* & cap. *Tua nos, §. 1. infra, de homicid.* quæ ratio est expressa in dicto cap. *Non magnopere*, ibi; Ne occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursùs actionibus involvantur. Et propterea hæc Decretalis collocata est sub hac rubrica: nam potius eis competit lacrymari, lugere, & orare, cap. 4. & 5. 16. *quæst. 1.* secundùm Hostien. cum quo transeunt Joannes Andreas *in principio.* Anton. de Butr. *n. 6. vers. Quæro an habeat*, Cardin. *num. 4. Item hoc quod hic dicit*, Petr. de Ancharan. *numer. 2. in primo notab.*

Et pro hac opinione Hostiensis secundum Abbat. *num. 13.* facit textus hic in fine ubi quoad Clericos sæculares non ponderatur exitus Ecclesiarum: unde in eis dicunt Doctores spatium duorum mensium computari à tempore, quo incipiunt audire facultates hic prohibitas: quare si sæculares inter guttur pœnæ ubicumque audiant, vel studeant; ergo fortius idem dicendum in Religiosis, quibus principaliter hujusmodi scientiæ fuerunt interdictæ, ut in d. cap. *Non magnopere, supra eod.*

10 Sed his non obstantibus Abbas sequitur primam opinionem Innocentii, quia Constitutio pœnalis non debet ampliari, sed potius restringi, cap. *Cùm in cunctis, de elect.* junctò cap. *Si compromissarius, eodem tit. lib. 6.* sed Canon Concilii Turonensis, de quo in dicto cap. *Non magnopere*; & hæc Decretalis illum referens loquitur tantùm de Religiosis è claustro exeuntibus ad audiendas leges, & non redeuntibus intra spatium duorum mensium; ergo illius pœna extendi non debet ad non exeuntes, sed studentes, vel legentes in monasterio.

11 Simile in Clem. *Nec in agro, §. Quia verò, de statu Regular.* præsertim verò quia magis delinquit Religiosus, qui è claustro exit ex causa illicita, & Monasterium deserit. argum. cap. *Placuit, 16. qu. est. 1.* quàm qui rem illicitam intra claustra attentat, cum hoc ultimo casu committat unum peccatum, & in præcedenti duo; unde meritò pœna ibi fuit magis speranda. argum. cap. *Non assentamur, 24. quæst. 1.* & l. *Respiciendum, ff. de pœnis.*

12 Neque obstat quod dictum est de sæcularibus Clericis, quia ipsi non habent Monasterium, è quo possint exire, unde verba Constitutionis eis non adaptantur. Præterea secundùm Abb. non esset peccatum attentare, quòd etiam Clerici sæculares evaderent has pœnas, si in propriis domibus studerent facultatibus hic prohibitis; movetur quia cum hæc Decretalis in verb. *Quia verò*, extendat Canonem Concilii Turonensis ad habentes personatus, &c. ut hæc sit vera extensio, fieri debet cum omnibus suis qualitatibus; & sic cùm ad illas audiendas exeunt ex propriis laribus, & reipsa illis dant operam; nam Constitutio pœnalis non est multum laxanda, maximè cùm ex se legalis scientia non sit mala, sed necessaria ad re-

13 gimen universalis Ecclesiæ, saltem in temporalibus.

Ut vides, opinio Hostiensis videtur communiter teneri; sed opinio Innocentii verior videtur, & pro ea valde lubingunt considerationes Abbatis, & eam sequitur Burt. *hic num. 6. in fine*, & Collectar. *in princip.* verùm Abbatis motiva videntur confundi per ea, quæ idem Hostiens. tradit *hic num. 3. in ver. Ampliari*, dum dicit hanc Constitutionem non esse pœnalem, ut quidam somniarunt, sed favorabilem, cùm non in odium transgredientium, ut hic patet, sed in favorem Theologiæ, & fidei, ut sequitur, fuerit promulgata: ergo non est contra ipsam, sed pro ipsa interpretatio facienda, quia summa est ratio, quæ pro Religione facit, l. *Sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. funer.* Qua ratione, ut hic dicitur, prohibitio, & pœna Turonensis Concilii ampliatur, & extenditur ad omnes personatus habentes, & etiam Presbyteros.

At re ponderi potest primò, in Constitutione Concilii Turonensis, quæ de Religiosis loquitur, non exprimi illam rationem ampliationis studii Theologiæ, sed aliam tantùm, videlicet ne spirituales viri mundanis actionibus involvantur; unde cùm sit odiosa, & pœnalis debet potius restringi, quàm ampliari, cap. *Odia. & cap. In pœnis, de regul. jur. in 6.* cap. *Pœnæ, de pœnit. distinct. 1.* & quod legitur, & notatur in cap. *Statutum, de elect. lib. 6.* & in prima parte hujus textus simpliciter refertur summa illius Constitutionis, nec ulla ratio exprimitur: sed postea ratio ampliationis studii Theologiæ exprimitur in secunda parte, ubi dicta Constitutio extenditur ad Clericos sæculares ibi, *Quia verò*: Unde etsi hæc Constitutio esset favorabilis, de quo statim dicam, tamen hoc videretur intelligendum respectu sæcularium dumtaxat, non autem respectu Regularium.

Nec licet arguere, ut putat Hostiensis; Constitutio Concilii hic extenditur à Papa, ergo est favorabilis: quin potiùs hoc probat oppositum: nam si sui natura esset favorabilis, non fuisset opus ut Papa illam extenderet per novam Constitutionem, sed extensio fieri debuisset per viam declarationis ob rationis identitatem: propterea igitur Papa illam extendit, quia sine hujusmodi extensione tamquam odiosa, & pœnalis fuisset stricte intelligenda.

14 Deinde respondetur, data aliqua identitate rationis, locum habere legis dispositionem, sed non illius pœnam, juxta theoricam Joan. Andr. in cap. *Dispendia, de rescript. lib. 6.* quam sequitur Abb. *hic n. 13. vers. Facit quod notat*: unde quatenus Religiosi ex mente Constitutionis prohibeantur leges, & physicam audire etiam intra claustra, non tamen si contraveniant incidunt in pœnam excommunicationis.

Tertiò respondetur, Canonem Turonensis Concilii ad summum posse dilatari, quatenus patitur verborum latitudo, sed non posse extendi ad casus omnino diversos, & in latiori significatione verborum non comprehensos, l. 4. §. *Tetiæ, ff. de damno infect.* alioquin liceret illum extendere etiam ad Diaconos, & Subdiaconos: nam & in eis consideratio potest ratio ampliationis studii Theologiæ, & ratio prohibitionis immiscendi se negotiis sæcularibus; quod tamen nemo auderet

15 affirmare. Hinc fit, ut quamvis novitius dicatur

Religiosus, cap. Religioso, §. fin. de sentent. excomm. in 6, quo textu Archid. dicit corrigi sententiam Innocentii, qui id negaverat in cap. Statuimus, de regular. tamen hæc prohibitio non habet locum in noviriis; quia etsi loquatur de Religiosis, tamen addit verbum, professi, quod non convenit novitio: lex autem non imprimit effectum suum, nisi in illas personas, quibus verba legis congruunt, & adaptantur, ut Gemin. inquit consil. 88. Innocentius Papa sub n. 4. vers. Cum ergo concurrant: & propterea Joannes Andreas Butr. Cardin. & cæteri omnes sic summant, cap. Non magnopere, supra eod. videlicet, Religiosi professi exeuntes, &c.

16 Hinc etiam videmus hanc prohibitionem secundum Doctores non extendi ad habentes simplices parochiales sine personatu quamdiu non sint Presbyteri, licèt sit major ratio in habentibus curam animarum, quàm in personatibus curam non habentibus; idque non alia ratione, nisi quia verba textus illis non conveniunt, ut tenent Goffred. Petr. de Sampsone, & Abb. Antiq. hic; & quamvis Bernard. Innoc. & Hostien. contrarium senserint, tamen Abb. Antiq. in princ. in gloss. Ad omnes prædictas, refert super hoc jam emanasse interpretationem Apostolicam, & illam vidit Gregorius IX. & est interpretatus hanc Constitutionem Super Specula, Sabbato proximo ante festum B. Joannis non extendi ad Clericos simplices curam animarum habentes, nisi eædem Ecclesiæ fuerint Plebaniæ sub se capellas habentes, in quibus instituantur Clerici perpetui: hodie hanc determinationem habemus expressam in cap. 1. hoc tit. lib. 6. ut mox dicetur.

Demum respondetur prohibitionem, de qua in hoc textu, nec respectu Religiosorum, nec respectu sæcularium extendi posse etiam ex identitate rationis: hoc probat efficaciter textus in dicto cap. 1. ubi declaratur statutum hoc Honorii III. quod Clericis personatum habentibus audire leges, vel physicam interdicit, non habere locum in habentibus parochiales Ecclesias ratione dictarum Ecclesiarum; & tamen in illis erat major ratio prohibitionis, quàm in habentibus simpliciter personatus sine cura, ut dicit gloss. hic in verb. Presbyteros, circa medium, vers. Major enim ratio est: ergo hæc Constitutio ex identitate, imò etiam ex majoritate rationis non extenditur. Rationem hujus declarationis reddit glos. ibi in verb. Declaramus, quæ à Doctoribus communiter recipitur, videlicet quia Decretalis hæc est pœnalis, & ideo restringenda, & subdit glos. ibi, reprobatam esse opinionem Hostiensis, qui dixit illam esse favorabilem, & ampliandam.

Ex quibus concluditur Religiosos audientes facultates hic prohibitas intra monasterii clau-
17 stra non ligari hac Constitutione, puto tamen verum non esse quod dixit Abbas, non esse peccatum attentare, quòd nec Clerici sæculares ligantur si illas audiant in camera, & non exeant è propriis laribus: & arbitror Abbatem hoc dixisse potius ad ostentandam ingenii subtilitatem, quàm quòd ita senserit: nam extensio à Religiosis ad sæculares hic non fit simpliciter, sed Papa extendit, & in extensione præscribit novam formam, statuendo, ut in excommunicationem incidant, nisi ab his infra præscriptum spatium destiterint: & sic in eis non considerat, nisi continuationem, & perseverantiam in audiendo; & consequenter spatium duorum mensium debet computari ab eo tempore, quo incipiunt audire, prout tenent communiter Doctores: & eò magis quia Clerici sæculares attentantes illicita extra proprios lares non delinquunt dupliciter, seu graviùs sicut delinquunt regulares, qui illicita attentant extra claustra, ut idem Abb. fatetur, & dictum est supra n. 11. unde major est ratio prohibitionis in Religiosis exeuntibus è monasterio, quàm in sæcularibus exeuntibus è propriis domibus: faciunt Decreta Concilii Tridentini de regular. degen. & delinquen. extra clau. in c. 3. sess. 6. & de degen. intra clau. & extra ea notorie, & cum scandalo delinquentibus, in cap. 14. sess. 25. de regular.

18 QUÆRO, An personæ Ecclesiasticæ hic prohibitæ possint leges, vel medicinam aliis legere.

Hostiensis hic num. 3. in ver. Student, tenet non solùm prohiberi auditum ut hic in primo responso, sed etiam lectionem, ut est expressum in cap. Non magnopere, §. 1. supra eod. Quinimò & studium, ut hic patet in ver. Student, subaudit principaliter; & de utroque est expressum in cap. Super Specula, §. fin. in primo responso, in fine, infra de privil. imò tenet Hostien. num. 5. vers. Sed numquid, nec in Camera sua posse personas Ecclesia-
19 sticas aliquibus sociis leges privatim legere, quia culpa similis est scientiam prohibitam discere, vel docere, l. Culpa, C. de malef. & mathem. l. 2. C. de hæret. Et quamvis quidam dicant prædicta jura loquendi de scientiis, quæ malæ sunt in se, quia omninò sunt damnatæ, & ideo prohibitæ; secus de scientiis, quæ in se non sunt malæ, & ideo solummodo audiri non debent, quia prohi-
20 bitæ: Sicut aliàs quædam dicuntur esse simoniaca, quia prohibita; quædam prohibita, quia simoniaca, ut notatur in cap. Ex parte, il primo supra, de offic. Deleg. tamen quidquid dicant semper verum est lectionem prohiberi, & studium, ut ex di-
21 ctis patet. Talis ergo sententiam non evadet, alioquin lex esset imposita verbis, & non rebus, quod esse non debet, l. 2. in fine, C. Commun. de legat. nam quidquid sonent verba juris, tamen de intentione semper curandum est, cap. Ex multiplici, supra de decim. & cap. Ad aures, de rescript. cum suis concordan. Sic ergo, ut Hostiens. concludit num. 6. Personæ Ecclesiasticæ, de quibus hic, & ab auditu harum scientiarum, & lectione non solùm in scholis, sed in cameris, & principali etiam studio prohibentur: sequuntur Joann. Andr. n. 5 Butr. n. 10. in 6. quæst. & Cardin. in princ. & n. 6. in 7. quæst.

Tu adverte, quia in his dictis Hostiensis implicantur tres quæstiones, quæ non omnes una eademque solutione sunt dirimendæ.

22 Prima quæstio est de audientibus facultates hic prohibitas, & in his breviter sic distingue. Aut quæritur de Religiosis, aut de Clericis sæcularibus. Primo casu, aut Religiosi audiunt has facultates extra claustra, & absque dubio sunt ipso jure excommunicati, ut est casus apertus hic in primo responso, intellige post duos menses à die exitus computandos, ut dicam infra in secunda quæstione principali num. 45. si verò illas audiant intra claustra, non ligantur, quia cùm hæc Constitutio loquatur de exeuntibus, & sit pœnalis, non debet extendi ad eos, qui non exeunt, secundùm Innocen. cujus opinionem veriorem esse superius ostendimus in 2. notab. n. 8.

23 Secundo autem casu manifestum est, clericos sæculares habentes dignitates, vel personatus, ac etiam Presbyteros ligari hac constitutione ubivis audiant leges, vel medicinam etiam in propriis domibus: nam eis qui regulares non sunt, & clausuram non habent, aptari non possunt verba illa textus, de claustris exeuntes, ut similiter ostensum est supra n. 17.

24 Sed contra litteram hujus textus quo Ecclesiastici prohibentur audire leges civiles fortiter objici potest: præcipitur enim nobis supra in proœmio, §. fin. ut hac compilatione tam in judiciis quàm in scholis omnes utamur. Cùm igitur hoc nobis mandatum sit, videtur mandatum & omne id, sine quo hoc expediri non potest, cap. Præterea, supra, de offic. deleg. l. fin. ff. de jurisdict. omn. judic. l. Ad rem mobilem, & l. Ad legatum ff. de procur. Sed hac compilatione uti non possumus, nisi ipsam sciamus, saltem quoad legales materias, & nisi earum notitiam habeamus; sed nec sufficientem notitiam habere possumus, nisi & ipsas leges audiamus: ergo sequitur, ut omnes hodie possimus audire leges; & sic per proœmium corrigitur quod hic dicitur. Complura enim legalia in hac compilatione sunt inserta, quarum notitia vix, ac ne vix quidem haberi potest sine legali sapientia. Quæ ut dicunt hic DD. cùm coram Canonista ventilabantur ignorabit penitus quæ sit natura illius actus, & quid in ea veniet ratione moræ, vel culpæ, & sic ignorabit jura, & erit judex sine justicia contra cap. Forus, infra de verbor. signif. Et de his materiis legalibus loquuntur in specie cap. fin. de off. deleg. cap. fin. de off. jud. cap. fin. de pact. ca. fin. de transact. cap. Mandato, de procurat. cap. fin. Quid met. caus. cap. penult. & fin. de restitut. in integr. cap. penult. & fin. de foro compet. & de libelli oblat. per tot. cap. unico, de plus petit. cap. fin. de depos. cap. pen. & fin. de locato, cap. fin. de pignor. cap. fin. de judic. cap. unico, de infant. exposit. cap. fin. de usur. de novi oper. nunciat. per tot. & cap. fin. de injur. & passim alibi in his decretalibus reperies materiam legalem, quam aut non debuisset author interserere si adeo lex civilis odiosa est, aut hanc prohibitionem debuisset de medio tollere: turbat enim acumen legentium, & deficere cogit qui eos à legendis sæcularibus litteris æstimat prohibendos, cap. Turbat. 37. distinct.
25 Præsertim verò, quia civilis scientia est pars divinæ, ut DD. dicunt: unde leges dicuntur sacratissimæ, l. Leges sacratissimæ, C. de legib. & alibi dicuntur sanctissimæ, ut in l. 1. ff. de var. & extraord. cognit. & per ora Principum Deus dicitur illas promulgasse, ut in cap. fin. 16. quæst. 3. & l. fin. C. de præscript. 30. vel 40. annor. & locum suum necessariò obtinet in Ecclesia, saltem quoad regimen temporalium, quæ non sunt contemnenda, c. Ridentes, 12. quæst. 1. & cap. Si quis objecerit, 1. q. 3. Un-
26 de ut refert hic Joan. Andr. suo nu. 5. dicebat Roffredus Beneventanus Papam cum duobus Consiliariis hic fecisse sicut vulpes faciunt, quæ damnant ceresa cum ipsa non possint comedere, adjiciens ad regimen Ecclesiæ summè necessariam esse civilem scientiam, & ubi de jure tractatur illam ignorantes sedere ut testes: eum tamen meritò redarguit Cardin. num. 3. vers. Propter hoc dicit Roffredus, & Abb. num. 17. ad finem: quia honestius loqui debuisset de Papa, qui maximè in promulgandis juribus procedit cum magna maturitate, & propterea censetur habere jura in scrinio pectoris cap. 1. de const. in 6.

27 Huic objectioni Hostien. num. 3. ad finem, vers. Non obstat, & post eum Jo. Andr. num. 5. vers. Solutio, & Cardin. num. 3. vers. Dicit Hostiensis, respondent non obstare quod dictum est de juribus legalibus, quæ habentur in hac compilatione, quia sine principali studio, lectione, & auditu legum per libros legales qui haberi possunt, & glossas suas sufficiens notitia de ipsis haberi potest, & qui dubitat, quærat; neque enim ligatur qui de dubiis interrogat, & certiorari desiderat, dummodo ibi principaliter non studeat: ad hoc cap. fin. 37. distinct. cap. Si habes, 24. q. 3. cap. unico, §. fin. supra de off. Primicer. l. Apud Iulianum. ff. de fideicommiss. libertat. Sed certè, ut inquit Petr. de Anchar. hic nu. 5. materias communes ut est materia judiciorum multum communis Canonistis, & Legistis benè poterit assequi Canonista per studium cameræ, sed non materiam testamentorum difficilem, & illam de verborum
28 obligationibus, & multas alias Canonistis ignotas; & refert se multoties audivisse à Doctore suo (id est Baldo) qui per seipsum studet, per seipsum ignorat. Vox enim viva multum confert, ut ait Hieron. super proœmio primo Genes. & habet nescio quid latentis energiæ, ut idem dicit epist. 36.

Cæterum etsi hæc prohibitio aliquibus videatur dura, tamen ita lex scripta est, l. Prospexit ff. Qui & à quib. & in manifestis non debemus extenuare quæ scripta sunt, ut dicit hic Jo. Andr. in fine. Sed nec obstat secundum Hostien. & alios præall. quod
29 civilis scientia videatur pars divinæ legis, & necessaria sit ad regimen Reipublicæ: nam etsi hoc verum sit, tamen per suos ministros expediri debet, scilicet Laicos, & Clericos non prohibitos.

30 Secunda quæstio est de studentibus, Hostiens. ut dictum est supra nu. 18. distinguit studium non principale à principali. Et quidem studium non principale, quod scilicet non sit primariò propter ipsam civilem scientiam acquirendam, sed ad finem melius intelligendi Canones, putat non esse prohibitum hac Constitutione: & in hoc ejus opinionem recipiunt Joan. Andr. Butr. Cardin. Ancharan. Abb. & cæteri omnes: nam ut legitur in cap. 1. de nov. oper. nunciat. Sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur, quasi sacris Canonibus inserviant, ut exponit ibi Hostien. num. 1. in ver. Adjuvantur, seu ancillentur secundum Jo. Andr. num. 2. & juris canonici sanctiones juris civilis subtilitate decorari scripsit Bald. supra in proœm. Decretal. & in quæst. de schismate, quam posuit post rubr. C. de edict. D. Hadrian. tollen. col. 1. num. 3. In suffragium, inquit, & interpretationem Canonum possumus uti legibus, & debemus, cap. Si in adjutorium, 10. dist. Quoniam justissimæ leges, & sacri Canones ex uno utero, vel fonte divino processerunt, unde leges firmantur canonibus, & canonum ambiguitates legibus resolvuntur, sicut ex discursu glossarum utriusque juris luculenter apparet. Hinc dicebat Roman. singul. 654. Legista sine canonibus parum valet, Canonista sine legibus nihil.

31 Et confirmatur, quia etsi Papa in hac prohibitione utatur ratione illa, quia Theologiæ studium cupimus ampliari, tamen secundum Abb. hic nu. 7. ab hoc favore non excluditur studium juris canonici, quia scientia canonica est pars divinæ, ut di-

citur in cap. *Qualiter, & quando, il secundo, de accus.* Ideoque pluribus in locis jus divinum appellatur, ut in cap. *Nemo, de jurejur.* & in cap. 1. *Cum ibi notar. de juramen. calumn.* & consequenter studium juris civilis quatenus subservit studio sacrorum Canonum, non repugnat, quia multum congruit rationi finali hujus Constitutionis. Licet mihi hoc motivum Abbatis sit valdè dubium, quia Papa hic consideret studium Theologiæ in ordine ad residendum oppugnatoribus fidei, ut patet ex littera ibi, (Ut sit fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, qui resistere valeant ascendentibus ex adverso: & ita accipit Theologiam prout objectum est fidei, non autem prout supponitur ethicæ, & moralis Philosophiæ, licut scientia canonica, ut per Joan. Monach. *in præmiss. Sextinum* etsi in decretalibus agatur de summa Trinitate, de Sacramentis, & aliis ad fidem pertinentibus; tamen juris Pontificii professoribus hæc non proponuntur ut ea speculative, vel ex professo in scholis legant, aut de illis tamquam de finis axiomatibus disputent, & hæreticos confutent: quia cum ex articulis fidei deducantur, ut talia ad Theologum pertinent, ut latius scripti in cap. *Cum venissent, num. 110. & seq. de judic.* Unde favoram aliationis studii sacræ Theologiæ non videtur hoc casu militare in sacrorum Canonum disciplina.

32 Quidquid tamen sit de hoc, vera & concors Canonistarum sententia est, studium juris civilis non principaliter, sed ad sacrorum Canonum intelligentiam hic non prohiberi; dummodo fiat in Camera, non autem publicè in scholis; alioquin caderet sub prohibitione auditus, in qua prædicta distinctio an fiat obiter, vel principaliter non adhibetur, ut in præcedenti quæstione.

33 Hinc S. Congregatio Concilii alias consulta an fructus parochialis Ecclesiæ receptitiæ Tridentinæ Diœcesis, qui nonnisi inter eos distribuuntur, debeantur Sacerdoti ab eadem Ecclesia quinque menses absenti studiorum causa, cum sit annorum triginta quinque circiter. Item an debeantur Diacono ejusdem Ecclesiæ ob eamdem causam absenti ætatis annorum circiter viginti trium. Tertiò, an iisdem debeantur si juri civili studuerint, non autem Canonico, aut Theologiæ. Die 31 Maii 1507. Ad primum respondit non deberi ei, qui excedit annum trigesimum. Ad secundum deberi. Ad tertium iridem deberi ei, qui trigesimum non excedit, dummodo juri civili operam dederit causa addiscendi postea jus canonicum.

Quæ posterior resolutio, ut vides restringitur ad Diaconum, quia ipse non cadit sub prohibitione hujus decretalis; ac proinde percipit fructus præbendæ in absentia, dum studet juri civili ad intelligentiam Canonum, quos non perciperet si juri civili studeret, principaliter, quia privilegium de percipiendis fructibus in absentia non reperitur à jure concessum nisi studentibus Theologiæ, vel Juri canonico, ut in cap. fin. de magistr. & in decreto Concilii Tridentini *cap. 1. in fine, sess. 5.* Et quod de jure civili dicit glos. in cap. *Cum ex eo, in ver. Litterarum,* & Franc. *in cod. verb. de elect. lib. 6.* Videtur intelligendum de his qui dant operam juris civili non principaliter, sed ad majorem intelligentiam Juris canonici.

34 Unde alias S. Congregatio censuit teneri Ordinarium dare licentiam beneficiatis curam animarum non habentibus, licèt ad residentiam astringantur, ut ratione studii abesse possint, dummodo id status Ecclesiæ patiatur, & in publico, celebrique Gymnasio Theologiæ, vel sacris Canonibus studeant, & minores sint triginta annis. At verò Presbyteris ejusmodi licentiæ vacandi in publica Universitate studio juris civilis etiam ad intelligentiam Canonum meo tempore sæpius fuerunt denegatæ.

35 Studium verò principale etiam in Camera censet Hostiensis esse prohibitum personis Ecclesiasticis, de quibus hic. Movetur per litteram textus, ibi, *studeat.* Et quia rationes hujus prohibitionis æquè vigent in studentibus principaliter, atque in audientibus: & cum eo consentiunt Joann. Andr. *num. 5.* Butr. *num. 10.* & Cardin. *num. 6. in 7. quæst.*

36 Verum Petr. de Anchar. *hic num. 4.* Tenet rationes finales hujus Constitutionis non extendi ad studium Cameræ. (Quid enim, inquit, si magnus Jurista promoveatur ad Sacerdotium, vel ad dignitatem; an si studebit, ligabitur hac pœna renunciare Papatui, si crederem mihi sub hac pœna studium legalis sapientiæ prohiberi: est enim res sacratissima, quæ constringit hominum vitas sub regula pretio numerario non æstimanda, ut l. 1. *de ver. & extraordin. cognit.* nullusque de ejus sapore possit ferre sententiam, qui suavitatem ejus dulcedinis non gustavit; & temerarium est damnare, quia nescias.) Hæc ille; cujus sententiam arbitror esse verioremm, quia hæc Constitutio in principio loquitur de audientibus leges, nec debet extendi ad eos, qui privatim student sine auditu in scholis, quia in his non est tanta ratio prohibitionis, sicut in illis: & nihilominus etiamsi eadem ratio militaret, imo etsi major ratio; tamen cum hæc Constitutio sit pœnalis, non debet extendi ad casus in ea non comprehensos, ut ostensum est supra à *num. 13. usque ad num. 18.* Nec obstat verbum *studeat*, in quo Host. in. se fundat, quia intelligitur de studentibus publicè, & sic de his qui studentin scholis audiendo, ut indicant illa verba, in quorum diœcesibus in hujusmodi studeng: præsertim verò quia textus ibi loquitur de religiosis, qui non ligantur hac Constitutione, si facultates prohibitas audiant intra claustra, ut superiùs probatum est. Ergo multo minus ligantur si ibi non audiant, sed per seipsos studeant: & per consequens illud verbum, *studeat* non potest intelligi nisi de his, qui student extra monasteria, & sic de his, qui studendo audiunt in scholis.

37 Tertia quæstio est, an hæc Constitutio habeat locum in legentibus, seu docentibus leges, vel medicinam: & Hostiensis tenet similiter indistinctè habere locum per cap. *Non magnoperè, supra eod.* eique subscribunt reliqui ferè omnes, ut dictum est supra *num. 18.* Tu verò dic secundùm Abb. *hic numer. 16.* Aut religiosus legit in monasterio proprio, & non incurrit pœnas hic inflictas, quia quatenus hæc Constitutio loqueretur de legentibus seu docentibus, de quo statim dicam, tamen se-

38 stringitur ad exeuntes de claustris, ut patet ex dictis supra *num. 8.* Aut legit extra monasterium, & tunc solutio pender ab alia inspectione, videlicet an cap. *Non magnoperè, supra eadem* habeat locum in legentibus, seu docentibus.

39 Et quidem Hostien. *in ver. Student,* & cum eo Joann. Andr. Butr. & alii ferè omnes sentiunt, Religiosis prohiberi etiam lectionem in d. cap. *Non magnoperè,* ut dictum est supra *num. 18.* idem tenet Joann. Andr. in reg. *Cum quid, de regul. jur. lib. 6.* licet in quæstionis solutione videatur hoc restringere magis ad Religiosos, quàm ad Clericos sæculares, quia textus hic de sæcularibus loquens non repetiit de legentibus, de quibus mentionem fecerat dicto cap. *Non magnoperè.* sed contrarium tenet *hic* Abb. *num. 16. vers. Et quamquam* videantur hæc subtiliter dicta, ubi probat texeum in dicto cap. *Non magnoperè,* non esse intelligendum de legentibus,

40 id est docentibus, sed de addiscentibus: unde ponitur ibi verbum, *legere,* largo modo, quia omnis qui studet, ut proficiat, legit; pro quo asserit facere etymologiam vocabuli; nam dicitur lex à legendo, ut ait Isidor. *5. etymolog.* & propterea Joan. Andr. in cap. *Nemo potest de regul. jur. lib. 6. in mercurial.* hoc apertè deducit ex littera dicto cap. *Non magnoperè;* nam ibi Religiosi dicuntur exire ad audiendum leges, & physicam sub prætextu consulendi languentium fratrum corporibus, & Ecclesiastica negotia fideliùs pertractandi, ut sic possint proficere, & edocti agant prædicta. Hoc etiam apertiùs probat littera hujus decretalis, quæ referens mentem, & quasi verba illius Constitutionis, ubi illa dixit de legentibus; hæc declarando dixit de audientibus: nec verum est hic prohiberi auditum, & ibi lectionem, ut putavit Host. de quo Abbas miratur, quia hæc littera venit ad declarationem illius, & in hac parte nihil novi juris induxit: nam ponitur hic studium pro ipsis studentibus, scilicet addiscentibus audiendo ab aliis facultates prohibitas; nam studium magis convenit

41 addiscentibus, quàm docentibus: Studere enim est valdè cupere; hinc litterarum studia dicta sunt à cupiditate lectionum, ut notat Archidiac. in cap. *In nova, 2 6. q. 7.* unde quod initio hic dixerat de audientibus, postea subjecit de studentibus, quasi audientes sint studentes. Ex quibus concludit Abbas tam cap. *Non magnoperè,* quàm hunc textum tantummodo loqui in audientibus, seu docentibus ab aliis addiscendo, & hos tantùm in pœnas incidere: legentes verò, id est docentes putat non ligari his Constitutionibus: nec etiam illos, qui non studentut addiscant, quia verba ipsis non conveniunt; & eò magis quia in eis non videtur militare ratio, quæ viget in addiscentibus. Nam addiscens videtur moveri malo zelo, scilicet ut involvatur rursus actionibus mundanis in patrocinando, & similibus, ut innuit textus in dicto cap. *Non magnoperè:* sed qui alios docet legalem scientiam, quam prius didicit, actionibus mundanis non involvitur, imò communicat aliis scientiam in se bonam, & necessariam ad regimen orbis. Facit quod notat glos. in Clem. 1. *in ver. Honorem, de magistr.* Ego existimo hanc opinionem Abbatis esse valdè consonam veritati, & præter illius considerationes moveor, quia Papa in principio hujus textus narrat Concilium Turonense olim statuisse, ut tamquam excommunicati evitentur Religiosi de claustris exeuntes ad audiendas leges, vel physicam. Necesse est igitur, ut Constitutio Concilii Turonensis, quæ habetur in dicto cap. *Non magnopere, supra eod.* loquatur de Religiosis audientibus, non autem docentibus: alioquin Papa falsum hic dixisset, & haud fideliter retulisset illam Constitutionem, aut certè illius tenorem ignorasset. quod non est dicendum, cùm habeat omnia jura in scrinio pectoris, cap. 1. *de Constitut. in 6.* Unde quamvis verba, ad legendas leges, vel physicam, quæ habentur in dicto cap. *Non magnoperè,* inspecto cortice aliud sonare videantur: tamen intelligi debent de audientibus: & sic de legentibus audiendo, seu addiscendo, ex quo illa sic

42 intellexit Romanus Pontifex, qui solus authoritatem habet verba Conciliorum per modum legis interprerandi, cap. *Nec licuit, 37. dist.* ibi, Sed quoties aliqua de universali Synodo in aliquibus dubitatio nascitur ad recipiendam de eo quod non intelligunt rationem ad Apostolicam Sedem conveniant, cap. *Dilectus, de veneref. præben. in 6.* & utrobique glosla, & Doctores notant glos. in extravag. *Cum inter nonnullos, in ver. Declaramus, de verb. signif.* Præpos. in cap. *Sicut n. 115. dist.* Cardin. Jacobat. *de Concil. cap. 10.* & propterea Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar. & reliqui omnes sic summant textum in d. cap. *Non magnoperè,* videlicet, Religiosi professi exeuntes ad audiendas leges, vel physicam, nisi infra duos menses ad claustrum redeant, excommunicati sunt; & ita intelligunt illam litteram de audientibus, licet loquatur de legentibus: unde intellectus Abbatis ad illum textum, non est singularis sed communiter approbatus.

43 Deinde moveor, quia ratio ampliationis studii Theologiæ hic considerata non æquè viget in legentibus, atque in audientibus: nam cum Religiosis prohibeatur auditus legum, non potest contingere hic casus ut reperiatur aliquis idoneus ad illas docendas, nisi ante ingressum Religionis illas didicerit in sæculo; oportet ergo ut proveetus aliquis Jurista ingrediatur religionem, ibique profiteatur, & tunc jus civile aliis legat, seu doceat qui casus est admodum rarus, arg. cap. *Venerabilis, 5. penult.* cum glos. *in verb. Si eminens, supra, de præben.* nec impedit ampliationem studii Theologiæ;

44 unde ad illum non censetur conditor canonis respexisse; nam jura non constituuntur ex iis, quæ uno aliquo casu accidere possunt, l. *Jura,* & l. *Ex iis, ff. de legib.*

At si pateret via cuilibet religioso exeundi ad leges audiendas, hic casus posset multum frequenter contingere: unde illum potius Concilium Turonense videtur fuisse contemplatum, arg. l. *Nam ad ea,* & l. *Nam ut ait, ff. ead.* quod si religiosi non prohibentur alios docere hujusmodi facultates, ut probatum est supra, non obstante quod littera d. cap. *Non magnoperè,* loquatur de legentibus, multo minus prohibentur Clerici sæculares, de quibus hic, cum hæc littera expresse loquatur de audientibus tantùm.

45 Secundò principaliter QUÆRO, An Religiosi exeuntes de claustris ad audiendas leges, vel physicam sint ipso facto excommunicati, an verò post lapsum duorum mensium.

Innocentius in cap. *Non magnoperè. sup. eod.* tenet religiosos sic exeuntes incidere ipso facto in excommunicationem: & huic opinioni adhæret *hic* Host *n. 1. vers. Sed hæc glossa:* movetur quia duorum mensium spatium datur hic sæcularibus tantùm, ut in fine textus: at verò Religiosi sine ulla temporis præfinitione sunt ipso facto excommunicati, ut innuit littera ibi, Nos volentes, ut de cætero ipsi facto sententiam excommunicationis incurrant: ponderando illa verba, *ipso facto,* id est, non expectatis duobus mensibus præfixis in Canone Concilii Turonensis, sed illico cùm primum exeunt,

exeunt, vel, ut inquit Butr. cùm incipiunt scalas ascendere: & in hoc secundùm Host. hæc decretalis continet jus novum: propterea enim dicit, Volentes ut de cætero.

Verùm Innocen. hic tenet contrarium ejus, quod senserat in d. cap. *Non magnopere*, videlicet Religiosos non ligari, nisi post lapsum duorum mensium; & fuit opinio Vincentii, & Goffredi, quam sequitur Jo. Andr. *hic n.* 3. tum quia cùm in dicto cap. *Non magnopere*, detur Religiosis hoc spatium duorum mensium, hac interpretatione vitatur correctio illius textus, cap. *Cum expediat, de elect. in 6. l. Præcipimus, in fine, C. de appellat.* tum quia non est jus diversum in Religiosis; imò omnia de eis disposita quoad hunc casum extenduntur ad Clericos sæculares.

Et tenendo hanc opinionem, quæ communis, & verior videtur non obstant verba illa, *Volumus ut de cætero*: nam responsio patet ex dictis supra *n.* 6. & hanc partem sequitur hic Abb. Antiq. dicens eam humaniorem, Cardin. *num.* 2. Anchar. *num.* 6. & Abb. Sicul. *num.* 8. Hoc autem spatium duorum mensium in Religiosis computatur à die exitus è Monasterio, in sæcularibus autem à die, quo inceperint leges, vel medicinam audire, ut aliis relatis, & reprobatis contrariis opinionibus concludit Abb. *cod. num.* 8.

47 Successivè QUÆRO quid si tantum de duobus mensibus effluxerit, ut certum sit Religiosos infra præfixum tempus ad claustrum redire non posse, numquid statim ligantur.

Contra ipsos facit, quia si infra certum tempus promisisti mihi opus perficere, & tantum temporis fluxit, ut certum sit opus impleri non posse, protinus agere possum ex stipulatu, *l. Hoc jure. ff. de verb. oblig.* sed contrarium determinant hic Goffred. & Vincent. & post eos Abb. Antiq. *numer* 3. Host. *num.* 1. *in ver. Redierint*, Butr. *num.* 8. *in* 3. *quæst.* Cardin. *num.* 6. *in fine*, moventur tum per textum in cap. *Commissa, in princip. de elect. lib.* 6. qui optimè hoc probat; tum quia expectandus est totius temporis lapsus quasi in diem tota obligatio sit collata, *l. In illa. ff. de verbor. oblig.* & *l. Ita stipulatus*, & *l.*

48 *Insulam*: lapsis tamen duobus mensibus remanebunt ligati Constitutione, etiamsi ante lapsum eos pœnituerit, quia imputandum est eis quod exierunt, & se arctaverunt, arg. *l. 2. §. Si quis tamen. ff. si quis caution. c. Consuluit, 5. 1. sup. de reg. Deleg.* cum suis concord.

Explicit Commentarius in Lib. tertium Decretalium.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UANL
DAD AUTÓNOMA DE NUEV
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTE